

## Sermones

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo I.] In nomine Domini Iesu. Ad laudem et gloriam omnium sanctorum post Partem hiemale sequitur Pars aestivalis Pomerii sermonum de sanctis. De Sancta Trinitate et eius, scilicet fidei necessitate et salubritate Sermo primus *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius*. Isa. VI.1 et ad laudem huius festivitatis. (A) In isto cantico angelico docemur, qualiter Deum credere et colere debeamus exemplo ipsorum Seraphim, qui sunt summi angeli, de quibus ibidem ait Isa.: *Vidi – inquit – Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et Seraphim stabant subter illud*,<sup>3</sup> scilicet solium, et post pauca: *clamabant – inquit – alter ad alterum, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum*<sup>4</sup> etc. Primo nempe in hoc laudant et praedicant nobis credendam Sanctam Trinitatem, cum ter replicant dicentes: *Sanctus*, scilicet Pater, *sanctus*, scilicet Filius, *sanctus*, scilicet Spiritus Sanctus. Secundo glorificant in Deo essentiae unitatem, cum in singulari numero dicunt de his: *Dominus Deus exercituum*, videlicet angelicorum et omnium multitudinum creaturarum. Tertio laudant et glorificant divinae maiestatis bonitatem, quae relucet in omnibus creaturis. Ideo addunt dicentes: *plena est omnis terra gloria eius*, quia ut Augustinus ait: *Omnia laudant Deum: caelestia, terrestria, angeli, homines, luminaria caeli, arbores terrae, flumina, maria, et quidquid Deus creavit in caelo et in terra, omnia laudant Deum, praeter vitia*. Solus ergo peccator homo est, qui non laudat Deum et Sanctam Trinitatem. Ideo, carissimi, ut digni simus cum angelis laudare Deum, agamus poenitentiam de peccatis. Sicque cantemus cum angelis ad Dei gloriam et dicamus: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum* etc. Iuxta quae verba tria mysteria hic notemus de Sancta Trinitate: · Primum dicitur sanctae et debitae fidelitatis · Secundum dicitur sanctae et necessariae credulitatis · Tertium dicitur sanctae et securae salubritatis (B) Circa primum mysterium quaeri potest, quali fidelitate obligatur homo Christianus et debeat se habere erga Sanctissimam Trinitatem. Ad quod respondetur per conclusionem, quod omnis Christianus obligatur Sanctae Trinitati praecipue fideli cultu quadruplici, ut elicitur ex verbis praedicti cantus angelici: · Primo reverentia timore · Secundo oboedientia honore · Tertio cordiali amore · Quarto fideli confessione Primo reverentia timore, 5 ex eo quod laudant Dominum Deum Sabaoth, id est virtutum vel exercituum, in quo docemur, quia beatam Trinitatem debemus summo timore revereri, ne offendamus per peccata, et ad id obligamur. Unde Deut. X.: *Quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius* etc.<sup>6</sup> Item Malach. I.: *Si ego Dominus, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum*.<sup>7</sup> Orosius super Cantica: *Timor Dei est veneratio Dei, qua reveretur homo non ad placitum Dei omnia, quae debebat implevisse*. Sic ergo Christianus debet timere Deum et revereri, poenitendo de hoc, quod non implevit promissa in baptismo fidei Trinitatis, scilicet abrenunciare Satanae et omnibus operibus et pompis eius, de consecratione dist. IV. „Prima igitur”, et XVI. q. I. „Sunt quaedam”. Ad id Honorius Solitarius super Ps. refert, quod quidam clericus ignarus non sciens bene implere horas canonicas, ut tenebatur, solebat maxima reverentia in fine psalmodum dicere in laudem Trinitatis: „*Gloria Patri et Filio* etc.” Cumque mortuus esset, cuidam sibi noto apparuit, qui eum quaesivit, quomodo se haberet propter defectus in horis. Respondit, quod dimissum est per reverentiam „*Gloria Patri et* etc.” honorando Trinitatem. Secundo obligamur beatam Trinitati oboedientia honore tamquam Deo summo Domino videlicet omnium. Ideo laudando angeli dicunt: *Sanctus Dominus Deus* etc. Augustinus li. II. Confessionum et dist. VIII. „Quae”: *Generale – inquit – pactum est societatis humanae obtemperare regibus suis, qua nec magis Deo, regnatori universae creaturae serviendum est. Sicut enim in potestatibus humanae societatis maior minori praepositur ad oboediendum, ita de omnibus*. Haec ille. <sup>8</sup>Super omnia ergo tenemur oboedire praeceptis Decalogi, quae Sancta Trinitas praecepit. Exod. XX. dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non habebis deos alienos coram me* etc.<sup>9</sup> Cum enim dicitur: *ego*, notatur essentiae unitas, cum dicitur: *Dominus*, signatur Deus Pater, cum additur: *tuus*, signatur Filius Dei, qui est noster per carnis assumptionem, et cum additur *Deus*, signatur Spiritus Sanctus, quia secundum quod dicit Hugutio et Catholicon, dicitur *'deus' a 'do, das', vel a 'diligio, diligis'*, eo quod dat se et omnia commoda creaturis, et *diligit omnia, quae fecit*, Sap. XI.<sup>10</sup> Et hoc competit Spiritui Sancto, qui est donum Dei, et qui diligit omnia, in quantum Spiritui Sancto attribuitur amor. Sic ergo patet, quod Sanctae Trinitati obligamur oboedire in praeceptis. Ideo Salvator Matt. XIX. ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*.<sup>11</sup> Tertio obligamur cordiali amore. Matth. XXII.: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. <sup>12</sup> Quibus verbis Sancta Trinitas insinuat. *Diliges – inquit – Dominum*, scilicet Deum Patrem, subdit: *Deum tuum*, scilicet Filium eius, Iesum, qui est tuus per humanae naturae assumptionem. Et subdit: *ex toto corde et anima* etc., ubi Spiritus Sanctus habitat et desiderium Dei inflamat. Rom. V.: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*.<sup>13</sup> Unde Glossa Phil. III.: *Vita boni Christiani desiderium est Dei, scilicet Sanctae Trinitatis, quam quando desideras, nondum vides, sed desiderando capax efficieris, ut cum venerit, quod videas, implearis*. Haec Glossa. Idcirco beati angeli proclamant sanctum Deum Patrem, sanctum Filium, et sanctum Spiritum, ut insinuent nobis sanctum eius amorem pro bonitate sanctitatis suae ac desiderabilitatem. *Omnia enim bonum appetunt*, III. Ethicorum et III. Topicorum. Proinde Sancta Ecclesia consuevit hunc hymnum angelicum cantare circa tempus consecrationis corporis Christi et sanguinis eius, ut pro tanto beneficio, scilicet Eucharistiae accendamus in amore Sanctae Trinitatis, quo sanctificati admittamur et digni reddamur cum angelis videre et laudare Deum in caelis, quem in Eucharistia videmus sacramentaliter. Gregorius in praefatione: *Per quem, scilicet Christum, maiestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes* etc. Cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas, deprecamur supplicantes confessionem dicentes: *Sanctus, sanctus* etc. (C) Quarto obligamur fideli confessione. Unde Athanasius in Symbolo: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem* etc. Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in trinitate et trinitatem in unitate veneremur. Et hoc angeli insinuant, videlicet trinitatem personarum in unitate essentiae, ut dictum est. Sed hic quaeritur, utrum omnis Christianus teneatur expresse vel explicata fide credere mysterium Sanctae Trinitatis, an

sufficit credere tantummodo implicite. Respondetur secundum Thomam II. II. q. II. ar. VIII., quod quilibet catholicus, saltem per modum cuique non negligenti possibilem, obligatur credere vel scire mysterium Trinitatis explicite. Bonaventura quoque et concordans Richardus super III. dist. XXV. dicunt, quod sub necessitate salutis tenentur etiam simplices ad illos articulos fidei explicite credendos, quos eis manifestat non tantum praedicatio, sed etiam Ecclesiastica consuetudo, ut est de unitate deitatis et trinitate personarum, quam ex significatione noscere possunt, cum dicunt: *'In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti'*. Ex praedictis praecipue sancti Thomae dictis infert Nicolaus de Ausmo in sua Quadriga certa puncta. Primum, quod Christiano non sufficit dicere: 'Credo in Sanctam Trinitatem', quia hoc non est explicite confiteri vel scire, haec enim sunt verba valde confusa, et nullum intellectum praebentia, cum trinitas possit referri ad plura, et potest in hoc error esse. Secundum punctum, quod non sufficit etiam, si dicat: 'Credo in tres personas Sanctae Trinitatis', eadem ratione praedicta. Nam posset in hoc error esse, quod crederet tres deos, vel tres quasi facies in uno homine, sicuti plerique monstruose depingunt sic Trinitatem, quod est erroneum. Tertium punctum, quod nec sufficit dicere: 'Credo in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum', quia in hoc error potest esse apud indoctos secundum humanam rationem, extimando Patrem antiquiorem et Filium iuniorem. Tenetur ergo omnis Christianus secundum catholicam Ecclesiam veritatem credere et operam dare ad intelligendum mysterium Trinitatis in unitate divinae essentiae secundum suas proprietates distinctivas, quae a quolibet non negligente possunt faciliter sciri, ut patebit

\*II. articulo\*\*pa 001.F\*. Unde quidam, qui dicunt se nolle quidquam scire vel curare de Sancta Trinitate, sed tantummodo credere implicite vel in genere, sicut credit Ecclesia, tales in periculo sunt erroris et negligunt salutem. Errare autem vel dubitare circa ea, quae sunt fidei, damnationis est, extra de haereticis c. I. Et talis negligentia addiscendi est ad iniuriam Dei. Unde Gregorius in Moralibus, et habetur dist. XXXVIII. „Si iuxta“: *Qui ea – inquit –, quae Dei sunt, sapiunt, a Domino sapiuntur, et qui ea nesciunt, a Domino nesciuntur, Paulo attestante, qui ait: Si quis ignorat, ignorabitur.* Haec ille. O ergo Christiane, addisce fidem Sanctae Trinitatis, ut salveris in ea. (D) Circa secundum ergo mysterium de sancta et necessaria credulitate Trinitatis notandum pro documento conclusionis, quod quattuor sunt praecipua nimisque credibilia praecelsae Trinitatis mysteria, quae usque ad mortem tenere debet fidelis anima firma fide catholica: · Primum dicitur divinae essentiae unitas · Secundum dicitur divinarum personarum trinitas · Tertium dicitur distinctiva earum proprietates · Quartum dicitur earundem personarum aequalitas

Primum est essentiae unitas. Unde inconcussa fide credendum est, quod Sancta Trinitas, scilicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus est unus Deus et Dominus, non plures dii, immo impossibile est eas personas esse plures deos, cum divinam naturam impossibile est plurificari. Unde Boethius li. de uno et unitate: *Necesse est – inquit – summe bonum esse summe unum, immo si dici libeat, unissimum est.* Et patet ratio, quia *quidquid per superabundantiam dicitur, uni soli convenit*, VII. Topicorum secundum Philosophum, ergo si ponerentur plura bona summa, unum destrueretur ab altero. Nam si unum non habet omnem bonitatem, quam habet alterum, non esset summum, cum excederetur ab altero. Si autem haberet, sequeretur, quod illud bonum alterum non esset summum, cum possideret ab altero. Haec Aureolus. Unde ipsa ratio convincit non posse esse plures deos, de hoc alibi latius. Ad id autem est expressa auctoritas tam Scripturae, Deut. VI.: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est*<sup>14</sup> quam Ecclesiae, nam Athanasius in Symbolo Ecclesiae dicit: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, et tamen non tres dii, sed unus est Deus. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, et tamen non tres domini, sed unus est Dominus. Quia sicut unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur, ita tres deos ac dominos dicere catholica religione prohibemur.* Item extra de summa Trinitate et fide catholica c. I.: *Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus aeternus, immensus, incommutabilis, omnipotens, ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.* Secundum est credendum scilicet divinarum personarum Trinitas. Credere enim debemus, quod ille unus Deus, qui fecit caelum et terram, sic in tribus personis. Unde secundum Augustinum: *Si quaeratur a te, o Christiane, quis creavit omnia, respondere debes: Deus. Et si quaeratur, quis est Deus, respondere debes: Pater et Filius et Spiritus Sanctus.* (E) Sed iuxta hoc pro intellectu clariori personarum quaeritur: Utrum vere conveniat Deo, ut nominetur nomine personae, et quid sit persona in divinis. Respondendo nota secundum Scotum super I. dist. XXIII. q. „Unica“, quod magis acceptanda est diffinitio personae, quam ponit Richardus de Sancto Victore IV. de Trinitate c. XXII. dicens: *Persona est intellectualis naturae incommunicabilis existentia.* Nam et hoc patet ex eius etymologia secundum Bonaventuram, quia *persona – inquit – dicitur quasi 'per se una'*. Per se autem unum proprie dicitur, quod est omnino distinctum ab aliis, et in se indistinctum. Unde sicut homines particulares distincti sunt suis propriis qualitativis, ita Pater et Filius et Spiritus Sanctus suis propriis notionibus. Ex dictis ergo accipe quattuor documenta pro simplici populo. Primum est, quod nomen personae non convenit nisi intellectuali naturae, quae est triplex, scilicet humana, angelica et divina. Per hoc enim quod dicitur intellectuali, excluduntur omnia irrationalia. Et per hoc, quod dicitur naturae, quae notat quandam totalitatem, excluduntur partes hominis, ut manus, pes, caput, etc., quae non dicuntur personae. Similiter excluditur et anima hominis, quae etiam separata non dicitur persona, eo quod est pars hominis, et perfectio corporis naturalem habens ad ipsum inclinationem, ut haec probat Scotus. Quamvis autem Magister Sententiarum dicat, quod anima separata est persona, haec tamen opinio a modernis non tenetur. Secundum documentum, quod in divinis non accipitur persona pro facie humana, secundum quod vulgares accipiunt depingentes Sanctam Trinitatem cum tribus faciebus, quod est erroneum, ut supra patuit. Sed omne, quod subsistit in natura intellectuali, apud nos persona dicitur, et apud Graecos hypostasis. Tertium documentum, quod persona in divinis non accipitur secundum communem appellationem pro aliqua una re distincta essentialiter ab alia, ita quod putares sic esse tres personas in divinis, id est tres res essentialiter distinctas, sicut Petrus et Paulus et Iohannes essentialiter distinguuntur. Sed ibi sunt tres personae distinctae proprietatibus suis in unitate essentiae divinae. Persona ergo in divinis accipitur pro aliquo per se sonante, id est significante, non distinctum substantia, sed tantum distinctum proprietate. Ideo Richardus IV. de Trinitate dicit c. XIV.: *Personarum – inquit – discretio in divinis est secundum solam originem.* In angelis autem secundum solam qualitatem, quia in eis non est propagatio. In hominibus vero secundum qualitatem et originem. Quartum

documentum, quod in Deo vere et realiter sunt tres personae secundum Scotum, patet, quia in Deo realiter et in re ex natura rei sine omni etiam operatione intellectus est natura intellectualis et incommunicabilis, scilicet cum proprietate entitas in Patre, similiter in Filio et in Spiritu Sancto, ergo in Deo est persona vere. Ad hoc accipe exempla. Anima humana cum sit unica, verissime et realiter habet tres potentias, scilicet memoriam, intellectum et voluntatem, quae sunt unica anima essentialiter, sed distinguuntur secundum proprietates, quia proprietas memoriae est recordari, intellectus intelligere, voluntatis eligere. Ex memoria nascitur intelligentia, et ex utroque voluntas. Item in igne unico est flamma, splendor et calor, ex flamma procedit splendor, ex utroque calor. Haec causa brevitatis sufficiant. (F) Tertium credendum in Trinitate est distinctiva personarum proprietates. Ex quo enim dictum est, quod istae tres personae non distinguuntur secundum essentiam, sed tantum secundum proprietates personales, idcirco opus est hoc fidei Christiano intelligere ad credendum, qualibus proprietatibus ipsae divinae personae distinguantur. Et ad hoc secundum fidem catholicam nota tres proprietates ex Symbolo Athanasii dicentis sic: *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo [est.] non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Primo ergo credendum est, quod Pater a nullo est, sed ipse generat Filium sibi substantialem, non carnaliter, sed spiritualiter, sicut *lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*, ut canit Ecclesia in Symbolo. Secundo credendum est, quod solus Filius a Deo Patre gignitur ab aeterno. Unde Ps. teste: Deus Pater dicit Filio: *Ex utero* – hoc est: de substantia divina – *ante Luciferum* – id est ante creationem stellarum – *genui te*.<sup>15</sup> Sicut exempli gratia: Sol producit radium, et haec productio quaedam generatio est, et tamen una est Solis et radiorum substantia. Et si Sol fuisset ab aeterno, semper radium genuisset. Sic in proposito. Tertio de Spiritu Sancto credendum est, quod procedit a Patre simul et Filio, *qui cum Patre et Filio simul adoratur*, ut canit Ecclesia. (G) Quaeritur, quomodo differt processio Spiritus Sancti a generatione Filii in Deo. Cum enim Spiritus Sanctus de substantia Patris procedit, cur ergo Spiritus Sanctus non dicitur filius Patris. Respondetur secundum doctores super I. dist. XIII., praecipue Bonaventuram et Aureolum, quod differentia est, quia processio geniturae Filii est per modum fecunditatis naturae intellectualis, sicut verbum vel sapientia generatur in concipiente seipsum. In qua genitura transfertur similitudo vel imago Patris ad Filium. Unde Ioh. I.: *In principio*, id est Deo Patre *erat verbum*,<sup>16</sup> id est Filius, etc. Sed processio Spiritus Sancti est per modum voluntatis vel amoris, quo Pater amat Filium et Filius amat Patrem, unde ab utroque procedit, nec in hoc est translatio imaginis. Exempli gratia: Petrus generat Paulum, et transfert imaginem suam in genitum Paulum. Sic Dei Filius dicitur imago Dei Patris, ut patet Col. II. Item a Petro procedit amor in Paulum et e converso, sed haec imaginis translatio non fit in amorem. Sic aliquo modo in proposito. Quartum, quod est credendum in Trinitate, dicitur aequalitas personarum, quia ibi est summa aequalitas virtutis secundum sapientiam, potentiam, bonitatem, immensitatis aeternitatem, sicut et una divinitas. Unde Athanasius in Symbolo: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas. Qualis Pater, scilicet in bonitate et virtute, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus. Immensus Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Aeternus Pater etc. Omnipotens Pater etc. Deus Pater etc.* Non est ergo in statu salutis, qui credit, quod Pater sit maior Deus. O ergo Christiana anima, hanc fidem sanctissimam observa, et Deum tuum cognosce, scilicet Sanctam Trinitatem. Ipse est, qui te fecit, ipsius in nomine baptizatus es etc. (H) Circa tertium principale de sancta et segura salubritate fidei Beatae Trinitatis quaeritur breviter: Unde potest homo habere firmam securitatem salutis in fide Trinitatis? Ratio quaestionis, quia omnis mens deficit ab eius intellectu, quomodo unus et simplicissimus Deus possit esse trinus. Super omnia etiam hoc Christianis Iudaei et infideles quique impingunt, quod tam incomprehensibile et super omnem rationem possibile de Deo credunt. Sed ad haec respondetur, quod securissima et verissima ac salvifica indubitanter probatur fides Trinitatis, praecipue ex quattuor, propter quae merito debet gaudere Christianus pro salubritate huius fidei. Primo ex divina revelatione, quia hanc fidem Trinitatis divinae Deus ipse revelavit et demandavit, qui est summa veritas, et per consequens nec falli, nec fallere potest, ut communis est conceptio. Unde Damascenus li. I. c. II.: *Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare, dicente Salvatore Matt. XI.17 Post illam ergo Beatam Trinitatem nullus umquam novit Deum, nisi cui ipse revelavit. Ideo credendum est Deo de seipso, qui se solus ipse bene novit.* Secure ergo nos committimus bonitati divinae et eius infallibili veritati, quae ait Matth. VI. apostolis: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*<sup>18</sup> Secundo ex Scripturae attestatione. Nam Augustinus li. De Trinitate, ut allegatur de consecratione dist. III. c. ultimo dicit: *Omnes divinatorum librorum veterum et novorum catholici tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam servant unitatem.* Magister etiam in I. Sententiarum dist. II. c. „Nunc vero” ostendit, scilicet Trinitatem tam ex Veteri Testamento per illud Moysi Gen. I.: *In principio creavit Deus caelum et terram*, per Deum significans Patrem, per principium Filium, et de Spiritu Sancto infra subditur ibidem, quod *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Item per illud Ps.: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius etc.*;<sup>19</sup> quam etiam ex Novo Testamento clarissimae sunt auctoritates, ut supra etiam patuit, de quibus prosequi hic longum foret, idcirco in alio sermone de illis dicemus. (I) Tertio ex creaturarum repraesentatione. Cum enim Deus sit causa omnis creaturae efficiens finalis et exemplaris, omnem ergo creaturam fecit sic, ut repraesentet vestigium suae divinae Trinitatis, ut sicut dicitur Rom. I.: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque virtus eius*, id est potentia et divinitas, ut sint *inexcusabiles*,<sup>20</sup> scilicet homines. Sed quia videmus in omnibus creaturis relucere vestigium Trinitatis, ut patet per Magistrum, ubi supra dist. III., ubi allegat Ambrosium dicentem sic: *Ut Deus, qui natura invisibilis est, etiam a visibilibus possit sciri, opus fecit, quod opificem visibilitate sui manifestavit, ut per certum incertum posset sciri, et ille Deus omnium esse crederetur, qui hoc fecit.* Haec ibi. Patent haec in exemplo. Primo in mundo universali est magnitudo creaturarum, in qua potentia Patris. Est etiam ordo, quia aliqua sunt superiora, aliqua media, aliqua inferiora, in quo sapientia Filii. Et praeterea est pulchritudo ornatus, in quo bonitas Spiritus Sancti relucet. Item *in corporibus sunt tres dimensiones: longitudo, latitudo et profunditas. Ex longitudine diffusa consurgit latitudo, et ex utroque*



*profunditas* secundum Philosophum. Item in quolibet mundi individuo invenies unitatem, speciem et virtutem utilitatis. Item in caelestibus tres hierarchias angelorum, et in qualibet tres ordines. Item in humana anima ad imaginem Dei facta patuit supra Trinitatis vestigium. Sufficiant haec. Praeterea Philosophus I. Caeli dicit: *Omnia super tria ponimus, in hoc – inquit – numero adhibuimus magnificare unum Deum eminentem, et Patrem eorum, quae sunt.* Quarto ex miraculorum confirmatione. Nam omnia miracula per apostolos et alios in fide Christi facta hanc fidem firmaverunt, scilicet in mortuorum suscitatione et aliis. Pro aedificatione tamen sufficiat narrari, quod legitur de sancto Nicolao episcopo, qui dicitur fuisse in concilio Nicaeno, scilicet ubi editum est Symbolum, ubi cum Arius disputando contra fidem Trinitatis insultaret, Nicolaus arripiens manu laterem ait: „Cur tibi haeretice videtur impossibile in Creatore, quod suo modo est in creatura? Ecce vide trinam rem in hoc uno latere!” Tunc manu tangens laterem statim ignis, quo fuerat decoctus, videntibus cunctis ascendit, aqua defluxit, terra in manu remansit. Adoremus ergo, carissimi, Sanctam Trinitatem et laudemus, ut det gratiam et gloriam.

---

1 Is 6,3 2 Is 6,1 3 Is 6,2 4 Is 6,3 5 Editio: *amore* 6 Dt 10,12 7 Mal 1,6 8 Aug. Confess. 3,8: *Cum autem deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet iubet, etsi numquam ibi factum est, faciendum est; et si omissum, instaurandum; et si institutum non erat, instituendum est. Si enim regi licet in civitate, cui regnat, iubere aliquid, quod neque ante illum quisquam nec ipse umquam iusserat, et non contra societatem civitatis eius obtemperatur, immo contra societatem non obtemperatur – generale quippe pactum est societatis humanae oboedire regibus suis – quanto magis deo regnatori universae creaturae suae ad ea, quae iusserit, sine dubitatione serviendum est! Sicut enim in potestatibus societatis humanae maior potestas minori ad oboediendum praepositur, ita deus omnibus.*

Cf.: Gratianus: Decretum. Cum apparatu Johannis Teutonici et additionibus Bartholomaei Brixiensis. Bibl. nat. Inc. 147.: „Distinctio VIII. Differt autem ius naturale a consuetudine et constitutione, nam iure naturali omnia sunt communia omnibus, quod non solum inter eos servatur creditur, de quibus legitur: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* etc., verum etiam ex praecedenti tempore a philosophis traditum invenitur, unde apud Platonem illa civitas iustissime ordinata traditur, in qua quisque proprios nescit affectus. Iure ergo consuetudinis vel constitutionis hoc meum est, illud vero alterius. Unde Augustinus ait supra Iohannem: Iure divino omnia sunt communia omnibus, iure vero constitutionis hoc meum, illud vero alterius est. Quo iure defendis villas Ecclesiae ... Dignitate vero ius naturale similiter praevalet consuetudini et constitutioni, quaecumque enim vel moribus recepta sunt vel scripturis comprehensa, si naturali iuri fuerint adversa, vana et irrita habenda sunt. Unde Augustinus ait in li. Confessionum II.: Adversus naturale ius nulli quicquam agere licet. Quae contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate sunt vitanda, ut pactum inter se gentis aut civitatis consuetudine vel lege firmatum civis aut peregrini libidine violetur, turpis est enim omnis pars universo suo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra pactum quorumlibet iubet fieri, et si ibi numquam factum est, tamen faciendum est, etsi omissum est, restaurandum est, etsi statutum non erat, instituendum est. Scilicet enim regi licet in civitate, cui regnat, iubere aliquid, quod neque autem ipsum quisquam, nec ipse umquam iusserat, etsi non est contra societatem civitatis eius, obtemperatur ei, immo contra societatem fit, si ei non obtemperetur, *generale quippe pactum est societatis humanae obtemperare regibus suis, quanto magis Deo regnatori universae creaturae suae ad ea, quae iusserat, sine dubitatione serviendum est, sicut enim in potestatibus societatis humanae maior potestas minori ad oboediendum praepositur, ita Deus omnibus.*”

9 Ex 20,2-3 10 Cf. Sap 11,25: Diligis enim omnia, quae sunt. 11 Mt 19,17 12 Mt 22,37, cf. Dt 6,5 (etc.) 13 Rm 5,5 14 Dt 6,4 15 Ps 109,3 16 Ioh 1,1 17 Mt 11,27 18 Mt 28,19 19 Ps 32,6 20 Rm 1,20

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo II.] De Sancta Trinitate Sermo secundus, scilicet de eius clara veritate fidei approbata per varias leges. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.* Ps. LXVI. 1 (A) Sancta Mater Ecclesia hodie festum Trinitatis Beatae sollempnizans ad eius laudem haec verba postulans ab ea benedici, et ut doceat omnes fideles, quod benedictionem Dei non consequuntur, nisi in fide Sanctae Trinitatis, sic ipsam confitetur. Primo quidem, quod in Deo sit Sancta Trinitas, scilicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus, ostendit per hoc, quod Dei nomen ter replicat dicens cum Ps.: *Benedicat nos Deus*, scilicet Pater, *Deus noster*, scilicet Filius, qui noster est per incarnationem, quia humanam naturam nostram suscepit, *benedicat nos Deus*, scilicet Spiritus Sanctus. Secundo quoque confitetur, quod in Deo est essentiae unitas, sic quod Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Deus, ideo addit: *Et metuant eum omnes fines terrae.* In hoc quippe, quod dicit „metuant eum” singulariter, non „eos” pluraliter, notat essentiae unitatem. Quicumque ergo vult a Deo benedici, ut evadat poenam aeternam, et consequatur gloriam, sicut notat Glossa super dicta verba Ps. dicens, quod *benedictio Dei consistit in his duobus, videlicet evasione poenae et collatione gloriae.* Qui – inquam – sic vult benedici, confiteatur fide firma Sanctam Trinitatem, et ipsum Deum metuat filiali timore cavendo a peccatis, et sic orando dicat cum Ecclesia: *Benedicat nos Deus* etc. Iuxta quae verba tria mysteria in hoc sermone notabimus ad honorem Sanctissimae Trinitatis: · Primum dicitur altissimae confessionis · Secundum dicitur clarissimae comprobationis · Tertium dicitur largissimae benedictionis (B) Circa primum mysterium quaestio occurrit: Cur Deus piissimus voluit nobis tam altissimam et incomprehensibilem fidem de Deo iniungere, ut nullus intellectus valeat comprehendere, scilicet fidem Trinitatis. Mirum quippe videtur, cur Deus noluit contentari de nobis in hoc, ut crederemus sola ea, quae capere possemus ratione de Deo, videlicet quod unus solus est Deus, creator omnium rerum, et similia, scilicet quod est summe bonus, summe pius, summe iustus. Ut quid necesse est credere Trinitatem? – sic arguunt contra nos Iudaei. Sed ad haec respondetur, quod sic debuit nobis fidem dare, et decuit ipsam divinam bonitatem ac infallibilem veritatem pluribus rationibus: · Primo propter magnificam laudem Dei · Secundo propter certam veritatem fidei · Tertio propter magnitudinem meriti · Quarto propter Scripturas per revelationem Spiritus Sancti · Primo propter magnificam laudem Dei, quia per hanc fidem commendatur in Deo infinita potestas et



bonitas et sapientia, infinita charitas et incomprehensibilitas. Primo – inquam – infinita potestas, in hoc, quod credimus, quia potuit. Secundo infinita sapientia, in hoc, quia scivit. Infinita quoque bonitas, in hoc, quia voluit seipsum infinite communicare sibi similem generando per omnia coaequalem. Nam si Deus hoc non potuisset, sequeretur absurdum, quod invalida esset eius potentia. Si autem potuit, sed nescivit, sequeretur, quod esset in Deo ignorantia, si autem potuit, scivit, sed noluit, sequeretur, quod fuisset invidus. Quo contra Plato: *Necessarium est sentire, quoniam a Deo est prorsus omnis relegata invidia*. Ecce ergo quantum divinae laudi derogant, qui Sanctam Trinitatem negant. Nam Deum in se ab aeterno beatum fore quomodo dicant, non valent, praecipue cum ante mundi creationem Deus solus exstiterit. Sed nos in Trinitatis felicitate Deum pro personarum iucundo amore mutuo ab aeterno beatum dicimus. Qui ergo confitentur in Deo Sanctam Trinitatem, magnifica laude Deum extollunt, quod sit infinitae potentiae, scientiae et bonitatis, quia potuit, scivit et voluit sibi similem Filium generare. Quandocumque autem ista tria concurrunt, scilicet posse, scire, velle, mox sequitur voluntatem effectus, ergo sequitur, quod Deus Pater sicut ab aeterno voluit, sic ab aeterno Filium generavit, cui communicavit omne, quod potuit, omne, quod scivit, omne, quod habuit. Cum enim Deus partem substantiae dare non potuit, quia indivisibilis est, totam ergo substantiam illi dedit, et sic coaequalem sibi per omnia Filium generavit. Amplius cum Deus Pater Filium generavit ab aeterno, constat, quod ab aeterno ipsum summe diligit, et e converso Filius summe Patrem ab aeterno amavit, iste autem amor in Deo, qui ab utroque procedit, non potest ab eis differre essentialiter, cum *in Deum nullum potest cadere accidens*, VII. Metaphysicorum. Sed quidquid est in Deo, Deus est, igitur in divinis sunt tres personae coaeternae et coaequales, una tantum generans, altera generata, tertia procedens ab utroque per modum amoris. Haec Bonaventura li. de poenitentia. Secundo, ut praemisi, per hanc fidem commendatur in Deo infinita charitas, ut patet per Richardum De Trinitate li. III. c. X. dicentem: *In summo – inquit – bono est totius bonitatis plenitudo, ergo ibi vera et summa charitas deesse non potest*. Nil enim charitate melius, nil charitate perfectius et iucundius, nullus autem ad semetipsum charitatem habere dicitur, sed per amorem in alterum tendit, ubi ergo personarum pluralitas deest, charitas esse non potest, et sic Deus non posset dici beatus ab aeterno, ut iam supra tactum est. Sed dicis fortasse: si una sola persona esset in divinitate, nihilominus tamen erga creaturam habere posset charitatem. Ad hoc Richardus ibidem dicit: *Immo etiam si haberet, tamen summam charitatem erga creaturam habere non posset. Inordinata enim charitas esset, si summe diligeret, quod summe diligendum non esset, id est creatum quodcumque*. Haec Richardus. Ut ergo commendetur in Deo infinita charitas, confitenda est Trinitas beata in divinis, ut latius de hoc articulo II. patebit inter rationes. Tertio, ut praemisi, per hanc fidem commendatur divina incomprehensibilitas, quia cum tale credimus de Deo ipso revelante, quod plene nulla mens capere potest, hoc ipso confitemur, quia Deus incomprehensibilis est omni creaturae. *Nam sicut se habet oculus nycticoracis ad lumen solis, sic se habet oculus nostrae mentis ad ea, quae sunt manifesta naturae*, dicente Philosopho II. Metaphysicorum. Unde refert Tullius De natura deorum, quod *quidam rex interrogavit quandam philosophum, quid esset Deus, et philosophus terminum trium dierum ad respondendum impetravit, quo expleto iterum terminum petiit, illo iterum expleto adhuc maiorem terminum respondendi requisivit. Cui rex ait: „Video, dilatione me deludis.” Ad quem philosophus: „Domine, non, sed Deus tam immensus est, quod quanto de eo plus cogito, tanto plus deficio, et quid de eo dicam, non invenio.”* Unde propter veram et magnificam Dei laudem voluit Deus, ut credamus Beatam Trinitatem. (C) Secundo propter certam veritatem fidei. Nam Deus cum sit summa veritas, non potest velle, ut homo aliud credat, quam veritatem realem. Augustinus: *Deus non potest esse testis nec remunerator falsitatis*, et ideo illam fidem debuit dare hominibus, quae verissima est, scilicet fidem Sanctae Trinitatis, et illam in praesenti per miraculorum testimonia confirmare, atque in futuro remunerare. Idcirco Richardus De Trinitate li. I. c. II. et Augustinus dicunt: *Nil certius et firmiter tenetur, quam quod constanti fide apprehenditur, utimur namque in confirmatione fidei signis pro argumentis, prodigiis pro experimentis, utinam attenderent Iudaei et pagani, quanta securitate pro hac parte ad divinum iudicium poterimus accedere, immo cum omni confidentia Deo dicere poterimus: „Domine, si error est, a teipso decepti sumus, nam ista nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quae non nisi per te fieri possunt.”* Haec Richardus, ubi supra. Tertio propter magnitudinem meriti. Nam dicit Bernardus super Cantica sermone XXXIII.: *Magna fides de Deo meretur magna*. Et Gregorius in homilia „Cum sero factum esset” ait: *Divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum*. Voluit ergo Deus a fidelibus credi de seipso, scilicet Deo magna et ardua mysteria et supra omnem rationem altissima et incomprehensibilia, ut magnae fidei habeant merita et praemia. Nec contentari voluit, ut crederemus sola ea, quae ratione capere possumus de Deo, quia hoc bonorum et malorum, electorum et paganorum philosophorum commune est, scilicet quod unus solus est Deus summe bonus et similia. Nam unde fides catholica haberet laudem praeter illa documenta philosophica, si ea crederet tantummodo, quae rationis agnitio cogit credere? Sed in hoc laudem et praemium meretur, quia credit supra rationem revelationi divinae. Augustinus Soliloquiorum li. I.: *Omnia, quae scimus ratione, fortasse etiam credimus, sed non omne, quod credimus, scire dicimur*, ergo etc. Quarto propter Scripturas ex revelatione Spiritus Sancti, quoniam omnis Scriptura clamat Deum trinum et unum esse, et hoc revelatione Spiritus Sancti, I. Pe. II.: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. 2 Et hoc per plures Scripturas ostendetur II. articulo huius sermonis. O ergo carissimi, magnas Deo gratias agamus, quod nos ad istam sanctissimam fidem vocavit. O Iesu bone, tibi laus et gloria. (D) Circa secundum mysterium clarae comprobationis accipe pro conclusione, quod Sanctae Trinitatis verissima fides probari potest per omnes Scripturas et leges. Claret primo ex lege naturae et intrinseca, quae dictat, quod *Deus cum sit summa veritas, non potest esse testis falsus, nec remunerator falsitatis*, prout dicit Augustinus XV. li. De Trinitate. Sed ipse Deus revelavit et per multa miracula confirmavit fidem Sanctae Trinitatis, et docuit multis figuris et prophetarum oraculis et auctoritatibus Scripturarum etc. Et ista est fortissima ratio probandi in theologia. Nam in aliis scientiis locus ab auctoritate est debilis, nisi ratio roboraret auctoritatem, hic autem auctoritas roborat rationem, et probatio ab auctoritate est fortissima. Ratio huius est, quia aliae scientiae sunt ab humana inventione, quae fallere et falli potest. Theologia autem est divina inspiratione, et

infallibili veritate. Unde Damascenus: *Quae nobis tradita sunt per legem et prophetas et apostolos et evangelistas, suscipimus et cognoscimus et veneramur, nihil ultra inquirentes*, ergo etc. Et clarius in sequentibus patebit de auctoritatibus. Secundo ex lege Moysaica. Nam primo in ipso principio Moysaicae legis Trinitas claret in creatione mundi, quia scribitur sic: *In principio Deus creavit caelum et terram* etc., ut patet Gen. I. c. Per *Deum* quippe significatur ibi Deus Pater, secundum quod dicit Magister in I. dist. II. Et ibi Bonaventura: Per *principium* significatur Filius, sicut ipse Deus Pater de suo Filio dicit in Ps.: *Tecum principium in die virtutis* etc. 3 Item de Spiritu Sancto ibidem subiungit Scriptura dicens: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Denique ibidem Magister ait sic: *Quod apud nos dicitur Deus, Hebraica veritas habet Heloim, quod est plurale huius singularis, quod est Hel. Quod ergo dictum est non Hel, sed Heloim, quod interpretatur dii, ad pluralitatem personarum refertur. Ad quam etiam illud attinere videtur, quod diabolus per serpentem dixit: „Eritis, sicut dii”, pro quo habetur in Hebraeo Heloim, ac si diceretur: Eritis sicut divinae personae, quibus scilicet nil est ignotum*. Haec Magister. Ecce ergo Moyses in capite libri tres commemorat, scilicet *Deum*, significantem Patrem, et *principium*, significantem Filium, et Spiritum Sanctum. Et quod hae personae sint unum in essentia, dicit: *Creavit*, in singulari. (E) Secundo eadem lex Moysaica ostendit Trinitatem in divinis in ipsa formatione hominis primi ex dicto Dei sic: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Gen. I. 4 Hoc quippe verbum est Patris ad Filium et Spiritum Sanctum. Non enim potest esse verbum hoc ad angelos vel ad aliam quamcumque creaturam, quia nulla creatura potest creare, scilicet aliquid ex nihilo, sicut creatur anima humana, sed solus Dei est hoc facere. Idcirco cum Deus Pater dicit: *Faciamus* et *nostram*, pluralitatem ostendit personarum, alias non diceret *faciamus* et *nostram*, sed: „faciam” et „meam”. Cum vero dicit, *ad imaginem et similitudinem* in singulari, non in plurali, notat unitatem substantiae, ad cuius imaginem homo fieret, ut dicit Magister ubi supra et dist. III. ostendens dicit secundum Augustinum XIV. De Trinitate, quod licet anima vel mens humana non sit eiusdem naturae, cuius Deus est, imago tamen illius est, quo nil melius est. In ipsa enim mente et si amissa Dei participatione, scilicet per peccatum deformis sit, imago tamen Dei permanet, eo enim imago Dei est mens, quo capax est eius et particeps esse potest (et hoc actu fiet per gratiam). In mente autem est memoria, intelligentia et amor, quia meminit, intelligit et diligit, et haec tria sunt una vita, una mens, una essentia. Item ipsa memoria in anima vel mente, quae hic pro se accipiuntur, est quasi parens, et intelligentia vel notitia eius quasi proles, et tertius est amor, qui ex utraque procedit, dum mens cognoscens amat notitiam suam. Ecce ergo imago Trinitatis in anima, quae etiam debet esse ad similitudinem Dei, scilicet in gratuitis, ut imitetur Deum in operatione sua, quatenus possit tandem pervenire ad similitudinem in gloria caelesti. Haec sufficient. Tertio eadem lex Moysaica ostendit Trinitatem revelatam patriarchis multiplici praefiguratione. Primo Abrahae, qui vidit tres angelos in persona Domini descendentes per viam, tres vidit, et unum adoravit, Gen. XVIII. Item Isaac ter Iacob benedixit, Gen. XXVII. et XXVIII., scilicet primo, quando attulit ei cibos coctos. Secundo, quando veniente Esau et conquaerente ait: *Benedixi ei, et erit* – inquit – *benedictus*. 5 Tertio, quando misit eum in Mesopotamiam Syriae. Item Iacob, quando vidit scalam trium graduum a terra usque ad caelum, Gen. XXVIII., cognovit Trinitatem et adoravit. Item Moyses, quando *viam trium dierum ibimus* – inquit – *ad sacrificandum Domino* 6, ut per fidem Trinitatis nos pervenire doceret ad salutem. Unde et in honorem Trinitatis tres praecipuas instituit sollemnitates, Exo. XXIII. Haec sufficient. (F) Tertio ex lege prophetica. Nam David in Ps. dicit: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum*. 7 Idem: *Benedicat nos Deus, Deus noster, et benedicat nos Deus*, ut supra patuit. Item Isa. VI.: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum* 8, ut I. sermone patuit. Quarto ex lege evangelica. Nam ut Thomas II. II. q. II. ar. VI. dicit: *Ante Christi adventum fides Trinitatis erat occulta in fide maiorum, post Christi adventum autem mundo est manifestata per Christum et apostolos*. Unde Matth. VI.: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris* etc. 9 Quinto ex lege apostolica, I. Ioh. V.: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*. 10 Patet etiam in Symbolo apostolorum. Sexto ex lege canonica. Unde in ipso principio Decretalis habetur tit. De summa Trinitate et fide catholica sic: *Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus, incommutabilis, omnipotens, ineffabilis, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura. Pater a nullo, Filius a Patre solo, Spiritus Sanctus ab utroque* etc. Septimo ex lege civili c. C. De summa Trinitate et fide catholica LI. et L. „Nullus”, ubi dicitur sic: *Is catholicae religionis verus cultor accipiendus est, qui omnipotentem Deum et Christum Filium Dei uno nomine confitetur, Deum de Deo, lumen ex lumine, qui Spiritum Sanctum negando non violat, apud quem intemeratae fidei sensus viget incorruptae Trinitatis indivisa substantia*. Haec ibi. Item ff. de origine iuris. I. II. § exactis. li. I. habetur, quod Romani miserunt viros ad Graecos pro copia legum illarum, quae vocantur Leges XII tabularum, habenda. Ubi glossa dicit, quod antequam Graeci vellent eis concedere leges, miserunt quendam sapientem ad Romanos, ut exploraret, si digni essent. Romani vero ordinaverunt unum ad disputandum cum illo. Graecus autem nutu disputare incipiens elevavit unum digitum, scilicet pollicem unum Deum significantem. Romanus vero cum pollice duos digitos elevavit, in quo Graecus personarum trinitatem intellexit. Item Graecus manum apertam ostendit significans omnia aperta coram Deo. Romanus vero pugnum clausum ostendit, significans, quod Deus cuncta clauderet palmo, iuxta illud Isa. XL.: *Qui appendit tribus digitis molem terrae, et caelos palmo ponderavit*. 11 Tres digiti sunt potentia Patris, sapientia Filii et clementia Spiritus Sancti, quibus mundus creatus est et conservatur, ut Augustinus De Trinitate docet. Talibus itaque signis Romanos digitos extimans, eis leges XII tabularum concedi fecit. Sic nobis Deus sub fide Trinitatis concessit legem verae Christianitatis in XII articulis existentem. (G) Octavo ex lege philosophica. Ut enim dicit Glossa I. Cor. II.: *Licet philosophi non cognoverunt mysterium divinarum personarum per proprias notiones, quae sunt paternitas, filiatio et processio iuxta dictum Apostoli ibidem dicentis: Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum huius saeculi cognovit, 12 tamen cognoverunt quaedam essentialia attributa, quae appropriantur personis, sicut potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto*. Et ideo multa incerta per revelationem habuerunt secundum Augustinum XX. De civitate Dei. Unde Trismegistus ait: *Monas gignit monadem, et in se suum reflectit ardorem, quod ipse intelligit sic, quod unus Deus produxit unum mundum propter sui ipsius*

amorem, et sic Trinitatem expresse non intellexit. Item Plato libro de ordine universi dicit *numerum ternarium esse principium, medium et finem universaliter omnis rei*. Item Aristoteles I. li. De caelo et mundo dicit: *Omne et totum super tria ponimus, per hunc enim numerum adhibuimus nos magnificare unum Deum eminentem et Patrem eorum, quae sunt causata*. Et denique philosophando videmus in omnibus creaturis vestigium Trinitatis, ut patuit sermone I. „I’ latius, scilicet in infimis pure corporalibus per tres corporis dimensiones: profunditatem, latitudinem, longitudinem. In mediis creaturis, ut in homine secundum eius animae potentias, ut dictum est supra. In superioribus, scilicet in caeli sideribus, praecipue in sole, in quo est substantia solis, de quo gignitur radius vel splendor, et ex utroque caloris influentia. Denique in quolibet generaliter individuo est unitas, species et virtus. (H) Nono et ultimo probatur ex rationum lege theologica. Et praeter rationes supra tactas breviter aliquas notemus secundum doctores. Prima ratio summae felicitatis. Quaero namque, quid faciebat Deus, antequam faceret caelum et terram. Ad hoc respondet Augustinus XI. li. Confessionum dicens: *Dicenti, quid faciebat Deus, antequam faceret caelum et terram, respondeo, non illud, quod quidam ioculator respondit, „alta quidquid quaerentibus gehennas – inquit – parabat”, sed audenter dico, si caeli et terrae nomine omnis creatura intelligitur, antequam Deus faceret caelum et terram, non faciebat aliquid, scilicet creatum*. Haec ille. Ex quo probabiliter ostenditur, quod Deus ex quo ab aeterno fuit beatus et felicissimus, ergo facere habebat summae beatitudinis gaudium in seipso, quia summa beatitudo esse non potest sine summo gaudio. Summum autem gaudium non potest esse sine summo et nobilissimo consortio. Unde Richardus De Trinitate dicit, quod *amor non potest esse iucundus nec felix, nisi sit, qui amorem impendat, et qui mutuam amorem rependat. Est enim proprium amoris, sine quo omnino non potest esse, ab eo, quem multum diligit, multum diligi velle, ergo in deitate ab aeterno fuit diligens et dilectus et condilectus*. Haec Richardus, et per consequens oportet pro gaudio beatitudinis fore Trinitatem. Secunda ratio divinae bonitatis, quia Dionysius dicit IV. li. De divinis nominibus: *De ratione bonitatis est semper effluere et se communicare*. Philosophus III. Ethicorum: *Bonum quanto communius, tanto melius*, sed Deus est summae et infinitae bonitatis, ergo debet se summe et infinite communicare. Sed *creatura non potest esse capax summae et infinitae bonitatis, quia infinitas repugnat creaturae*, ut dicit Boethius De hebdomadibus. Oportet ergo in unitate essentiae divinae esse plures personas pro communicatione totius bonitatis divinae. Tertia ratio divinae sagacitatis, quam Anselmus Monologion c. XLVIII. ponit sic: *Necesse est ponere Trinitatem, nam summa sapientia sui ipsius memor esse negare non potest. De memoria nascitur verbum, quod clarius in nostra mente percipitur, quoniam mens humana cum se cogitat, liquet, quia verbum eius nascitur de memoria, et si semper se cogitaret, semper verbum eius de memoria nasceretur. Summa autem sapientia divina semper sui memor est, ergo de aeterna memoria, id est intellectu aeternum verbum nascitur. Item sicut summus spiritus semper sui memor est, id est se intelligit, ita se semper amat. Unde in memoria summi spiritus intelligitur Pater, in intelligentia Filius, in amore procedente ab utroque Spiritus Sanctus*. Haec Anselmus. Ad id est illud Ioh. I.: *In principio erat Verbum* etc. Ecce ergo, o fidelis anima, clarent Trinitatis testimonia. (I) Circa tertium de benedictione larga per invocationem nominis Sanctae Trinitatis causa brevitatis haec una sufficiat quaestio: qualiter Christiani obtineant benedictionem in baptismo innodatam per Sanctae Trinitatis invocationem. Haec enim pro aedificatione simplicium valet. Ad quod iuxta verba thematis et doctorum dicta respondetur per conclusionem, quod quattuor sunt necessaria ad finalem, scilicet benedictionem perducentia in nomine Sanctae Trinitatis efficacia: · Primum est cognitio vel confessio, videlicet ipsius Sanctae Trinitatis · Secundum est cautio vel circumscriptio offensionis eius maiestatis · Tertium est cognitio et gratiarum actio eius magnae charitatis · Quartum est perseveratio et consummatio in spe suae bonitatis Propterea Ps. orando dicit sic: *Benedicat nos Deus, Deus noster* etc., confitendo Trinitatem. Subdit: *Metuant eum omnes fines terrae*, scilicet cavendo offensam contra maiestatem interserit: „Deus noster”, recognoscendo incarnationis beneficium et charitatem. Notanterque addit: *omnes fines terrae*, ad significandum finalem consummationem. De istis patet per Augustinum De agone c. XVIII. dicentem sic: *Fides est prima, quae subiugat animam Deo, deinde praecepta vivendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, et nutritur charitas, et incipit lucere, quod antea tantummodo credebatur. Cum enim cognitio et actio hominem beatum faciunt, sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia*. Haec Augustinus. (K) Ad haec pro simplicioribus miraculum narrari libeat, quod legitur in quadam chronica, et Sigebertus 13 idem testatur, quod dum intra Gallias Ariana haeresis pullularet contra fidem Trinitatis circa annos Domini CCCCL, tunc in urbe Vasatensi 14 cum episcopus missam celebraret, vidit tres guttas clarissimas aequalis magnitudinis de caelo super altare missas, quae paulatim ad invicem appropinquantes unam gemmam pulcherrimam effecerunt, quam cum in medio cuiusdam crucis aureae posuisset, aliae gemmae, quae ibi erant, tantam eius excellentiam non ferentes de ipsa cruce protinus ceciderunt, impiis autem videbatur obscura, sed mundis lucida, infirmis dabat sanitatem, adorantibus crucem augebat devotionem. Ecce, carissimi, patet, quod si volumus a Deo benedici, debemus nos in fide Trinitatis et munditia a peccatis ac praeceptorum oboedientia observare usque in finem. O peccator, quid torpes, evigila ad salutem, o omnes iusti, o poenitentes, o quique viri et mulieres, suppliciter benedictionem Trinitatis postulantes dicamus cum Ps.: *Benedicat nos Deus* 15 Spiritus Sanctus in aeternum. Amen.

---

1 Ps 66,7,8 2 II Pt 1,21 3 Ps 109,3 4 Gn 1,26 5 Gn 27,33 6 Ex 3,18 7 Ps 32,6 8 Is 6,3 9 Mt 28,19 10 I Io 5,7,8 11 Is 40,12 12 I Cor 2,7-8 13 Editiones: *Sigilbertus* 14 Editio: *Ruasacensi*; Hagenau 1500: *Wasacensi* 15 Ps 66,2; 66,7-8

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo III.] De Sancta Trinitate Sermo III. de unitate divinae essentiae et personarum trinitate ac bonitate *Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, hi tres unum sunt*. I. Ioh. V. 1 (A) Sancta Mater Ecclesia rationabiliter post festum Spiritus Sancti statuit festum Sanctissimae Trinitatis, ad significandum, quod nemo de hac Sancta Trinitate quidquam capere vel dicere potest, nisi qui docetur a Spiritu Sancto, iuxta illud I. Cor. II.: *Quae Dei sunt, nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei*. 2 Chrysostomus super illud: „O



altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei” dicit: *Cum de Deo loqui intendimus, quo ad essentiae unitatem personarumque trinitatem, tunc nulla sufficit lingua ad exprimendum, nec intellectus ad intelligendum.* Sed tamen quid sit credendum de Trinitate, beatus Iohannes evangelista, qui supra pectus Domini recubuit, in quo erant omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi, de ipsa sapientia potatus mysterium beatissimae Trinitatis altius cognovit, et brevibus verbis nobis tradidit, cum dixit: *Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, hi tres in personis unum sunt, scilicet in essentia etc.* In quibus verbis tria mysteria in hoc sermone declaranda notabimus: · Primum mysterium de essentiali unitate, quia dicitur, quod *unum sunt* · Secundum de personali trinitate, quia dicitur: *hi tres* – inquit · Tertium de divinali bonitate, quia *Pater, Verbum et Spiritus Sanctus sunt unum, scilicet bonum (B)* Circa primum de unitate 3 divinarum personarum accipiamus pro documento conclusionem, quam Bernardus ad Eugenium dicit sic: *Inter omnia, quae unum recte dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres personae una substantia sunt.* Haec ille. Pro declaratione notandum, quod tribus praecipuis modis aliqua distincta dicuntur. Unum, ut accipitur ex verbis Bernardi ibidem et etiam extra de summa Trinitate et fide catholica c. „Damnamus”. Uno modo collective, quando plures res diversarum substantiarum in unum aliquod conveniant. Et hoc modo dicimus plures homines unum populum, plures lapides unum acervum etc. Et hoc modo non est credendum tres fore personas in Trinitate collective, sicut Petrus, Paulus, Iohannes essent insimul in uno opere, quia hoc pro haeresi damnatur, ut patet dicto c. „Damnamus” Ioachim etc. Alio modo integrative, scilicet secundum partes plures integrantes unum totum aliquod extensum, sicut caput, manus, pes etc. constituunt unum corpus, nec hoc modo tres personae sunt unum in divinis, quia divina essentia non est divisibilis in partes. Unde Magister dist. XIX. primi dicit sic: *Nec aliqua trium personarum est pars Dei vel divinae essentiae, quia singula harum verus Deus est et plenus Deus est et tota et plena divina essentia est. Et ideo nulla istarum in Trinitate pars est.* Haec ille. Idem dicit et Augustinus li. II. Contra Maximinum 4. Tertio modo et supremo dicuntur aliqua unum identice, scilicet quando plures res sunt eadem substantia, eadem essentia et natura, differentes tamen proprietatibus suis. Sicut exempli gratia in anima humana tres sunt potentiae, memoria, intelligentia et voluntas, et earum unica est essentia. Aliud autem exemplum tam propinquum in creaturis de Trinitate non habemus, sicut in anima, quae est ad imaginem Dei facta. Et de hoc sermone II. „E” latius. Nec mirum, quod unitas cum trinitate eminentiori modo est in creatore, quam in qualibet creatura possit inveniri, quia *omne bonum perfectius est in creatore summo bono, quam in creatura, sed perfectio unitatis est bonum, quod desideratur ab omnibus creaturis,* ut dicit Boethius li. De consolatione, sicut illud, in quo consistunt et conservantur. Nam videmus, quod omnis creatura tamdiu subsistit et conservatur, quamdiu manet in unitate sui. Si autem dividatur, deficit, ut patet in separatione corporis ab anima, et in divisione aquae et cuiuslibet rei. Oportet ergo eminentissimam unitatem super omne aliud unum esse in divina essentia et trinitate personarum, iuxta illud Deut. VI.: *Audi, Israel, id est attende diligenter, Dominus Deus tuus Deus unus est.* 5 Ecce tres personae: unitate naturae, *Dominus,* scilicet Pater, item *Filius Deus tuus* per incarnationem, *Deus Spiritus Sanctus, unus est,* scilicet per naturam. (C) Quaeritur hic: Quare non possunt esse plures dii, cum tamen possunt esse, et necessario sunt plures personae divinae. Et ratio ad id, quia operatio trium personarum est diversa. Nam solus Filius assumpsit naturam humanam, non Pater, nec Spiritus Sanctus. Item in columba solus Spiritus Sanctus apparuit, quorum autem operatio est diversa, et natura est diversa, quia *operatio arguit formam, I. Physicorum.* Ergo videtur, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint diversi etiam in substantia. Item plura bona sunt meliora paucioribus, sed plures esse deos est esse plura bona, cum Deus sit summum bonum. Dicit enim Anselmus, quod *omne, quod melius est, circa Deum est ponendum,* ergo videtur, quod Deus potuit per suam omnipotentiam producere plura summa bona. Cur ergo non dicimus plures deos? Ad haec respondetur secundum Bonaventuram super I. dist. II. q. I. tres veritates breviter ab ipso accipiendo. Prima sit haec veritas, quod Deus potest de seipso producere plures res summae bonitatis, sic tamen, quod illae non sint alterius naturae, licet sint alterius proprietatis vel personae. Hoc non fecit Deus Pater generando Filium et spirando Spiritum Sanctum, qui sunt idem summum bonum in natura, quod Pater, licet sint in persona differentes per proprietates. Ratio huius veritatis est propter divinae naturae simplicitatem, quae cum nullo alterius naturae potest communicare, quia si sic communicaret cum altero secundum naturam, sic communicaret et differret contrarie secundum idem, et sic ibi esset compositio, quae contrariatur simplicitati. Sed in unitate naturae communicare et in personis differre vel pluritate habere non repugnat simplicitati divinae, quia haec pluralitas est per originem et eius relationem, quae non addit, nec componit, nec repugnat simplicitati, sed potius solitudini, et sic tenet fides in simplici Dei essentia esse plures personas. (D) Secunda veritas, quod plures deos esse est omnino impossibile, nec hoc convenit divinae potentiae, quia implicat contradictionem, et est inintelligibile. Et breviter ostenditur primo sic, quoniam Deo proprium est esse omnipotentissimum, ergo unus Deus posset facere, quod omnis alterius dei potentia nihil posset, et e converso, alius deus huic primo hoc posset facere. Sed cui potest auferri potentia, non est deus, ergo nec primus eorum, nec alter erit Deus. Item secundum sic, quia *Deus est simpliciter summum bonum, quo maius excogitari non potest,* ut dicit Anselmus li. Monologion, ergo omnia alia sunt infra ipsum et ad ipsum et ab ipso. Sed quod est infra alterum secundum naturam et ab alio et ad aliud, non est summum bonum, ergo non est Deus, nisi unicus ille, a quo est omne aliud bonum. Item tertio sic, quia si sunt duo dii, aut unus est, ubi alius, aut non est. Si primum, ergo erit unus in altero, cum sunt eodem modo essendi, ergo unus est alteri materialis, et per consequens alter non est deus, si autem unus non est, ubi alter, ergo uterque est limitatus et neuter infinitus. Tertia veritas, quod Pater, Filius et Spiritus Sanctus indivisibiliter conveniunt in omni operatione, sed in relatione differunt. Unde Augustinus in sermone XIV. de verbis Domini dicit, quod *Trinitas tota fecit carnem Christi, sed non pertinet nisi ad Christum, quia scilicet solus Dei Filius suscepit carnem, Trinitas fecit columbam, sed non pertinet nisi ad Spiritum Sanctum.* Ad id exemplum secundum eundem: Anima et ratio semper simul sunt et unum sunt in essentia, et tamen anima suscipit vitam, ratio sola sapientiam suscipit, anima enim animat vel vivificat, ratio sapit et intelligit. Aliud exemplum ponit idem: In sole calor et splendor in uno radio sunt inseparabiliter, sed calor exsiccatur, splendor illuminat. Splendor suscipit illuminationem, calor fervorem. Sic in proposito. O igitur fides verissima sanctae et individuae Trinitatis, quam

rationabilis et sancta probaris. O Iesu bone, tibi laus et gratiarumactio pro hac vocatione. (E) Circa secundum principale de Trinitate personarum quaeri et declarari hic sufficiant tria pro capacitate simplicium populorum: · Prima quaestio de eius rationabili persuasione · Secunda de aeterni verbi generatione · Tertia de Spiritus Sancti processione Primo ergo quaeritur, qualiter possit persuaderi ratione capacius, quod scilicet Deus unicus sit trinus. Ad quod respondetur secundum doctores, quod facillima ratione tali potest utcumque ostendi, quia omnis mens per rationem videt et scit Deum unum auctorem omnium non esse sine sapientia, sed esse intellectualis naturae et summae sapientiae, ergo in Deo est verbum sapientiae, per quam fecit omnia, et sic omnis mens intelligit, quod Deus gignit in se sapientiam. Et quia sapientiam suam diligit, ergo in Deo procedit amor. Unde Augustinus VI. li. De Trinitate: *Dei Filius virtus et sapientia Dei est* (dicente Apostolo I. Cor. I. 6). Nec umquam fuit Deus sine virtute et sapientia coaeternus, ergo est Deo Patri Filius. Item Pater semper dilexit Filium, sed Spiritus Sanctus est amor Patris et Filii, igitur coaeternus est Patri et Filio Spiritus Sanctus. Sed quoniam in Deo non est aliud seipsum nosse vel intelligere, quam Deum esse. Nihil enim potest esse in Deo, quod non sit Deus, quia *in Deum nullum cadit accidens*, VII. et XII. Metaphysicorum, ergo Deus cum ab aeterno seipsum semper intelligit verbum vel sapientiam, concipit in mente sua consubstantialiter et in essentiae suae identitate, eo quod Deus per suam essentiam intelligit. Et hoc verbum est Filius Dei, Deus autem, cuius est hoc verbum, ipse nominatur Pater, et processus ipsius verbi praedicti generatio dicitur Filii. Unde Ioh. I.: *In principio*, id est Deo, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*, scilicet per generationem, *et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta*, quia Deus fecit omnia per suam sapientiam. Item quia in Deo est perfecta cognitio, ut patuit, ergo est etiam perfectus amor suae cognitionis vel sapientiae. Sapientia etiam Dei, cum sit ipsemet Deus, Patrem novit et diligit. Et quia sicut intelligere Dei, ita et amare Dei Deus est, quia amat per essentiam. Ideo amor ille a Patre in Filium procedens, et etiam a Filio procedens Deus est, et hic est Spiritus Sanctus, qui est nexus amborum, ut dicit Augustinus. Ea enim, quae arcano principio feruntur, spiritus nominantur, unde et spiraculum a corde vel intrinseco manantem spiritum vocamus. Ecce ergo Deus unicus est verissime trinus. Haec ratio notatur etiam ab Anselmo li. Monologion c. XLVIII. (F) Secundo quaeritur de generatione, qualiter Deus dicitur gignere verbum vel sapientiam, etenim quomodo conveniat Deo generare, cum secundum Philosophum De generatione et corruptione li. *ubicumque est generatio, ibi est variatio et corruptio*. In cuius signum sola corruptibilia generantur in creaturis. Unde Augustinus super Ps. LXII. dicit: *Ad hoc nascitur puer, ut dicat maiori: quid hic facis? Necessse est, ut qui succedunt et qui nascuntur, excludant eos, qui se praecesserunt*. Haec Augustinus. Ad haec respondetur, quod genitura secundum doctores communiter, praecipue Bonaventuram super I. dist. IX. q. I. vel generatio vere est in Deo, sed aliter, quam in nobis vel creaturis, quia in Deo non habet variationem essentialem vel corruptionem, ut in creaturis. Nam in Deo esse generationem confitetur Scriptura divina, Isa. ultimo: *Si ego, qui generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero, dicit Dominus 7*, quod dicit: non ero sterilis. Item Ps.: *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te*. 8 Et iterum: *In splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te* etc. 9 *Ex utero*, id est ex substantia intima. Item Apostolus Eph. III. dicit: *Flecto – inquit – genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur*, 10 ergo per prius est paternitas et generatio in Deo et verius, quam in creatura. Immo si non esset in Deo fecunditas, nulla creatura posset generare, nec fructus posset produci, nec homo esset pater vel generare posset, nec alia etc. Perfectio ergo generationis est summe et per prius in Deo, et exinde in aliis. Nam secundum Philosophum II. De anima *generare sibi simile est naturalissimum et perfectissimum operum*. Tunc enim unumquodque ens completum, cum potest generare, quale ipsum est. Exempli gratia: Ignis quando potest producere ignem in materia applicata, tunc perfectus est, alias non. Et lux cum potest se diffundere in aere, et sic illuminare. Et vitalis spiritus, cum potest vitam in corpore efficere et sic vivificare, et ceteris. Cum ergo generare sibi simile in substantia et natura vel producere sit perfectionis in creaturis, ergo attribuendum est Deo, in quo est summa omnis perfectio, quia divina natura est summe bona et actualissima, propter quod summe vult et potest summam bonitatem communicare etc. Summa autem ratio communicandi et prima est per generationem, qua aliquid producere potest in natura tale, quale ipsum est, ut patuit. Sic ergo in Deo vere est generatio Filii a Patre per modum sapientiae. Unde Anselmus in Monologion c. XXXIII. dicit exemplificando sic: *Cum mens rationalis seipsam cogitando intelligit, imago ipsius nascitur in sua cogitatione. Quamcumque enim rem mens cupit veraciter cogitare, eius utique similitudinem, quantum valet, in ipsa sua cogitatione conatur exprimere, et sic habet mens secum imaginem suam ex se natam, id est cogitationem sui ad suam similitudinem, quae imago est verbum eius. Itaque quis neget summam sapientiam, cum se dicendo intelligit gignere sibi consubstantialem similitudinem suam*. Haec Anselmus. (G) Si ergo petas: Quid significat haec genitura Verbi vel Filii a Patre, respondeo, quod non aliud, quam quandam descensum Filii vel originem sapientiae a Patre nobis ineffabilem et incomprehensibilem, iuxta illud Isaiae LIII.: *Generationem eius quis enarrabit*. 11 Unde I. Sententiarum dist. IX.: *Si quaeris a me – inquit Ambrosius –, quomodo si Filius sit, non priorem habeat Patrem, quaero – inquit – a te, quando Filium putas esse generatum, mihi enim impossibile est scire generationis secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et angelorum, supra Potestates, supra Cherubim, supra Seraphim, et supra omnem sensum est. Tu ergo manum ori admove, scrutari non licet, licet scire, scilicet credendo, quod natus sit, non licet discutere, quomodo natus sit, ineffabilis enim est illa generatio*. Haec ibi. O ergo homo, noli ibi cogitare generationem carnalem, sicut in nobis, quia *spiritus est Deus*, Ioh. IV. 12, sed crede in Deo originem ineffabilem, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero* genitum etc. (H) Tertio quaeritur de Spiritus Sancti processione, qualiter procedit unicus Spiritus Sanctus ab utroque simul, scilicet a Patre et Filio, cum nullus amor mutuus est unicus, ut per se notum est, processio etiam a duobus terminis vel relationibus non est unica. Ad haec respondetur secundum Bonaventuram et doctores super I. dist. X. et XI., quod Spiritus Sancti processio in divinis non dicit motum, sed tantum originem ineffabilem sine motu et mutatione vel elongatione, et ista processio est per modum mutui amoris, in quo communicant Pater simul et Filius ut in uno amore et substantialifico, quamvis autem Spiritus Sanctus a duobus procedat, non tamen procedit ab eis, inquantum sunt differentes, sed inquantum sunt unum in fecunditate voluntatis. Unde Anselmus in Monol. c. LVI. dicit sic:

*Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, non ex eo, in quo plures sunt, id est non ex relationibus eorum, sed ex ipsa sua essentia, quae pluralitatem non admittit.* Haec ille. Unde ex quo in Patre et Filio una est voluntas, quia Pater et Filius sunt una substantia, ergo unus Spiritus Sanctus procedit ab eis, et simul non prius a Patre, quam a Filio. Athanasius: *In hac Trinitate nil prius aut posterius, nil maius aut minus, unde nec plenius procedit a Patre, quam a Filio, sed ambo sunt unum principium originale Spiritus Sancti.* Haec sufficient. O aeternae Deus, o Iesu bone, illumina corda nostra ad cognoscendum, diligendum et firmiter tenendum fidem Sanctae Trinitatis. (I) Circa tertium de bonitate Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti accipiamus pro conclusione verba Damasceni li. IV. dicentis sic: *Bonus et omnibonus et superbonus Deus, totus ens bonitas propter superabundantes divitias eius bonitatis non sustinuit bonum se solum esse.* Haec ille. Ex quibus verbis tribus praecipuis modis potest ostendi et a nobis agnosci, quam summe bonus sit Deus noster, Beata scilicet Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. · Primo ex eius bonitatis conditione · Secundo ex eius communicatione · Tertio ex eius pia condescensione Primo ex conditione ipsius bonitatis divinae, quae excellit omnia. Primo quia Deus habet bonitatem propriam et essentialem, non ab alio acceptam, quod notatur, cum dicitur: *Bonus et totus ens bonitas.* Alia autem omnia habent a Deo acceptam bonitatem, non a se. Unde Lu. XVIII.: *Nemo bonus, nisi solus Deus* 13, scilicet a seipso et essentialiter. Unde et angelis et hominibus et aliis creaturis bonitas est accidentaliter, nec sunt sua bonitas, quia perdere possunt bonitatem, posset enim esse angelus, et tamen non esse bonus, ut patet in daemonibus, homines etiam quotidie perdere possunt et perdunt per peccata. Bonitas autem ipsi Deo est tam essentialis, quod non potest esse Deus et desinere esse bonus. Dionysius: *Sicut ignis non esset ignis, si haberet frigiditatem, sic iam non esset Deus, si perderet bonitatem.* Secundo quia Deus habet bonitatem omnimodam, quod notatur, cum dicitur *omnibonus Deus.* Sancti quippe viri non sunt omniboni, id est omni parte boni, quia multos habent defectus. Isa. LXIV.: *Quasi pannus menstruatae, omnes iustitiae nostrae.* 14 Angeli etiam in gloria confirmati licet aliquo modo sint omniboni, quia nullum habent defectum, tamen respectu Dei angelica puritas reputatur immunda. Iob XV.: *Caeli – id est angeli – non sunt mundi in conspectu eius* etc. 15 Tertio quia Deus habet bonitatem immensam, quod notatur, cum dicitur *superbonus.* Unde Augustinus li. De continentia dicit: *Tam omnipotens est bonitas Dei, ut etiam de malis facere possit bona.* Unde Dei bonitas est infinita. Et sic patet. Secundo agnoscitur ex communicatione summa Dei bonitas, quod notat Damascenus dicens: *Non sustinuit solum se esse,* id est sui ipsius naturam a nullo participatam. Nam participavit omnibus creaturis suam bonitatem essentialem, scilicet aliis dando esse, aliis et vivere, aliis et sentire, aliis etiam intelligere. Hae enim sunt *bonitates essentielles,* ut patet li. de causis etc. Sic et homo debet in hoc Deum imitari, sicut hortatur Apostolo Eph. V. dicente: *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos* etc. 16 Et nos ergo debemus proximis communicare bona nostra ex charitate, subveniendo eorum necessitatibus et salutem procurando. (K) Tertio ex pia condescensione. Unde subdit Damascenus ubi supra: *Huius – inquit – rei gratia fecit Deus primum intellectuales et caelestes virtutes, atque homines rationales* etc. Ubi hoc mirum consideremus, quod Deus Pater cum sit omnipotens, nam Patri attribuitur potentia, et tamen tanta pietate nobis condescendit, quod vinci se a nobis permittit. Si quaeras: Quomodo vel per quae possis Deum Patrem vincere? Audi Bernardum respondentem, quod per humilitatem et lacrimosam orationem. Dicit enim sic: *O humilis lacrima, tuum est regnum, tua est potentia, tu ante conspectum iudicis intrare non vereris, sola quidquid petieris, obtinebis, tu vincis invincibilem, et ligas omnipotentem.* Haec ille. Item Dei Filius cum sit verbum et sapientia Dei, tanta pietate nobis condescendit, quod se decipi permittit a nobis scienter. Si quaeras, quomodo, respondetur, quod ille deceptus dicitur, qui rem vilem caro pretiosissimo comparat, et rem pretiosam vili pretio vendit, hoc modo fecit Christus, quia nos, viles peccatores emit pretiosissimo suo sanguine et pretiosissima sua anima, quam pro nobis exposuit, I. Cor. VI.: *Empti estis pretio magno, glorificate* etc. 17 Sua etiam pretiosissima bona et regna caelestia pretio vili nobis ex pietate vendit, quibusdam pro parva poenitentia, Matth. III.: *Poenitentiam agite, appropinquabit regnum caelorum.* 18 Quibusdam pro modica parte substantiae, Lu. XI.: *Quod superest, date pauperibus,* 19 *immo viduae dedit pro duobus minutis.* Lu. XXI. 20 Et quod mirabilius, quibusdam dat pro calice aquae frigidae tantum, Matth. X. 21 Et quod maximum est, quibusdam dat pro sola bona voluntate, Gregorius: *Regnum caelorum tantum valet, quantum habes, nil vilius, cum emitur, nil carius, cum possidetur,* etc. Denique Spiritus Sanctus tanta pietate nobis condescendit, ut seipsum nobis donet, et in nobis tamquam in templo habitet, ut testatur Apostolus I. Cor. III. 22 O ergo homo, recognosce Dei bonitatem et Sanctae Trinitatis charitatem erga te, et gratias age. O summe Deus Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, te adoramus, te laudamus per tuam bonitatem, da nobis gratiam et gloriam.

---

1 Cf. I Io 5,7,8: Tres sunt, qui testimonium dant, Spiritus et aqua et sanguis, et tres unum sunt. 2 I Cor 2,11 3 Editio: *bonitate* 4 Editio: *Maximianum* 5 Dt 6,4 6 Cf. I Cor 1,21 7 Is 66,9 8 Ps 2,7 9 Ps 109,3 10 Eph 3,14,15 11 Is 53,8 12 Ioh 4,24 13 Lc 18,19 14 Is 64,6 15 Iob 15,15 16 Eph 5,1,2 17 I Cor 5,20 18 Mt 3,2 19 Lc 11,41 20 Lc 21,2-3 21 Mt 10,42 22 Cf. I Cor 3,16

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo IV.] De Sancta Trinitate Sermo IV. de eius scilicet collaudatione et fide firma ac utilitate invocationis *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu, laudemus et superexaltemus eum in saecula.* Verba sunt Ecclesiae apposita cantico trium puerorum descripto Dan. III. ca. (A) Quae verba merito assumimus pro themate sermonis, quia magnam auctoritatem habent ab Ecclesia, quae haec verba assumit in laudem Sanctae Trinitatis. Ut enim dist. X. „Quis nesciat” Innocentius dicit: *Ab omnibus observari debet, quod Sancta Mater observat et approbat Ecclesia.* Et ut Augustinus Contra Faustum ait: *Propterea credimus etiam evangelio, quia auctoritas Ecclesiae commonet.* Quoniam autem Sancta Ecclesia Romana hodie statuit celebrari festum Beatae Trinitatis praecipue propter haereticorum confusionem et fidelium instructionem simplicium, quia olim circa Trinitatem divinarum personarum multae haereses succrescebant, Carolus ergo imperator rogavit magistrum suum, Alcuinum, ut scilicet historiam de Trinitate



componeret, per quam errores eliminaret, et fidem catholicam doceret, et sic illa ordinata festum hoc institutum est unicum, ut simplices homines instruerentur, quod Deus Pater et Deus Filius, cuius festum celebratur in Nativitate, et Deus Spiritus Sanctus, cuius festum celebratur in die Penthecostes, non sunt plures dii, sed unicus Deus, ideo hoc uno festo Trinitatis simul coluntur. Et hoc insinuat etiam Ecclesia in his verbis dictis, adhortans filios suos: *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu*. Ecce tres personas nominat. Subdit: *Laudemus et superexaltemus eum*. Non dicit: „eos”, sed *eum*, ut unum Deum credamus. Et sic patet thema. Iuxta quae verba de Sancta Trinitate tria mysteria notabimus: · Primum de eius laudis devotione, quia dicitur: *Benedicamus, laudamus et superexaltemus* etc. · Secundum de eius veritatis fidei tentione, cum dicitur: *Patrem et Filium cum Sancto Spiritu* · Tertium de eius invocationis fructificatione, quod sequitur ad praemissa (B) Circa primum de devotione laudis, quam Sanctissimae Trinitati debemus reverenter exsolvere vel exhibere, accipiamus pro documento conclusionem, quod omnis Christianus magna devotione debet Sanctam Trinitatem laudare. Et hoc ostenditur per plures rationes, quia hoc debeat secundum alphabetum. Primo propter assuescendum officium, quod habebimus in patria caelesti. Libenter enim debet homo assuescere illud officium, quod in perpetuum habebit facere, et in quo habebit beatificare, hoc autem est laudare Sanctam Trinitatem, quam ut dicit Augustinus, *videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus sine fine saeculorum*, iuxta illud Ps. LXXXIII.: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*. 1 Sed vae mundo ab scandalis, quia multi et plures nunc assuescunt laudes infernales diaboli et eius cultus ad periculum damnationis suae, quia velint assuescere cultum laudis divinae ad suam beatitudinem, ut sunt omnes peccatores. Quidam lingua mentiendo, maledicendo, blasphemando et alia mala assuescendo, de quibus Chrysostomus: *Sicut – inquit – unusquisque hominum, de qua terra vel natione sit, lingua cognoscit, sic spiritualiter qui de terra infernali est, per linguam cognoscitur maliloquam, et qui de caelesti patria est, per linguam Deum laudantem, alii autem opere peccando quocumque vitio*. Unde Hieronymus: *Totiens diabolo genuflectimus, quotienscumque peccamus*. Idem: *Sicut iustus flectit genua sua Deo ipsum laudando, sic peccator diabolo*, etc. Secundo propter beneficium, scilicet acceptum debemus Sanctam Trinitatem benedicere et laudare gratias agendo. Gregorius I. Moralium: *Deo benedicere est de eius munere gratias agere. Dignum quippe est semper Deo gratias referre, quia numquam cessat benefacere*. Haec ille. Bernardus: *Disce, homo, in referendo gratiam non esse segnis, disce ad singula dona gratias agere. Nam ad locum, unde exeunt, flumina gratiarum revertuntur*. Agere ergo debemus Sanctae Trinitati gratias pro beneficio creationis, conservationis, redemptionis, iustificationis, vocationis et caelicae repromissionis, etc. (C) Quaeritur hic: Utrum aequalem gratiarumactionem teneamus singulis personis reddere. Ratio quaestionis est, quia cum pro singulis donis et beneficiis gratias agere debeamus, Christus autem Dei Filius plura nobis beneficia contulit, scilicet carnem assumendo, pro nobis patiendo, corpus et sanguinem nobis in Eucharistia dando, et multimode opera salutis nostrae perficiendo. Cur ergo ipsi maiores gratiarumactiones non debeamus, quam Patri et Spiritu Sancto. Respondetur ad haec secundum Bonaventuram super III. dist. IX. inter quaestiones circa litteram, quod gratiarumactio respicit non tantum excellentiam dantis, sed etiam excellentiam et numerum munerum, quia ut dicit Gregorius in homilia de confessoribus: *Quanto crescunt dona, tanto etiam rationes crescunt donorum*. Unde extensive de pluribus possumus et debemus Christo gratias agere, scilicet de incarnatione, passione, morte etc. Sed quoniam ista Pater et Spiritus Sanctus cum Christo aequaliter voluerunt, ideo intensive aequaliter debemus in omnibus gratias agere Patri et Filio et Spiritui Sancto. Tertio propter cavendum vitium debemus devote benedicere et laudare Sanctam Trinitatem invocando in omni opere, in comedendo et bibendo, ad mensam sedere inchoando, vel deponere in lectum ad dormitum, aut in surgendo, et ceteris, unde Psalmus: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*. 2 Cassiodorus: *Quidquid vel loquimur, vel mente gerimus, id divinis laudibus applicetur, scilicet dicendo: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Idem super Ps. CXL. dicit: *Si linguam semper laudibus occupamus, vitabimus vitiorum pericula*. Unde Isa. XLVIII.: *Propter nomen meum, scilicet invocatum a te longe faciam furorem meum*, 3 scilicet quem demereris propter peccata tua. Sequitur: *Et laude mea infrenabo te, ne intereas, dicit Dominus*. Quarto propter debitum, scilicet adorationis cultum, quia homo propter hoc est creatus, et linguae munus inter omnes creaturas propter hoc accepit, ut debeat Sanctam Trinitatem benedicere et laudare suppliciter adorando et glorificando, Isa. XLIII.: *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum*. 4 Ideo Augustinus li. Confessionum: *Vae tacentibus de te, Domine, quoniam loquaces muti sunt, id est: digni sunt fore muti, et nunc et in Inferno a Dei laudibus alieni*. Debemus ergo hic lingua adorare Trinitatem, ut mereamur eam laudare in caelo sine fine. (D) Sed de ista adoratione quaeritur hic, qualiter debeat adorari Sancta Trinitas, an per singulas personas distincte, an unica adoratione. Respondetur secundum Bonaventuram super dist. IX. in quaestione circa litteram, quod *tres personae divinae unica et simplici adoratione sunt adorandae*. Unde Damascenus, ut ibidem allegatur a Magistro, dicit sic: *Unus Christus est Deus perfectus et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu Sancto una adoratione*. Haec ille. Ratio secundum Bonaventuram, quia *adoratio convenit divinae maiestati, quae est unica et non multiplicata, quamvis enim personae divinae distinguantur ratione originis et relationis, non tamen ratione adorationis. Unde non sequitur, quod respectu emanationis et originis habeant diversas adorationes, sed tantum sequitur, quod habeant diversas relationes vel proprietates personales. Et hoc (inquit idem Bonaventura) fides dictat sana. Nam adoratio sequitur fidem. Sed non inquantum distinguit fides tres personas per relationum pluralitatem, sed inquantum unit per maiestatis unitatem*. Haec Bonaventura. Ex quo patet documentum, quod cum quis orat Deum Patrem vel Filium, non debet intendere ad excludendum Spiritum Sanctum, et econverso. Unde et canitur in Symbolo de Spiritu Sancto: *Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur*. Nec debet maiori adoratione adorare Patrem Filio, aut Filium, quam Spiritum Sanctum, et econverso, sed una adoratione, scilicet patriae omnes debet adorare, quia ut dicit Bonaventura ubi supra: *Sicut in personis est una et aequae summa bonitas, sic unica et aequalis maiestas*. Ideo sicut una dilectione diliguntur, sic una adoratione adorantur, scilicet patriae, quae ita debetur Patri, sicut Filio et Spiritui Sancto, nec uni maior, quam alteri personarum. Item aliud documentum, quod cum quis dicit orans: *Pater noster, qui es in caelis*, debet intentionem ferre ad totam Sanctam Trinitatem, et non ad solam personam Patris, quia tota divina

essentia et totus Deus in Patre et Filio et Spiritu Sancto est „Pater noster”, scilicet creatione et adoptione. Nam et ipse Christus secundum deitatem „Pater noster” est, quamvis secundum humanitatem sit frater noster. Tertium documentum, quod quascumque orationes diriguntur ab Ecclesia ad personas vel personam sive Patris, sive Filii, sive Spiritus Sancti, sicut dicendo: *Pater de caelis Deus, miserere nobis. Fili, Redemptor mundi Deus, miserere nobis. Spiritus Sancte Deus, miserere nobis. Sancta Trinitas Deus, miserere nobis.* Semper hoc est ratione essentialium attributorum, ut dicit Thomas super IV. dist. XV. q. V. ar. III.: *Quoniam Deus oratur ratione suae bonitatis, quae essentialis est tribus personis, per quam bonitatem largitur nobis suam beatitudinem et gratiam. Ideo oratio semper dirigi debet ad essentiam divinam. Et si dirigatur ad personam, hoc est ratione essentialium attributorum.* Sic ergo patet, qualiter debemus adorare Trinitatem. Quinto propter exemplum debemus laudare et benedicere Sanctam Trinitatem, quia ut dicit Augustinus, *omnia, quae fecit Deus, laudant Deum.* Unde et Ps.: *Omnis spiritus laudet Dominum.* 5 Ergo eorum exemplo et spiritus humanus. Unde peccatores peiores sunt bufonibus, quia isti laudant Deum, sed *non est speciosa laus in ore peccatoris,* Ecc. XV. 6, ergo etc. Sexto propter fructum. Unde dicit Dominus I. Reg. II.: *Qui honorificat me, glorificabo eum.* 7 De isto fructu invocationis Sanctae Trinitatis patebit articulo III. huius sermonis. O itaque homo, lauda Deum et Sanctam Trinitatem. (E) Circa secundum principale de fidei tentione veritatis Sanctae Trinitatis sit pro conclusione verbum beati Gregorii dicentis sic: *Haec Summa Trinitas magis est fide veneranda et firmiter credenda, quam curiose investiganda,* et ostenditur hoc triplici ratione: · Primo quia investigare est vanum · Secundo quia est periculosum · Tertio quia est confusione dignum Primo quia vanum est curiose investigare Sanctae Trinitatis veritatem, quia homo non potest consequi suum intentum, eo quod incomprehensibilis est. Unde Ambrosius, ut allegatur a Magistro I. Sententiarum dist. IX., dicit sic: *Impossibile est scire divinae generationis secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et angelorum, supra Potestates, supra Cherubim, supra Seraphim et supra omnem sensum est.* Haec ille. Itaque ut Hilarius dicit, *in talibus soli Deo de se credendum est, qui se solus novit.* Ad id legitur in Apocryphis Esdrae, quod cum Esdras miraretur, cur mali in mundo prosperantur, et boni opprimuntur, aliaque secreta Dei vellet inquirere, angelus sibi apparens dixit: „Si vales, flammam ignis pondera, flatum venti mensura, et diem praeteritam revoca”, ac si diceret: Si ea, quae circa te sunt, non vales comprehendere, quomodo divina valebis capere. Item de beato Augustino legitur, quod dum libros de Trinitate componere vellet, et per litus maris meditando deambulet, puerum pulcherrimum in litore ludentem et calce foveam facientem invenit, et cum argenteo cochleari aquam de mari in illam parvam foveam fundere vidit, interroganti Augustino, quid facere sic vellet, respondit: „Volo – inquit – totam aquam maris cum cochleari in hanc foveam infundere.” Tunc Augustinus risit dicens: „Quomodo hoc possibile est fieri, cum mare sit maximum?” Ad quod ille: „Facilius est hoc mihi agere, quam ea, quae tu cogitas adimplere, scilicet Trinitatis mysteria tuo ingenio capere et libris comprehendere.” Et hoc dicto disparuit. Tunc Augustinus se recognovit, etc. (F) Secundo quia periculosum est. Unde li. De Trinitate Augustinus ait: *Ubi quaeritur unitas Trinitatis, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur.* Et iterum idem dicit: *Mentis humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emendetur.* Idem: *Demus Deo omnia posse, et nos non omnia intelligere posse.* Tertio quia est confusione dignum, quia *qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria, sicut – inquit – qui mel comedit multum, non est ei bonum.* Haec Prover. XXV. 8 Hinc Bernardus ad Eugenium: *Dicimus – inquit – tres, sed non ad confusionem Trinitatis. Quaeris, quomodo possit hoc esse, sufficiat tibi credere sic esse, scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita aeterna.* Haec Bernardus. Qui ergo non vult confusibiliter errare, sufficiat sibi credere de Trinitate ipsi Sacrae Scripturae et fidem catholicam tenere, nil aliud inquirendo. (G) Notandum est autem, quod sex sunt praecipua secreta videlicet in Trinitate et miranda mysteria sola fide tenenda et humano intellectu incomprehensibilia, ex sola Scriptura Sacra per Dei revelationem nimis firmiter credibilia. Alphabetum: Primum est de alietate, scilicet personarum in essentiae divinae unitate. Unde Athanasius in Symbolo: *Fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur.* Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris et Filii et Spiritus Sancti unica est deitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas. Hoc enim est valde mirabile, quod unus Deus dicitur et tamen tres sunt, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Nimirum si quaeritur a te, quis est Deus verus, respondes, quod ille, qui fecit caelum et terram et omnia, quae in eis sunt, hoc enim et Iudaeus et paganus dicit. Sed si quaeritur, quis est ille, qui fecit omnia, infidelis non habet, quid amplius respondeat, nisi quod Deus ipse fecit, sed Christianus respondet, quod ille Deus est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, et sic confitendo Deum summe beatum per felicitatem amoris, scilicet mutui (qui fuit ab aeterno inter divinas personas secundum Sacras Scripturas), meretur vitam aeternam. Ad praedicta exemplum: Si Petrus, Iacobus et Iohannes tres quidem personae essent unicus homo, nonne mirabile foret? Sed quis potest hoc capere de Deo? Respondetur, quod intelligere non potes, sed tene fide, quia Deus ipse dicit et sanctis revelavit, quod tres personae sunt unum, Ioh. X.: *Ego et Pater unum sumus.* 9 Et I. Ioh. V.: *Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, hi tres unum sunt.* 10 Adiuvatur autem haec fides exemplo quamvis non sufficienter, quia nulla creatura habet talem unitatem essentiae cum alietate personarum, sed solus Deus. Accipe tamen exemplum secundum Augustinum de verbis Domini sermone XVI. dicentem: *Videmus in caelo unicum Solem currentem, fulgentem atque calentem. Similiter ignis tria habet, flammam, lucem et fervorem, divide, si potes, Solem vel ignem, et tunc divide Trinitatem.* Sic et de anima unica humana, in qua sunt tres potentiae, ut patuit sermone II. „E”. Secundum mirabile secretum est in Trinitate de beatae generationis et processiois aeternitate, quia Pater gignit Filium, et uterque spirat Spiritum Sanctum, et tamen Pater non praecessit Filium, nec ambo Spiritum Sanctum, sed ab aeterno et in aeternum et nunc et semper gignit Pater Filium, et uterque spirat Spiritum Sanctum sine termino. Ratio secundum Bonaventuram super I. dist. IX., quia simplex infinitaque est generatio et processio in divinis. Sic ergo *Pater aeternus, ita et Filius, et Spiritus Sanctus sine omni termino,* ut dicit Athanasius 11. Adiuvatur autem in hoc fides secundum Augustinum VI. De Trinitate exemplo tali: *Quia lumen – inquit – semper nascitur a Sole et est, sic et ab igne splendor et calor, et si ignis esset aeternus, eius splendor et calor eius esset aeternus.* Sic in proposito. (H) Tertium mirabile de circumcessionis qualitate, quia quaelibet personarum est in qualibet

earum, Ioh. XIV.: *Ego in Patre et Pater in me est*, etc. 12 Augustinus De fide ad Petrum: *Propter unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu Sancto, totusque Spiritus Sanctus in Patre et Filio est, nullus horum extra quemlibet ipsorum est*. Haec ille. Ratio secundum Bonaventuram super I. dist. XIX.: Illa, quorum unum est extra alterum, differunt per substantiam, sed personae sunt unica substantia, et tota deitatis plenitudo, quae est in Patre et in Filio et Spiritu Sancto, et e converso, ergo etc. In hoc exemplum adiuvat tale secundum Dionysium, quia plura lumina sunt simul in eodem aeris puncto. Aliud secundum Bonaventuram ubi supra, quia videmus, quod propter convenientiam genus est in specie, et utrumque simul in individuo, ut animal et homo in Petro, et e converso. Quartum mirabile de donationis totalitate, quia omnia, quae habet Pater, dedit Filio, et tamen totum sibi retinuit, sic et Pater et Filius dederunt Spiritui Sancto, et tamen totam perfectionem sibi retinuerunt. Unde Ioh. XVII.: *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt* 13 (dicit Christus Patri). Gregorius Nazianzenus in sermone Pentecostes: *Omnia, quae Pater est, hoc et Filius est, excepto eo, quod innatus est Pater, omnia, quae Filius est et Spiritus Sanctus est, propter hoc, quod natus est Filius, sed haec non secundum substantiam separant, sed erga substantiam discernuntur, scilicet per solas proprietates*. Haec ille. Ad id exemplum magister totam suam scientiam dat baccalaureo, et totam sibi retinet, et ambo totam dant discipulo. Sic etc. Quinto mirabile est de aequalitate, quia ibi est summa aequalitas virtutis secundum sapientiam, potentiam, bonitatem. Augustinus De fide ad Petrum: *Nullus horum alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate*. Exemplum de potentiis tribus rationalis animae, quae sunt aequalis potestatis et bonitatis et virtutis, quia se invicem capiunt secundum Augustinum li. De Trinitate. Sextum de fecunditate, quia cum singulae sint omnipotentes, non potest tamen Filium generare, nisi Pater, nec potest spirare Spiritus Sanctus, sed tantum Pater et Filius, quia ut dicit Augustinus De fide ad Petrum, *proprium est Patris, quod genuit Filium, et proprium Filii, quod genitus est a Patre, et Spiritus Sancti, quod ab utroque procedit*. (I) Quaeri potest: Cum Pater totam essentiam et omnipotentiam dat Filio et Spiritui Sancto, quare ergo non dat potentiam generandi Filio. Respondetur secundum Bonaventuram super I. dist. VII., quod propter duo. Unum est, quia hoc non est possibile, quia fecunditas ad generandum est in Patre, pro eo quod est principium primum, scilicet a quo originem habet Filius et Spiritus Sanctus, et ideo non est possibile, quod ipsum principium communicet alii primum, quia sic esset oppositio in adiecto, quod scilicet persona producta sit prima. Nam non est possibile facere ea, quae implicant contradictionem, simul esse vera. Aliud est, quia non convenit, nec debet, quia in emanatione personarum necesse est distingui eas per originem, ergo per generare et generari, ergo si hoc daret Pater Filio, ut posset generare alium filium, aut Spiritui Sancto, ut posset spirare alium spiritum sanctum, tunc posset facere, quod Pater non distingueretur a Filio, nec Filius a Spiritu Sancto. Ad id iuvamur exemplo, quia Deus non potest facere de seipso, quod non sit Deus, nec conveniens est, immo absurdum esset hoc posse sic. O ergo Beata Trinitas, vere tu magnus, vere incomprehensibilis Deus. Tibi, Domine Deus magne et miserabilis, laus et omne bonum et omnis gloria. (K) Circa tertium principale de utilitate invocationis sit breviter pro conclusione, quod nomen Beatae Trinitatis fideliter invocare hominibus est multum utile et salubre, patet per sex utilitates. Prima utilitas dicitur acceptationis, quia cum anima humana sit creata ad imaginem Sanctae Trinitatis, dum homo in se hanc Dei imaginem honorat munde conservando, Deus acceptat eius opera. Ideo Eccl. X.: *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum*. 14 Unde et propter hoc, ut scilicet acceptabile foret sacrificium laudis nostrae Deo, ordinavit Ecclesia in Synodo Nicaena, ut in fine cuiuslibet psalmi diceretur: *Gloria Patri et Filio* etc., inclinando reverenter. Quem usum Hieronymus edidit et Damasus papa approbavit. De hoc autem Iacobus de Voragine sermone de sancto Hieronymo narrat, quod in quodam monasterio Cisterciensi quidam monachus Beatae Virgini devotus quadam die in officio existens in choro vidit Beatam Virginem Mariam de altari cum multo splendore procedere, et cum versus „Gloria Patri et Filio etc.” a fratribus diceretur, illa substitit, et profunde se inclinavit usque finem versus. Quam monachus devotus interrogavit, cur se inclinasset, et respondit: „Quando iste versus ab Ecclesia dicitur, ego et omnes angeli in caelo inclinamus, et reverentiam Sanctae Trinitati exhibemus, quia sic laudare Deum est sibi multum acceptum.” Secunda dicitur benedictionis. Ambrosius in Commentario: *Deus benedicitur – inquit –, cum laudibus dignis extollitur, homines autem Deus sic benedicit, ut suae gratiae dona eis impertiatur*. Haec ille. Unde sacramenta, et praecipue baptismus et poenitentia conferuntur per invocationem Trinitatis pro benedictione consequenda. Tertia dicitur cumulationis, scilicet meritorum. Bernardus super Cantica sermone XXXIII.: *Magna fides de Deo meretur magna*. De hoc latius supra sermone II. „C”. (L) Quarta dicitur deturbationis, scilicet daemonum. Nulli enim dubii, quod daemones fugiunt territi ad nomen Dei, iuxta illud Ps.: *Terribile et sanctum nomen eius*. 15 Unde legitur in legenda communi, quod quidam notarius consuluit magum, ut ditaretur, et hoc fuisse dicitur in Constantinopoli. Ille ergo duxit eum ad locum, ubi multitudo daemonum residebat, et unus inter eos in throno existens quaesivit dicens: „Vis servus meus esse?” At notarius signavit se dicens: „Ego sum servus Sanctae Trinitatis.” Quo audito omnes daemones aufugerunt. Tandem cum intrasset ecclesiam Sanctae Sophiae, ecce imago Crucifixi oculos ad ipsum convertibat, quocumque diverteret pro dilectionis signo. Quinta dicitur evitationis, scilicet malorum. Refert Damascenus li. IV., quod apud Constantinopolim pestis gravis mox cessavit, dum puer quidam canticum Sanctae Trinitatis decantavit, quod 16 raptus ab angelo didicerat, scilicet „Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis, misericors salvator, miserere nobis.” Sexta finalis salvationis. Ioel. II.: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, etc. 17 Refert Discipulus in Promptuario, quod quidam miles, cum omni sero se consignaret in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, contigit eum subito mori, sed Dei iudicio propter hoc indultum est sibi ad corpus redire, et poenitentiam salutem agere. Rogemus ergo Sanctam Trinitatem, ut salvemur.

---

1 Ps 83,5 2 Ps 33,2 3 Is 48,9 4 Is 43,7 5 Ps 150,6 6 Ecl 15,9 7 Cf. I Sm 2,30 8 Prv 25,27 9 Ioh 10,30 10 Cf. I Io 5,8 11 Editio: *Arhana*; Hagenau 1500.: *Athana* 12 Ioh 14,10 13 Ioh 17,10 14 Ecl 10,31 15 Ps 110,9 16 Editio: *qui* 17 Ioel 2,32



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo V.] In festo corporis Christi Sermo I., scilicet de ipsius festi excellentia sollemnitateque utilitate *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ioh. VI. 1, et ad laudem huius festivitatis. (A) Amorosus Dominus noster Iesus volens circa nos ostendere amorem maximum, quem gessit, dedit nobis in cibum sub sacramento mirabili semetipsum, ut per eum vitam consequeremur aeternam. In quo tria permaxima beneficia nobis contulit, pro quibus debemus hodie cum multa et devotissima gratiarumactione recolere. Primo quidem, quia summe nos dignificavit prae omnibus nationibus in huius cibi divini praestatione. Unde in sermone hodierno legitur sic: *Immensa divinae largitatis beneficia exhibita 2 populo Christiano inextimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster.* Haec ibi. Secundo quia summa charitate nos dilexit in huius sacramenti institutione. Nam ibidem subditur sic: *Unigenitus siquidem Dei Filius suae divinitatis volens nos esse participes naturam nostram assumpsit, ut homines deos faceret, factus est homo, et insuper quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem, scilicet corpus et sanguinem et se totum.* Tertio quia de vita aeterna tali pignore nos securavit, idcirco dixit in praemisso themate: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* scilicet aeterna. Et iterum: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum,* 3 quod potest esse aliud thema. Ut ergo Sancta Ecclesia alliciat nos ad gratiarumactionem pro tantis beneficiis, statuit hodiernum festum in honorem Christi et eius tanti sacramenti. Age ergo, o Christiane, Deo gratias, cum audis dicentem: *Panis, quem ego dabo* etc. Iuxta haec autem verba tria mysteria declarabimus in hoc sermone: · Primum de istius festi excellentia, scilicet pro tanto sacramento corporis Christi sub panis specie · Secundum de huius sacramenti reverentia, quia dicit Christus: *Caro mea* · Tertium de eius salubri efficacia, quia subdit: *Pro mundi vita* (B) Circa primum mysterium de excellentia festi quaeri potest: Cur pro adorando sacramento Eucharistiae instituire voluit Ecclesia festum speciale et tam celebre. Cum enim quotidie sacramentum Eucharistiae in missa adoretur, superfluit ergo festum hoc uno die anni institutum. Sed ad haec respondetur per conclusionem, quod inspirante Spiritu Sancto institutum est convenienter festum corporis et sanguinis Christi post festum adventus Spiritus Sancti. Et hoc declaratur praecipue ratione triplici: · Primo ratione praesignationis ipsius festi · Secundo ratione dilectionis Dei · Tertio ratione altitudinis sacramenti Prima ratio praesignationis huius festi, quia hoc festum praesignat futurae patriae festivam iucunditatem in Christi aperta visione, quem nunc hic videmus in sacramento velate, quia ut Damascenus li. IV. c. V. dicit: *Sapientia Dei – inquit –, quae se per visibilia manifestat, voluit ostendere, quoniam ipse animarum cibus et refectio est. Propterea carnem assumptam nobis in edulium proponit, ut per cibum carnis ad gustum invitaret divinitatis.* Haec ille. Hunc autem gustum habebimus plene in patria, Lu. XIV.: *Beatus, qui manducat panem in regno Dei,* 4 ad quem non possumus pervenire, nisi per gratiam Spiritus Sancti, sine qua nec digne sumere valemus Eucharistiam. Ideo convenienter post festum et octavas Spiritus Sancti, hoc est: diei Pentecostes hoc festum Eucharistiae celebratur, ut doceamur gratiam Spiritus Sancti prius quaerere, scilicet in vita ista a peccatis abstinendo, et sic ad Christi festum et communionem venire. Et a contrario: peccatores sicut non sunt digni communionem corporis Christi, sed rei sunt corporis et sanguinis Christi, ut dicit Apostolus I. Cor. XI., ita non sunt digni ad festum iucunditatis Christi in caelo, sed ad gehennam. (C) Secunda ratio dilectionis Dei, quia Deus maximam dilectionem nobis impendit se nobis in sacramento Eucharistiae dando. Numquam enim homini se magis univit Deus, quam fecit in isto cibo, nam sicut panis materialis unitur sumenti, sic Christus nobis in hoc cibo, sed differenter in hoc, quod *panis materialis mutatur vel convertitur in substantiam aliti,* ut patet II. De anima. Christus autem non mutatur in nos, sed econverso, nos mutat in se et unit sibi ipsi, iuxta illud Augustini li. Confessionum: *Cibus sum grandium, cresce et manducabis me, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me,* scilicet per amoris et gratiae unionem et incorporationem, quam hoc sacramentum repraesentat, unde et dicitur sacramentum amoris. Propterea Richardus super IV. dist. VIII. circa litteram dicit, quod sanguis, qui fluxit de latere Christi, significavit sacramentum Eucharistiae, inquantum est ibi sanguis Christi sub vini specie, et convenienter, quia sicut in effusione illius sanguinis corpus Christi poenam non sensit, eo quod iam mortuum erat, tamen de lege communi effusio sanguinis poenalitatem significat, ita hoc sacramentum significat quidem effusionem sanguinis Christi poenalem in cruce, et tamen cum a fidelibus manducatur vel bibitur, Christus in hoc nullam poenam patitur, nec dentibus ipsum corpus Christi atteritur, sed tantummodo species, quae Christum non tangunt, sed quodammodo includunt et circumstant, sicut regem circumstat tentorium. Item quia sicut sanguis ille de latere aperto effluxit cum aqua miraculose, sic hoc sacramentum non competit, nisi ablutis aqua baptismi et poenitentiae, et significat apertam deitatis visionem in caelo, quam nunc videmus fide in hoc sacramento. Item quia sicut ille sanguis effluxit de corde, ubi est fons amoris, pendente Christo in cruce expansis manibus et inclinato capite, in signum huius secundum Bernardum, quod scilicet *vult nos amore amplexari et osculari,* ita hoc sacramentum de amoris divini maxime fonte est nobis datum et ad amorem Christi inflammativum. Sed quoniam ipse Spiritus Sanctus est, per quem nobis infunditur amor divinus et gratuitus, et non aliunde, nisi a Spiritu Sancto haberi potest teste Apostolo Ro. V.: *Charitas – inquit – Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum eius in nobis.* 5 Idcirco post festum de Spiritu Sancto convenienter institutum est festum Eucharistiae. (D) Tertia ratio altitudinis sacramenti. Nam quaeritur, utrum Eucharistiae sacramentum sit super omnia altissimum. Respondetur secundum Richardum super IV. dist. VIII. concordantibus doctoribus, quod sic. Et ratio, quia miraculosissime continet in se veraciter et realiter sanctitatis auctorem Christum Iesum Dei Filium. Unde Ambrosius de consecratione dist. II. c. [„Omnia, quaecumque”]: *Omnia – inquit –, quaecumque voluit, Deus fecit in caelo et in terra, et quia voluit, sic factum est. Ita licet figura panis et vini videatur, nil tamen aliud, quam caro et sanguis Christi est.* Infra: *Illud vere, illud sane corpus, quod sumptum est de Virgine, quod passum est et sepultum, quod resurrexit et in caelum ascendit, et sedet ad dextram Patris, quod est venturum iudicare vivos et mortuos.* Haec ille. Item ibidem dist. XI. c. „Nihil” dicit Alexander papa: *Nihil in sacrificiis maius esse potest, quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, sed omnes haec praecellit, et sicut potior est ceteris, ita potius excoli et venerari debet.* Haec ibi. Debit ergo speciale festum venerationis hoc sacramentum pro devotione

fideliū habere. (E) Circa secundum principale de sacramenti reverentia sit pro conclusionis documento, quod dicitur de consecratione dist. II. „Nihil”, scilicet quod sacrosancta Eucharistia permaxima reverentia ab omnibus est adoranda et veneranda, et ostenditur triplici ratione: · Primo propter divinam praesentiam · Secundo propter angelicam et beatam assistentiam · Tertio propter latrāiam debitam et reverentiam Primo propter divinam praesentiam, quia totus Deus et Christus Iesus in hoc sacramento est praesens et veraciter continetur. Sed hic quaeritur: Quomodo in hoc sacramento comprobatur esse totus Christus, cum in consecratione panis de solo corpore Christi fit mentio, et in consecratione vini de solo sanguine Christi. Item cum Deus Pater non assumpsit carnem, nec Spiritus Sanctus, sed solus Dei Filius, an ergo praesens sit in hoc sacramento etiam Pater et Spiritus Sanctus. Ad haec secundum Franciscum de Mayronis, Richardum et alios communiter doctores super IV. dist. VIII., quod in hoc sacramento primo continetur aliquid ex ipsa vi verborum per transsubstantiationem, et sic in hostia vel sub specie panis continetur verum corpus Christi, et in calice sub specie vini continetur sanguis, quia substantia panis convertitur ex vi verborum consecrationis in corpus Christi, et substantia vini convertitur in sanguinem Christi. Sed quoniam Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, ideo nec corpus Christi esse potest iam sine sanguine, nec econverso, sanguis sine corpore et venis et nervis suis. Idcirco secundo continetur in hoc sacramento aliquid per concomitantiam immediatam, scilicet sanguis in hostia et corpus in calice, quia corpus habet disponi ad vitam immediate *per sanguinem, qui est sedes animae* secundum Philosophum. Item quia anima Christi inseparabiliter est coniuncta corpori mediante sanguine. Ideo tertio ibi continetur etiam anima sub utraque specie ratione coniunctionis inseparabilis ex concomitantia propinqua, quia pertinet ad eandem naturam, scilicet humanam Christi. Sic etiam ibi sub utraque specie, scilicet panis et vini continetur quantitas et alia accidentia ratione inseparationis a corpore. Denique quia deitas ipsa inseparabiliter sibi univit animam et corpus Christi, ideo ratione unionis continetur ibi etiam et praesens est divinitas ex concomitantia remota. Sed quia tres personae divinae sunt unum in essentia, nec separari possunt in quocumque opere, quia ut ait Augustinus De Trinitate: *Indivisa sunt opera Trinitatis*. Ergo tota Trinitas praesens est in hac consecratione, cuius virtute mirabiliter fit transsubstantiatio ista. Sic ergo firma fide credendum est in Eucharistia contineri corpus Christi et sanguinem, animam et deitatem. Nam Ambrosius li. De sacramentis dicit, quod *illa eadem, quae fuerunt in utero Virginis, inveniuntur in hoc sacramento*. Unde et Salvator ista insinuavit in hoc sacramento esse, cum ait: *Ego sum panis*, per hoc dans intelligi corpus, subdit *vivus*, per quod significatur anima et sanguis, quia anima vivificat corpus per sanguinem. Subdit: *qui de caelo descendi*, 6 scilicet secundum deitatem. O ergo homo, adora in hoc sacramento et firmiter crede Deum esse ibi, qui fecit caelum et terram. (F) Secundo propter angelorum et beatorum assistentiam debemus summe revereri hoc sacramentum, cui propter dignitatem tota caelestis curia reverentia summa assistit, ut tenent doctores. Unde de consecratione dist. II. „Quid sit” et ut allegat Magister in IV. dist. XI., Gregorius dicit sic: *Quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem caelos aperiri, et in illo Iesu mysterio angelorum choros adesse, scilicet assistendo pro reverentia tam dignissimi sacramenti*, ut dicitur Richardus ibidem. Quaeri possunt hic aliqua. Primo utrum angeli et beati in caelo ac animae separatae videre possint corpus Christi in sacramento. Item quid de daemonibus, et an illi videant. Ad haec omissis argumentis et opinionibus de modo videndi dicit Scotus super IV. dist. X., quod per naturam omni intellectui non alligato sensibus est visibile. Intelligunt enim aliquo modo hoc angeli, animae separatae et etiam daemones, scilicet Deo fore possibile. Sed Richardus tenet, quod non per naturam, sed tantum per gloriam, non solum in verbo, sed etiam in proprio genere intelligendo angeli et animae beatae vident in verbo divino corpus Christi plenarie, quia Gregorius dicit: *Quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident?* Ex quo enim beati sunt, oportet, quod habeant plenam visionem eorum omnium, de quibus est fides, quantum ad visionem gloriosam, quae fidei succedit. Vident ergo corpus Christi in hoc sacramento visione intellectuali plena et beata, secundum Aureolum autem beati etiam in corpore glorioso, ut de Beata Virgine et Iohanne pie creditur, quamvis corporali visione non habeant videre corpus Christi sub sacramento, ut sic existens, eo quod non potest, ut sic aggenerari similitudo coloris sui, per quam fit visio corporalis. Non enim habet ordinem ad species, sub quibus est ratione quantitatis suae, nec tangit corpus Christi ibi aerem circumstantem, ergo visione corporali non videtur a corpore glorioso, tamen videtur visione intellectuali plena et beata. Sed animae separatae non beatae et etiam daemones ex vi suae naturae quamvis possint facere se praesentes sacramento Eucharistiae, et secundum viam Scoti licet aliquo modo possint videre intelligendo corpus Christi, tamen non possunt videre plene. Ratio, quia visio animae intellectualis vel angeli non est supra rationem. *Sicut enim in corpore est visus, ita in anima intellectus*, ut dicitur I. Ethicorum. Unde sicut oculus corporalis videre habet tantum ea, quae sunt infra sensum, hoc est: sensu perceptibilia, ita anima vel angelica natura non videt plene, nisi ea, quae sunt iuxta rationem naturalem. Ea vero, quae sunt supra omnem rationem creatura, non intelligit naturaliter, sed solum divina revelatione aut auctoritate Scripturarum comprehendit. Sed existentia corporis Christi sub sacramento est supra rationem creaturam, ergo patet, quod daemones et non beatae animae nullo modo vident plenarie, sed ut dicitur Iaco. II.: *Daemones – inquit – credunt et contremiscunt*. 7 Haec Aureolus. Unde refert exemplum Anselmus li. miraculorum, quod dum quidam magus vocato daemone loqueretur cum eo, interim dum corpus Christi portaretur a sacerdote ad infirmum, vidit magus daemone a longe utraque genua flectere et tremere. Tandem redeunte sacerdote vidit unum tantum genu flectere, quem interrogavit, et ille respondit: „Quia prius portabat Dominum omnium, coactus sum utroque genu revereri, nunc autem sine sacramento rediens propter sacerdotii dignitatem unum genu flexi.” Augustinus: *O utinam fides malorum Christianorum esset sicut daemonum, qui credunt et contremiscunt, isti autem credunt, nec contremiscunt*. (G) Item secundo quaeritur, utrum omnis multitudo caelestis curiae astet reverendo hoc sacramentum Eucharistiae. Nam in hoc est difficultas, quia *superiora illa agmina ad exteriora non mittuntur*, secundum Dionysium de angelicis hierarchiis, ergo non videtur, quomodo dicantur astare pro reverentia sacramenti, ut sonant verba Gregorii ubi supra. Sed ad haec responderi potest, quod omnes adorant et astare dicuntur, iuxta illud Heb. I.: *Et adorant eum omnes angeli eius*. 8 Sed superiores, qui non mittuntur ad extra, de caelo reverentur et adorant. Alii autem, qui exeunt, nobiscum assistunt et adorant, et nos ad adorandum incitant

debita reverentia. Unde Bernardus: *O si videremus, quomodo praeveniunt principes, id est angeli coniuncti psallentibus currunt inter sponsum et sponsam, offerunt vota, referunt dona* etc. O ergo homo, quando stas coram sacramento, vel quando vadis in processione cum illo, cogita te esse in societate angelorum multorum, et revereri stude. Tertio propter latrariam debitam summe veneranda est Eucharistia ab omnibus fidelibus, quia ut praedictum est, in eo continetur vere Christus et totus ipse Deus noster, ergo debet adorari adoratione latrariae, ut volunt omnes doctores super IV. dist. IX. De hoc alibi latius agemus. (H) Circa tertium principale de salubri utilitate, quam efficit nobis devota reverentia ad hoc sacramentum, sicut fideles solent hodie in processionibus et missis ac officiis divinis exhibere. Quaeritur primo, qualiter debeat se habere fidelis Christianus pro hodierna sollemnitate, ut valeat fructum salutiferum acquirere ex ipsa reverentia Eucharistiae. Ad quod respondetur, quod praecipue tria debet observare, alias non consequetur hodiernas indulgentias. Primum est, quod sit vere contritus et de peccatis vere poenitens. Secundum est, quod sit in fide firmus et potestati Ecclesiae credens, scilicet quod credat tantam potestatem esse apud Ecclesiam, quod potuerit dare indulgentias. Unde Augustinus De doctrina Christiana dicit: *Christus dedit claves Ecclesiae, ut qui non crederet in eas, peccata ei non dimittantur, et qui crediderint, indulgentiam percipiant, unde haeretici negantes potestatem indulgentiae non consequantur*. Tertium est, quod homo faciat hodie illud, pro quo datae sunt istae indulgentiae, scilicet interessendo missae et processioni, et alia, de quibus infra. Haec secundum doctores super IV. dist. XX., ubi Richardus addit, quod *si etiam quis est in peccato mortali, quamvis non consequatur peccatorum remissionem, nec indulgentiam, tamen adhuc prudenter agit, si facit illud, quod continetur in forma indulgentiae, eo quod bona facta in peccato mortali disponunt de congruo ad poenitentiam et mediante ea ad gratiam et remissionem peccatorum per Dei misericordiam*. Haec Richardus. Unde hodiernae sollemnitati interesse et processionem agere valet etiam peccatoribus, plus tamen valet, si conterantur vere. (I) Qualia autem sint bona, quae consequentur homines ex ipsa Eucharistiae devota reverentia. Nota plura propter fructus communionis, de quibus hic non agitur. Primum est amorosa Dei acceptatio. Unde Augustinus in sermone et de consecratione dist. II. „Utrum” dicit sic: *Eucharistia est oblatio rata, per quam in visceribus Christi censeamur, acceptabilis, ut qui ex nobis displicemus, per eam acceptabiles Dei unico Filio simus*. Haec ille. Hinc magister Henricus de Hassia super Genesin dicit, quod sicut *gratius et acceptabilius est regi, quando quis illius filio in peregrino habitu existente honorem et munera regia tribuit, quam si ipsi in maiestati existenti hoc faceret*, sic in proposito. Secundum est benedictio, ubi supra Augustinus: *Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicamur, et ascripta, per quam omnes in caelo ascribamur*. Haec ille. Qui ergo non reverentur, in inferno ascribuntur ut maledicti. Tertium est conversio, scilicet a peccatis. Magni enim peccatores in praesentia reverentia Eucharistiae compunguntur et convertuntur. Tum ex recordatione passionis Christi. Tum ex efficacia virtuosa sacramenti. Nam Henricus de Hassia ubi supra dicit: *In hoc sacramento est oblatio quaedam secundaria Christi, sicut fuit prima in cruce facta. Sicut ergo latro in praesentia primae oblationis Christi conversus est, sic multi in praesentia huius sacramenti convertuntur*. Haec ille. Nam Chrysostomus dicit: *Non minoris virtutis est Christi oblatio in sacramento Eucharistiae, quam eius oblatio facta in cruce*. Quartum est defensatio, scilicet ab omnibus periculis vel malis. Nam Ecclesia circa consecrationem huius sacramenti in canone orat sic: *Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris* etc. Oratio autem Ecclesiae non est frustra. Multum ergo valet in civitatibus sollemnis processio et reverentia huius sacramenti ad vitandum clades et pericula. Narratur secundum Augustinum, quod *in civitate quadam dum maxima multitudo populi cuidam vano spectaculo intenderet, sacerdote quoque ad infirmum portante sacramentum inde transitum faciente nullus curasset reverentiam facere sacramento, plura milia eorum fulmine percussa interierunt*. Ad id experimur saepe, quod dum ardent domus in civitate, allato sacramento per sacerdotem et reverenter a populo adorato cessat incendium, licet propter demerita hominum in hoc quandoque etiam non sequitur effectus. (K) Quintum est exauditio, scilicet orationis. Nam secundum Henricum de Hassia ubi supra: *Magis exauditur oratio in praesentia sacramenti facta propter meritum passionis et virtutem sacramenti, sicut et latro iuxta crucem orans: „Memento – inquit – mei, Domine, dum veneris in regnum etc.” 9, abundantius est exauditus, ut responderetur ei: „Hodie tecum eris in Paradiso”, quod non fuisset alibi oranti*. Sextum est fructificatio, scilicet meritorum. Unde de sancto Ludovico, Franciae rege legitur, quod dum quidam suus miles haberet hanc gratiam, quod scilicet saepe appareret sibi Christus in sacramento visibiliter, rex quaesivit eum, si posset sibi hoc demonstrare. Altera ergo die cum rex ipse missam audiret, venit ad eum miles ille devotus dicens: „Domine, si vultis Christum videre corporaliter, venite circa altare illius alterius sacerdotis, ubi ego vidi eum in forma pueri.” Respondit rex: „Si scirem – inquit rex – retro me stantem Dominum Iesum, nollem me a sacramento, quod est coram me, avertere, ut viderem Christum oculis corporalibus, eo quod meritum fidei amitterem.” Ioh. XX.: *Beati, qui non viderunt, et crediderunt*. 10 Septimum est gratiae augmentatio. Eccli. XXXVIII.: *Pro reverentia accedet tibi bona gratia*. 11 Unde ex reverentia praesentia huius sacramenti augentur virtutes: fides, spes et charitas. Sicut enim famuli regis, qui frequentant eius curiam, et crebrius deserviunt in eius praesentia, plura bona et dona acquirunt ab eo, quam qui raro ad eius curiam accedunt et praesentiam. Sic in proposito de praesentia sacramenti. Octavum est aedificatio, scilicet proximorum, quia exemplo aliquorum provocantur etiam alii ad devotionem sacramenti, de quibus illi accidentaliter praemia habebunt in patria secundum doctores. (L) Nonum est indulgentiarum consecutio. Nam summi pontifices magnas indulgentias largiti sunt pro die hodierna ad reverendum hoc sacramentum, videlicet per bullas Martini V., Urbani IV., Clementis et Eugenii IV. Recolligendo siquidem in summa interessentibus primis vel secundis vesperis vel missae vel matutino pro singulis CCCC dierum, aliis autem horis pro singulis CLX dierum. Item infra octavam interessentibus pro singulis diebus octavarum CCCC insimul dierum indulgentias concesserunt. Item illis, qui communicant in ipso die corporis Christi, et similiter qui missam pro pace Ecclesiae dicunt, CCCC dierum. Item dum ad infirmum portatur vel alias cum processione consequentibus cum luminaribus CC, sine luminaribus autem C dierum indulgentias concesserunt. O ergo homo, pensa, quantum thesaurum poteris aggregare per talem reverentiam Eucharistiae, ut sis sollicitus ad salutis tuae fructum. O



peccator homo, o devote Christiane, adora et reverere Deum tuum in hoc sacramento praesentem, et ora, ut det tibi gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Ioh 6,52 2 Editio: vox *exhibita* non invenitur. 3 Ioh 6,59 4 Lc 14,15 5 Rm 5,5 6 Ioh 6,51 7 Iac 2,19 8 Hbr 1,6 (Ps 96,7) 9 Lc 23,42-43. 10 Ioh 20,29 11 Ecl 32,9, 14

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo VI.] De corpore Christi Sermo secundus, scilicet de sacramenti huius amorositate et specierum eius ratione ac dulcore *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Ioh. VI. 1, et in evangelio hodierno. (A) Verba sunt dulcissimi Salvatoris nostri, quibus insinuat amoris sui erga nos magnitudinem ac multitudinem et dulcedinem. Magnitudo eius amoris insinuat in hoc, quod seipsum nobis dedit in tam mirabili sacramento. Unde dicit: *Caro mea vere est*, scilicet in Eucharistia, quod dicit: „Ecce quantum vos, homines dilexi, quare vere carnem meam dedi vobis in cibum, quam pro vobis ex Virgine sumpsi.” Item amoris multitudinem insinuat in hoc, quod non solam carnem, sed et sanguinem, et cum hoc animam et deitatem nobis dedit. Ideo dicit: *Caro mea*, et cum hoc et *sanguis meus*. Et haec non semel, sed pluries sumenda dedit. Et quare dedit in vita laborando pro nostra salute XXXIII annis, dedit in morte pro nostra redemptione carnem passionibus multis exponendo et sanguinem totum fundendo, animam emittendo etc., dedit etiam se in praemium repromittendo aeternum in caelo. Unde de his Ecclesia canit: *Se nascens dedit socium, convalescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in praemium*. Denique amoris dulcedinem insinuat in hoc, quod dicit: *in cibum et potum*, scilicet dulcissimae charitatis pro nostra vita aeterna. Unde et subdit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo*. 2 Agamus ergo, carissimi, gratias de tanta et tali dilectione Christi, et gratanter ac devote audiamus dicentem: *Caro mea vere* etc. In quibus verbis tria mysteria de hoc dulcissimo sacramento contemplerur: · Primum dicitur amorosa donatio Salvatoris, ibi: *Caro mea et sanguis* etc. · Secundum dicitur gratiosa refectio peccatoris, quare *vere est cibus* etc. · Tertium dicitur dulcorosa devotio humani cordis, quae sequitur ex praemissis (B) Circa primum de amorosa donatione Salvatoris accipiamus pro conclusionis documento videlicet verba Bernardi dicentis, quod *ineffabilem vel incomprehensibilem charitatem Christus nobis monstravit, cum seipsum in edulium vitae aeternae donavit*. Idem quoque addit dicens: *Puto, quod omnes angeli suis intelligentiis non possunt capere vehementiam tantae charitatis*. Et declaratur conclusio ex triplici gradu vel signo magnae dilectionis: · Primo magnum est pro aliquo omnia sua dare · Secundo maius est omnes suos donare · Tertio maximum est seipsum superimpendere Primo namque magnae dilectionis est omnia sua dare pro aliquo, hoc fecit nobis Christus, cum scilicet dedit nobis caelum et terram et omnia in servitium. Ps.: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves* etc. 3 Ideo Augustinus ait: *O anima mea, dilige Deum, qui dedit tibi caelum cum sideribus, aerem cum volatilibus, aquam cum piscibus, terram cum germinibus, totumque mundum cum his, quae in eo sunt, omnibus*. Secundo quoque maioris dilectionis est donare omnes suos caros, scilicet filios, parentes et amicos pro aliquo, hoc fecit nobis Christus, cum dedit omnes angelos tamquam suos filios nobilissimos. Nam angeli saepe in Scripturis dicuntur filii Dei, Iob I. et XXXVIII. 4, quos omnes dedit nobis in ministerium salutis. Heb. I.: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, quae hereditatem capient salutis*. 5 Ubi Chrysostomus: *O quantus honor nobis exstitit, quod angelos ad nos sicut ad amicos et cives, scilicet caelestes transmittit*. Item dedit omnes amicos, id est sanctos apostolos, martyres et confessores et quosque beatos caelestes in patrocinium. Et quod est maius, dedit Christus nobis suam gloriosam matrem in advocatam pro nobis et matrem adoptatam, ut dicit Bernardus, et Ecclesia canit. Tertio praeterea maximae dilectionis gradus et signum est dare se. Nam Ioh. XV.: *Maiorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam*, 6 id est vitam animaleam, *ponat pro amicis suis*. Christus ergo maximam et ineffabilem dilectionem nobis exhibuit, cum nobis dedit in incarnatione seipsum in socium huius nostrae peregrinationis et miseriae mortalis, et adhuc maiorem, cum dedit se nobis in servum nostrae necessitatis et salutis XXXIII annis. Matt. XX.: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et ponere animam suam redemptionem pro multis*. 7 Praeter haec adhuc per maximam dilectionem exhibuit, cum se dedit pro nobis in mortem acerbissimam, et in huius memoriam iugem in nobis permanendum nobis dedit se totum, id est: corpus, sanguinem, animam et deitatem in sacrificium quotidianum in sacramento. Eph. V.: *Dilexit nos et seipsum obtulit pro nobis hostiam et oblationem Deo in odorem suavitatis*. 8 Ecce amorosum donum. Unde in Clementina de reliquiis et veneratione sanctorum „Si Dominum” habetur sic: *O divini amoris immensitas, divinae pietatis superabundantia, divinae largitatis affluentia, dedit nobis omnia sub pedibus, angelicos spiritus ministros, volens adhuc exuberantem charitatem demonstrare, seipsum nobis exhibuit in cibum. O singularis et divina liberalitas, ubi donatio venit in donum, et datum est idem penitus cum datore*. De ista etiam amorosa datione Augustinus dicit: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Donavit vitam, donavit voluntatem liberam, ingenium et substantiam. Et quid plura: donavit seipsum et omnia sua, ut essent omnia tua*. Proinde quidam dicit versus: *Christe, tuos, tua, te posuisti dans cruci pro me. Ergo meos, mea, me merito nunc exigis a me*. Haec sufficiant. (C) Circa secundum de refectioe vel sumptione sacramenti sufficiat hic quaestionem solvere et tractare de speciebus huius sacramenti, sub quibus sumitur a fidelibus, quia de communicatione latissime actum est, ut pertinebat in cena Domini. Quaeritur itaque hic: Quare Christus voluit suum sacrum corpus et sanguinem ad reficiendum vel sumendum nobis sub panis et vini speciebus dare? Et ratio quaestionis una est, quia hoc sacramentum praefigurabatur in lege, scilicet Moysaica per esum agni Paschalis, ut dicitur in IV. dist. VIII. Quare ergo noluit in specie carnis et sanguinis agnelli hoc instituere et dare, cum aequo potuit, et caro agni maiorem convenientiam habuit ad carnem, quam panis, sic magis etiam sanguis agni ad sanguinem, quam vinum? Item praefigurabatur etiam in favo mellis, quo illuminati scilicet sunt oculi Ionathae, I. Reg. XIII. 9 Et ipse Christus post suam resurrectionem favum mellis comedit, Luc. VI. 10 Quare ergo noluit dare

et instituere in specie mellis? Item lac etiam magis assimilatur sanguini ut fontis eiusdem secundum physicos. Et Glossa super Luc. XI. testatur et dicit, quod de sanguine Virginis Christus est conceptus, qui eiusdem Virginis lacte est enutritus. Et quoniam multi sunt, qui vinum horrent, nec sumere possunt, lac non sic, quo omnes homines enutriuntur, et etiam in Paradiso si perstitissent, omnes lac maternum suxissent ad nutriendum in pueritia sua. Quare ergo noluit Christus instituere sanguinem sub specie lactis? Praeterea ratio alia est de duplicitate speciei, quam facit Glossa I. Cor. XI. dicens sic: *Cum totus Christus sit sub specie panis, et totus sub specie vini sumatur, cur non in una specie, sed in duabus datur?* Haec Glossa. Sed ad haec respondendo notemus tres praecipuas veritates ex sententia Richardi super IV. dist. XI. et aliorum: · Prima veritas de ipsarum specierum duplicitate · Secunda de aliarum specierum incongruitate · Tertia de panis et vini specierum summa congruitate (D) Prima veritas, quod Christus sacramentum Eucharistiae convenienter instituit sub duplici specie. Et hoc triplici ratione declaratur. Prima ratio ex parte incarnationis. Unde Glossa ubi supra dicit: *Ideo non sub utraque specie datur, ut ostendatur Christus totam humanam naturam, id est animam et corpus assumpsisse, ut utrumque redimeretur. Panis enim ad corpus refertur, vinum ad animam, quare vinum operatur sanguinem, in quo sedes est animae. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur, ut animae et carnis susceptio in Christo, et utriusque liberatio in nobis significetur.* Haec Glossa. Secunda ratio ex parte passionis, quia per utramque speciem perfecte designatur passio Christi, cuius memoriale est hoc sacramentum, in qua, scilicet passione Christi separatus fuit sanguis a carne, ideo convenienter sacerdos separatim conficit secundum institutionem Christi. Haec secundum Lyram. Tertia ratio ex parte refectionis. Nam licet Christus non sit divisus, tamen corpus Christi divisum a sanguine consecratur, ut usus refectionis, ad quem est sacramentum, insinuetur. Ipsa enim reformatio hominis in cibo et potu consistit. Humana enim natura sic condita est, ut duplici alimonia egeat, videlicet cibo et potu, et sic convenienter duplicem alimoniam spiritualem habet in hoc sacramento, scilicet in cibum corpus Christi, et in potu sanguinem. Haec concorditer secundum Thomam. Quod si dicas: Cum sic sub duplici specie sit institutum, quare ergo non datur populo sub duplici specie. Respondetur secundum Lyram super Ioh. VI., quod in primitiva Ecclesia quamvis populus sub utraque specie communicaret, tamen postea provide ordinatum est, ut non communicet sub specie vini. Tum propter periculum effusionis, tum quia sub specie panis continetur etiam sanguis Christi per realem concomitantiam, et sic sub specie panis etiam sanguis quodammodo accipitur et totus Christus, sed sub utraque specie sumendum est a sacerdote celebrante. Nam Eucharistia non tantum est sacramentum, sed etiam est Ecclesiae sacrificium, in quantum continet Christum passum. Et ideo quando sacerdos, qui est minister Ecclesiae, celebrat et sumit, proficit non solum sacerdoti sumenti, sed etiam toti Ecclesiae, et illis, qui sunt in Purgatorio. Quando autem sumitur a laico, tunc proficit solum sumenti, quia officium eius non est offerre sacrificium, sed tantum sumere sacramentum. Idcirco non dent sumere sub specie vini sanguinem Christi, nisi sacerdos offerens sacrificium Deo in persona Christi. (E) Secunda veritas, quod sacramentum Eucharistiae non congruebat institui sub alia specie, quam panis et vini, quamvis hoc esset Deo aequae possibile, nam quamvis fuerit in lege praefiguratum per agnum Paschalem et etiam per mellis favum, ut patuit in obiectionibus, tamen ex quo lex scripta debebat cessare et determinari in Christo, et sacerdotium Christi perfectius est sacerdotio legis. Et quia lex naturae erat duratura, idcirco hoc sacramentum novae legis, quae est sempiterna, debuit potius institui in tali materia, in quali fuit praefiguratum in lege naturae, scilicet per sacrificium Melchisedech, qui panem et vinum obtulit. Non conveniebat ergo institui de carne agni Paschalis vel alterius animalis, aut sanguine, aut etiam de melle, et ceteris figuris. Item omnia alia, quae in cibum et potum eveniunt, atque in usum humanum conveniunt, ut caro et sanguis animalium, mel, lac, oleum, pisces et quaecumque similia, non tam munde tractantur, sicut panis et vinum. Nam adhaerere solent ex contactu, et quodammodo inquinare. Cum ergo hoc sacramentum requirat maximam munditiam celebrandi, tractandi et sumendi, ergo non conveniebant huic sacramento, quod si dicas: Nonne aqua mundius tractatur, et purior potus est, quam vinum? Respondetur, quod verum est, tamen aqua se sola non conveniebat huic sacramento, nisi in quantum apponitur vino, ut in ipsum misceatur et transeat, ad significandum, quod populus transit et unitur in Christum per charitatem. Quare autem aqua per se non convenit huic sacramento, ratio est, quia aqua solet venire in usum humanum etiam pro immunditiis abluendis et sordibus, unde magis convenit sacramento baptismi, quo abluimur a peccatis. Item mel quamvis habeat suavitatem, tamen est inflativum, et ideo magis temporalium suavitatem, quae inflat, quam charitatis significat, propter quod etiam non conveniebat. Lac quoque cibus est parvulorum et usu carentium rationis. *Iste autem cibus est grandium, scilicet in fide et charitate*, ut dicit Augustinus, ergo etc. (F) Tertia veritas, quod sacramentum Eucharistiae summe conveniebat institui sub panis et vini specie, et ideo Christus sic instituit triplici ratione. Primo ratione mundissimae conditionis et celebrationis, quia panis et vinum prae ceteris cibis, scilicet humanis mundiores sunt, ut supra patuit. Ideoque ut doceat mundos esse ministros huius sacramenti et suscipientes ipsum, voluit sic instituere et sub utraque specie, ut utriusque, scilicet corporis et animae munditiam ostendat requiri. Unde dist. XXXI. c. „Ante triennium” Gregorius dicit: *Nullus debet ad altaris mysterium accedere, nisi cuius castitas ante fuerit approbata.* Et Richardus de potestate ligandi et solvendi c. XXI. dicit, quod peccator criminis si ante absolutionem sacerdotis ad communionem corporis Christi accedat, pro certo iudicium sibi manducat et bibit, etiam si cum iam ante multum poeniteat, scilicet per solam contritionem. Unde requiritur omnimoda munditia, scilicet corporis et animae, et non solum contritionis, sed etiam confessionis. Et hoc tenent doctores, ut patuit sermone III. de cena Domini „E”, „F”. Secundo quoque ratione virtuosissimae refectionis. Unde Glossa super I. Cor. XI. dicit: *Panis prae ceteris cibis reficit et sustentat, et vinum laetificat cor hominis.* Sic spiritualiter hoc sacramentum animam magis reficit, sustentat et laetificat per affectus charitatem. Et quia haec reformatio ordinatur ad salutem animae et corporis, quam repraesentat utramque panis et vinum, quae dignius, utilius et communius in cibum et potum veniunt hominum, adeo quod sine pane alius cibus insipidus est, et sine vino minus saporosus est cibus vel potus. Et quia *sicut palato non sano panis poena est*, ut dicit Augustinus, *sic et vinum febricitanti*. Sic hoc sacramentum digne accedentibus confert vitam, indignis autem poenam, I. Cor. XI.: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* 11 Tertio denique ratione significationis, quia panis et vinum prae ceteris Christum

significans et eius passionem, cuius est hoc sacramentum memoriale. Augustinus super Ioh.: *Cum – inquit – sint multa grana seminum, prae ceteris Christus se comparavit frumento, Ioh. XII.: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* 12, *et inter plantas prae ceteris comparavit se viti, Ioh. XV.: Ego sum vitis vera, et vos palmites.* 13 Nam revera prae omnibus aliis maiorem laborem panis et vinum per totum annum requirit, ut claret in opere circa seminationem frumenti et culturam vineae. Et post multos labores ultimo omnium panis in furno igne pistatur, et ex racemis vinum in torculari exprimitur. Sic Christus Dominus post multiplicem laborem in hac vita fuit ultimo charitatis igne in passione decoctus, et totus eius sanguis in crucis torculari expressus, ut ipse ait Isa. LXIII.: *Torcular calcavi solus.* 14 Convenienter ergo Christus hoc sacramentum instituit de pane triticeo. Unde ubi non salvatur ratio panis triticeus, non conficitur hoc sacramentum, scilicet de hordeaceo pane vel de siligine et ceteris, secundum etiam Scotum. Item nec de farina tritici non coagulata, vel nondum igne cocta, nec depasta, nec etiam in pane facto de aqua rosea vel artificiali, sed debet esse ex aqua naturali, sicut et Christus de huiusmodi confecit. Item non potest etiam sanguis confici nisi de vino vitis, ergo de aceto vel de agresta et de uva matura non expressa ac similibus, quibus non est forma substantialis vini, non conficitur. Haec Richardus et doctores super IV. O ergo Iesu bone, quam pie, quam gratiose, quam rationabiliter teipsum nobis dedisti in sacramento, tibi in omnibus laus et gloria. (G) Circa tertium de dulcedine devotionis in hoc sacramento sit pro conclusione verbum beati Hieronymi in De transitu suae mortis dicentis, quod in hac esca sacratissima est omnis suavitas, omne delectamentum, et omnis desiderii dulcedo. Et ostenditur praecipue ex septem dulcoribus in eo. Primus dulcor praesentiae. Unde Hieronymus ubi supra: *In hoc sacramento est gratiosa praesentia, ibi se manifestat clementia amorosi Iesu, ibi omne, quod desiderari potest, quia ibi est plenitudo omnium gratiarum.* Haec ille. Revera maximus est dulcor devotionis in anima, cum fide percipit hic praesentem amorosum Iesum et eius corpus et sanguinem gloriosissimum et animam et deitatem, qui pro nostro amore tam gratiose se nobis donavit ad videndum, ad tractandum, ad gustandum, unde Thomas in legenda corporis Christi dicit: *Quid hoc sacramento pretiosius et nobilius, in quo nobis sumendus proponitur Christus, verus Deus, quid hoc sacramento dulcius et suavius, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte potatur.* Secundus dulcor assistentiae, quia pro reverentia huius sacramenti assistunt angelorum chori, ut dicit Gregorius de consecratione dist. II. „Quid sit”. Astat et Beata Virgo Maria et omnes beati, quia ut dicit Hieronymus Contra Vigilantium, *animae sanctorum in hoc mundo comitantur Christum, quocumque ierit,* et sic astat caelestis curia saltem e caelo reverenter adorando, ut patuit sermone I. „G”. Quanta ergo dulcedo animae, cum recogitat esse se in angelorum et beatorum astantium laeta societate in praesentia Christi Iesu. Tertius dulcor reficientiae. Unde in Clementina de reliquiis et veneratione sanctorum „Si Dominum”: *Hic cibus plene reficit, vere nutrit, scilicet gratia, summeque impinguat non corpus, sed cor, non carnem, sed animam et mentem.* (H) Legiturque per miraculum etiam corpus reficere plerumque. Nam Caesarius in suo Dialogo refert, quod Coloniae quaedam matrona in communicando tanta dulcedine reficiebatur, ut sine omni esurie a Dominica, qua communicabat, usque ad alteram Dominicam, qua iterum communicare solebat, sine omni cibo corporali sola dulcedine divinitus ex sacramento viveret in Christo. Cumque suo confessori haec aperuisset, illeque rem tam mirabilem episcopo recitasset, pro temptando porrexit sibi hostiam non consecratam ipsa ignorante, et mox vehementer adeo esurire coepit, ut mox morituram se crederet, si non manducaret. Unde suis peccatis imputans gratiam illam perdidisse ad confessorem cucurrit, et confessa iterato communicavit verum corpus Christi, cuius virtute mox esuries cessavit. Et sic episcopus et presbyter glorificaverunt Deum. Quartus dulcor sempiternae vitae, quia digne sumentibus est vitae aeternae solatium, Ioh. VI.: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* 15 Quintus dulcor memoriae, scilicet amoris et passionis Dominicae. Unde in Clementina ubi supra: *In institutione quidem salutiferi sacramenti dixit Christus apostolis: „Hoc facite in meam commemorationem”* 16, *ut praecipuum et insigne memoriale sui amoris eximii, quo nobis dilexit, esset nobis hoc sacramentum.* Et infra: *Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale salvificum, in quo gratiam Redemptoris nostri recensemus memoriam, in quo profecto reficimur ipsius corporali praesentia Salvatoris.* Haec ibi. Ut ergo anima hanc dulcedinem gustet, debet in hoc sacramento: Primo memorari Christi dilectionem et incarnationem. Secundo eius passionem et sui sanguinis effusionem. Tertio nostram redemptionem et salutem, ut patet in Clementina ibidem. Sextus dulcor efficaciae, quia prae omnibus aliis hoc sacramentum efficit hominem totaliter divinum, et convertit in Christum per amoris gratiam. Augustinus in li. Confessionum: *Crede, et manducabis me, nec ego in te, sed tu mutaberis in me.* Haec dicit in persona Christi. Septimus dulcor confidentiae. Nam per hoc sacramentum assecratur homo de beatitudine pluribus modis. Primo tamquam per praefigurativum et praenosticativum, quia sicut Dionysius De caelesti hierarchia dicit, *hoc sacramentum est praenosticativum vitae aeternae et figurativum.* In qua vita, scilicet caelesti sicut beati habent Christum videre praesentem, quo fruuntur, sic nos in sacramento habemus praesentem. Secundo tamquam per viaticum, cuius vigore pervenitur ad Christum in patriam, unde datur transeuntibus de hac vita ad ipsam. Nam dist. L. „Poenitentes” dicitur sic: *Viaticum omnibus in morte positus non est negandum.* Glossa: *poenitentibus digne.* Tertio tamquam per pignus gloriae securum utpote aequivalens, quia in eo est fons gloriae et beatitudinis totius, scilicet Christus. Et ideo sicut de pignore per ipsum sufficienter securamur pro repromissionis caelestis restitutione. Proinde canit Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.* O ergo Iesu bone, te suppliciter adoramus, da nobis sentire tuam dulcedinem in praesenti per gratiam et in futuro per gloriam. Amen.

---

1 Ioh 6,56 2 Ioh 6,57 3 Ps 8,8 4 Iob 1,6; 38,7 5 Hbr 1,14 6 Ioh 15,13 7 Mt 20,28 8 Eph 5,2 9 I Sm 14,27 10 Lc 24,42 11 I Cor 10,29 12 Ioh 12,24-25 13 Ioh 15,1-6 14 Is 63,3 15 Ioh 6,59 16 Lc 22,19





[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo VII.] De corpore Christi Sermo tertius de mirabili potentia Christi in tam miraculosa existentia in Eucharistiae sacramento *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Ps. CX. 1 (A) Omnipotens Dominus noster Iesus ut clara fide ostendatur, quod ipse est magnus et mirabilis ac summe laudibilis et amabilis Deus caeli, voluit instituere altissimum et miraculosissimum sacramentum Eucharistiae pro nostra salute. In qua ostendit nobis miram benignitatem, cum angelis nos similes effecit in hoc, quod eodem pane, scilicet Christo fruere in praesenti per fidem, quo illi fruuntur per speciem in patria. Ostendit etiam miram potestatem, cum ex substantia panis divino miraculo fit corpus Christi. Unde de his canit Ecclesia: *Panis angelicus fit panis hominum, dat panis caelicus figuris terminum. O res mirabilis, manducat Dominum pauper, servus et humilis.* De huiusmodi itaque pietate et mirabili operatione in sacramento praevidens David in Spiritu Sancto dicit verba praemissa: *Memoriam fecit mirabilium suorum*, scilicet quae fecit in datione mannae filiis Israel, quod fuit figura huius sacramenti. Sequitur: *misericos et miserator Dominus escam* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus: · Primum dicitur divinae potestatis, in ipsa conversione · Secundum dicitur credendae miraculositatis, in huius excellenti conditione · Tertium dicitur indubiae veritatis, in signorum monstracione (B) Circa primum de potestate divina, qua scilicet Christus potest convertere panem in corpus suum et vinum in sanguinem, sit pro conclusione verbum Augustini et concordantis Bernardi in Epistola ad Petrum papam dicentis, quod *divina opera in hoc sacramento non sunt discutienda ratione, sed credenda firma fide, pro luce rationis habendo omnipotentiam conditoris.* Ex quo ergo catholica fides proficitur, quod Christus divina potentia convertit panem in suum sacrum corpus et vinum in sanguinem in consecratione huius sacramenti. Idcirco pro fidei firmamento probatur hoc fore Christo possibile secundum doctores sacros pluribus modis: · Primo ex ratione · Secundo ex documento figurae · Tertio ex declaratione · Quarto exemplis gratiae et naturae Primo ex ratione, quia *quidquid potest facere maius, potest et minus*, II. Topicorum. Sed Deus solo verbo fecit maius, scilicet totum mundum ex nihilo, et omnes angelos et animas humanas facit sic. Ps.: *Dixit, et facta sunt*, 2 ergo multo fortius potest facere aliquid ex aliquo, scilicet corpus Christi ex pane. Unde de consecratione dist. II. c. „Revera” Ambrosius dicit: *Sermo, qui potuit facere ex nihilo, quae non erant, potest ea mutare in id, quod erat.* Nimirum quaerit Richardus super IV. dist. XI. ar. I. q. VI., videlicet in quo fecit Deus maius miraculum, an in creatione mundi ex nihilo, an in incarnatione Christi, an in transsubstantiatione panis et vini in Eucharistia. Et respondet, quod simpliciter in ipsa mundi creatione est maius miraculum, quia ibi a termino, a quo minus est de possibilitate mutationis ad terminum ad quem, eo quod nil et ens summe distent per contradictorium et sine ulla proportione naturali, in creatione autem ex nihilo fit aliud, in incarnatione autem ex parte termini ad quem praecellentius est miraculum, scilicet ut creatura uniretur ipsi Deo altissimo, qui summe et improporcionabiliter excedit omnem creaturam. Unde ibi est miraculum miraculorum omnium. Sed transsubstantiatio est prae ceteris praedictis minus mirabilis, cum ex aliquo transsubstantiatur aliquid, licet secundum quid sit mirabilior, in quantum fit in aliquid praeeexistens, scilicet in corpus Christi, quod non augetur, nec mutatur. Unde valet argumentum, quod si Deus illa potuit, scilicet creationem et incarnationem, multo fortius potuit et potest transsubstantiationem istam. Secundo ex documento figurae, quia multis veteribus figuris docemur Deum egisse supra naturam, et posse quodlibet convertere in quodlibet sua omnipotentia, ut deducit Ambrosius li. De sacramentis. Patet primo de Adam, qui formatus est ex limo terrae converso subito virtute divina in carnem et sanguinem. Secundo de Eva facta subito ex costa Adae. Tertio de uxore Lot conversa subito in statuam salis. Quarto de virga Moysi mutata in serpentem. Quinto de flumine Aegyptiorum in sanguinem mutato, et de multis aliis. Idem ergo Deus, qui illa fecit, et hanc potest transsubstantiationem facere, et facit invisibiliter sub speciebus. (C) Tertio ex declaratione nota, quod legitur mutasse unam rem in aliam. Aliquando sic, quod substantia simul et accidens mutata sunt, ut in conversione aquae in vinum fecit Ioh. II. 3 Aliquando autem sic, quod manente substantia accidens mutatum est, sicut quando mutavit aquas Mara 4 in dulcedinem, Exo. XLI. 5 Denique secundum aliquid fecit etiam tertio mutationem substantiae manente accidente aliquo modo saltem quantitatis et figurae, licet non totaliter, ut quando uxor Lot versa est in statuam salis, Gen. XIX. 6 Talem tamen mutationem, scilicet substantiae remanentibus accidentibus et per se stantibus numquam fecit, nisi in hoc mirabili sacramento Eucharistiae. Cum autem Christus sit Deus omnipotens, illa eadem sua potestate, qua mulier conversa est in statuam salis, in instanti facere potest, quod substantia panis manentibus omnibus accidentibus convertatur in corpus Christi. Unde Eccl. VIII.: *Omne, quod voluerit, faciet, et sermo eius potestate plenus est, nec quisquam potest dicere: cur ita facis* etc. 7 Tenendum est ergo firma fide, ut est sententia communis sanctorum Bonaventurae, Thomae, Richardi, Petri in IV. dist. XI., Alexandri, sed et aliorum, quod in hoc sacramento virtute verborum Christi transsubstantiatur vel convertitur substantia panis tota in corpus Christi totum actu existens solis accidentibus remanentibus, ut fides locum habeat secundum dictum Ambrosii. Contrarium autem credere ad haeresim pertinet. Si ergo quaeras, quomodo de pane fit corpus Christi, respondet Maximus in sermone: *Enarrari potest, credi potest, scilicet quia Deus omnia, et hoc bene potest. Si lingua et sensus deficit, tunc fides sufficit. Nam magna est fidei perfectio, et erit copiosa remuneratio, cum tantum Deo per fidem credimus, quod sermone explicari non potest.* Item si quaeras, quomodo possim credere, cum sensus contradicit, respondetur, quod in multis etiam aliis non est credendum sensui, ergo a fortiori nec hic in articulo fidei. Nam sol apparet visui esse quasi cubitalis rotunditatis, cum sit et credatur maior tota terra. Item quando baculus rectus mittitur in aquam, apparet sensui esse fractus, et tamen non creditur in hoc sensui, sed intellectui. Item descendentes per fluvium in navi videtur portus et ligna in portu retrograde moveri, et tamen non est tunc credendum sensui. Maxime autem in his, quae sunt fidei, credendum est Deo super omnem sensum et super omnem intellectum, quia plus potest Deus facere, quam intellectus possit capere secundum Hilarium De Trinitate. Hinc dicit Gerson li. IV., quod plus debet homo credere Deo omnipotenti in hoc sacramento, quam proprio sensui, aut etiam visibili signo cuicumque. Quarto probatur exemplis naturae et gratiae. Nam in naturalibus videmus, quod aqua in vite convertitur tandem in vinum. Item semen iactum in terram convertitur in herbam et fructus granorum multorum, vapores in nubes et pluvias et ranas. Item ictus fulminis subito redigit gladium in vagina existentem in pulverem vagina manente illaesa. Item

Bonaventura in suo sermone dicit, quod *in Hibernia est lacus, in quo si palus figitur, quidquid terrae immergitur, convertitur in ferrum, quidquid vero aquis operitur, in lapidem commutatur*. Item experimur, quod virtute naturae cibus et panis et potus convertuntur in substantiam aliti. Si haec potest natura facere, quid ergo naturarum Dominus potest? Praeterea ut probat Ambrosius De sacramentis, de consecratione dist. II. „Revera”: *Plus potest et maior est vis gratiae, quam naturae, quia vis gratiae potest mutare naturam, sicut patet in virga Moysi bis mutata, Exo. IV. et VII. 8 et in multis aliis, praecipue in conceptu virginali, quod natura non potuit, sed gratia*. Hinc Ambrosius ubi supra: *Liquet, quia praeter naturae ordinem Virgo generavit. Et hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est. Quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Deus Iesus partus ex Virgine?* Haec ille. O ergo benedicti Iesu omnipotentia, te confitemur, te glorificamus, te adoramus in hoc sacramento. Sed vae, vae, vae peccatoribus, qui non oboediunt Christo, ut a suis peccatis convertantur, tamen omnis creatura oboedit, digni sunt ergo damnatione. (D) Circa secundum de miraculositate huius sacramenti sit pro conclusione exclamatio Bernardi in haec verba dicentis: *O sacrum – inquit – et caeleste mysterium, o insigne spectaculum, o sollemne miraculum, Deus, qui mirabilis apparet in omnibus, ipse mirabilior creditur, dum per nos mirabilia operatur*, in Eucharistiae scilicet consecratione mediantibus sacerdotibus, propter quod etiam Ecclesia hoc sacramentum dicit mirabile: *Deus, qui nobis – inquit – sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti* etc. Pro hoc ergo notandum, quod secundum numerum decem praedicamentorum in hoc sacramento decem mirabilia firma fide credenda docentur a doctoribus, quae breviter pro captu simplicium prosequamur. Primum mirabile secundum praedicamentum substantiae est, quod per consecrationem panis in corpus, et vinum in sanguinem transsubstantiatur. Unde Ambrosius li. De sacramentis et habetur de consecratione dist. II. „Panis”: *Panis ante consecrationem iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat, et sic ex pane fit corpus Christi, et vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis Christi*. Et infra: *Vide ergo, quam potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Christus testificatur, quod corpus suum et sanguinem suum accipiamus, de cuius fide et testificatione dubitare non debemus*. Haec ille. Et de hoc satis probatum est in primo articulo huius sermonis. Non ergo est putandum, quod in hoc sacramento sit corpus Christi et sanguis tantummodo sicut in signo repraesentativo, quia hoc esset erroneum et damnabile, de consecratione dist. II. „Ego Berengarius”. Sed credendum est ibi esse vere et realiter. Unde Iohan. VI.: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, 9 id est non figuraliter, sed realiter etc. Magis ergo debet hoc sacramentum revereri, quam imago Christi quaecumque, quia in imagine est Christus tantummodo ut in signo, hic autem realiter et vere. (E) Secundum mirabile iuxta praedicamentum quantitatis, quod Christus secundum suae quantitatis magnitudinem totus sub parva hostia et totus sub vini specie continetur, et sub qualibet parte earum, scilicet specierum totus Christus est et continetur. Unde Hieronymus de consecratione dist. II. „Singuli” dicit: *Singuli autem totum accipiunt Christum, et singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se in singulis praebet*. Haec ibi. In hoc autem fides adiuatur, quomodo hoc possit fieri, tripliciter: Primo ex ratione, quia Christus est indivisibilis. Unde canit Ecclesia: *Fracto demum sacramento ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur*. Item secundum Richardum super IV. dist. X. q. I. ar. II. quia corpus Christi in sacramento est organicum vivens, quod non potest esse sine sua naturali quantitate, sub specie ergo panis totus est Christus cum sua quantitate. Similiter sub specie vini, quia quantitas inseparabiliter comitatur corpus Christi, cui unitus est sanguis, sicut et anima et divinitas. Nec quantitas corporis Christi commensuratur quantitati speciei, nec pars respondet parti, sed sub qualibet parte hostiae est tota eius quantitas, sicut et totum eius corpus vel totus Christus. Unde ibidem q. VI. allegat Innocentium de officio missae, parte III. c. IX. dicentem sic: *Salva fidei maiestate ubi panis est consecratus, sub tota specie totum corpus existit. Sic enim miraculose totum corpus in singulis partibus continetur, quoniam sub singulis partibus totus est Christus*. Haec Innocentius. Sed diceres: Sequitur ergo, quod ibi partes corporis Christi essent inordinatae et confusae, si omnes essent simul sub qualibet parte hostiae. Respondet ibidem Richardus et concordans Thomas, quod non sequitur, quia etsi non sit accipere ordinem partium corporis Christi secundum comparisonem ad partes hostiae, tamen ipsae partes corporis Christi habent inter se invicem distinctum esse et ordinatum in suo toto secundum propriam quantitatem. Unde tantum est ibi caput Christi, tantum corpus, quantum in Christo ipso, et ceteris. Secundo adiuatur in hoc fides exemplo et similitudine. Nam anima est tota in toto homine, et in qualibet eius parte tota. Et sicut anima non est plures, sed una actu in toto homine, sed secundum assignationem partium in qualibet dicitur tota, sic corpus Christi ante divisionem hostiae quamvis sit actu totum sub tota hostia unicum, tamen divisa hostia erit actu pluries super partibus illis totum. Alia est similitudo de speculo quamvis parvo, in quo videtur tota et unica facies humana vel mons magnus, quo speculo fracto sub qualibet parte tota facies vel mons videtur. Tertio adiuatur miraculosa revelatione fides in hoc. Narrat enim Alexander de Hales in suo scripto IV. Sententiarum, quod quidam religiosi dum instanter peterent, ut communicarent sub utraque specie, ecce sacerdote coram eis celebrante cum frangeret hostiam, concavum patenae visum est totum repleri sanguine. Ad quod omnes obstupuerunt, et cum coniungeret sacerdos partes hostiae, totus ille sanguis visus est recipi intra hostiam reintrando, sicque monstratum est hoc miraculo sub specie panis contineri etiam sanguinem, et e converso, sub specie sanguinis corpus, et eodem modo sub partibus. O quam errant Huscitae, qui communicare volunt sub utraque specie contra universalem consuetudinem et statutum Sanctae Romanae Ecclesiae! (F) Tertium mirabile circa praedicamentum qualitatis credendum est, quod species panis et vini in hoc sacramento sine subiecto existunt, et per se stare creduntur. Unde Magister in IV. dist. XII. in principio dicit sic: *Si vero quaeritur de accidentibus, quae remanent, scilicet de speciebus et de sapore, in quo subiecto fundentur, potius fatendum videtur existere sine subiecto, quia ibi non est substantia, nisi corporis et sanguinis Dominici, quae non afficitur illis accidentibus, non enim corpus Christi talem in se habet formam, sed qualis in iudicio apparebit, scilicet gloriosam. Remanent ergo illa accidentia, per se subsistentia ad ministerii ritum, ad gustus, fideique suffragium, quibus corpus Christi habens formam et naturam suam tegitur*. Haec Magister. Et communi fide a doctoribus tenetur. Unde secundum quod declarat Richardus ibidem, *illa accidentia sunt in quantitate, sicut in subiecto, ipsa autem quantitas in nullo subiecto est penitus, et*

*sic species sunt sine subiecto primo, quod est substantia. Non enim illae species sunt in substantia panis et vini, quia illa non remanet post consecrationem, ut dictum est supra. Nec sunt in corpore Christi vel sanguine, quia maioris quantitatis illa sunt et formae gloriosae, ut dicit Magister. Nec sunt in aere, sicut in subiecto, quia aer ipse non est huiusmodi saporis, duritiei et coloris, sed per miraculum virtute divina stant per se.* Haec Richardus. Ad hoc autem aliquo modo iuvat exemplum, quia sicut Deus potuit facere, quod ignis non ureret, nec calefaceret tres pueros, Daniel. III. 10, cum ignis sit propria passio calefacere, et sic ibi fecit Deus substantiam sine proprio accidentiae, ita potest facere accidens sine substantia persistere, ut tenent doctores. (G) Quartum circa praedicamentum relationis credendum est, quod in hoc sacramento quoad respectum multiplicationis specierum corpus Christi non multiplicatur, nec ad sumptionem a multis factam plus sumitur. Unde Ecclesia canit: *Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptas consumitur.* Ad quod est figura in exemplo de manna. De quo legitur Exo. XVI., quod *nec qui plus de ea paraverat, amplius reperit, nec qui minus, reperit minus.* 11 Et ad id ratio est clara, quia in singulis idem et totus Christus est non multiplicabilis in se, sicut in multis speculis multiplicatis imaginibus facies mea eadem permanet. Iuxta hoc praedicamentum pro conditione auditorum, ut videbitur, breviter aliquae quaestiones moveri possunt, praecipue secundum certa mirabilia eius, scilicet in motu. Quaeritur namque, utrum ad motum hostiae movetur corpus Christi etiam in caelo existens. Respondet Richardus super IV. dist. X., quod *corpus Christi licet in sacramento immobile sit localiter et per se loquendo, est tamen mobile per accidens, scilicet ad illius motum hostiae, sicut patet de anima, quae est immobilis localiter in corpore, sed movetur ad motum corporis. Et in hoc est valde mirabile, quod corpus idem, scilicet Domini Iesu simul movetur ad motum unius hostiae, et quiescit ad quietem alterius hostiae. Item quod movetur sursum et deorsum simul ad motum diversarum hostiarum, sed corpus Christi in caelo est ut in loco, et ibi potest moveri per se. Non oportet ergo, quod cum movetur sub sacramento per accidens, moveatur in caelo per se localiter et econverso, nec in his est contradictio, quia non est secundum idem hic motus et quies, sed secundum motum per se et accidens, sicut anima per accidens movetur moto brachio vel pede, et quiescit in corde vel in capite vel in quiescente altera manu.* Haec ex Richardo. Item quaeritur, utrum Christus sub sacramento possit manum extendere vel levare et suum sacrum caput tangere. Respondetur secundum Richardum ubi supra, quod cum corpus Christi sit dimensionatum, potest manum levare et ducere ab una parte ad aliam sub sacramento, non tamen potest manum elongare adeo, quod extendat extra speciem panis, et iterum retrahere intra speciem ipsam, quia talis extensio includit distantiam, et sequeretur ibi localis motus, quod non convenit corpori Christi, ut est sub sacramento, ut patuit. Ad id exemplum: Anima non potest suum corpus exire vel excedere et iterato reconiungi, et sic moveri de corpore ad locum et redire, nisi hoc Deus faceret miraculose. O ergo mira Dei sapientia. (H) Quintum mirabile iuxta praedicamentum actionis credendum est, quod hoc sacramentum in ipsis sumentibus vario modo operatur, ex quo dignis vita et indignis mors aeterna confertur. Unde canit Ecclesia: *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.* Item circa hoc est etiam mirabile, quod ipsa species cum sit sine subiecto, potest efficere, quidquid possit materia panis et vini, scilicet satiare, nutrire et huiusmodi. Potest enim in magna quantitate inebriare, et quidquid posset ex materia panis vel vini per corruptionem generari, puta acetum fieri ex specie illa vini, licet enim istae species non sint in substantia, habent tamen virtutem substantiae quoad haec et similia. Et haec secundum Thomam dantur speciei miraculose, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti in transsubstantiatione. Ad haec exemplum de manna, quod dignis erat delectabile iuxta omnis saporis suavitatem, indignis autem nauseam faciebat, et reservatum in diem alterum corruptioni erat obnoxium. Sextum iuxta praedicamentum passionis credendum est, quod in hoc sacramento corpus Christi cum manducatur, non laeditur, nec laceratur, nec aliquid patitur, unde Augustinus de consecratione dist. II.: *Invitat – inquit – Dominus servos suos, ut praeparet eis cibum seipsum, et quis audet manducare Dominum suum, et tamen ait: qui manducat me, vivet propter me, et quando manducatur, vita manducatur, nec occiditur, ut manducetur, sed manet integer totus in caelo, totus in corde tuo.* Exemplum aquae III. Reg. XVI. 12, ubi oleum in lecytho et farina in hydria, de qua comedit Elias et mulier Sareptana cum filio, non sunt imminuta per tres annos et dimidium. Item cum vitrum atteritur vel cristallus, non frangitur nec laeditur lux solis. (I) Septimum iuxta praedicamentum, ubi credendum est, quod corpus Christi unum numero simul in diversis et omnibus consecratis speciebus totus habetur. Sed quomodo hoc sit possibile, ut idem simul diversis locis habeatur? Hugo de Sancto Victore li. De sacramentis dicit, quod *ideo in natura idem corpus in diversis locis esse non potest, quia Deus, naturae conditor talem corporibus dedit legem.* Et quia quilibet legislator potest dispensare in lege, quam statuit, et oppositum ordinare. Ideo Deus potuit de suo corpore dispensationem facere pro fidelium utilitate, ut simul sit in pluribus locis. Exemplum de sono vel verbo, quod est simul in pluribus audientibus. Octavum iuxta praedicamentum, quando quia credendum est, quod mox quando verba consecrationis complentur, Christi corpus conficitur, et quando species corrumpuntur, Christi corpus ibi desinit esse, nec amplius ibi continetur, ut communis est sententia doctorum super IV. Et hoc est mirabile, quod cum illae species sint sine subiecto, nec in corpore Christi, et tamen ad earum desitionem desinit ibi esse corpus Christi. (K) Nonum mirabile iuxta praedicamentum situs, credendum est enim, quod idem Christus, qui manet in caelo, in ipso sacramento per tantam distantiam situatur tam miro modo, quod immediate numquam tangi possit, quantumcumque species penetrentur. Nam etiam cum masticantur species, corpus Christi dentibus non attingitur, nec atteritur secundum se, ut patet per Hieronymum de consecratione dist. II. „De hac quidam” etc. Et hoc probat Richardus super IV. dist. X., per hoc, quod in cena, quando praesente Christo discipuli hoc sacramentum manducaverunt, dolorem Christus nullum sensit ex hoc, cum tamen tunc erat in carne adhuc passibili. Et ponit exemplum, quod sicut angelus per essentiam aliquando praesens est loco, nec tamen a loco tangitur, nec aliquis homo essentiam eius potest tangere, quantumcumque penetret locum, sic et in hoc sacramento. Si autem hic quaeratur, ad quam partem hostiae situatur caput Christi vel pedes etc., respondet Richardus, quod non potest assignari, quia omnes partes Christi integraliter sunt sub qualibet parte hostiae. Sed ex quo unus et idem Christus est in unahostia habens ordinem partium in se, ad quamcumque partem vult, ad illam habet caput, et consequenter manus et pedes secundum propriam quantitatem et ordinem in se. Si etiam quaeratur, utrum versa



hostia vertatur corpus Christi, respondet idem Richardus, quod numquam. Sicut exempli gratia videmus in speculo, quod verso speculo imago faciei non vertitur in eo. Sic etc. Decimum iuxta praedicamentum habitus. Credendum est enim, quod Christus in hoc sacramento est in habitu luminis gloriae suae, quamvis non videatur, sed speciebus ipsis occultatur, ut dicit Magister in IV. dist. XII. O ergo magne, o mirabilis Deus, o Iesu benedicte, qui tam mirabiliter es in sacramento, miserere nostri propter tuum immensum amorem, quo nobis sic te donasti. O dulcissime Iesu, da nobis pro tali et tanto amore te redamare. (L) Circa tertium principale de veritate indubia et per signa monstrata sufficiat brevius pro conclusione, quod benedictus Deus crebrius mira signa et multa pro huius sacramenti veritate ostendere est dignatus. Quae quidem enarrari non sufficiunt, per varia enim tempora multiplicantur saepius eius miracula. Nam et ego vidi his temporibus, scilicet anno Domini MCCCCLXXIX. hominem in Christo mihi conscientio se revelantem, quod persaepe Christum videre solet in sacramento in specie crucifixi vel pietatis et similibus, et ore ad os loqui, et ad quaecumque interrogata secreta spiritualia respondere, scilicet in dubiis casibus quid salubrius tenere oporteret. Cumque homo iste saepius petivisset ab eo de revelando die obitus sui, Christus de sacramento visibiliter apparens respondebat: „Non morieris – inquit – usque ad proxima quattuor tempora”, et sic illo tempore adveniente iterato ad futura quattuor tempora atque consequenter singulis annis, quoad vixit, certificabatur, quod non moreretur usque ad futura immediate quattuor tempora. Sed postea cum mori habuit, ipsum diem mortis sibi certitudinaliter praedixit, et sic factum est. Et multa alia narrantur miracula, inter quae unum celeberrimum, quod narrat Anselmus li. de miraculis Beatae Virginis c. XXXV., quod sacerdos quidam de corpore et sanguine Christi dubitans Beatam Virginem quotidie exorabat in missa pro hac temptatione subvenire. Quodam Sabbato more solito celebrante missam de Beata Virgine ecce post consecrationem disparuit hostia ab altari, et vidit coram se Beatam Mariam in ulnis filium ut puerum tenentem et dicentem: „Ecce iste est Filius meus in hostia, quam sacrificas, modice fidei, quare dubitasti, nonne legisti, quia Filius meus dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita?*” 13 Pluribusque similibus dictis pia mater tradidit ei Filium dicens: „Accipe hostiam tuam, et perface missam.” Tunc accepit sacrum puerum, et posuit super corporale, et missam coepit proseguere. Cumque pervenisset, ut hostiam frangere deberet, ecce vidit statim ipsum puerum in speciem panis, ut prius erat reversum, et Beatam Virginem cum puero disparuisse, sicque missam complevit. Haec sufficiant. Sunt enim veritatis huius sacramenti innumera testimonia, sed prae omnibus sufficiat nobis verbum Christi, Filii Dei dicentis: *Hoc est corpus meum* etc. 14 O ergo fideles animae, veneremur hoc sacramentum ineffabile et tam multipliciter mirabile. Adoremus et deprecemur Dominum Iesum in ipso vere existentem, ut det gratiam et gloriam. Amen.

---

1 Ps 110,4,5 2 Ps 32,9; 148,5 3 Ioh 2,9 4 Editio: *Marath* 5 Recte: Ex 15,23-25 6 Gn 19,14-26 7 Ecl 8,3-4 8 Ex 4,2-3; 7,12 9 Ioh 6,56 10 Dn 3,50 11 Ex 16,18 12 III Rg 17,16 13 Ioh 6,52 14 Mt 26,26; Mc 14,22; Lc 22,19; I Cor 10,24

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo VIII.] De corpore Christi Sermo IV., scilicet de huius sacramenti institutione sub velamine et adoratione *Hic est panis, qui de caelo descendit, qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Ioh. VI. 1 et in evangelio hodierno. (A) Sancta Mater Ecclesia hodie nos invitat ad celebrandum reverenter et devote festum ipsius corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Et ad id praecipue in evangelio per verba praedicta monet nos triplici ratione. Primo ratione dignitatis, scilicet huius sacramenti corporis Christi, quia in hoc sacramento vere est Christus, Deus caeli et terrae, et idcirco proponit nobis verbum testimonii Christi dicens: *Hic est panis*, quod dicit: sub specie ista panis est vere Christus Deus, et ideo adorandus. Secundo ratione charitatis, quam nobis ipse Christus exhibuit, ideo subdit: *qui de caelo descendit*, quod dicit: Ecce quantum nos Christus dilexit, quia pro nostro amore de caelo descendit in carnem, quam in hoc sacramento nobis manducandum dedit, debemus ergo ipsum reamare et pro amore ipsius hoc festum devote colere in gratiarumactione, quia ut ait Gregorius: *Indignus est de dandis, qui ingratus est de datis.* Tertio ratione utilitatis et nostrae salutis, quae provenit nobis ex hoc sacramento, propter quod subdit: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* 2 Reverenter ergo hoc sacramentum hodie colamus, ut vitae aeternae praemium adquiramus, et ad ipsum manducandum digni simus. Audiamus ergo Christum et Ecclesiam hodie dicentem: *Hic est panis, qui de caelo* etc. Iuxta quae verba tria mysteria in hoc sermone notabimus: · Primum dicitur institutionis · Secundum dicitur velationis · Tertium dicitur adorationis (B) Circa primum de institutione sacramenti Eucharistiae quaeritur: Cur Christus voluit nobis realiter suum sacrum corpus et sanguinem sub sacramento dandum instituere, quia nimirum aliis sacramentis – scilicet baptismo, confirmatione etc. – Christus non continetur secundum substantiam realiter, sed solum adest secundum virtutem et gratiam suam. Cur ergo in hoc sacramento non suffecit eo modo dare gratiam suam, sicut in aliis. Sed quod est maximum, voluit se realiter secundum substantiam dare nobis in hoc sacramento Eucharistiae, in quo est verum corpus Christi et verus sanguis. Ioh. VI.: *Caro mea vere est cibus, et sanguis* etc. 3 Respondetur ergo secundum Franciscum de Mayronis et doctores super IV. dist. VIII. communiter per conclusionem, quod summe congruebat Christum Dominum realiter nobis dare se in sacramento Eucharistiae ad manducandum, et hoc pluribus rationibus, propter quas voluit Christus sic instituere Eucharistiae sacramentum. · Prima ratio ex parte huius sacramenti · Secunda ratio ex parte nostri · Tertia ex parte ipsius Christi Iesu benedicti Primo ex parte sacramenti, quia ut dicit Augustinus De civitate Dei et experientia cognoscimus, Deus providit cuilibet creaturae cibum secundum conditionem naturae suae. Nam creaturas pure corporales ut vegetabilia et bruta nutrit cibo totaliter corporali, scilicet de terra, de herba et feno et similibus. Creaturas vero omnino spirituales ut angelos reficit cibo omnino spirituali, scilicet visione deitatis. Matth. XVIII.: *Angeli eorum semper vident faciem Patris* etc. 4, ergo homo cum sit partim corporalis et partim spiritualis et rationalis ad Dei imaginem factus, debuit tali alimento nutriri ad

vitam aeternam, quod contineret utrumque, scilicet deitatem Christi cum humanitate, sicut est in hoc sacramento, ne scilicet homo spiritualiter moreretur morte aeterna. Nimirum sicut in III. ca. Gen. legimus, homo incurrit mortem per cibum ligni vetiti teste Domino: *Quaecumque hora comederitis ex eo, morte moriemini*, 5 ergo conveniens fuit, ut per cibum vitae in sacramento hoc ipsa hominis vita aeterna restauraretur. Sed quia videmus in vita corporali, quod homo primo nascitur, deinde nutritur, et sic in vita conservatur, ita in vita spirituali esse debet, quod homo primo nascatur regeneratus per baptismum, et tandem nutriatur per Eucharistiae sacramentum. Sed quoniam hoc modo videmus in nativitate corporali, quod genitus non coniungitur parenti secundum substantiam, sed tantum secundum virtutem, in nutritione autem cibus coniungitur nutrito secundum substantiam, quia ut dicitur II. De anima: *Alimentum convertitur in substantiam aliti*, ergo in ipsa vita spirituali Christus in baptismo solum est secundum virtutem et gratiae effectum regenerationis. Sed in sacramento Eucharistiae, quod est alimentum spirituale, est secundum substantiam realiter. Denique ex quo homo sic factus est, ut duplici alimonia indigeat in corpore, scilicet in cibo et potu, idcirco sub duplici specie hoc sacramentum institutum est. (C) Sed nota hic pro simplicibus, quod sicut in nutrimento cibus corporalis licet sit ordinatus ad conservationem vitae vel nutritionem, tamen accidit persaepe esse in detrimentum. Et primo si quis iratis pectoribus sumat, tunc enim potius in languoris, quam cibationis materiam transmutatur, ut dicit Iohannitii Isagoge 6 de remediis sanitatis. Nam secundum Avicennam tunc cholericis mox humoribus commotis ex ira cibus permiscetur in homine. Cholericus autem humor morbosus est teste Galeno. Sic hoc sacramentum iram tenentibus contra proximum est ad damnationem. Ambrosius: *In damnationem – inquit – vergit corporis et animae Eucharistia irato contra quempiam animo manducare*. Secundo fit in detrimentum, si quis cibum non bene coctum sumat, sic cum homo ad hoc sacramentum non satis bene se praeparat per fervorem contritionis et devotionis. I. Cor. XI.: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat. Qui enim manducat indigne etc.* 7 Tertio fit in detrimentum, si plus (sic!) mensuram in sumendo accedat. Sic qui circa hoc sacramentum plus sapit, quam oporteat, nec sibi sufficit fides Ecclesiae, talis in errorem labitur. Quarto cibus nocet, cum quis mox post sumptum cibum somno seipsum dat, quia sic impura fit digestio et febris sequitur secundum Avicennam VIII. li. medicinalium et Constantinum etc. Sic cum homo post sumptam Eucharistiam somno peccati labitur, nec gratiam acceptam bene custodit, damnationem acquirit, II. Ioh. unico: *Videte, ne perdati, quae operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis*. 8 Congruerat ergo hoc sacramentum cibale sic etc. (D) Secundo ex parte nostri voluit Christus hoc sacramentum instituere dando realiter suum scilicet corpus et sanguinem. Primo propter sacrificium in remissionem peccati, ut habeamus efficacissimum sacrificium, quod offeratur tam pro vivis, quam pro mortuis, scilicet in Purgatorio existentibus. Secundo hoc voluit Christus propter meritum nostrae fidei. Nam hoc sacramentum dicitur mysterium fidei, ut patet in canone missae, quia per hoc sacramentum fides et eius meritum multum sublimatur, in eo, quod credit Deo in tam difficili re et supra omnem rationem arduissime. Augustinus de verbis Domini: *Ambula per fidem, et pervenies ad speciem. Nemo laetificatur in patria, quem fides non consolatur in via*. Ideo Iohannes XX.: *Beati, qui non viderunt, et crediderunt*, 9 quia scilicet propter fidem veram habebimus in futuro claram visionem. Item Maximus in sermone: *Enarrari non potest, credi potest, et si lingua et sensus deficit, tamen fides sufficit*. Nam magna est fidei perfectio, et erit copiosa remuneratio, cum tantum de Deo per fidem concipimus, quod sermone non potest explicari. Tertio voluit Christus hoc sacramentum altissimum instituere propter fulcimentum nostrae spei. Unde hoc sacramentum dicitur arrha et pignus futurae gloriae. Sicut enim per pignus de bono promisso quis certificatur, sic nos per hoc sacramentum de futura beatitudine promissa. Unde canit Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur*. Proinde Alexander de Hales in IV. Summae dicit, quod divina sapientia sui corporis et sanguinis sacramentum instituit, ut ad gustum divinitatis alliceret, et invitaret per gustum humanitatis. Quarto voluit propter incendium charitatis Dei. Nam in hoc per amoris sui magnitudinem invitat nos ad suum amorem, quia ut dicit Ambrosius: *Naturale est diligere se diligentem*. Unde pro signo unionis per amorem voluit nobis se dare in cibum. Nam dixit Ioh. VI.: *Qui manducat carnem meam etc., in me manet, et ego in eo*. 10 Maximum quippe signum dilectionis est velle fieri idem vel unum cum dilecto, iuxta illud Philosophi: *Amicus est alter ego*. O ardens et inflammata charitas Iesu! O amor clementissimi cordis Iesu, ut loquar cum Bernardo, quam cordialiter debemus te diligere, Iesu dulcissime, qui dedisti nobis carnem in cibum, sanguinem in potum, animam in redemptionem, deitatem in glorificationem etc. Novimus quippe, carissimi, quia parvulus naturaliter amat nutritorem suum, quia de lacte eius alitur et nutritur, quantum ergo, o Christiana anima, debes Christum reamare, qui suo proprio corpore et sanguine te pascit. (E) Tertio ex parte Christi voluit Dominus hoc sacramentum instituere, scilicet propter eius dilectionis et passionis iugem recordationem. Unde dixit: *Hoc facite, quotienscumque sumitis in meam commemorationem*. 11 Nimirum in hoc sacramento passio Christi repraesentatur. Primo ex consideratione specierum, quibus conficitur, scilicet de pane triticeo et vino, quae multis laboribus perficiuntur, ut patet de pane, cuius triticum seminatur, metitur, excutitur, molitur, cribatur, et ultimo igne decoquitur inter ferrea instrumenta hostiae. Sic Christus a pueritia multiplici labore et passione fuit attritus. Ut enim dicit Augustinus: *Tota vita Christi crux fuit et martyrrium, et tandem inter clavos ferreos suspensus, igne charitatis in passione fuit assatus*. Item vinum etiam ut fiat, multos labores circa vineam requirit, post quos tandem in torculari fortiter exprimitur. Sic sanguis Christi in torculari crucis totus fuit expressus. Secundo quoque in hoc sacramento passio Christi repraesentatur ex consideratione consecrationis, quia divisim consecratur sanguis sub specie vini et corpus sub specie panis. Et sub numero quinario verborum in forma consecrandi, scilicet: *Hoc est enim corpus meum*. 12 Quamvis enim non sit de necessitate, tamen peccaret, qui omitteret. De forma autem sanguinis inter doctores est varia opinio, sed cum Scoto tenendum est tutius, quod scilicet tota forma ab Ecclesia tradita dicatur, et intentionem applicet sacerdos intentioni Ecclesiae. Ad propositum ergo convenienter repraesentatur, quod sanguis Christi fuit separatus a carne in passione effluens per quinque vulnera Christi praecipua. Tertio in hoc sacramento repraesentatur passio Christi in modo sumptionis, quia frangitur hostia a sacerdote, dentibus atteritur, et deglutita occultatur. Sic Christus passionibus attritus et mortuus tandem in sepulchro est clausus. Ecce ergo, o Christiane, adverte,

quantum es dilectus a Christo, et iugiter eius memoriam passionis in corde reconde. Unde ut dicitur in Clementina de reliquiis et veneratione sanctorum c. „Si Dominum”: *Alia, quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur, sed nec propter hoc realem eorum praesentiam obtinemus. In hac vero Christi sacramentali commemoratione ipse Christus praesens est sub alia quidem forma, sed in propria substantia, iuxta illud praemissum: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Matth. VI. 13 Quod certe tam perfecte implevit, ut et in caelo maneret, et hic nobiscum esset corporaliter in sacramento pro nostro amore et salute. O ergo Iesu bone, tibi laus et gratiarumactio. (F) Circa secundum de velatione quaeritur: Quare Christus voluit suum sacrum corpus et sanguinem velare in hoc sacramento sub panis et vini specie; nonne melius fuisset tradere in hoc sacramento aperta visione, quia ex hoc magis charitas et fides probationem accepisset. Sed ad haec respondetur per conclusionem iuxta Innocentium de sacramentis alios quoque, quod summe decuit corpus et sanguinem Christi nobis sub velamento tradi, praecipue triplici ratione: · Primo propter indignitatem, quoad malos · Secundo propter utilitatem, quoad bonos · Tertio propter imbecillitatem, quoad cunctos Primo propter indignitatem, quoad malos, quia mali non essent digni sic aperta visione videre, et ne pro tali visione percuterentur ab angelo et perirent. Sicut legitur de Bethsamitis, qui percussi sunt et interfecti, eo quod arcam Domini conspexissent, I. Reg. VI. 14, quia ut dicit Glossa: *Nulli licebat videre arcam detectam, nisi pontifici digne accedenti.* Et hoc sub poena mortis inhibebatur, Nume. IV. 15 Haec autem arca figura fuit sacramenti. (G) Quaeritur ergo, utrum Christianus existens in peccato mortali peccet videndo vel aspiciendo in hoc sacramento corpus Christi. Et ratio, quia talis tangendo vel sumendo peccat mortaliter et damnabiliter, I. q. I.: *Omnia sacramenta – inquit – obsunt indigne tractantibus,* et est verbum Augustini; quare ergo non peccat videndo? Ad haec respondetur breviter secundum Bonaventuram, Richardum quoque super IV. dist. IX. et concordantem Thomam aliosque, quod aliud est de tactu vel gustu huius sacramenti, et aliud de visu, quia existens in peccato mortali peccat hoc sacramentum tangendo vel sumendo, ex quo propinquius coniungi habet Christo corpori, eo quod irreverentiam facit sic sacramento. Unde Isa. LII.: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* 16 Et I. Cor. XI.: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit* etc. 17 Posset tamen esse aliquis casus, in quo peccator tangendo corpus Christi excusaretur, puta cum hoc faceret cum timore et reverentia propter aliquam necessariam causam, videlicet quando non existente praesente alio digniori erigeret hostiam iacentem in terra et huiusmodi, in quo casu etiam laicus hoc posset facere secundum Richardum. Sed peccator videndo corpus Christi non peccat, quia taliter nullam facit irreverentiam sacramento, cum non tam propinque iungatur eidem, ut sic. Sicut exempli gratia: Si tu habes oculos aegros aspiciendo regem a remotis, non imputatur pro irreverentia regi fienda. Sed si manus stercore foedatas vel labia sic foedata haberes, quibus ipsum regem tractares vel osculare velles, imputaretur. Sic in proposito. Unde peccator videndo corpus Christi non peccat, immo aliquid meretur, si tamen cum humilitate et reverentia videat, etsi per censuram Ecclesiasticam non sit prohibitus. Notandum ergo secundum ipsos doctores, quod aliqui sunt peccatores, qui ab Ecclesia arcentur a visione huius sacramenti vel prohibentur, ut sunt haeretici excommunicati et interdicti ac huiusmodi, tales peccant se ingerendo et videre volendo, quia non oboediunt Ecclesiae, ut patet extra de pe. et re. „Quod in te” secundum Hostiensem et Raimundum 18 ac Wilhelmum. Unde interdicti tempore non est ecclesiae fenestra aperienda tempore elevationis corporis Christi, ut videant interdicti extra ecclesiam auscultantes missam. Secundo alii sunt peccatores, qui non prohibentur ab ecclesia, sunt tamen in peccato manentes, nec contriti. Tales videndo corpus Christi non peccant, tamen secundum Albertum non debent videre multo aspectu, sed viso illo percutere pectus, quasi non sint digni ad faciem Christi videndam. Refert sanctus Bernardinus in suo quodam sermone, quod matrona quaedam dum iram teneret contra proximum, et ad Ierusalem peregrinationis devotione venisset et communicari vellet, mox ut sacerdos corpus Christi ad aspectum eidem exhibuit, vultum illa coacta avertit facie retrorsum conversa divino miraculo, et se indignam etiam visione, nedum sumptione corporis Christi est confessa. Tertio alii sunt peccatores, qui ad contuitum corporis Christi compunguntur, humiliter et reverenter se gerentes peccata dolent, et tales plura bona promerentur, scilicet peccati recognitionem ac remissionem. Exemplum de Petro, qui cum Christum negasset, ad aspectum Christi se recognovit, et amare flevit. Item gratiae acquisitionem pro reverentia, iuxta illud Ecc. XXXII.: *Pro reverentia accedet tibi bona gratia.* 194 Atque salutem, Augustinus: *Intuitus Salvatoris salus est peccatoris.* De his latius sermone I. ar. III. (H) Secundo propter utilitatem, quoad bonos, voluit Christus corpus suum velatum dare, Innocentius de sacramentis: *Hoc – inquit – sacramentum sub alia specie sumitur ad augendum, scilicet fidelibus, meritum fidei, quia fides non habet meritum, cui humana ratio praebebat experimentum. Et ad favendum sensui, ne abhorreret animus, quod cerneret oculus, quia non consuevimus carnem humanam crudam et sanguinem bibere.* Haec ille. Unde legitur, quod Hugo de Sancto Victore dum missam celebraret, quadam vice post Agnus Dei Christus quasi puerulus formosissimus in hostia super patena sibi apparuit, cuius visione indicibiliter est consolatus. Cui tandem puer ait: „Hugo dilecte mi, manduca me!” Ad quem ille: „Quo ausu, amantissime Domine, in tali forma audeam dentibus manducare?” Cui Christus: „Nisi manducaveris me, non habebis vitam in te.” Tunc Hugo oravit dicens: „O amantissime Domine, si sic necesse est, oro, ut vultum tuum gloriosum abscondas a me.” Et mox Christo disparente in forma panis ille eum sumpsit. Tertio propter imbecillitatem, quoad cunctos, quoniam claritatem corporis Iesu nullus viator posset inspicere naturaliter, cum indicibiliter splendidior sit sole. O vere magnum Deum Iesum! (I) Circa tertium principale de adoratione quaeritur, utrum Christus in sacramento Eucharistiae debeat adorari aequali sub maiestate, sicut est in caelesti beatitudine. Et ratio quaestionis, quia videtur magna differentia, eo quod Christus in caelo regnans est in summa gloria. In sacramento autem est in summa humilitate velatus corruptibilibus et accidentalibus speciebus panis et vini. Quomodo ergo aequali maiestate adoratur? Ad haec respondendo pro simplicium aedificatione notemus tres praecipuas veritates a theologis doctoribus recollectas. Prima veritas, quod divina Christi Iesu maiestas et gloriosa eius dignitas in nullo minuitur per species ipsas. Sic enim Christi, Filii Dei maiestas et dignitas non fuit aliquo modo diminuta in carnis ex Virgine sumptione per unionem, ut Leo papa testatur: *Divinitas – inquit – nullum detrimentum omnipotentiae subiit, nec Dei formam forma servi violavit, quia quod erat, esse non desiit.* Sic a fortiori cum idem corpus Deo unitum et



de Virgine natum velavit accidentibus non inhaerentibus ipsi, sed per se stantibus, in nullo maiestas Christi est diminuta. Exemplum, sicut dignitas regis non minoratur, si veste humili induatur ob suorum utilitatem, sed ipsa vestis honoratur, sic de speciebus. Secunda veritas, quod quamvis Christus sit velatus in Eucharistia, ne videatur visione aperta, non minori tamen, quam in caelo fulget maiestatis gloria, ut per Magistrum patet in IV. dist. XII. Idem nempe per omnia Christus aequae potens, aequae gloriosus Deus inseparabiliter cum Patre et Spiritu Sancto praesens est in sacramento tam mirabili, secundum quod dicit Franciscus de Mayronis in sermone de corpore Christi. Ex quibus clarent plura magnalia in hoc sacramento. Primum quia sicut in caelo Dei Filius ab aeterno Patre genitus est idem Patri et aequalis maiestatis in gloria, ita et in hoc sacramento idem est Dei Filius per omnia. Secundum, quod sicut in caelo producit Spiritum Sanctum, ita nec in hoc sacramento desinit spirare Christus Spiritum Sanctum. Tertium, quod sicut existens in caelo scit omnia, quae sunt, erunt et fuerunt, et disponit mundum ac regit, aliis prospera, aliis adversa dando, alios eligendo et gratiam infundendo, alios per demeritis peccatorum reprobando, ita haec omnia potest et facit ipse idem existens in sacramento. Quartum, quod sicut in caelo glorificat omnes angelos et beatos, et ab omnibus adoratur, ita in hoc sacramento secundum deitatem et visionem intellectualem, qua ab omnibus beatis videtur et adoratur, ut patuit latius sermone primo „F” et „G”. Tertia veritas, quod sicut Christus existens in caelo adoratur summa reverentia patriae pro divina maiestate, sic reverenter adorari debet in sacramento Eucharistiae, et patet ex praemissis. Unde legitur de sancta virgine Clara ordinis secundi beati Francisci, quod corpus Domini cum susceptura prius lacrimis calidis rigabat, et cum tremore accedens non minus formidabat in sacramento latentem, quam caelum terramque regentem. (K) Sed qualiter adorari debeat Eucharistia, nota secundum Franciscum de Mayronis ubi supra aliqua documenta. Unum est, quod adoratio vel eius intentio non est dirigenda ad id, quod cernitur, sed ad id, quod creditur tantum, quia illud est dignum adoratione. Nam ut ait Gregorius et extra de celebratione missae: *Cum Marthae dicitur hoc sacramentum mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur, quam cernitur, et aliud ibi cernitur, quam creditur. Species enim panis et vini cernitur, et veritas corporis et sanguinis Christi creditur, ergo intentio adorantis non debet dirigi ad species visas, sed ad contentum.* Secundum documentum est, quia ex quo verba consecrationis secrete proferuntur a sacerdote, hostia non est adoranda, donec adoretur et elevetur ab ipso sacerdote, quia nondum ibi constat esse corpus Christi, ut sic vitetur idolatria. Tertium documentum, quod sacerdos in communicando fidei dicit: *Credis hoc esse corpus Christi de Virgine natum et passum etc.*, debet quilibet tunc dirigere intentionem suam ad illud, quod creditur, et non ad id, quod cernitur. Unde tutius esse dicere *Credis hic vel in hoc esse corpus Christi*, tamen secundum Scotum simplices intentionem ad fidem Ecclesiae dirigentes non errant, sed excusantur. Quartum quod licet Christus oculo corporali non videatur in sacramento proprie, tamen non errant fideles, qui dicunt Dominum se vidisse, quia nullus errat in verbis, qui possunt verificari eo modo, quo verificatur Scriptura divina, in qua dicitur a simili, quod Moyses vidit Dominum corporaliter in rubo, non quod ibi viderit deitatem, sed quia Dominus assistebat illi rubo. Sic in proposito. O ergo Christiane, gaude, quia Deum vides in sacramento. Dicam ergo cum Augustino de consecratione dist. II.: *O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis, qui vult vivere, accedat et credat.* O ergo bone Iesu, per hoc sacramentum da nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Ioh 6,59 2 Ioh 6,52 3 Ioh 6,56 4 Mt 18,10 5 Gn 3,3-5 6 Editio: *Iohannes Isagoge* 7 I Cor 10,28-29 8 II Io 1,8 9 Ioh 20,29 10 Ioh 6,57 11 I Cor 10,25 (Lc 22,19) 12 Mt 26,26; Mc 14,22; Lc 22; I Cor 10,24: Hoc est corpus meum. 13 Mt 28,20 14 I Sm 6,18-20 15 Nm 4,21 16 Is 52,11 17 I Cor 10,29 18 Univ. Inc. 758: *Rayne.*; RMK III 21: *Raym.* 19 Ecl 32,9; 32,1

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo IX.] De sancto Antonio ordinis minorum Sermo cum legenda *In medio ecclesiae aperuit os eius et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus, stolam gloriae induit eum.* Ecc. XV. 1 (A) Haec verba canit Ecclesia in Introitu missae de hoc sancto, scilicet patre Antonio. Quibus verbis commendatur eius sanctitas, quod scilicet fuerit multum utilis populo per doctrinam praedicationemque verbi Dei. Idcirco dicitur: *In medio ecclesiae aperuit os eius*, scilicet ad docendum populum. Et quod plenus fuerit sapientiae et gratiae dono, idcirco additur: *Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae*, scilicet ad degustandum divinae gratiae dulcedinem. Unde *sapientia dicitur quasi sapida scientia, quae proprie est divinarum rerum cognitio, et aeternae veritatis dilectabilis contemplatio* secundum Augustinum XIV. De Trinitate. Et quoniam cum hoc habuit etiam donum intellectus, scilicet quoad conversandum in omni sanctitate morum, ideo dicitur: *et intellectus*, quae non modo de divinis et aeternis est, sed etiam de rebus visibilibus et spiritualibus temporaliter exortis vel humanis. Praeterea ex quo perseverantibus in sancta vita et salutari doctrina repromisit Deus caelestem corporis et animae gloriam, qua dotabitur homo in patria. Ideo de hoc commendans beatum Antonium subdit: *stolam gloriae induit eum.* Unde iuxta haec tria mysteria notabimus ad honorem ipsius beati patris Antonii, secundum quod de his tribus commendatur: · Primo de praedicationis fructuositate, ibi: *In medio ecclesiae aperuit os eius* etc. · Secundo de plenitudinis gratiositate, ibi: *Implevit eum Dominus spiritu sapientiae* · Tertio de beatitudinis gloriositate, ibi: *Stolam gloriae induit eum* (B) Circa primum de praedicatione salubri et fructifera sit pro conclusione, quod beatus Antonius pro fructu praedicationis probatur multum commendabilis et gloriosae sanctitatis. Declaratur ex dictis trium praecipue doctorum. Primus est Gregorius, qui in libro Dialogorum dicit sic: *Maius est – inquit – miraculum praedicationis verbo atque orationis solatio peccatorem convertere, quam carnem mortuum suscitare.* Cuius rationem idem Moralium XIX. tangit dicens sic: *Si magnae mercedis est a morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti a morte animam liberare in caelesti patria sine fine victuram.* Haec Gregorius. Secundus doctor Richardus in Benjamin ado. dicit sic: *Nescio si potest homo a Deo in hac vita aliquid maius accipere, an possit hac gratia interim*

*maiolem gratiam Deus conferre homini, quam ut eius ministerio perversi homines in melius mutantur, ut de filiis diaboli filii Dei inveniantur.* Haec Richardus. Tertius est Innocentius extra de offi. iudicis ordi. c. „Inter cetera” dicens sic: *Inter cetera, quae ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaxime sibi noscitur esse necessarium, quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* 2 Unde ibidem iniungitur episcopis, ut per se vel per alios praedicare debeant ad salutem animarum. Ex dictis accipitur pro documento, quod Christianus in maximo periculo damnationis est, qui audit quidem verbum Dei, sed obicere ponit gratiae Dei, nec convertitur a peccatis per verbum Dei. Nam Augustinus De civitate Dei dicit: *Nisi intus assit gratia Salvatoris, frustra exterius impenditur vel auditur praedicatio veritatis.* Et ponit exemplum de Cain, quem Dominus volentem occidere fratrem praemonuit, et poenam comminatus adiunxit, Gen. IV. c. 3, tamen ei nil valuit, quia gratiam Dei revocantem non curavit, sed contempsit. Item aliud documentum, quod Christiano est adhuc maius periculum non audire verbum Dei. Nam revera magis debet homo requirere quotidie verbum Dei, quam cibum corporalem, quo nullo die vult vel potest carere. Quod ostenditur pluribus rationibus. Primo quidem ratione nutritionis, quia cibus corporalis nutrit ventrem, cibus vero divini verbi et boni operis nutrit mentem, et reficit ac satiat animam, quae impropotionabiliter melior est, quam corpus. Matth. VI.: *Nonne anima plus est, quam esca et corpus* etc. 4 Sicut enim stultus esset, qui eligeret potius corpus suum perire fame, quam vestimentum suum atteri, sic qui animam vult fame occidere non audiendo verbum Dei pro corporis cibo quaerendo. Secundo ratione permansionis, quia cibus mentis manet cum anima, sed cibus corporis peribit. Cor. VI.: *Esca ventri et venter escis: Deus hanc et has destruet*, scilicet in morte. 5 Tertio ratione vivificationis, quia cibus verbi Dei vitam dat aeternam. Sed cibus corporis vitam temporalem sustentat. Propter haec praemissa Ioh. VI. dicit Dominus: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis.* 6 Propterea Gregorius homilia VIII. hoc signum dicit esse salutis et vitae aeternae, si videlicet quis libenter verbum Dei audit, dicens: *Verba Dei, fratres – inquit –, mente retinete, quae aure percipitis. Cibus enim mentis est sermo Dei, et quasi acceptus cibus stomacho languente reicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non tenetur, sed si quis alimenta non retinet, huius profecto de vita desperatur, aeternae ergo mortis periculum formidate, si cibum sanctae exhortationis non accipitis, si verba vitae in memoria non tenetis.* Haec ille. Ad praedicta exemplum in isto beato Antonio, quem Deus in signum huius sicut in vita mirificavit dando sibi gratiam recuperandi animas perditas, sic existenti in caelo dedit gratiam mirabiliter per eius merita recuperandi hominibus res perditas. Nam refertur, quod cuiusdam navigantis bursa ducatis plena in mare cecidit, quam piscis deglutivit. Tandem per piscatores casu captus ab eodem homine, cuius erat pecunia, emitur, et fratribus minoribus elemosynarie datur, ut pro fortuna prospera sanctum invocent Antonium. Cum ergo fratres in ventre piscis exenterant pecuniam invenissent, signis veris datis cognoverunt illam esse, et reddiderunt homini, ac sancti Antonii merita extulerunt, et sic patet etc. (C) Quaeritur: Unde est, quod praedicator non semper animas lucratur. Respondit Gregorius in homilia de evangelistis dicens: *Praedicatorum lingua saepe restringitur ex culpa propria. Nam teste Ps. 7 peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Saepe autem ex culpa subiectorum. Unde Ezechielis c. III. 8 Dominus dicit: Linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, et eris mutus, quoniam domus exasperans est. Nam quod pastoris taciturnitas aliquando sibi et subiectis noceat, certissime scitur.* Haec Gregorius. Ut ergo verbi Dei praedicatio facere possit fructum vitae aeternae, oportet primo ex parte audientium, ut scilicet audiant diligenter praedicationem et reverenter, et cum hoc effectualiter, scilicet praecepta observando, sine quo non est salus. Ideo Lu. XI. dicit Christus: *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud,* 9 scilicet opere implendo. Nam I. q. I. „Interrogo” Augustinus dicit: *Quanta sollicitudine observamus, quando corpus Christi nobis ministratur, ut nil ex ipso in terram cadat, tanta sollicitudine observemus, ne verbum Domini, quod nobis erogatur, dum aliud cogitamus aut loquimur, de corde puro pereat, quare non minus erit reus, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permisit.* Haec ille. *Sed cum praedicatio devote auditur,* dicit Gregorius XXX. Moralium, quod *pro gratia auditorum datur – inquit – bonus sermo etiam malis doctoribus, ut Pharisaeis, de quibus dicitur: Omnia, quaecumque dixerint, facite.* 10 Haec ille. Secundo ex parte praedicatorum, ut sibi et aliis fructificent, oportet, quod sint ab omni peccato mundi. Unde dist. XXXV. „Sexto” in fine Ambrosius ait: *Qui Christum annunciat, ab omni vitiorum incentivo praestare se debet alienum.* Et ad idem dist. L. „Quid est hoc”, et c. „Cum exaudiero”. Nam secundum Antoninum Florentinum in Summa confessorum: *Quotiens quis in peccato mortali existens praedicat, totiens mortaliter peccat.* Ideo Chrysostomus dist. XL. „Multi” dicit: *Bene docendo et male vivendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* Secundo requiritur, ut sint sufficienter docti VIII. q. I. „Oportet”, quia dist. XXXVIII.: *Ignorantia (inquit concilium) mater est cunctorum errorum, maxime in his, qui docendi officium in populo Dei susceperunt.* Tertio ut sint charitate fervidi tam ad praedicandum verbo, quam ad aedificandum exemplo. Unde Gregorius VIII. Moralium: *Mens vitiiis et exterioribus occupata igne divini amoris non candet. Idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores nequeunt verba, quae frigiditate corde proferuntur. Neque enim res, quae in seipsa non arserit, alium accendit.* Haec ille. Idem Gregorius in Registro: *Quod per linguam praedicamus, per exempla destruimus, qui male vivimus.* Ad propositum beatus Antonius fuit magnae et praeclarae sanctitatis sapientiae et charitatis, ut in eius vita claret. Merito ergo praedicatio eius fuit multum acceptabilis et multum fructuosa et sibi maxime meritorea. Unde pro magnis eius meritis et praemiis confidere possumus, quod intercessor apud Deum pro nobis miseris obtineat. (D) Circa secundum principale de plenitudine spiritus sapientiae quaeritur: Qualiter anima sancta impletur sapientiae spiritu et gratia, ut sit perfecte sancta et Deo acceptissima. Ad quod respondetur secundum dictamina Hugonis De arca li. II. tit. VI. et li. III. per totum, qui dicit, quod *sapientia Dei – inquit – in cordibus sanctorum tamquam in Paradiso invisibili crescit sic vel his gradibus. Primo – inquit – seminatur per timorem. Secundo rigatur per gratiam. Quarto radicatur per fidem. Quinto oritur per compunctionem. Sexto crescit per desiderationem divinatorum et amorem. Septimo viret, frondet et ramos expandit per spem. Octavo floret disciplinam et morum honestatem. Nono fructificat per virtutis operationem. Decimo maturescit per perseverantiam. Undecimo carpitur per mortem. Duodecimo infertur ad*

*convivium mensae regis per Dei visionem.* Et haec ex verbis Hugonis breviter prosequi sufficiat paucis pro lucida claritate additis. Primo namque, ut dicit, sapientia Dei per timorem seminatur. Nam dicente Ps.: *Initium sapientiae timor Domini*, quia per timorem periculi declinat omnis homo a malo. Prover. XV. Bernardus super Cantica sermone I.: *Non aliud est vera et consummata sapientia, quam declinare a malo et facere bonum.* Secundo sapientia per gratiam rigatur, quia iam – inquit – a sordibus defaecatum spiritualis gaudii delectatione perfundere incipit, ut scilicet delectetur in Domino, et speret in eius bonitate. Tertio moritur per humilitatem, quia sicut semen germinare non potest, nisi prius in terra moriatur et computrescat, ita – inquit – nos germen bonum ferre non possumus, nisi prius moriamur mundo per humilem nostri cognitionem et dolorem. Quarto radicatur per fidem, qua fideles fundantur in Deo et Christo. Quinto exoritur per compunctionem, qua veritas in luctu et confessione manifestatur. Sexto crescit per desiderium, scilicet divinorum, per quod tamquam virgula fumi sursum tollitur caelestibus appropinquans et de terrenorum concupiscentia evaporans. Sicque homo totus spiritualis efficitur, et se ab humanis seducit aspectibus, et ad terrena concupiscenda ac carnalia horrescit. Unde Gregorius super Ezechielem: *Dulce est esse in humanis rebus, sed ei tantum, qui spiritualia non gustavit. Gustato autem spiritu desipit omnis caro.* Sicque ergo si quaeratur, quid est spiritus sapientiae, responderetur breviter, secundum quod dicit Auctor de spiritu, quod *non est aliud, quam amor delectabilis boni, scilicet Dei, et eorum, qui sunt ad Deum. Unde sapientia a sapore dicta. Visio enim mentis intelligentia est, gustus sapientia, illa contemplatur, ista delectatur.* Haec Auctor. Hinc Eccli. I.: *Dilectio Dei honorabilis sapientia.* 11 Et Richardus addit in expositione Isa.: *Omne caput languidum – dicit –, quod hoc dono sapientiae nil possidetur melius, nil ditius, nil tutius invenitur etc., et sic eius perfectio est in charitate et gratia.* Septimo tandem haec sapientia Dei viret, frondet et ramos suos expandit per spem, quae per studium bonae operationis servat virorem suum, quem amor Dei nutrit, ne arescat in hieme praesentis vitae per temptationes et adversitates. Octavo floret per floridos mores et pios exinde prodeuntes. Nono fructificat per virtutem. Fructus enim boni operis est virtus occulta rectae intentionis. Decimo maturescat per perseverantiam, qua bonum, quod inchoamus, usque in finem non deserimus. Undecimo per mortem carpitur, ut ad regis aeterni convivium transferatur. Et sic duodecimo cibat in vultus Dei visione. Unde Ps.: *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectatio in dextera tua* etc. 12 Haec secundum Hugo. Ad propositum: Beatus pater Antonius secundum hos modos sapientiae spiritu adimpletus fore dinoscitur, ut claret ex eius serie vitae prosequendo. (E) Legitur quippe, quod ipse gloriosus pater in civitate Ulixbona, sita in regno Portugaliae, in extremis mundi finibus, duxit originem ex parentibus honestis, habitantibus inibi propinquo limine imminente ostio templi Beatae Virginis Mariae, in quo beati Vincentii martyris corpus honorifice quiescit, qui in baptismo Fernandus vocatus litteris traditus et imbutus est. Tandem adolescens effectus sentire cum praeter solitum coepisset, motus illicitos in carne nequaquam frena voluptati laxavit, sed concupiscentiae habenas restrinxit timore Domini agitatus, tantamque gratiam a Domino est adeptus, ut anno circiter decimoquinto spretis mundi oblectationibus ad monasterium canonicorum regularium sancti Augustini inibi fundatum sumpto habitu devotius convolare, ubi annis fere duobus commoratus propter vitandum amicorum frequentiam obtenta superioris licentia ad monasterium Sanctae Crucis de Colimbria eius ordinis se transtulit, ubi tam carus Deo et hominibus vixit, ut in eo aedificarentur. Post haec autem fratrum minorum quinque martyrum reliquias a Marochio deportari accidit per dominum Petrum infantem, qui se liberatum miraculose per illorum merita promulgans, eorum gloriosa martyria narrabat. Quo audito beatus Antonius fervens spiritu prae desiderio martyrii decrevit intrare ordinem minorum, morantibus autem fratribus minoribus iuxta illam civitatem Colimbriam desiderium suum patefecit, qui libenter annuentes et spondentes, quod scilicet eum mitterent ad partes infidelium pro martyrii palma, consequentes susceperunt. Cui transeunti quidam concanonicus frater in amaritudine cordis dixit: „Vade, vade – inquit –, quia forsitan sanctus eris.” Ad quem vir Dei ait humiliter: „Cum me sanctum fore audieris, Deum collaudabis.” Veniens ergo ad ordinem minorum petiit sibi nomen mutari propter vitandam frequentiam parentum et amicorum requirentium importunitatem. Et sic mutato vocabulo Antonius sibi nomen imponitur. Tandem ardore martyrii flagrans, iuxta promissum licentiam petiit eundi ad terram Saracenorum. Quo itinere arrepto Deus occulto iudicio gravi morbo illum flagellavit per totum hiemis spatium, propter quod fraudatus desiderio compulsus est vi ventorum non prospere flantium applicari in Romandiolam. Instante quoque tunc capitulo, ministro Romandiola commendatus in omni disciplina, oratione et abstinentia, laboribus et vigiliis ac regulari observantia profecit mira humilitate, ut nulla prorsus litteraturae mentio ab eius ore personaret, sed scientiam omnem et intellectum in obsequium Crucifixi captivans peritior videbatur in abluendis scutellis et coquinae supellectilibus, quam in exponendis Scripturis. (F) Post multum vero temporis contigit pro suscipiendis ordinibus convenisse fratres ad Forlivii civitatem, ac praedicatores e diversis partibus, inter quos affuit Antonius. Instante quoque collationis hora congregatis ex more fratribus minister loci coepit supplicare fratribus praedicatorum de ordine, ut exhortationis gratia salutis verbum proponerent, illis se excusantibus, quod forent improvisi. Sic sicque aliis singularis recusantibus Spiritus instinctu convertit se minister ad fratrem Antonium praecipiens, ut quodcumque Spiritus suggereret, congregatis fratribus annuntiaret. Ipse vero totis viribus quoad potuit renitens, tandem ad clamorem omnium simpliciter loqui exorsus est. Et ecce Spiritu Sancto operante tanta prudentia brevi sermonis compendio multa disseruit, ut omnes in stuporem versi et sancta consolatione perfusi humilitatis meritum in servo Dei Antonio cum dono scientiae venerentur. Non multo post tempore minister generalis haec audiens iniunxit fratri Antonio praedicationis officium, in quo tandem tam ferventissime laboravit ob animarum zelum sine requie discurrens per civitates et loca praedicando, et confessiones audiendo ac docendo, ut usque ad solis occasum quam saepe ieiunus perseveraret, ex quo etiam continua aegrotatione fatigatus nihilominus toto posse insistebat verbi Dei labori. Quot lustraverit provincias, et terrarum partes verbi Dei semine repleverit, longum est enarrare. Nam cardinalium multitudo et ipse summus pontifex ardentissima devotione eius praedicationem audiebant. Nempe talia et tam profunda de Scripturis facundo eructabat eloquio, ut ab ipso domino papa familiari quadam praerogativa arca testamenti vocaretur. Haereticorum etiam turba non parva, inter quos haeresiarcha nomine Bonovillus ab annis triginta errore abductus per Antonium Domino operante ad veritatis viam redierat, tanta



quoque multitudo virorum ac mulierum confluebat ad eius praedicationem, ut ad spatiosa pratorum loca numero excrescente ambitus capacitatem oporteret statuere cathedram, medio quoque noctis tempore surgentes mutuo praevenire ad locum, ubi praedicabat, accensis luminibus festinabant omnis aetatis, sexus et conditionis homines, et tanto eius praedicationi intendebant, ut cum saepe triginta milia hominum assisterent, non murmur, non vox aliqua sonaret in tanta multitudine, beatum se putabat, qui de eius tunica aliquid praecidere vel fimbriam eius tangere poterat, ibi discordes ad pacem revocabantur, aliena quaeque restituebantur et usurae, meretrices et famosi malefactores convertebantur. Et tanta multitudo ad confitenda peccata mittebatur, ut nec fratres, nec sacerdotes alii, quorum non parva sequebatur frequentia, ad audiendum confessiones sufficerent. Dicebant plerique, quod divina visione commoniti ad audiendum Antonium et eius consiliis obtemperandum venire habuissent in mandatis. Ecce quanta gratia, ecce quantus fructus eius praedicationis, necdum plene potuimus dicere. (G) Circa tertium de gloria eius beatitudinis sit pro conclusione, quod beati patris Antonii praecellentissima claret gloria per lucida plura miracula. E quibus, quia non sufficimus omnia, aliqua saltem narremus. Primo quidem in vita claruit miraculis, quorum unum est, quod antiquus hostis volens eum a proposito fervidae praedicationis impedire, nocte quadam in principio quadragesimalis praedicationis nisus est guttur viri Dei violenter comprimere et suffocare. At ipse invocato Virginis Gloriosae nomine fronti signum vivificae crucis impressit. Fugatoque generis humani inimico confestim oculos de somno surgens aperuit. Et ecce tota cella, in qua iacebat, luce caelitus illustrata fulgebat, cuius radios ferre diabolus nequiens confusus recedebat. Fertur etiam, quod Beata Virgo sibi in cella cum lumine multo apparuit, et magno angelorum comitatu, inter quos etiam beatus ac gloriosus aderat Hieronymus. Ipsam quoque Gloriosissimam Virginem Antonius salutando genuflexo petiit, ut ipsum certum redderet de corporis gloriosa assumptione, et tunc Beata Virgo certificavit eum dicens, quod secure praedicaret ipsam Virginem corpore et anima fore plene glorificatum et in caelum assumptam. Cumque Antonius dixisset: Cur ergo beatus Hieronymus de hoc dubitandum in sermone de assumptione dixerit, Virgo respondit, quia Hieronymus de hoc nondum fuit certificatus, et ideo non est ausus id affirmare. Illico beatus Hieronymus ait: „Mea – inquit – dubitatio fuit occasio, ut ipsa Domina nostra, Virgo Beata pluribus revelaret, quoniam corpore glorioso et anima est assumpta.” Sicque visione disparente Antonius multum consolatus remansit. (H) Aliud quoque miraculum, dum praedicaret Ariminiae sanctus Antonius, tunc aderat quidam haereticus, qui non sane sentiens de corpore Christi in contemptu illius, hostias non consecratas saepius asino suo praebebat in cibum, quem cum Antonius persuaderet in fide veritatis, et ille recusaret, convenit cum eo, ut de hoc experientia fieret sic, quod per dies tres asinus suus praedictus sine cibo transiret, et die tertia in foro celebrata missa ab Antonio reservatoque sacramento illud inter hostias non consecratas reponeret, atque hoc modo asinus famelicus invitaretur ad pabulum. Quod cum factum fuisset coram multitudine maxima, animal illud appropinquans sportae, in qua corpus Christi inter hostias non consecratas reverenter erat reconditum, ecce divino miraculo cognovit Dominum suum, et caput et pedes inclinans humiliter adoravit, neque curavit de cibo, quo indigebat. Cumque verberibus ab haeretico angeretur et traheretur et volveretur, semper faciebat adorando, ut prius, ob quod haeretici ad fidem redierunt, et Antonius gratias Deo egit. Item aliud miraculum, quod dum multi haeretici Antonio in quadam civitate detraherent, et populum a praedicatione averterent, beatus Antonius ad litus inibi maris accedens praecepit pisces convenire, et ecce per turmas venientes audierunt eum praedicantem, nec eorum maiores impediabant, ut solent, minores, et tandem benedicens eis abierunt, aspicientibus haec cunctis et mirantibus. Propter hoc ergo miraculum et etiam propter illud aliud descriptum primo articulo sermonis 13 immediate ante litteram „C” beatus Antonius piscem gestare depingitur. (I) Secundo in morte claruit miraculis. Nam obitum suum longe ante praescivit, ne tamen fratres desolatos reddere celavit. Et decimo quinto die ante mortem, cum esset super quendam collem constitutus, amoenam Paduae planitiem aspiciens exsultans spiritu ad fratrem itineris comitem conversus praedixit in proximo civitatem Paduanam honore magno decorandam, quod impletum est per eius sacri corporis reliquias et merita. Tandem anno Dominicae incarnationis MCCXXXI. die XIII. Iunii, cum esset destitutus viribus crescente infirmitate, facta confessione hymnum *O Gloriosa Domina, excelsa super sidera* etc. cantare coepit. Quo finito erectis mox in caelum oculis directe prolixius respiciebat, quem frater sustentans, quid cerneret, interrogavit. Et ille respondit: „Video Dominum meum.” Cumque fratres oleo sacro eum ungere venissent, ait: „Non est necesse, habeo enim unctionem hanc intra me. Verumtamen bonum est, et mihi bene placet.” Quibus finitis ecce anima illa sanctissima carne soluta in aeternam claritatem est absorpta, cuius transitum fratres celantes, ne populorum premerentur incursu, ecce pueri per civitatem catervatim incedentes clamabant dicentes: „Mortuus est pater sanctus, mortuus est sanctus Antonius”, ad quod omnes populi accurrentes, lamentum sumunt dicentes: „Quo, reverende pater, progredieris a nobis, filiis tuis? In Christo enim Iesu tu nos per evangelium genuisti.” Talibus vocibus in aera levatis cunctorum animos ad luctum invitabant. Tandem tanta populorum multitudine concurrente, ut per medium civitatis incedere non valeret multus cum cereis et luminaribus, ut quasi civitas ardere videretur, episcopo Paduano missarum sollemniam celebrante corpus beati Antonii summo honore traditum est sepulturae. Haec causa brevitatis omissis multis sufficiant. Tertio post mortem claruit plurimis miraculis per orbem. Statim enim die eadem allati sunt multi variis infirmitatibus detenti, qui mox beati Antonii meritis sunt sanitati restituti, paralytici, caeci, claudi atque surdi, aluti 14 Graecum? invocantes, ibi claudus sicut cervus saliebat, lingua mutorum laudes clamabat, paralytici, gibbosi, contracti et innumerabiles alii languidi, mortui et infirmi sunt liberati. Unde canitur de eo: *Si quaeris miracula, mors, error, calamitas, daemon, lepra fugiunt, aegri surgunt sani, cedunt mare, vincula, membra resque perditas petunt et accipiunt iuvenes et cani, pereunt pericula, cessat et necessitas, narrent hi, qui sentiunt, dicant Paduani.* O ergo beatissime pater Antoni, ora pro nobis, ut detur gratia et gloria.



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo X.] De sancto Iohanne Baptista Sermo primus, scilicet de celebri eius nativitate ac praerogativa nobilitatis *Multi in nativitate eius gaudebunt, erit enim magnus coram Domino*. Haec verba dixit angelus annuncians Iohannis nativitatem. Luc. I. 1 (A) Quibus insinuat, quod nativitas beati Iohannis multum gaudiosa foret omnibus Deum diligentibus. Primo quidem eius patri et matri, quia per eum gratia mirabilis prophetiae sunt impleti. Nam pater de eo prophetavit dicens: *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis enim ante faciem Domini*, etc. 2 Et Elisabeth prophetavit Beatae Virgini Mariae dicens: *Beata, quae credidisti, quia perficientur in te ea, quae dicta sunt ab angelo*, 3 et ipsam matrem esse Dei recognovit, propter quod angelus dixit Zachariae: *Erit tibi gaudium et exultatio*. Patet Lucae, quo supra. 4 Secundo quoque gaudium erat vicinis et cognatis, qui omnes congratulabantur eius nativitati, ut idem evangelista testatur. Inter quos magnum utique gaudium habuit ipsa gloriosissima Virgo Maria, quia per eius vocem primo auditam mox sanctificatus est et miraculis pluribus clarificatus, ad Dei gloriam nascebatur, ut praecurrendo annunciaret mundo Christum, Dei Filium. Tertio gaudium erat angelis Dei, qui gaudent super uno peccatore poenitentiam agente, Luc. XV. 5 Quanto magis super tali sancto, per quem convertendi erant multi peccatores ad Dominum Iesum, Luc. I. 6 Insuper quarto gaudium erat ipsi Christo Domino, cui praecursor talis et tantus suae gratiae dono nascebatur, et suus adventus mundo annunciabatur. Unde merito hodie totus mundus gaudium ostendit. Etiam apud infideles, quia dicente Lyra etiam a Saracenis et aliquibus aliis festivatur dies eius nativitatis. Hinc Ambrosius in homilia: *Habet sanctorum editio laetitiam plurimorum, quia commune est bonum*. Iustitia enim communis est virtus, et ideo in ortu iusti futurae vitae insigne praemittitur. Multo autem fortius hodie gaudendum est Christiano in Christo, et gratiae sunt agenda, quod talis ac tantus Deo carus pro nobis intercessor nascitur apud Christum, quo *maior non surrexit inter natos mulierum*, 7 teste Salvatore. Ecce ergo impletum est verbum hoc angeli dicentis: *In nativitate eius multi gaudebunt, erit enim magnus*. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone: · Primum dicitur natalis celebritatis, ibi: *In nativitate eius multi gaudebunt* · Secundum nobilis dignitatis, ibi: *erit enim magnus* · Tertium dicitur caelestis felicitatis, *coram Domino* – inquit (B) Circa primum de celebritate nativitatis Iohannis Baptistae quaeritur: Quare nativitatem sancti Iohannis Baptistae celebrat Ecclesia sollemni festivitate. Rationem quaestionis tangit Augustinus in sermone hodierno dicens: *Post illum sacrosanctum Domini natalis diem nullius hominis nativitatem legimus celebrari, nisi solam Iohannis Baptistae* (et a fortiori ex hoc sumitur argumentum de nativitate Virginis Mariae celebranda). Subdit Augustinus: *In aliis sanctis et electis Dei novimus illum diem coli, quo illos post consummationem laborum et devictum triumphatumque mundum in perpetuas aeternitates praesens haec vita parturivit. In aliis consummata ultimi diei merita celebrantur. In hoc etiam prima die ipsa Iohannis initia consecrantur*. Haec Augustinus. Ad haec respondetur per conclusionem, quod Sancta Ecclesia celebrat convenientissime natalem Iohannis Baptistae multiplici ratione secundum Autissiodorensem aliosque doctores: · Prima ratio miraculosae conceptionis · Secunda ratio dignissimae sanctificationis · Tertia ratio gaudiosae dedicationis · Quarta ratio salvificae instructionis Prima ratio propter miraculosam conceptionem. Tres enim sunt potissimi sancti miraculose nati vel concepti. Primus est Christus, qui de virgine est natus. Secunda Beata Virgo Maria, quae ad preces et oblationes nata est ex sene patre et sterili matre, secundum quod dicit Hieronymus et Damascenus. Tertius est Iohannes Baptista, qui etiam de sene et sterili utroque parente est natus. Unde in eius nativitate plurima sunt facta miracula. Primum est, quia ab angelo Gabriele est praenunciatus. Secundum, quia divino miraculo potentia generandi suis parentibus data est conceptus. Tertium, quia eius pater cum petivisset signum, miraculose factus est mutus usque ad diem suae nativitatis. Quartum, quia in utero positus Christum in utero Virginis Mariae existentem agnovit et exsultavit. Quintum, quia ex infusa sibi gratia divinitus in suam matrem spiritus prophetiae redundavit. Sextum, quia eius nomen (quod scilicet deberet vocari Iohannes, ab angelo est annunciatum patri et eius matri) fuit miraculose revelatum a Deo, quia ipsi hoc maritus non potuit indicare, cum esset mutus. Septimum, quia cum circumcideretur puer Iohannes, ipsius patri est loquela miraculose restituta, et prophetavit dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit redemptionem plebis suae*. Patent haec Luc. I. 8 Ex quo ergo multis miraculis nativitas Iohannis est illustrata, idcirco merito Ecclesia celebrat nativitatem eius, sicut et nativitatem Beatae Virginis Mariae ac nativitatem Christi. (C) Secunda ratio propter dignissimam sanctificationem, quia *Iohannes ante est sanctus, quam natus*, ut dicit Augustinus. Nam cum esset in utero materno sexto mense, fuit sanctificatus, quod praedixit angelus dicens: *Et Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suae*, 9 scilicet quoad purgationem originalis peccati et ad operationem boni meritorii, secundum Lyram. Et haec dignitas sanctificationis fuit magna et praecellens praerogativae, scilicet respectu sanctificationis aliorum. Nam in Veteri Testamento legitur sanctificatus praecipue Ieremias propheta, Iere. I.: *Prius, quam te formavi in utero, novi te, et antequam exires de ventre, sanctificavi te*. 10 Secundo in Novo Testamento legitur Iohannes Baptista. Et tertio ex hoc arguunt doctores de Beata Virgine Maria, quod multo fortius ipsa fuerit prae ceteris sanctificata, iuxta illud Ps.: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, 11 et hoc secundum nostros doctores praeservando eam ab originali macula. Et datur inter haec differentia, quia Ieremiae fuit praestitum in sanctificatione, ut mundaretur ab originali peccato, et quod numquam mortaliter peccaret, sed venialiter in pluribus peccavit. Iohannes autem Baptista secundum Thomam de articulis fidei fuit sic sanctificatus, quod a peccato originali fuit mundatus, et praestitum sibi fuit non peccare mortaliter, sed venialiter, quamvis (ut creditur) rarius, peccavit, etiam in venialibus paucioribus. Unde de eo canit Ecclesia: *Antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti, ne levi saltem maculare vitam fame posses*. Sed quamvis propter hoc in desertum fugerit, ut vitare posset omne vitium, tamen ex hoc non habetur, quod aliquando, licet in minimis et rarissime, non offenderit venialiter, nec audemus dicere, quod umquam venialiter peccavit Iohannes, eo quod Augustinus li. de natura et gratia praeter solam benedictam Virginem Mariam nullum excipit ab illa generali regula. I. Ioh. I.: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas*

*in nobis non est.* 12 Beata autem Virgo Maria ita sanctificata fuit, quod nec mortaliter peccare potuit, nec venialiter. Unde propter dignam sanctificationem celebratur Iohannis nativitas, sicut et Beatae Virginis Mariae excellentius sanctificatae. (D) Tertia ratio propter gaudiosam dedicationem. Sunt enim nativitates isti tres pro gaudio totius mundi dedicatae, ex omnibus nascentibus hominibus cum tristitia et ploratu, ut claret. Primo pro totius mundi gaudio dedicata est nativitas Christi, iuxta illud Lu. II. angeli dictum: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est nobis Salvator Christus.* 13 Secundo dedicata est nativitas Virginis Mariae pro totius mundi gaudio, iuxta illud, quod canit Ecclesia: *Nativitas tua, Dei genetrix Virgo, gaudium annunciat universo mundo, ex te enim natus est sol iustitiae, Christus, Deus noster.* Tertio nativitas huius Iohannis, quia praecurrendo Salvatorem toti mundo nunciavit gaudium, ideo angelus dixit: *In nativitate eius multi etc.* 14 Unde Augustinus in sermone: *Ipsa Iohannis initia consecrantur, pro hac absque dubio causa, quia per hunc Dominus adventum suum, ne subito insperatum homines non agnoscerent, voluit esse testatum, scilicet ad totius mundi gaudium, ergo convenienter celebrantur pro gaudio.* (E) Quarta ratio salvificae instructionis. Nam ex hoc, quod nativitates istorum specialissimorum sanctorum, scilicet Christi, Mariae et Iohannis Ecclesia celebrat gaudiose, instruimur, quid et qualiter ad gaudia sempiterna, ad quae sancti, scilicet ipsi pervenerunt, et nos eorum exemplo et imitatione pervenire possimus per nativitatem spiritualem. Est quippe nativitas secundum Isidorum quaedam corporalis, qua nascitur ad hanc miseram vitam. Et haec quibusdam est ad salutem consequendam, quibusdam pro suis peccatis cedet ad damnationem. Secunda est nativitas spiritualis, qua homo per Spiritus Sancti gratiam nascitur in Deo. Ioh. I.: *Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* 15 Lyra: In quantum homines recipientes gratiam trahuntur quodammodo ad naturam divinam, quia per donum gratiae efficiuntur *consortes divinae naturae*, ut dicitur II. Pet. I. 16 Sicut enim ferrum ignitum totum convertitur in ignem, sic homo per gratiam in Deum. Et per contrarium homo peccando mortaliter nascitur ex diabolo et in diabolium, iuxta illud Ioh. VIII.: *Vos ex patre diabolo estis, et ideo opera eius vultis facere.* 17 Et I. Ioh. III.: *Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.* 18 Tertia est nativitas caelestis, quando in hora mortis nascimur in caelum. Unde sanctorum mors natale vocatur. Ut ergo fideles instruantur, qualiter exemplo sanctorum et praecipue beati Iohannis in caelum nascentur, tripliciter sollempnizare solet Ecclesia hanc nativitatis Iohannis diem. Primo vigiliam ieiunando, quod secundum Innocentium de observantia ieiunii et communiter doctores dicitur praeceptum ex Ecclesiae universali consuetudine, licet iure non inveniatur expressum. Nam secundum Richardum in IV. dist. XV.: *Ieiunium consuetum, etiam si non sit per ius scriptum expresse praeceptum, nihilominus est observandum ab existentibus in illa regione, ubi est consuetum.* Sed quare vigilia festi ieiunatur in Ecclesia, nisi ut doceamur, quod poenitentiae opera poenalia debemus sufferre in praesenti, si volumus in futuro cum sanctis festivare vel gaudere, sicut et Iohannes fecit ac docuit. Unde Salvator Matth. XI. ait: *A diebus Iohannis regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* 19 Lyra: Non enim potest homo natus in terra rapere caelum, nisi sibi faciat violentiam coercendo a delectabilibus proprium appetitum. Secundo sollempnizat Ecclesia festum Iohannis hodie ignem vel faculas ar dentes faciundo. Primo pro repraesentando, quod Iohannis ossa fuerunt combusta in Sebaste civitate, quae fuit olim Samaria, excepto digito, quo monstravit Christum, qui comburi non potuit in illo igne, et haec combustio facta fuit ab infidelibus iubente Iuliano Apostata, eo quod ad eius tumulum multa miracula fierent. Secundo ad significandum, quod iuxta Christi dictum ipse erat lucerna ardens et lucens, in quo docemur ipsum imitari in lumine fidei et ardore charitatis, ut possimus in caelo congaudere. Unde Bernardus in sermone hodierno: *Quid prodest Iohannem praeconiis tot et tantis extollere, si negligimus ipsum in moribus imitari? Tales essemus, sicut qui laudant pugilantes, et ipsi pugnare non audent.* Tertio sollempnizat Ecclesia festum Iohannis octavas celebrando, quo docemur perseverare usque in finem vitae temporis numero septenario dierum et aetatum currentis, ut ad octavum felicitatis, quae post hanc vitam promittitur, perveniamus, quoniam dicente Salvatore Matth. XXIV.: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* 20 O ergo homo Christiane, recogita haec in hodierna celebritate. O peccator, noli perire cum diabolo, sed sanctos imitari stude poenitentiam agendo, praecepta fidei ac charitatis servando et perseverando. (F) Circa secundum principale de nobilitate, qua Iohannis nativitas exstitit, de munere illustrata sit pro conclusione, quod ipsa Iohannis nativitas hodierna mira nobilitatis praerogativa a Deo exstitit illustrata contra plurima incommoda, quae homo communiter incurrit ex culpa. Declaratur ex pluribus incommodis et defectibus, quibus nascimur. Primus defectus, quia homo nascitur in immunditia, scilicet peccati, et ira, scilicet Dei ac beatorum angelorum, Eph. II.: *Omnes nascimur – inquit – filii irae.* 21 Ex hoc claret in pueris, qui sine baptismo moriuntur, quod Deus numquam admittet ad visionem suae faciei, nec assumuntur ad consortium angelorum, et hoc propter immunditiam peccati originalis, de quo Ps.: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* 22 Unde Bonaventura in quodam sermone dicit: *Vae nobis hominibus, quia in peccatis nascimur, in peccatis vivimus, in peccatis morimur, et nescimus, utrum salvabimur aut damnabimur.* Si autem primi parentes contra Deum non peccassent, nil horum incurrissemus, sed in innocentia nati fuisset, et in ea vixissemus, ac vivi in patriam translati fuisset, nec damnationis aeternae periculum timissemus. Nam ut Gregorius IV. Moralium dicit: *Si parentem primum nulla putredo peccati corripuisset, nequaquam ex se filios gehennae generasset. Sed hi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli electi ab eo nascerentur.* Haec ille. Contra hunc defectum peccati originalis in nativitate Iohannes speciali praerogativa sanctus fuit. (G) Secundus defectus, quia homo nascitur plorans cum vagitus maestitia. Nam Solinus De mirabilibus mundi li. II. c. VIII. dicit: *Nascentium vox prima vagitus est.* Nam laetitiae sensus vel signum differtur usque in quadragesimum diem. Solus enim Zorastes, qui postea rex fuit Babyloniorum, eadem hora, qua natus est, legitur risisse, nec hoc in natura ei bonum praetendebat, futurus enim fuit magicarum artium primus inventor. Sed unde vel quare est hoc, quod pueri recenter nati plorant, et usque quadragesimum diem laetitiae vel iucunditatis signa non ostendunt? Respondetur, quia nascuntur ad miseriam. Ista enim communis cantilena omnium prima A vel E, et sic masculi deplorant Adae peccatum et miseriam eius, feminae Evae offensam et ignominiam. Unde Bernardus De consideratione li. II. dicit, quod homo ideo nascitur cum fletu, quia *brevi vivens tempore repletur multis miseriis.* 23 Si ergo quaeratur: Quis est, qui mox prophetat, antequam loquitur?



Respondet Augustinus, quod puer nondum loquitur et prophetat, scilicet ploratu, quod iam ad miseriam nascitur et morte amara finietur. Et tunc etiam quilibet in ultimo exhalationis spiraculo habet dolorosam secundam cantilenam finalem, videlicet FF, qua efflat spiritum suum. O ergo quam stulti, qui haec duo extrema vitae miserabilis non bene curant, ut poenitentiam agant, sed ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad Inferna descendunt, Iob XXI. 24 O vere *beati, qui lugent* horum recordantes, *quoniam ipsi consolabuntur*, Matth. V. 25 Nam si Adam non peccasset, iucundi nati fuisset in Paradiso sine omni dolore parentum, et vixissemus sine miseria numquam morituri. Nunc autem pro exsulatu miseri nascimur et ploramus. Unde Maximus in sermone dicit sic: *Nullus ignorat omnem parvulum materno ab utero prodeuntem maestis concrepare vagitibus*. Solus Iohannes Baptista ultra legem communem laetitiae exultatione nativitate suam praevenit, qui priusquam nasceretur, prophetavit. (H) Tertius defectus, quia homo nascitur cum stultitia. Nam ignorat bonum et malum. Prover. XXII.: *Stultitia colligata est in corde pueri*. 26 Et hoc propter carentiam usus rationis. Sed quaeritur de statu innocentiae: Numquid tunc pueri nati mox usum rationis et membrorum habuissent? Ad quod responderetur secundum Magistrum et doctores communiter in II. dist. XX., quod pueri in Paradiso nati fuissent parvuli membris, et suo modo sensu ac intelligentia imperfecti, ut in illis exspectaretur aetas ad ambulandum et loquendum, sicut et in nobis modo, et sic per intervallum temporis sensum et cognitione proficiebant usque ad perfectum. Et ut dicit Augustinus ibidem: *Licet Deus potuerit eis praestare, quod multis animalibus praestitit, quorum pulli quamvis sint parvuli, tamen mox ut nascuntur, currunt et matres sequuntur*. Tamen communiter doctores dicunt, quod homo eis praestitum non fuisset, ut mox nati usum membrorum plenum et rationis habuissent. Et hoc fuisset in eis non propter vitium naturae, sicut in nobis, sed pro conditione naturae nobilisque complexionis et tenerrimae in pueritia. Verumtamen putatur, quod in ipsis usus membrorum et rationis fuisset acceleratus, ut non exspectaretur tanta aetas ad haec, sicut in nobis. Beatus Iohannes in hoc exstitit privilegiatus, quia in utero positus Dominum Iesum in utero Virginis positum cognovit et exultavit, et sic secundum quosdam usus rationis tunc in eo acceleratus fuit instinctu Spiritus Sancti, sicut canitur in officio: *Acceleratur ratio in puero nondum nato instinctu Sacri Pneumatis sibi dato, novit praesentem Dominum in Virgine clam latentem, adoravit cum iubilo*. De hoc latius sermone IV. „G”. (I) Quartus defectus, quia homo nascitur communiter cum imbecillitate et impotentia, adeo quod puer natus in nullo se possit iuvare vel defendere, ut videmus. Quaeritur: Numquid in Paradiso potuisset se homo in pueritia a nocivis iuvare vel cavere. Responderetur secundum doctores super II. ubi supra, quod primo et principaliter per divinam providentiam postquam per parentum curam et per propriam tandem prudentiam ibi homo praeservatus fuisset, ne pateretur laesionem ab aliquo duro, puta gladio, ligno, lapide, ferro vel alio extrinseco, ut aestu, frigore vel acre et aliis. Divina enim providentia sic tuebatur, ut nil ei occurreret ex improvise, a quo laederetur, et sine laesione sensisset calorem et frigus in maxima temperantia pro congruitate sanitatis. Beatus Iohannes tantam Dei dono fortitudinem et potentiam virium accepit, ut in utero matris se exultando moveret ad Christum adorandum. Et tandem quinquennis, vel secundum alios septennis puerulus desertum intraret et ibi eremiticam vitam usque ad tricesimum annum duceret, nec tam tenera natura in tanta laederetur asperitate in arduo antro deserti manendo inter feras et bestias ac scorpiones sociatus, locustis et melle silvestri et aqua sine pane et omni cocto vel potu inebriativo pastus, dura et aspera veste non calefactiva, scilicet de pilis camelorum indutus. O ergo homo, qui delicate nutris corpus tuum in vitiis, cum sis viribus fortis, non vis ieiunare, etiam quando teneris, vide, quomodo in iudicio confunderis per hunc puerum. (K) Circa tertium principale de felicitate. Pro conclusione sufficiat illud, quod Ecclesia canit dicens: *O nimis felix meritiq; celsi nesciens labem nivei pudoris praepotens martyr eremique cultor, maxime vatum. Serta ter denis [alios coronant] aucta crementis duplicata quosdam trina centeno cumulata fructu te, sacer, ornant*. Patet in hymno. Ad quod applicentur miracula. Legitur, quod eius intercessione Deus defendit terram vel civitatem ab hostibus. Nam ut habetur in legenda, regina Longobardorum construxit ecclesiam in honore sancti Iohannis Baptistae. Cumque procedente tempore Constantinus imperator invadere disponderet illam terram, de exitu belli consuluit quendam virum sanctum, cui oranti nocte responsum est: Iohanni regina ecclesiam construxit, et ipse pro Longobardis continue intercedit, et ideo superari non possunt. Hoc idem miraculum testatur Paulus in historia Longobardorum. Item eius intercessionem invocando iuvat in periculo mortis. Nam refert Gregorius in III. li. Dialogorum de quodam presbytero, nomine Sanctulo, quem Longobardi adiudicaverunt neci caput plectendum, et ad id perficiendum elegerunt fortem virum lictorem, cuius cum gladium vidisset Sanctulus, dixit publice: „Sancte Iohannes, suscipe ictum.” Et ecce statim manus carnificis in alto riguerunt, ut gladium nullatenus movere posset. Mirantur de hoc Longobardi, iussus, ut surgeret Sanctulus, surrexit, petitusque, ut ipsum carnificem sanaret, praestito iuramento, quod de cetero nullum Christianum feriret, ipsum carnificem vir Dei Sanctulus orando sanavit, et statim brachia deposuit. Haec sufficiant. O ergo carissimi, accedamus humiliter supplicantes, ut Iesus ipsius beati Iohannis meritis et precibus det nobis gratiam in praesenti, et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Lc 1,14,15 2 Lc 1,76 3 Cf. Lc 1,45: ...beata, quae credidit, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt ei a Domino. 4 Lc 1,14 5 Cf. Lc 15,10 6 Cf. Lc 1,16,17 7 Mt 11,11 8 Cf. Lc 1,68: Benedictus Deus Israhel, quia visitavit et fecit redemptionem plebi suae. 9 Lc 1,15 10 Ier 1,5 11 Ps 45,5 12 I Io 1,8 13 Lc 2,10 14 Lc 1,14 15 Ioh 1,12 16 II Pt 1,4 17 Ioh 8,44 18 I Io 3,8 19 Mt 11,12 20 Mt 10, 22 21 Eph 2,3 22 Ps 50,7 23 Cf. Iob 14,1 24 Iob 21,13 25 Mt 5,5 26 Prv 22,15

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XI.] De sancto Iohanne Baptista Sermo secundus, scilicet de eius magnitudine sanctitatis *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista*. Matt. XI. ca. 1 (A) Verba sunt Redemptoris nostri, quibus sanctitatem Iohannis magnam commendat Christus, quod pertinet ad maximam laudem Iohannis, quia ut ait Apostolus II. Cor. X.: *Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*. 2 Magnum quippe est, quod Iohannes laudatus est et

magnus reputatus a sanctis hominibus in terris, scilicet a patre suo dicente: *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis enim ante faciem* etc. 3 Et a vicinis et cunctis audientibus miracula in eius nativitate dicentibus: *Quis putas puer iste erit* etc. 4 Sed multo maius est, quod ab angelo Dei Gabriele commendatur fore magnus dicente: *Erit enim magnus coram Domino*. 5 Maximum vero est, quod ab ipso Altissimo Filio Dei, qui omnia novit, et prima veritas est, praedicatur et commendatur Iohannes fore maximus inter omnes quasi cum iuramento, ut haec commendatio reddatur magis probata et gloriosa ac firma, dicendo: *Amen dico vobis, non surrexit maior* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone, secundum quod commendatur de tribus magnaliis: · Primo de magna sanctimonia, ibi: *Non surrexit maior* · Secundo de magna gratia, ibi: *Iohanne*, quod interpretatur: in quo est gratia · Tertio de magna gloria, quia baptista Christi. Et quia hoc sequitur ad priora (B) Circa primum de sanctitate magna Iohannis quaeritur, utrum Iohannes Baptista prae ceteris sanctis sit maior iuxta haec verba Salvatoris: *Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne*. Quibus clare excipitur Virgo Maria, per hoc, quod dicitur: *inter natos*, sub genere masculino. Et Christus in hoc, quod dicitur *mulierum*, non virginum, secundum Rabanum. Sed utrum omnibus aliis post hos sit maior, est dubium. Declaratur. Aliqui enim sunt, qui praeferunt Iohannem Baptistam omnibus post Christum et Beatam Virginem Mariam propter verba praedicta Salvatoris, super quae Chrysostomus dicit sic: *Puto – inquit –, quod omnes sancti quantum ad subtilitatem divini iudicii invicem sibi sunt aut inferiores, aut priores*. Ex quo intelligimus, quoniam qui maiorem se non habet, omnibus maior est. Et infra dicit, quod Iohannes omnibus sanctis est maior, cui solus Christus est prior. Suo modo simili sentit etiam Bernardus in sermone hodierno ex ipsis verbis Christi. Sed ipsa verba Christi non cogunt sic credere, quod Iohannes Baptista sit simpliciter maior omnibus aliis, quia Lu. VII. dixit Christus sic: *Dico enim vobis, maior inter natos mulierum propheta Iohanne Baptista nemo est*. 6 Ex quo claret, quod ista comparatio facta est quo ad prophetas praecedentes. Unde Hieronymus super Matth.: *Non ceteris prophetis et patriarchis cunctisque hominibus praetulit Christus Iohannem, sed ipsum ceteris coaequavit*. Lyra etiam dicit, quod Christus non negat, quin aequalis surrexit inter natos mulierum. Et hanc sententiam communiter doctores sequuntur. Item alii opinati sunt, quod Petrus apostolus sit maior, quia ipsum Christus praefecit toti Ecclesiae Christianae, quam adeo dilexit, ut seipsum pro eius redemptione tradiderit in mortem. Sed electio debet esse secundum sanctitatis praeeminentiam, peccat enim, qui non eligit meliorem ad quamcumque ecclesiasticam praelationem, ut patet per Hieronymum VIII. q. I. „Licet ergo”. Unde Petrus videtur sanctior. Sed nec istud cogit sic credere, quia eligi debet ad praelationem non ille, qui est simpliciter melior vel sanctior, sed qui est melior secundum quid, hoc est pro tali praelatione administranda. Nam potest quis esse melior et sanctior secundum Deum, qui tamen non est melior pro praelationis officio. Patent haec secundum Henricum de Gandavio in IV. Quodlibeto q. XXXII. et communiter alios doctores. Unde Petrus erat inter apostolos melior ad praelationem, qui licet peccaverit Christum negando, nihilominus ipse est electus, quia pro aetate et regimine Ecclesiae ipse erat aptissimus. Denique alii opinati sunt, quod Iohannes evangelista et apostolus sit maior omnium, quia a Christo exstitit praedilectus omnibus et in fratrem adoptatus ac sanctissimae suae matri in filium commendatus. Sed constat, quod qui est melior et sanctior, ille est coram Deo acceptior et amabilior, cum *magis bonum sit magis diligendum*, VI. Topicorum, ergo etc. Sed nec istud cogit, quia Christus Iohannem evangelistam magis dilexit prae ceteris, hoc fecit propter significationem secundum Bonaventuram super III. dist. XXXII. q. et ar. ultimo. Nam per Iohannem significari voluit vitam contemplativam, quae permanet, et activam, quae transit, per Petrum, ut Augustinus in homilia super Ioh. ait. Unde Petro dictum est: *Sequere me*, 7 scilicet in actionibus laboriosis. Iohanni vero: *Sic eum volo manere* 8. Et quia contemplativa vita est iucundior et dulcior, ideo ad significandum differentiam huius vitae duplicis Christus familiarius exhibuit se Iohanni, quam Petro, et in huius etiam signum commisit matrem Iohanni, sed curam pastorem Petro. Et sic patet. (C) Pro responsione ergo ad quaestionem noto tres praecipuas regulas ex dictis Bonaventurae ubi supra et aliorum colligendo. Prima regula dicitur divinae charitatis, scilicet quod quicumque finaliter maiorem charitatem habuit in terris, ille est altior sanctus in caelis. Et hoc – inquit Bonaventura – dico quantum ad magnitudinem praemii substantialis, quae respondet radici charitatis. Nam quantum ad decorem aureolae, quae respondet continentiae virginali, non est inconueniens Iohannem praeponi Petro, vel etiam alium virginem multo inferioris sanctitatis. Similiter in aliis accidentalibus non est inconueniens Iohannem Baptistam esse maiorem istis, scilicet in sanctificatione in utero, in innocentiae puritate, in austeritate vitae et consimilibus. Sed quoniam *essentiale multo dignius et melius est accidentali*, ut patet VII. Metaphysicorum, ergo magnitudo sanctitatis potissime consistit in magnitudine charitatis, cui respondet praemium essenziale. Hinc Bernardus super Cantica sermone XXVIII. dicit: *Quantitas cuiusque animae extimatur de mensura charitatis, quam habet, verbi gratia: quae multum habet charitatis, magna, quae parvum, parva, quae nil, nihil est*. Haec ille. Et sic patet haec regula. (D) Secunda regula dicitur indiffinibilitatis, scilicet quod quis sanctorum maior sit in conspectu Dei, non potest in hac vita sciri, non debet temere diffiniri, sed in gloria futura habet videri. Unde Bonaventura ubi supra dicit, quod *secundum quod aliqui diversimode afficiuntur, praeponunt Iohannem Petro, et consimiliter quemcumque eorum alteri. Alii sentiunt e converso. Si quis eorum apud Deum fuerit carior, finaliter hoc melius sciemus in gloria, et melius est exspectare, quam hoc temere diffinire*. Haec Bonaventura. Et ratio, quia non possumus scire gradum charitatis eorundem, unde non debemus de hoc curare, quis sanctorum sit maior, sed conandum est nobis eorum quemlibet ut possumus imitari in virtutibus, quoniam ut ait Augustinus in sermone de martyribus: *Qui sanctos in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire*. Ad id autem legitur miraculum in legenda vitae sancti Iohannis Baptistae, quod erant duo doctores theologi, quorum unus Iohannem Baptistam, alter Iohannem evangelistam praeferebat. Tandem super hoc disputatione proposita quilibet valde sollicitus erat auctoritates et efficaces rationes pro sua probatione invenire. Adveniente autem disputationis die quilibet sanctorum aemulatori suo apparuit dicens: „Bene concordem sumus in caelis, de nobis non disputetis in terris.” Tunc illi sibi adinvicem et etiam in populo publicaverunt, et Deum benedixerunt. (E) Tertia regula in damnis disparitatis, quam ponit Gregorius XXXIV. li. Moralium, scilicet quod unusquisque beatorum iuxta dispar meritum disparem habet excellentiae locum, sed eiusdem disparitatis nullum sentit damnum. Et huius rationem subdit dicens, quia tantum

quisque de illa beatitudine percipit, quantum sibi sufficit. Exemplum: quamvis amphora minus capiat de vino, quam dolium magnum, tamen ex hoc nullum damnum amphora habet, quia et ipsa pro sua capacitate plena est, sicut et dolium plenum est. Alia etiam ratio, quia ut idem Gregorius dicit et Richardus super IV.: *In patria quilibet tantum gaudet de bono alterius, quantum de proprio, et quod in se quisque non accepit, in alio hoc se accepisse exultat*, ergo etc. Ad propositum ergo sufficiat nobis credere secundum veritatem evangelicam quemlibet horum, scilicet tam Petrum, quam Iohannem, quam Baptistam esse magnum sanctum, nec debemus disputare, quis eorum maior sit, sed eos venerari debemus et imitari, ut ad eorum consortium perveniamus. Nec eis placet, quod temerarie unum alteri praeferamus, cum hoc nesciamus, nec damnum habent ex disparitate, ut patuit, immo quidquid honoris uni impendimus, singuli gaudent, tamquam sibi impendissemus, propter mutuam charitatem, sicut patet in exemplo de membris humanis. O ergo homo Christiane, disce exemplo horum Deum diligere, ut cum eis in caelis habeas gaudere. (F) Circa secundum principale sit pro conclusione, quod sanctus Iohannes Baptista ex ipsa nominis congruentia claret fore excellens in gratia. Nam *Iohannes interpretatur Domini gratia, vel in quo est gratia*, secundum Hieronymum. Unde Simon de Cassia super illud „Iohannes est nomen eius”: *O magnum nomen – inquit –, quod patri restituit vocem, gaudium vicinis, populo sacerdotem*. Et Hugo de Sancto Victore dicit: *Puer vocatur Iohannes, et nascitur de patre muto, quia sic gratia Dei nascitur in nobis, quando muti silentium mentis tenemus, id est tranquillitatem cordis ab omni evagatione mentis retinemus*. Queritur hic: unde congruebat praecursorem Iohannem a gratia nominari. Ad quod respondetur secundum doctores, quod propter tria magnalia: · Primo propter gratiae altitudinem · Secundo propter gratiae amplitudinem · Tertio propter gratiae multitudinem Primo propter gloriae altitudinem, quia ipse tam altam gratiam est a Deo consecutus, ut in utero matris Spiritu Sancto repleteretur, Lu. I.: *Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suae*, 9 quod fuit valde mirabile. Et ut tempus gratiae ipse initiaret primo praedicando gratiam Christi, et per eum peccatorum remissionem ac gloriae collationem, ut patet Mat. III. et Mar. I. Secundo propter gratiae amplitudinem, unde secundum Bedam *ideo Deus hoc nomine voluit ipsum vocari, quia per eum daturus erat gratiam parentibus et populo*. Tam amplam enim et largam gratiam Iohannes est a Deo consecutus, ut non solum ipse plenus esset Dei gratia, sed et uterque parentum per eius gratiae redundantiam gratiam prophetandi acciperet, et per eum populus Deo esset reconciliandus, sicut praedixit angelus, Lu. I. Tertio propter gratiae multitudinem, quia ei Deus dedit gratiam omnium generum et ordinum sanctorum, scilicet patriarcharum, quibus haec gratia data est, ut ipsis de Christo esset promissio facta, quod scilicet patres genealogiae Christi existerent. Unde Gen. XXII. dixit Dominus Abrahae patriarchae: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae*, 10 hoc est: in Christo. Quam gratiam habuit Iohannes, quia fuit de propinquitate et consanguinitate Christi, ut patet Luc. I. Et insuper patrinus Christi in baptisate, quia ipse baptizavit Christum, Mat. III., et consequenter videtur esse patriarcha Christianorum spiritualis, quia omnes Christiani baptizantur per spiritum Christi, cuius patrinus est Iohannes. Item prophetarum gratiam habuit Iohannes, quia fuit plenus gratiis prophetiae tam de praeterito, quam praesenti et futuro occultis, immo fuit plus quam propheta, quia non solum praedixit Christum, ut alii prophetae, sed etiam in utero positus ipsum cognovit, et tandem digito demonstravit. Unde canit Ecclesia: *Ceteri tantum cecinere vatum corde praesago iubar affuturum, tu quidem mundi scelus [auferentem]* 11 indice produs. Item apostolorum gratiam habuit, quia sicut apostoli confirmati in gratia Christum per totum mundum praedicaverunt, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Matth. ultimo 12, sic Iohannes confirmatus in gratia praedicavit Christum baptizando quosque in eius nomine. Item martyrum, quia martyrii aureolam habet. Item confessorum, quia austeritatem poenitentiae summam tenuit in eremo vivens, ubi pro lecto nudam terram habuit, pro vestimento pilos camelorum et cilicium, pro potu vinum et siceram non bibit, sed aquam solam, pro cibo habuit non panem vel aliud aliquid coctum, sed locustas et mel silvestre, Matth. III. 13 (G) Sed quid intelligatur nomine locustae et mellis silvestris? Ad hoc Arnulphus, Galliarum episcopus et concordans Lyra dicunt, quod in deserto Iudaeae sunt quaedam parva animalia in modum digiti manus volitantia per modum saltus, ut solent locustae, quae coctae cum oleo pauperem praebent victum, et haec dicuntur hic locustae. Mel autem silvestre secundum Lyrum est mel, quod ibi reperitur in truncis arborum. Vel secundum Rabanum et Arnulphum sunt folia arborum quarundam inibi existentium, alba ut lac et mellini saporis, quae manibus fricantur et eduntur. 14 Et sic patet. Item eremitarum et religiosorum omnium gratiam habuit Iohannes, quia parentes et omnia reliquit, et in eremo religiose vixit in votis tribus, scilicet oboedientiae, paupertatis et castitatis. Item doctorum et praedicatorum gratiam habuit, quoniam optimus praedicator et doctor exstitit, inchoando eo modo, quo et ipse Christus, scilicet a poenitentia et regni caelestis repromissione: *Poenitentiam – inquit – agite, appropinquavit enim regnum caelorum*. Matth. III. 15 Et ipse ad salutis viam docuit omnium generum homines. Primam quidem regulam salutis posuit nobilibus ac principibus, militaribus ac stipendiariis. Lu. III. 16 interrogantibus concludendo in tribus capitulis dicit: *Neminem concutiatis*, id est neminem vi vel potentia iniuste opprimatis. Ecce primum capitulum, ad quod ipsi tenentur. *Nemini calumniam faciatis*, scilicet iniuste iudicando. Ecce secundum. *Contenti estote stipendiis vestris*, scilicet ut exactiones indebitas et onerosas super subditos non exigatis. Ecce tertium capitulum regulae eorum. Videant ergo domini, quomodo haec servant. Secundam regulam posuit civibus divitibus ipsum interrogantibus, quid facere deberent, ut salventur, dicens: *Qui habet duas tunicas, det unam non habenti, et qui habet escas, similiter faciat*, 17 et ceteris superfluis. Tertiam regulam mercatoribus, negotiatoribus, artificibus et publicis officialibus, ut sunt telonarii, dicatores et decimatores et similes, dicens: *Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis*, 18 per quod interdicit omnem fraudem et iniustum lucrum. Quartam regulam posuit generalem omnibus communiter hominibus, dicens: *Facite dignos fructus poenitentiae, iam enim securis ad radicem posita est*. Haec Luc. III. 19 Item virginum gratiam habuit Iohannes, quia mente et carne virgo purissimus permansit. O vere ergo magnae sanctitatis magnaeque gratiae virum, beatum Iohannem Baptistam merito omnis homo peccator per eius merita confidere potest, quod gratiam impetrare valeat apud misericordem Iesum. Ipsum ergo, carissimi, veneremur patronum. (H) Circa tertium principale de magnitudine eius gloriae tres quaestiones occurrunt, ut sic magis clarescat gloria eius: · Prima quaestio de ordine, ad quem est assumptus · Secunda de sede, ad quam est inthronizatus · Tertia de felicitate,



qua est praedotatus Prima quaestio, ad quem ordinem angelorum beatus Iohannes in gloria est assumptus. Ad quod respondetur secundum Franciscum de Mayronis in suo sermone, quod ad ordinem supremum, scilicet Seraphicum. Quod patet primo ex sanctitatis eius sublimitate, quia ipse fuit unus de maximis sanctis, ut iam supra dictum est. Et quia de quolibet ordine aliqui ceciderunt, ut colligitur ex dictis beati Anselmi, quorum in locum succedunt homines sancti secundum meritorum suorum quantitatem, ita quod minores cum inferioribus, et maiores cum superioribus in sortem singulorum ordinum angelorum deputantur, sicut docet Gregorius in homilia „Accesserunt ad Iesum publicani etc.“, ergo etc. Secundo patet, quia Christus Iohannem comparavit lucernae ardenti et lucenti, Ioh. V.: *Ille erat lucerna ardens et lucens*. 20 Et quia secundum beatum Dionysium de angelicis hierarchiis summus ordo, id est Seraphim dicuntur ardentes incendio, scilicet amoris divini, ergo Iohannes est in illo ordine. (I) Secunda quaestio: In qua sede beatus Iohannes est inthronizatus? Respondetur secundum Franciscum de Mayronis ubi supra, quod quidam dicunt ipsum esse in sede primi angeli, id est Luciferi, quia in illa sede non congruit esse Christum, quia Christus sedet ad dextram maiestatis in excelsis melior omnibus angelis effectus, Heb. I. Christi ergo sedes non est in ordine angelorum, sed super omnes. Nec etiam ibi congruit esse Beatam Virginem Mariam, quia et ipsa *exaltata est super omnes choros angelorum*, ut Ecclesia canit. Nec ibi congruit esse aliquem sanctum ipso Iohanne minorem, quia Lucifer habuit sedem super omnes angelos. Ut enim probat Magister secundum Gregorium et Scripturas, Lucifer unus fuit omnibus excellentior cadentibus, nec inter stantes aliquis fuit dignior, ut patet li. II. dist. VI. c. I. per Magistrum Sententiarum. Non est ergo rationabile, quod illam sedem aliquis minor Iohanne habeat. Item nec congruit ibi locatum fore aliquem aequalem Iohanni, quia secundum doctrinam Dionysii li. de angelicis hierarchiis tanta est inter beatos disparitas, ut omnimoda aequalitas in eius inveniri non possit, sed singuli a singulis illuminentur. Cuius exemplum patet in facie humana, in qua *omnino similes numquam duo homines possunt reperiri*, secundum quod ait Philosophus in Problematis. Et ideo putatur, quod illius primi sedes angeli sit reparata per Iohannis Baptistae inthronizationem. Sed quoniam ut dictum est primo articulo huius sermonis, non est certum, quis sanctorum sit maximus omnium post Christum et Beatam Virginem Mariam, et ideo non est certum, utrum Iohannes Baptista, vel Evangelista, aut beatus Petrus vel forte aliquis alius maximus sanctus sit in illa sede primi angeli, nec hoc debemus temere diffinire. Possumus tamen pie credere, quod aliquis istorum praedictorum maximorum sanctorum sit in illa sede collocatus, vel Baptista, vel Iohannes Evangelista, vel Petrus. Nam isti sunt prae aliis magis digni hoc honore, ut sint prope Christum prae ceteris, scilicet Baptista tamquam Christi patrinus, et Iohannes Evangelista tamquam frater Christi specialissime adoptatus, Petrus tamquam Christi vicarius. Sed quis horum sit in ipsa sede prima, videbimus in patria. (K) Tertia quaestio, qualibus felicitatibus sit Iohannes dotatus. Et dicitur communiter secundum doctores, et praecipue Franciscum de Mayronis, quod omnibus illis, quas habet summus ordo angelorum. Primo quidem, quia habet clariorem deitatis visionem, et fruitionem dulcedinis amplioem per charitatis summum ardorem propter immediatam propinquitatem. Secundo quia omnes alii inferiores ab ipso accipiunt illuminationem secundum Dionysium. Tertio quia habet in se omnes perfectiones inferiorum ordinum, ut dicit Isidorus De summo bono. Iohannes quippe habuit perfectionem Seraphim in ardenti charitate, quia erat lucerna ardens, ut patuit. Habuit etiam cum Cherubim plenitudinem sapientiae, quia Christum Deum in utero materno cognovit. Habuit cum Thronis perfectionem iudicii, adeo ut etiam regem Herodem et Pharisaeos ac principes quosque redargueret. Habuit etiam cum Dominationibus perfectionem praelationis, qua omnes rectores instrueret pro regimine, ut patuit. Habuit etiam cum Principatibus perfectionem officialatus, qua instruxit omnes officiales ad salutem. Habuit etiam cum Potestatibus perfectionem arcendi daemones, scilicet in baptismo suo, quo disponebat ad Christum. Habuit etiam cum Virtutibus miraculorum virtutem, ut patuit in eius nativitate et aliis sequentibus. Item cum Archangelis magna nunciavit, scilicet Christi adventum, et cum Angelis salutem communiter omnium, ut patuit. O ergo carissimi, deprecemur Iohannem, ut oret pro nobis. Amen.

---

1 Mt 11,11 2 II Cor 10,18 3 Lc 1,76 4 Lc 1,66 5 Lc 1,15 6 Lc 7,28 7 Ioh 21,19 8 Ioh 21,22 9 Lc 1,15 10 Gn 22,18 11 Editio: un. 12 Cf. Mt 28,19 13 Mt 3,4 14 Cf. Nicolaus de Lyra, *Postilla super quattuor Evangelistas. Cum additionibus Pauli Burgensis et replicis Matthiae Doering*. Mantova 1477 (Univ. Inc. 53), Matth. cap. III.: „... *Ipsa autem Iohannes – hic ostenditur idoneitas Iohannis ad testificandum de Christo ex sanctitate vitae, hoc autem ostenditur ex vilitate vestitus, ipsa autem Iohannes etc.*, et ex austeritate victus, cum dicit: *esca autem eius locustae*, quae sunt parva animalia volitantia per modum saltus, et reperiuntur in deserto Iudaeae, et frixa cum oleo sunt cibus pauperum; sequitur: *et mel silvestre*, hoc autem mel ibidem reperitur in truncis arborum, vel secundum Rabanum sunt folia arborum alba et tenera, quae manibus contrita habent saporem quasi mellis; talibus vescebatur Iohannes, ex quibus patet austeritas eius in victu et vestitu.” (Arnulphus deest!) 15 Mt 3,2 16 Lc 3,14 17 Lc 3,11 18 Lc 3,13 19 Lc 3,8,9 20 Ioh 5,35

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XII.] De sancto Iohanne Baptista Sermo tertius, scilicet de eius ortu et sancta vita ac dignitate *Quis putas puer iste erit, etenim manus Domini erat cum illo*. Lu. I. 1 (A) Haec verba dicta sunt de Iohanne Baptista, de quo legimus, quod testimonium sanctitatis habuit et laudis a tota Sancta Trinitate. Nam Deus Pater eius magnam sanctitatem testatus est, cum ipsum angelo assimilavit, Malach. III. dicens: *Ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem tuam*. 2 Et exponitur de Iohanne, qui baptizando et praedicando praeparavit viam fidei ad Christum, dicitur autem angelus non natura, sed propter vitae sanctitatem, quia angelicam vitam duxit in terris secundum Lyram. Item Dei Filius testimonium fecit de eius sanctitate, Mat. XI. dicens: *Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista*. 3 Denique Spiritus Sanctus testatus est eius sanctitatem per ora hominum, scilicet Zachariae, dicens: *Tu, puer, propheta Altissimi*

*vocaberis, praeibis enim* etc. 4 Et omnium, qui audierunt eius miraculosum ortum ac nativitatem, ut enim testatur Sacrum Evangelium, posuerunt omnes, qui audierunt in corde suo commendantes memoriae dicentes: *Quis putas puer iste erit*, quod dicit: valde magnus erit, cuius causa subditur: *etenim manus Domini erat cum illo*, id est virtus Dei operativa miraculorum in eius annunciatione, conceptione et nativitate ostensorum. Haec Lyra. Ad laudem ergo ipsius merito accipiuntur verba praemissa pro sermone. Iuxta quae tria mysteria hic prosequi libeat, scilicet propter quae merito omnes admirantes possumus dicere de Iohanne: *Quis putas puer iste est*, quia *manus Dei cum illo*. · Primum de eius ortu mirabili · Secundum de eius vita angelicali · Tertium de eius dignitate praegrandi (B) Circa primum de ortu mirabili Iohannis sit pro documento conclusionis, quod secundum Sacrum Evangelium claret Iohannem per miraculum Dei dono generatum. Nam Lu. I. scribitur, quod Zacharias, pater Iohannis et Elisabeth, uxor illius erant ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela, scilicet nulli nocebant, sed pacifice conversabantur, et non erat eis filius, eo quod Elisabeth esset sterilis, et ambo processissent in diebus suis. Et sic duplici ex causa carebant prole. Una causa erat specialis in Elisabeth, scilicet sterilitas. Alia communis in utroque, scilicet senectus, quia processerant in diebus suis, ita quod transierat tempus generandi in patre et concipiendi in matre secundum cursum communem naturae. Ex quibus patet Iohannis conceptio miraculosa, quia non fuit per naturam tantum, sed per naturam gratia Dei adiutam. Haec Lyra, Simon de Cassia. Natura defecerat in parentibus, ut per naturae legem non possent generare, sed ex gratia cooperante speciali. Sed circa hoc aliquae quaestiones occurrunt pro aedificatione plurimorum de ipsa sterilitate: · Prima quaestio de eius ratione · Secunda de remeditatione · Tertia de gratiarumactione Prima quaestio: Unde est, quod Deus aliquibus a principio claudit uterum, quibus tamen providet de prole in posterum? Respondetur, quod sterilitas est in coniugibus quandoque ex malitia voluntaria. Nam Augustinus XXXII. q. II. c. „Aliquando” dicit, quod non sunt verae coniuges, sed meretrices et adulteri, qui eo animo coniuncti sunt, ut prolis generationem impediunt contra bonum matrimonii, vel qui venena sterilitatis procurant, aut conceptos fetus intra viscera aliquo modo exstinguunt. Haec Augustinus, unde talis conductio vitiat matrimonium secundum doctores super IV. ita, quod si apponatur in contractu, nihil agitur, quia hoc est contra bonum prolis, et ideo annullat matrimonium, extra de condi. appo. c. VI. Quandoque autem sterilitas in coniugibus non imputatur pro peccato, quia est praeter voluntatem ex aliqua causa vel naturali, vel accidentali. Est tamen in opprobrium et praemii detrimentum nuptiarum, quia dicit Glossa Ambrosii super Lu. I.: *Opprobrium est mulieribus non habere filios, non habere praemia nuptiarum, propter quod ipsae nuptiae celebrantur, scilicet ut numerus electorum in caelo impleatur*. Quandoque autem hoc Deus ipse facit, quod claudit uterum alicuius ad tempus, ut postea mirabilis denuo aperiat, et non credatur libidinis esse, quod nascitur, sed hoc magis divini muneris fore cognoscatur. Omnes enim, quos ex sterilibus mulieribus recitat Scriptura esse natos, excellentes pueri leguntur, ut patet de Isaac nato ex Sara sterili usque ad XC annum. Cui repromissio erat per Christum omnium gentium benedictio. Item de Rachel sterili genitus est Ioseph, dominus totius Aegypti, et Samuel, sanctus propheta de Anna sterili. Sic et Iohannes Baptista excellentissimus sanctus ex Elisabeth sterili. In his ergo consolari possunt steriles. (C) Secunda quaestio: Quid remedii debet adhibere, scilicet sterilis mulier, ut habere possit prolem? Respondetur, quod nullum aliud melius potest remedium adhiberi, quam Deum orare per se et per alios sanctos viros. Sicut legitur de sancta Anna I. Regum I., quod lacrimas fundebat coram Domino, et Heli sacerdotem pro orando deprecabatur pro se, et sic prolem sanctissimum Samuelem obtinuit. Sic et Rebecca, quae fuit infecunda, per orationem fusam a se et ab Isaac concepit et peperit, ut dicit Gregorius. Sic et sanctus Ioachim et Anna Beatam Virginem oratione obtinuerunt, ut ait Damascenus. Unde stultissime et pessime faciunt ac peccant, qui in talibus remedia ab incantatricibus requirunt, quia diabolus non potest prolem dare homini. Solus enim Deus creat animam humanam, ut patet per Magistrum in II. dist. XVIII. c. VI. allegans Augustinum: *Dicimus – inquit – corpus tantum per coniugii copulam seminare, creationem vero animae solum creatorem nosse, eiusque iudicio corpus compingi atque formari in utero, ac formato iam corpore animam creari et infundi, ut vivat in utero homo ex anima constans et corpore*. Haec et plura ibi. Non potest ergo diabolus vel aliqua creatura praeter Deum prolem dare, quod etiam testatur Ps. dicens: *Qui finxit singulatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*. 5 Super quibus verbis Hieronymus sub anathematis vinculo condemnat illos, qui dicunt animas humanas non de nihilo singulatim a Deo creari. Haec ibi supra li. Sententiarum. (D) Tertia quaestio: Qualiter tam parentes, quam steriles debeant cum gratiarumactione Deo placere? Respondetur, quod sicut Glossa super Lu. I. dicit: *Parentes magnas gratias debent agere pro ortu sanctorum filiorum, sicut fecerunt Zacharias et Elisabeth*. Et eadem Glossa rationem tangit dicens, quod hoc est magni meriti habere tales liberos heredes in caelo. Subdit quoque ibidem Glossa dicens sic: *Divinum ergo munus est fecunditas parentis*. Agant ergo parentes gratias, quia genuerunt. Filii agant gratias, quia geniti sunt. Matres agant specialius, quia honorantur praemiis coniugii. Stipendium enim suae militiae sunt filii. Haec Glossa patet li. Originalium. Denique steriles ut recompensent sibi tale meritum, debent Deo gratias agere pro sua voluntate, sic tamen, quod ipsi intendant fructibus spiritualibus per pietatis et misericordiae opera, qui fructus sunt Deo magis placidi, quam carnales. Et quia forsitan Deus sic disposuit, ut tales proficiant in spiritualibus fructibus pro sua utilitate salutis hoc modo. Unde et propter occupationem circa ea, quae Dei sunt, viduitas praefertur matrimonio, I. Cor. VII.: *Mulier inupta et virgo cogitant, quae Domini sunt, ut sit sancta spiritu et corpore, quae autem nupta est, cogitat, quae sunt mundi*. 6 Et sic patet, quod bonus Deus omnibus viam salutis aperit. (E) Circa secundum principale de angelica vita Iohannis quaeritur, utrum Iohannes sit merito vocatus Dei angelus, cum enim fuerit mortalis homo similis nobis, unde ergo dici potuit angelus Malach. III.: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, id est Iohannem. 7 Ad hoc respondet Chrysostomus super Mat. dicens sic: *Puto – inquit –, si non est audaciae dicere, quod gloriosior est Iohannes, quia homo fuit, et si propter meritum virtutis angelus est vocatus, quam si nomine angelus et natura fuisset. Angelus enim hoc ipso, quod angelus est, non tantum est virtutis praemium, quantum naturae proprietas. Iste autem mirabilis est, qui in humana natura angelicam transgressus est sanctitatem, et hoc tenuit per gratiam, quod non habuit ex natura*. Haec Chrysostomus. Ex quo dicto Chrysostomi tria possumus accipere documenta. Primum est, quod homo Christianus in gratia Dei existens plus debet gaudere et Deo gratias agere

pro eo, quod factus est homo, quam si fuisset angelus factus, quia quamvis secundum naturam homo sit inferior creatura, quam angelus, tamen per gratiam Christi homo est plus dignificatus, quam angelus, quoniam Deus factus est homo. Et quia per gratiam potest homo multis praeferri angelis praemia caelestia acquirendo, unde Bernardus: *Plus gaudeo, bone Iesu, me angelis praeferri per tuam gratiam, quam fuisse angelum per naturam.* Secundum documentum, quod homo potest sic vivere, quod pro sua sanctitate merito reputetur Dei angelus, sicut et beatus Iohannes vocatus est angelus, non quidem per naturam, sed et proprietatem sanctae vitae et conformis virtutis. (F) Si autem quaeras: Quae sunt istae virtutes, quae ex hominibus efficiunt angelos Dei secundum proprietates? Respondetur secundum doctores: Prima est puritas, quia proprium est angelis esse puros ab omni inquinamento peccati, unde Dionysius dicit, quod angelus est speculum purissimum deiformis bonitatis. Qui ergo a peccatis se cavet, merito angelicam vitam ducit. Iohannes fuit purissimus, unde Chrysostomus dicit: *Conversatio Iohannis omnium hominum vitam faciebat culpabilem apparere, quemadmodum si videris albam vestem, dicis: Satis candida est. Si vero posueris eam iuxta nivem, incipit tibi sordida apparere, et si sordida non est.* Merito ergo pro sua puritate Iohannes vocatur angelus Dei. Secunda virtus est humilitas, quia angeli sunt tam humiles, ut cum sint creaturae nobilissimae, non tamen dedignantur ministrare inferioribus, scilicet hominibus. Heb. I.: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* 8 Per humilitatem ergo homo efficitur angelicus, quia ut dicit Salvator Lu. XVIII.: *Qui se humiliaverit, exaltabitur,* 9 scilicet ad consortium angelorum. Talis fuit Iohannes dicens: *Non sum dignus solvere corrigiam* etc. 10 Tertia virtus est charitas, quia proprium est angelorum charitatem habere ad Deum, ad se mutuo, et ad nos peccatores, quoniam in charitate sunt beatificati, quae regnat in patria, I. Ioh. IV.: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* 11 Augustinus: *Charitas est excellentissimum donum, quod solum dividit inter filios regni et perditionis.* Qui ergo vivit in charitate, angelicam vitam ducit. Beatus Iohannes ardentem charitatem habuit ad Deum et ad omnes, ex qua omnibus salutis vitam praedicabat, et etiam inimicis, scilicet Herodi et Herodiadi etc. (G) Tertium documentum est a contrario, scilicet quod homo malus per vitia propria daemonibus merito dicitur diabolus. Unde et Christus Iudam vocavit diabolum propter malitiam Ioh. VI. dicens: *Unus ex vobis diabolus est.* 12 Si quaeras: Quae sunt ista vitia, per quae homo efficitur conformis, ut diabolus dicatur, respondetur secundum Hugonem de Sancto Victore dicentem: *Duobus – inquit – vitiis diabolus est diabolus, superbia scilicet et invidiae odio.* Cui dicto concordat verbum Ps. dicentis: *Superbia eorum, id est: daemonum, qui te oderunt, ascendit semper,* 13 quoniam in istis vitiis sunt inveterati a principio in perpetuum. Et idcirco tertium, quo diabolus est diabolus, additur scilicet obstinatio vel perseveratio in malo, quia secundum Hieronymum *angelicum est non peccare, humanum peccare et emendare, sed diabolicum perseverare.* Et Chrysostomus li. De lapsis dicit consimiliter: *Peccare humanum est – inquit –, sed permanere in peccato est diabolicum.* Et ponit idem Chrysostomus in homilia ad Theodorum exemplum dicens: *Non est grande cadere luctantem, sed iacere deiectum, cum posset surgere. Non est perniciosum in proelio vulnerari, sed post acceptum vulnus desperationem curandi medelam vulnere denegari.* Haec ille. Ex istis ergo praedictis patet, quod homo superbia et odio plenus et in peccato obstinatus mortali quocumque merito diabolus reputatur in terris. O ergo peccator, expavesce perire cum diabolo, et poenitentiam age. O homo Christiane, Iohannem sectare in puritate, humilitate et charitate, ut possis cum angelis societatem in caelis habere. O anima Christi sanguine redempta, cur opera facis diaboli, cuius tamen etiam nomen habere expavescis? Noli, carissime, esse diabolus, sed potius velis esse angelus cum Iohanne, ut vivas in beatitudine. (H) Circa tertium principale de dignitate grandi Iohannis sint pro conclusione dicta Iohannis Os Aurei in sermone de decollatione Baptistae, ubi multipliciter commendat Iohannis maximam dignitatem dicens sic: *Iohannes schola virtutum, magisterium vitae, sanctitatis forma, norma iustitiae, virginitatis speculum, pudicitiae titulus, castitatis exemplum, poenitentiae via, peccatorum venia, fidei disciplina. Iohannes maior homine, angelis par, legis summa, evangelii sanctio, apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi, praecursor iudicis, Christi mediator, Domini testis, totius medius Trinitatis.* Haec ille. Ex quibus claret mira sanctitas et dignitas Iohannis. Nam dicitur schola virtutum, quia in eius vita omnes clarent virtutes, quia contra superbiam fuit humilissimus, in vestitu exterius et in corde interius, ut se indignum diceret solvere corrigiam calciamenti Christi. Item contra avaritiam fuit in eo summa paupertas, qua omnia reliquit. Contra luxuriam summa castitas, qua etiam inimicos dilexit, scilicet Herodem etc. Contra gulam summa abstinentia in cibo et potu, ut tantum locustas et mel silvestre sumeret, et aquam tantum biberet. Contra iram summa patientia martyrii. Contra acediam summa diligentia boni operis, quia adhuc in pueritia desertum intravit. Propter haec etiam ipse dicitur magisterium vitae, sanctitatis forma, norma iustitiae. Item dicitur virginitatis speculum, pudicitiae titulus et castitatis exemplum omnibus imitandum ad agendum caelibem vitam. Item dicitur poenitentiae via, quia asperam egit poenitentiam. Et dicitur peccatorum venia, quia praedicavit remissionem peccatorum per poenitentiam. Dicitur fidei disciplina, quia Christum et eius fidem praedicavit. Item dicitur Iohannes maior homine et angelis par propter magnitudinem sanctitatis, qua inter homines angelicam vitam duxit, ut supra dictum est. Nam dicente Salvatore: *Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista.* Item dicitur legis summa, quia dicente Christo Mat. XI.: *Omnes prophetae et lex usque ad Iohannem prophetaverunt.* 14 Et ob hoc etiam dicitur silentium prophetarum. Unde in signum silentii vel cessationis legis veteris ab annunciatione Iohannis Zacharias obmutuit usque ad tempus eius nativitatis. Dicitur quoque evangelii sanctio, id est institutio, et apostolorum vox, quia ipso Christo teste: *A diebus Iohannis regnum caelorum vim patitur* 15 poenitentiae. Ipse enim incepit praedicare consecutionem regni caelestis per poenitentiam, quod ante esse non poterat, ut exponit Lyra. Et etiam quia veritas de Christo in lege sub figuris occultata a Iohanne est manifeste ostensa, dicente: *Ecce agnus Dei.* 16 Et propter hoc etiam dicitur lucerna mundi, quia mundo manifestavit Christum, quem apostoli praedicaverunt. Item dicitur praecursor iudicis et mediator Christi, inquantum Christum praecurrit, et per eius baptismum populus Israel ad Christum est dispositus. Item dicitur Domini testis, inquantum venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, id est Christo. Denique dicitur totius medius Trinitatis, inquantum Trinitas exstitit manifesta, dum Iohannes baptizavit Christum. O ergo



sanctissime hominum, Iohannes, o dignissime sanctorum propter amorem Domini Iesu, qui te sic dignificavit, te rogitamus, ora pro nobis peccatoribus, et impetra gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Lc 1,6 2 Mal 3,1; Mt 11,10 3 Mt 11,11 4 Lc 1,76 5 Ps 32,15 6 I Cor 6,34 7 Mal 3,1; cf. Mt 11,10; Mc 1,2 8 Hbr 1,14 9 Lc 18,14 et Mt 23,13 10 Mc 1,7 et Lc 3,16 11 I Io 4,16 12 Ioh 6, 71 13 Ps 73,23 14 Mt 11,13 15 Mt 11,12 16 Ioh 1,28; 1,35

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XIII.] De sancto Iohanne Baptista Sermo quartus, scilicet de privilegiis ipsius *Erit magnus coram Domino*. Lu. I. 1 (A) Verba ista dixit angelus Gabriel de Iohanne Baptista, cuius festum devote celebrare debemus. Tum propter Iohannis magnam sanctitatem. Tum propter nostram exinde utilitatem et salutem. Nam ad id hortando Bernardus in sermone hodierno dicit sic: *Hodie, dilectissimi, dies illuxit insignis, tanto diebus ceteris sanctorum, quanto sanctiorem hominem effudit in terris. In hac siquidem die natus est ille sanctorum splendor, iustorum gloria, laetitia angelorum, excellentissimus hominum.* Infra: *Nonne magnus sanctus est, quem prae omnibus commendavit Dominus. „Unus – inquit – est, et secundum non habet.”* 2 *Denique teste Domino: Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista.* Haec Bernardus. Sed quoniam secundum Gregorium quanto quis Deo acceptior pro nobis accedit intercessor, tanto facilius obtinet, quod petitur. Ideo debemus talem et tantum hodie devote honorare, ut per eum nostram salutem valeamus obtinere. Et hoc est, quod angelus de Iohanne insinuat ipsum commendans, dicens: *Erit magnus, scilicet sanctus coram Domino, scilicet interpellando pro hominibus.* Ad laudem ergo et gloriam Iohannis haec verba merito accipiuntur, iuxta quae prosequentes de magna sanctitate Iohannis notemus duodecim privilegia, secundum quae Iohannes merito magnus dicitur coram Domino: · Primo in privilegiis nativitatis · Secundo in privilegiis sanctitatis · Tertio in privilegiis praegloriositatis (B) Circa primum sit pro conclusione, quod beatus Iohannes Baptista magnus probatur per specialia nativitatis suae privilegia, quae sunt quattuor praecipua: · Primum privilegium angelicae praenunciationis · Secundum miraculosae conceptionis · Tertium perfectae sanctificationis · Quartum propheticae illustrationis Primum privilegium, quia ab angelo est eius nativitatis ortus praenunciatus, ut patet Lu. I. In qua annunciatione plures habuit honores a Deo. Primum honor, quia ab eodem angelo est annunciatus, a quo Salvator Christus Iesus, scilicet a Gabriele. Unde Augustinus in sermone dicit sic: *Iam illud quanta est gloriae, quod Zachariae sacerdoti seni et Elisabeth sterili a Gabriele, id est ab angelo illo filius promittitur, a quo Mariae nativitas Domini nunciatur.* Secundus honor, quia in loco sacro fuit annunciatus, scilicet in templo et in eius sanctissima parte, scilicet in Sancta Sanctorum, quo solus pontifex intrabat, ubi erant arca testamenti et tabulae Decalogi et manna et Cherubim et propitiatorium, in quo Dominus Moysi apparere solitus fuerat. Tertius honor, quia in sacratissimo festo fuit annunciatus, quando pontifex intrabat Sancta Sanctorum semel in anno. Quartus, quia cum grandi miraculo subsequente est annunciatus, cum Zacharias incredulus factus est mutus. Haec ut simplicibus magis pateant, prosequamur historiam breviter. Legitur quippe Lu. I., quod Zacharias erat sacerdos. 3 Sed qualis tunc fuerit, utrum videlicet summus sacerdos, an non summus? Ambrosius et Beda super hunc locum videntur dicere, quod fuit summus pontifex, et eos sequitur Burgensis, licet Lyra dicat contrarium. Is ergo habens uxorem de filiabus Aaron, quae diligentius et honestius servabantur, et nomen eius Elisabeth exprimitur propter eius bonam famam et vitam. Cumque essent *ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, non tamen erat illis filius, eo quod Elisabeth esset sterilis, et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cum sacerdotio fungeret Zacharias in ordine vicis suae ante Deum secundum consuetudinem, sorte exiit, ut poneret incensum.* 4 Nam per sortem fuerunt distributae hebdomadae pro ministerio sacerdotum, ut patet I. Paral. XXIV. 5 Tunc ergo *apparuit illi angelus Domini stans a dextris altaris incensum. Et Zacharias turbatus est videns, et timor – inquit – irruit super eum.* 6 (C) Ubi quaeritur: Unde est, quod extimescit homo in apparitione boni angeli, et qualiter possit discerni bonus angelus a malo? Nam et Zacharias cur debuit pertimescere bonum angelum, cum tamen boni angeli semper salutem hominum velint. Ad quae respondetur secundum Lynam, quod hoc fuit ex visione insolita, et fit ex fragilitate humana iuxta angelicam potestatem. Sed hic Theophilus dicit sic: *Non est difficilis bonorum spirituum et malorum discretio.* Si enim in angelica apparitione post timorem successerit gaudium, a Domino sciamus venisse auxilium, quia securitas animae praesentis maiestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est, qui videtur. Et propter hoc bonus angelus mox consolatus est Zachariam dicens: *Ne timeas, quoniam exaudita est deprecatio tua.* 7 Sed pro quo fuit ista deprecatio facta et exaudita? Respondetur secundum Augustinum et Chrysostomum, quod credendum non est, quod tunc pro prole habenda oraret, quia de hoc iam senex sterilem uxorem habens desperabat. Sed quod deprecabatur pro populi salute per adventum Messiae Redemptoris, et meruit utrumque, scilicet populi salutem per Christum annunciari sibi, et cum hoc prolem, quia Deus saepe plus dat, quam petatur. Utrumque ergo annunciando angelus dicit: *Exaudita est deprecatio tua, et Elisabeth, uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Iohannem. Et erit tibi gaudium et exsultatio. Et multi in nativitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, id est quemcumque potum inebriativum, tamquam Nazarenus consecratus Domino, et Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suae, et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, id est ad Christum, et ipse praecedet ante ipsum etc.* Et dixit Zacharias: *Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.* Haec dixit, quia verbis angeli non credidit plene, ideo angelus arguendo eius incredulitatem merito puniendam dixit: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, scilicet iugi contemplatione, a qua non recedunt angeli, etiam cum mittuntur. Et missus sum loqui ad te, et haec evangelizare, et ecce eris tacens et non poteris loqui usque in diem, quo haec fient, pro eo, quod non credidisti verbis meis.* 8 Et sic factus est mutus usque ad diem circumcisionis Iohannis. (D) Sed numquid peccavit Zacharias discredendo angelo? Respondetur

secundum Lyram, quod peccavit, et ideo punitus fuit, quia tot signa veritatis concurrebant, quod non potuit discredere absque peccato, quoniam angelus apparuit sibi in loco sacro et existenti in ministerio divino. Et quia nunciabat ea, quae pertinent ad communem hominum salutem, et ad gloriam Dei. Ex quibus constabat, quod erat bonus angelus, quibus circumstantiis concurrentibus non permittitur angelo Satanae, ut transfiguret se in angelum lucis, et tamen non credit ei. Ex quo accipe documentum, quod qui non credunt verbis Sacrae Scripturae per praedicores veraces praedicatis, peccant et punientur a Deo. Item quaeritur, quare tali signo, scilicet ut fieret mutus, et non alio signo Zacharias fuit punitus? Respondet Glossa, quod hoc congrue factum est ad ostendendum, quod lex vetus per pontificem significata vocem amitteret, quando vox clamantis in deserto nascebatur, ut sic legi silentium imponi per evangelium videretur. (E) Secundum privilegium Iohannis est miraculosae conceptionis, quia fuit per miraculum a Deo datum, ut pater eius posset generare in senio, et eius mater concipere, quae erat per naturam sterilis et senex, ut patet Lu. I. Et hoc privilegium fuit magnum Iohanni, quoniam tota Trinitas in ista miraculosa conceptione honoravit Iohannem et etiam mater Christi. Dei quippe Filius Iesus ipsum honoravit una cum sanctissima matre, quia postquam foret conceptus, ipsum in utero materno visitare dignatus est, et suae incarnationis agnitionem dedit eidem. Unde exsultavit in gaudio ad Christi et matris eius praesentiam, et pro maiori honore mater Christi mansit quasi tribus mensibus cum matre Iohannis praegnante et eidem ministravit, ut dicit Ambrosius. Quaeritur autem, utrum tempore nativitatis Iohannis Virgo Maria ibidem fuerit, an antea recesserit. Ad hoc secundum Lyram dicitur communiter, quod ibi fuerit, et ut aliqui dicunt, ipsa recepit praecursorem et tenuit. Theophilus tamen et Graecus dicunt, quod imminente partu Elisabeth recessit. Tum quia virgines in partu mulierum non solent adesse. Tum quia plurimae mulieres aliae et plures vicini ad partum Elisabeth congregari iam debebant, ipsa autem publicum ut virgo verecunda vitabat, et secretum amabat, et ideo antea recessit. Item Spiritus Sanctus Iohannem maxime honoravit, quia in utero existentem replevit, et ab originali peccato purificavit, ac prophetam fecit ipsum, et pro gratia eius etiam ambos suos parentes. Denique Deus Pater Iohannem honoravit, cum sua potentia mirabilia plura fecit tam in miraculosa conceptione, quam in exultatione in utero suae matris, quam in eius nominis impositione, ac eius patris mutitate ac linguae restitutione. Ut enim historiam evangelicam prosequamur: Cum Iohannes esset die octava circumcidendus, vocabant eum cognati nomine patris sui Zachariam. Et dixit mater eius: „Nequaquam, sed vocabitur Iohannes.” Et hoc fuit ipsi spiritu prophetico a Deo revelatum, quia hoc a marito non didicit, cum esset ille mutus, ut dicit Ambrosius. Et direxerunt ad illam, quia „nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.” Innuebant ergo patri eius, scilicet per signa visibilia, quia secundum Lyram erat non tantum mutus, sed etiam surdus, ut non possent eum verbo tenus interrogare, quem vellet vocari eum. Et postulans signo pugillarem, id est chartam vel tabulam manuum secundum Catholicon scripsit dicens: „Iohannes est nomen eius”, scilicet a Deo impositum. Et mirati sunt universi, scilicet de mirabili convenientia patris et matris in nominis impositione. Apertum est autem illico os Zachariae, et *impletus est Spiritu Sancto, et prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel* etc. 9 Et sic patet hoc privilegium. (F) Tertium privilegium Iohannis est plenae sanctificationis, quia in utero matris fuit sanctificatus, cum a Christo et matre eius fuit visitatus. Unde hoc angelus praedixerat Lu. I. dicens: *Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suae* etc. Quaeritur hic: quomodo Iohannes in utero dicitur fuisse plenus Spiritu Sancto, cum ibi primam gratiam acceperit, in qua tandem per augmenta temporum creverit. Respondetur secundum doctores, quod Spiritus Sanctus triplices effectus operatur in hominibus. Primus effectus est generalis, quem facit in omnibus, in quos venit, scilicet quod culpam expiat, animam Deo gratiosam facit, et ad vitam aeternam dignum reddit opus bonum vel meritorium illius. Hoc modo dicuntur pleni Spiritu Sancto omnes homines existentes in gratia, ut sunt vere poenitentes et baptizati, ac etiam quique sanctificati. Secundus effectus est specialis, quem facit in aliquibus specialius, scilicet stabilire in gratia, quod numquam mortaliter peccet, et donum prophetiae vel miraculorum tribuere, sicut fecit apostolis. Tertius effectus est singularis, quos facit in maximis, ut in Christi anima et Virgine Matre. Iohannes autem plenus fuit non solum quoad primum vel secundum effectus, sed etiam gratiis singularibus, quarum prima est, quod prius fuit sanctus, quam natus, ut ait Augustinus. Unde etiam si in utero matris fuisset mortuus, in inferiorem non descendisset infernum, sed in limbum sanctorum patrum. Secunda, quia in gratia fuit confirmatus, ut numquam peccaret mortaliter. Tertia, quia de divinitate Domini Iesu fuit certificatus. Quarta, quia de adventu Christi fuit exhilaratus, et ipsum est veneratus. Quinto, quia tunc est in prophetam inunctus. Sexto, quia tunc miraculis est illustratus. Unde Maximus in sermone dicit: *Vere puer iste omnium est beatissimus parvulorum, qui inter materna viscera conclusus adesse Salvatorem mundi cecinit. Et quod necdum sermone potuit, prophetico gaudio revelavit.* Haec ille. (G) Ex quo sequitur quartum privilegium, scilicet propheticae illustrationis, quod fuit multum mirabile, ut in utero positus agnosceret primo conceptum Dei Filium in virginis utero latentem. Unde Augustinus dicit: *Caelum et terram nondum viderat, et Dominum caeli et terrae cognovit. Et ante fuit suae matris magister, quam eius esset natus filius, et prius ipsam docuit, scilicet de Christo incarnato, quam ipsa eum lactavit.* Nam spiritu parvuli mater Christum in utero Virginis esse cognovit. Sed quaeritur hic, utrum Iohannes Christum cognoverit in utero rationis usu. Respondet Lyra, quod Augustinus indeterminatum relinquit, quia illa exsultatio Iohannis potuit fieri, secundum quod idem Augustinus dicit, duobus modis. Uno modo sic, quod Iohannes nondum natus veraciter cognosceret Christum per Spiritum Sanctum. Et secundum hoc oportet dicere, quod in eo fuit acceleratus usus rationis. Alio modo sic, quod ipse Iohannes non cognosceret praesentiam Christi tunc, sed mater eius, quae habebat usum rationis, illa tamen motio pueri et exsultatio facta est a Deo ad declarationem sanctitatis Virginis et Christi in ea existentis, sicut de beato Francisco legitur, quod aves ratione carentes praedicationem eius attente audiebant, ac si verba eius intelligerent, quod factum est a Deo ad approbationem praedicationis viri sancti. Neutrum tamen modum determinate asserit Augustinus, Graecus tamen et plures expositores dicunt, quod facta est primo modo. O vere nobis confusione dignum est, quod cum talis puer Christum reveritus sit, nos barbati ipsum non reveremur, sed peccatis offendimus, et quotidie crucifigimus, ad Heb. VI.: *Rursum crucifigentes Christum in se* etc. 10 (H) Circa secundum principale de privilegiis sanctitatis sit pro conclusione, quod beatus Iohannes sicut fuit mirabilis in nativitate, ita exstitit magnus in vitae totius

sanctitate. Et hoc praecipue per quattuor alia privilegia ostenditur. Nam in ordine ad praedicta quintum privilegium Iohannis est mundissimae conservationis, quia ut se mundum ab omni peccato conservaret, in puerili adhuc aetate corruptionem mundi fugit, et desertum petiit. Unde de ea canit Ecclesia: *Antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti, ne levi saltem maculare vitam fame posses.* Sed quoto anno iverit in desertum, quidam dicunt, quod quinto anno a sua nativitate, alii dicunt, quod septimo. Melius tamen videtur dicendum secundum Franciscum de Mayronis, quod inter quintum et septimum annum, scilicet sexto anno fugit in desertum, et hoc fuit valde mirabile et magnae gratiae, quod cum esset de magno genere, scilicet filius pontificis, et de cognatione regia Christi ex parte matris omnia contemnens, in tam tenera aetate eremiticam vitam ducere potuit, et quod se tam mundum conservavit, quod sicut Chrysostomus testatur: *Conversatio – inquit – Iohannis omnium vitam facit culpabilem apparere, scilicet in comparatione, quemadmodum si videris albam vestem, dicis: satis candida est. Si vero posueris iuxta nivem, incipit sordida apparere.* Sextum privilegium austerae poenitentiae et religionis. Nam nullus sanctorum in tanta innocentia egit tam asperam poenitentiam, sicut Iohannes a pueritia usque ad tricesimum aetatis annum in deserto manens, ut patet Lu. I. et III. Et patet eius vitae austeritas quoad habitaculum, quia in antris deserti, non in domibus morabatur. Item quoad lectum, quia nuda humo iacuit. Item quoad indumentum, quia de pilis camelorum cilicio vestitus fuit. Item quoad cibum, quia mel silvestre et locustas tantum comedit. Item quoad potum, quia vinum et siceram non bibit umquam. Theophilus: *Per hoc innuit Iohannes, quod poenitentem oportet peccata deflere et opere satisfacere.* (I) Septimum privilegium fructiferae praedicationis, quia anno tricesimo factum est – inquit – verbum Domini super Iohannem, *et venit in omnem regionem Iordanis praedicans baptismum poenitentiae*, Lu. III. 11 *Et exiebant ad eum omnis status homines confitentes peccata sua*, Matth. III. 12 Denunciabat autem ut bonus praedicator populo quattuor induentia ad poenitentiam. Primo vitae huius brevitatem, et mortem acerbam, dicens: *Facite fructus poenitentiae. Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum excidetur*, scilicet per mortem, *et in ignem mittetur.* Lu. III. 13 Secundo denunciabat contra peccatores districtum Dei iudicium et vindictam dicens: *Qui post me venturus est, fortior me est. Cuius ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam.* 14 Glossa: *Ventilabrum est districtum iudicium, quo separabuntur boni a malis* etc. Tertio denunciavit damnationem aeternam dicens: *Paleas autem comburet igne inexstinguibili.* 15 Quarto poenitentibus denunciavit caelestem gloriam dicens: *Et congregabit triticum in horreum suum.* 16 O ergo peccator, age poenitentiam. Octavum privilegium baptismationis, quia baptizabat omnes in nomine venturi, id est Christi Iesu, Act. XIX. Licet enim iam Christus tunc venerat in carnem, sed non in hominum manifestam cognitionem, et ideo sic baptizabat, ut ad eius fidem disposeret. In quo baptismo Iohannes plures gratias et honores obtinere meruit. Primo quia patrinus Christi exstitit, cum ipsum baptizavit. Nam spiritualis cognatio contrahitur in baptismo, XXX. q. IV. „Si quis unus”. Secundo quia caelos apertos vidit, et Sanctae Trinitatis revelationem habuit, quae a creatione mundi numquam tam manifeste apparuerat. Cum enim Christum baptizavit, caeli aperti sunt, et Spiritus Sanctus in columbae specie super Christum descendit, et vox de caelis intonuit a Patre: *Hic est – inquit – Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* 17 Tertio quia Christi praecursor et testis eius deitatis ac digito monstrator fuit dicens: *Ecce agnus Dei* etc., Ioh. I. 18 (K) Quaeritur ergo hic: Baptismus Iohannis quid conferebat gratiae vel utilitatis. Ratio quaestionis, quia Lu. III. ca. dicitur, quod Iohannes *praedicavit baptismum poenitentiae* 19 in remissionem peccatorum, quae non fit sine gratia, ergo videtur, quod conferebat gratiam. Sed contra hoc est, quia de consecratione dist. IV. „Aliud” Augustinus super Iohannem dicit: *Erat Iudas inter discipulos. Si quos autem baptizavit Iudas, non sunt iterum baptizati, et quos baptizavit Iohannes, sunt iterum baptizati, scilicet baptismo Christi.* Ex quo sequitur, quod baptizati baptismo Iohannis obligati manserunt ad recipiendum baptismum Christi. Quid ergo gratiae conferebat baptismus Iohannis? Ad haec respondet Richardus super IV. dist. II q. II. ar. III. et IV., quod baptismus Iohannis tantum habuit et non plus de virtute, quantum voluit sibi Deus dare, qui fuit principalis causa instituens illud baptisma, noluit autem sibi dare virtutem conferendi gratiam, nec characterem imprimendi, sed fuit tantum quaedam praeparatio ad baptismum Christi recipiendum, et assuefactio hominum ad ipsum. Ideo nec characterem imprimebat, nec gratiam conferebat, sed baptismum Christi significabat, et ideo necessaria erat illis baptismi Christi susceptio, sicut ad medicinam praeparativam infirmo nihilominus necessaria est medicina sanativa, et ad baptismum Christi obligabantur, ut patuit per Augustinum. Ad obiectionem autem respondet idem Richardus, quod *non dicit Scriptura, quod Iohannes esset baptizans in remissionem peccatorum, sed quod esset praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, id est baptismum Christi praedicans et baptismo suo significans, in quo, scilicet baptismo Christi remittenda erant peccata.* Haec ille. O ergo carissimi, gaudendum nobis est, quod sumus baptizati pro remissione peccatorum. Sed vae et iterum vae ingratis Christianis, qui omnem gratiam amittunt. (L) Circa tertium principale de privilegiis aliis praegloriosis Iohannis sit pro conclusione, quod Iohannes exstitit privilegiatus non solum tamquam magnus sanctus, sed insuper ut prae ceteris quodammodo gloriosissimus, et hoc patet in quattuor privilegiis sequentibus, quae continemus in ordine ad praemissa. Nonum privilegium angelicae comparationis, quia ipse propter gloriosam sublimitatem vocatus est angelus. Malach. III.: *Ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem tuam.* 20 Theophilus: *Praecursor Christi angelus dicitur propter vitam angelicam et reverentiam excelsam. Quia autem dicit: 'ante faciem tuam', hoc signat: Iuxta te est nuncius tuus, ut ostendatur propinquitas praecursoris ad Christum, etenim iuxta reges ambulant propinquius, qui sunt aliis magis cari.* Haec ille, et consimiliter dicit Gregorius. Decimum privilegium divinae commendationis, quia Iohannes prae ceteris est a Christo Domino commendatus dicente Mat. XI.: *Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista* etc. 21 Commendavit etiam ipsum plus quam prophetam fore. Et hoc secundum Chrysostomum idcirco, quia in utero constitutus Deum praesentem cognovit et gaudio prophetavit, quem et tandem digito demonstravit, quod alii prophetae non fecerunt, ergo praegloriosus est Iohannes. Undecimum privilegium felicissimae coronationis, quia ipse coronatus est in patria pluribus coronis. Primo scilicet corona aurea, quae debetur filiis regum, et hoc propter charitatem secundum doctores super IV. Debetur quidem omnibus beatis, tamen quia Iohannes fuit maximus, ergo est praefulgentius



coronatus. Secundo coronatus est virginali corona de mira florum pulchritudine. Sap. IV.: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate.* 22 Tertio aureola doctorum stellata. Dan. XII.: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.* 23 Quarto aureola martyrii gemmata, Ps.: *Ponite in capite eius coronam de lapide pretioso* etc. 24 Duodecimum privilegium celeberrimae venerationis, quia eius nativitatis diem gaudiose celebrat Ecclesia, quod nulli sanctorum facit praeter Christum et eius matrem, sicut patet per Augustinum in sermone. Et non solum sancta Ecclesia festivat Iohannis nativitatem, sed etiam Saraceni, ut testatur Lyra, et sic totus mundus Iohannem prae ceteris veneratur. O ergo carissimi, omnis aetas, omnis sexus, omnis conditio hominum, accedamus et humiliter venerantes Iohannis sanctitatem rogemus Christum, ut eius meritis det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Lc 1,15 2 Sir 4,8 3 Lc 1,5 4 Lc 1, 6-9 5 Cf. I Par 24,4-5 6 Lc 1,11,12 7 Lc 1,13 7 8 Lc 1,13-20 9 Lc 1,68 10 Hbr 6,6 11 Lc 3,3 12 Mt 3,6 13 Lc 3,8,9 14 Mt 3,11,12 15 Mt 3,12 16 Lc 3,17 17 Mt 3,17; II Pt 1,17 18 Ioh 1,28; 1,35 19 Lc 3,3 20 Mal 3,1 (Mt 11,10) 21 Mt 11,11 22 Cf. Sap 4,1 23 Dn 12,3 24 Cf. Ps 20,4

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XIV.] De sancto Ladislao rege Sermo primus cum legenda *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.* Sap. X. c. 1 (A) Quibus verbis docemur, quod sanctos Dei imitari debemus in iustitiae operibus, si volumus ad regnum Dei pervenire. Idcirco Prover. XII. scribitur, quod *in semita iustitiae vita*, scilicet gratiae in praesenti et gloriae in futuro. Sequitur: *Iter autem devium ducit ad mortem*, 2 scilicet gehennae, quod claret exemplariter, scilicet a principio mundi semper periisse iniustos et malos: Primo quidem in caelo, quo in ipso creationis principio mali angeli perierunt, et boni vitam obtinuerunt iustitiae divinae obtemperando, ut debebant. Secundo in Paradiso Adam quamdiu in iustitia originali stetit, bene sibi fuit, et postquam usurpavit vetitum, exsul factus est a patria. Tertio in hoc mundo Abel iustus licet occisus salvatur, Cain reprobat, sic et Noe tandem in diluvio servatur, et omnes alii perierunt, sic et Sodomitae. Denique quarto in schola Christi Iudas malus et iniquus periit, iusti autem et boni discipuli ad caeleste regnum pervenerunt. Et ut iuxta thema loquimur ad litteram: Iacob, qui iustus fuit, fugientem iram fratris sui, Esau, Gen. XXVII., *deduxit Dominus per vias rectas*, scilicet morum, *et ostendit illi regnum Dei*, dando illi benedictionem regni Dei, praecipue per Christum Dominum. Sic beatum Ladislaum, qui fuit iustus et profugus ab ira fratris sui, Salomonis regis, scilicet in Poloniae regnum, secundum chronicas. Hunc *iustum deduxit Dominus per vias rectas* morum salubrium, *et ostendit illi regnum Dei* in caelesti gloria, quem etiam unxit in regem huius regni Hungariae Salomone deiecto. Merito ergo de ipso inter sanctos confessores haec verba canuntur, scilicet: *Iustum deduxit* etc. 3 Iuxta quae pro nostra aedificatione tria mysteria notabimus pro hoc sermone, secundum quod de tribus commendatur in eis beatus Ladislaus. · Primo de recta vita, quam ipse iustus tenuit. · Secundo de saluberrima via, qua eum Dominus deduxit. · Tertio de superna gloria, qua regnum Dei possedit. (B) Circa primum de rectitudine vitae nostrae quaeritur, qualis vita humana dicatur vere recta. Ad quod respondetur et sit pro conclusione dictum Philosophi VIII. Physicorum, videlicet quod *rectum est, cuius medium non exit a suis extremis*, id est non discordat declinando a linea extremorum, ut patet in recto baculo. Pro declaratione ergo notandum, quod vita humana habet tres praecipuas partes, scilicet: · Principium nativitatis · Medium vitae temporis · Terminum mortis Prima pars est ipsa nativitas. Et est hoc primum extremum nostrae vitae, quo ingredimur in hunc mundum, et habet tres praecipuas proprietates, scilicet: nimiae paupertatis, multae vilitatis et abominabilitatis, atque miserrimae flebilitatis. Nam si consideramus, supra omnia alia animalia nascitur homo maiori paupertate. Alia enim animalia in nativitate secum portant in mundum ea, quibus teguntur, scilicet bruta pilos, aves pennas, pisces squamas, in quantum non aliunde haec acquirunt, sed a natura his vestiuntur. Flores etiam suum ornatum et herbae et plantae habent ex naturali origine. Sed quid de humana nativitate dicere possumus, audi dicentem Iob I.: *Nudus egressus sum de utero matris meae* etc. 4 Revera nisi vestimenta aliunde mendicarem, omnino nudi permanerem, sed mendicamus lanas ab ovibus etc. Item nativitas humana est abominabilis et vilis, quoad omnes etiam reges. Sap. VII.: *Unus est omnibus introitus ad vitam et exitus. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.* 5 Haec ibi. Item nativitas humana est misera cum fletu nascentis et dolore parientis, ut experientia docet. Unde Sap. VII.: *Primum vocem similem omnibus emisi plorans*, 6 scilicet in nativitate. Ubi Lyra dicit, quod *omnis masculus nascens gemendo profert a, femina vero e, quasi conquerentes de primorum parentum transgressione, propter quam nascuntur filii irae et miseriae. Unde habentur versus: „Omnis masculus a nascens, e femina profert. A dat Adam genitor, e dat Eva prior.”* Haec Lyra. Secunda pars media est ipsius vitae humanae duratio a nativitate usque ad tempus mortis, quae est tota laboriosa et brevissime pertransitiva, et miseriis plena. Unde Bernardus De consideratione li. II.: *Consideranti tibi, quid sis, occurrit tibi homo pauper et nudus, et miserabilis, et dolens, ac erubescens, quod nudus sit, plorans, quod natus sit, murmurans, quod non ad honorem, sed ad laborem natus sit homo natus ex muliere, et ob hoc cum reatu, brevi vivens tempore, ideo cum metu repletur multis miseriis, et ideo cum fletu.* 7 Haec ille. Tertia pars ultima vitae hominis est mors amara, quae etiam, ut principium nativitatis, habet qualitates nimiae paupertatis, horrendae abominabilitatis, atque dolorosae lugubritatis. Quod enim mors sit nimiae paupertatis, claret, quia ab omnibus in morte spoliati transimus. Unde Apostolus I. Tim. VI.: *Nihil intulimus in hunc mundum haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* 8 Item quod mors sit horribilis et lugubris, experientia docet. Unde et Philosophus III. Ethicorum: *Terribilissimum omnium est mors.* Item Ecc. XLI.: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* 9 (C) Ad propositum ergo ex his claret iuxta conclusionem praemissam, quod ex quo duo extrema vitae humanae sunt nimiae paupertatis et multae vilitatis ac flebilis miserabilitatis. Idcirco recta vita media dicitur, si in his non discordat ab extremis, scilicet in paupertate, in humilitate et in poenitentiali lugubritate. Et sic per contrarium patet, quod non rectam,

sed curvam vitam agunt: Primo qui divitias nimium amant, quia tales a Christo comparantur camelis, qui depressi sunt in prima et ultima parte, sed gibbosi et sarcinati in media parte dorsi, et sic sunt curvi, non recti. De quibus Matt. XIX.: *Facilius est –inquit – camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum etc.* 10 Secundo non rectam vitam agunt superbi et elati, sed sunt curvi, sicut terra collium vel montuosa. Eccli. X.: *Quid superbis terra et cinis.* 11 Tertio qui lautam et voluptuosam vitam ducunt, ut luxuriosi, nec curant poenitentiae lamenta, quorum anima est curvata ad amplexandum stercora carnalium vitiorum. Contra quos Bernardus in Meditationibus dicit sic: *Attende homo, quid fuisti ante ortum, et quid es ab ortu ad occasum, et quid eris post occasum.* Et infra: *Nihil est homo quam saccus stercorum, cibus vermium, post hominem vermis, post vermem foetor et horror, sic in non hominem vertitur omnis homo. Quid ergo superbis pulvis et cinis, cuius conceptus culpa, nasci miseria, vivere poena, mori est angustia. Cur carnem tuam impinguas, et pretiosis rebus adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulchro, animam vero tuam non ornas bonis suis, quae Deo et angelis praesentanda est in caelis? Quare animam tuam vilipendis, cum totus mundus ad unius animae pretium aequiparare non potest; non enim animam suam Deus pro toto mundo dare voluit, quam tamen pro humana anima dedit.* 12, Haec Bernardus. *Beatus rex Ladislaus bene haec considerasse claruit, qui per omnia rectissimam vitam secundum haec tenuit, quamvis enim esset rex, tamen omnia mundana adeo despexit, ut potius oneris, quam honoris sibi talia forent, quod patet ex eius legenda infra. Humilitateque sectatus sua et aliorum peccata lugebat tanta lacrimarum copia, ut etiam pro miraculo ascriberetur in legenda. Ecce ergo omnibus claret rectitudo vitae in exemplo beati Ladislai.* (D) *Circa secundum principale de via salutis quaeritur, quae sit via directa salutis et regia. Respondetur per conclusionem, quod conformatio voluntatis divinae patet secundum Bernardi li. De libero arbitrio sententiam, qui dicit sic: Proficiendum est homini in bona voluntate, scilicet conformando divinae voluntati, quia ipsa est via, de qua ait propheta: Haec est via, ambulate in ea, Isa. XXX.* 13 *Istud autem clarius ostenditur tripliciter: · Primo auctoritate · Secundo exemplaritate · Tertio declaratione Primo auctoritate. Nam Matt. VII. Salvator adhortans dicit: Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam, quam angusta porta et arcta via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam.* 14 *Et quae sit ista via, post pauca subdit: Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum.* 15 *Et sic patet. Unde et Apostolus Eph. V.: Videte – inquit –, fratres, quomodo caute ambuletis, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona.* 16 *Et sic patet. Secundo ostenditur exemplaritate, scilicet ab eodem Salvatore posita Matt. XXI.: Homo – inquit – quidam habuit duos filios, et dixit ad primum: Fili, vade operare hodie in vinea mea. Ille autem respondens ait: Nolo. Postea poenitentia motus abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter. Et ille respondens ait: Eo, domine. Et non ivit. Quis ex duobus voluntatem fecit patris? Dicunt ei Iudaei: Primus. Lyra: non enim poterant aliter respondere, quia minus malum est non promittere, quam promissum non servare. Dixit ergo illis Iesus: Amen dico vobis, quia publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei.* 17 *Quod dicit, quod etiam pessimi peccatores, si poenitentia moti convertuntur ad faciendum Dei voluntatem in omnibus, ipsi intrabunt in regnum caelorum. Iudaei autem, qui promiserant se oboedire divinae voluntati et facere mandata Dei, ut patet Exo. XXIV., sed non fecerunt, isti significantur per alterum filium. Et tales non sunt in via salutis, sed damnationis. Tertio ostenditur declaratione. Quia ut sciat homo Dei voluntatem facere in omnibus ad salutem, statuit Deus certas rectas vias homini, quibus observatis et non alio modo possit ad salutem aeternam pervenire. Iuxta has ergo debet homo ambulare, ut ad caelum directe deducatur, sic enim Dei voluntas impletur. Et in his beatus Ladislaus perfecte deductus est a Domino, ac ad caeleste regnum pervenit.* (E) *Prima directa scilicet via salutis est fidem Christi habere. Mar. ultimo: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.* 18 *Et ad Heb. XI.: Sine fide impossibile est placere Deo.* 19 *Unde Ioh. XIV. dixit Christus: Ego sum via, veritas et vita.* 20 *Bernardus De XII gradibus dicit: Ego sum – inquit – via, quae ad vitam duco. Ego sum veritas, quae vitam promitto. Ego sum vita, quam dono.* 21 *Haec ille. Secunda via est praecepta observare. Matt. XIX.: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, 22 scilicet Decalogi. Tertia via a peccatis omnibus se cavere. Apoc. XXI.: Nil coinquinatum intrabit in illud, 23 scilicet regnum caelorum. Quarta via est Deum super omnia diligere. Matth. XXII.: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc.* 24 *Unde Auctor De spiritu et anima dicit c. XI.: Ipsa charitas est via Dei ad homines, et via hominum ad Deum, 25 sine qua non potest pervenire ad Deum, ut patet de poenitentia dist. III. „Si quis non bonus”. Quinta via ad proximum misericordiam et iudicium iustum facere. Unde Glossa super Ps. CXXXVIII. dicit sic: Hae sunt universae viae Domini, misericordia et veritas, quia non sunt aliae viae, quibus ad nos venit Deus, qui per misericordiam peccatores vocat, per veritatem promissiones reddit. Non sunt etiam aliae viae, quibus ad Deum veniamus. Has ergo ambulemus, misericordiam in subveniendo, veritatem in iuste iudicando. Haec Glossa. Unde et Christus in iudicio de operibus misericordiae disceptabit, et illos, quos dignos sic reperit, beatificat. Sexta via vere de peccatis poenitere. Matt. III.: Poenitentiam agite, appropinquabit regnum caelorum. 26 Glossa: Via, qua ad caelum ascendimus, poenitentia est. Septima via usque in finem in praemissis bonis perseverare. Luc. XVIII.: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. 27 Et sic patet. Legenda (F) *Beatus iste Ladislaus istis viis salutis et iustitiae ambulavit, per quas a Domino deductus ad caelum pervenit, ut claret ex eius vitae serie. Cum enim ipse beatus rex Ladislaus esset ex illustri prosapia regum Hungariae progenitus, ab ipsa puerili aetate tantis gratiae donis exstitit illustratus, ut non sine praesagio futurorum Ladislaus foret vocatus. Nam prima syllaba nominis laus est per peragogen, dos autem datio vel datum, et laos populus interpretatur, et sic laus data populis sonat, quod vere in beato Ladislao rege completum Dei munere exstitit, ut pro tali et tanto sancto rectore divinitus concesso, populus Hungariae et ab extraneis laudem digne sumeret, et ipse pro tanto beneficio Deum laudaret. Crevit autem puer, et per aetatis incrementa de virtute in virtutem profecit. Sicque fide et amore totus Deo inhaesit, ut in Christi amore fixus et fervidus incentiva carnis edomaret, prospera quaeque calcaret, gloriam mundi contemneret, et tota devotione Christum Iesum, quem diligebat, quaereret. Erat quippe fidelis et devotissimus ad Deum, liberalis et munificus in homines subiectos, misericors in afflictos, et validissimus oppressorum liberator**

et miserorum pius sublevator. In naturalium quoque gratia donorum erat quasi angelici reverendi vultus, statura procerus et ceteris hominibus ab humero supra praeeminens. Fortis, strenuus et manu robustus, ut ipsa corporis species dignum imperio declararet. Et in tanta praeeminentia bonorum non elatus, sed humilis exstitit, nec ullius iura violenter occupavit, quin potius sua pro Christo copiose distribuit in egenos. Cumque nutu divino et – ut fertur – Beata Virgine Maria quasi in visione apud Filium pro ipso intercedente in regem Hungariae coronatus foret, omnium procerum regni electione et principum consensu, nolebat honores ambire, sed regalia insignia ante se deferri faciens, oneris potius quam honoris regni gubernacula reputabat, et qualiter prodesse magis quam praeesse satagebat. Studuit autem summopere Deo sedula devotione deservire, et ut erga proximum semper esset benignus in affectu, verax in sermone, constans in promissione, iustus in causarum diiudicatione, vigilque et creber in oratione ac sollicitus in cultus Dei ampliatione, nam et si prolixioribus vigiliis in oratione fatigaretur, non delicatum torum repetebat, sed in exedris ecclesiarum pausabat. Item duas ecclesias episcopales construxit et sufficientibus redditibus dotavit, et tam multas fecit elemosynas, ut ecclesia omnis Hungarorum usque hodie enarrat. In pauperes etiam elemosynis distribuendis iugiter insistebat. Item quod maius est, peccata populi amarissime plangebat, ac pro defensandis orphanis et pauperibus seipsum periculis exponebat, multis quoque sanctis operibus insistens humilissime, tantam apud Deum gratiam obtinuit, ut eius merito miraculorum experimenta comprobarent. E quibus aliqua narremus. (G) Quadam siquidem nocte, cum in ecclesiam Varadiensem, ut consueverat, intrasset et oraret, cubicularius eius, qui foris exspectabat, prae nimia mora taedio affectus surrexit et introspexit, viditque beatum Ladislaum tamquam glorificato corpore fulgentem et mirabiliter in aere sublimatum. O vere beatum virum, quem in carnea mole constitutum Christi amor et gratia sublevabat de terrenis ad caelestium consortia. 28 Post haec cum latrunculi Byssenorum irrupissent confinia Hungariae et viros ac mulieres abduxissent captivos, ipse rex beatus cum exercitu insequens pervenit in solitudinem magnam, nec habebant quod manducarent. Videns ergo suos fame periclitari, avulsus ab eis seorsum in oratione se prostravit, ut Deus, qui manna paverat in deserto filios Israel, populum Christianum non sineret fame perire. Surgens ab oratione cum reverteretur ad castra exercitus, ecce grex cervorum et bubalorum ei obviam, et cum eodem simul in medium exercitus deposita feritate convenit. Tunc omnes laudantes et glorificantes Deum in sancto suo, per quem misericordiam sunt consecuti, accesserunt, et tulit unusquisque de animalibus quantum sibi sufficebat, et saturati sunt. 29 Tantam denique pietatem in omnes exhibebat, ut mutato vocabulo rex pius ab omnibus vocaretur. 30 Rigorem quippe iustitiae lenitate temperans misericordiae, talem se erga subditos exhibebat, ut potius ab eis amaretur, quam timeretur. 31 In examinandis etiam iudiciis non tam iudicare, quam iudicari, sibi magis terribile iudicium imminere credebat, quam his, qui ab eo iudicabantur. 32 Ex fervore autem devotionis Hierosolymam se iturum voverat, ut ubi sanguis Domini Iesu pro nostra redemptione fusus est, ibi sanguine suo contra inimicos crucis Christi dimicaret. Tunc quoque duces Francorum, Lothoringorum et Alemanorum, qui cum exercitu Domini illuc profecturi erant, omnes pariter pius Ladislaum sibi in praeceptorem concorditer praeficere disposerant. Prius autem, quam illi in Hungariam convenirent, pius rex urgente necessitate in expeditionem contra Bohemos profectus, ibique repentina aegritudine correptus, convocatis regni principibus sacramentis praemunitus felicissime migravit ad Christum. Planxit autem eum universa multitudo Hungarorum, omnis aetas et conditio cleri et populi trium annorum spatio, in vestibus squalidis, choreas non duxerunt toto illo tempore, et genus omne musicorum siluit per totum regnum. 33 (H) Circa tertium principale de eius gloria sit pro conclusione, quod beatus Ladislaus in gloria fore magnus claruit miraculis pluribus. E quibus aliqua pro complemento inseramus. Unum est, quod cum ipse sepulturam sibi elegisset in ecclesia Varadiensi, principes autem Hungariae ob ardorem dierum canicularium vellent suum corpus deferre ad sepeliendum in ecclesia Albensi, quae propinquior distantiae et brevioris viae erat. Venerunt interim diaetam facientes ad diversorium, ubi fatigati prae labore itineris et tristitia dormierunt. Surgentesque de somno currum, in quo erat corpus beati Ladislai, non comparere videntes, contristati sunt, et coeperunt per vias et loca discurrere requirentes. Tandem conversi ad viam, quae ducebat Varadinum, viderunt ecce recto itinere currum ipsum cum corpore in eo posito ultro currentem sine subvectione cuiuslibet animalis versus Varadinum, quo divinitus per angelos portabatur. Quod miraculum videntes Deum laudaverunt, et sic iter suum versus Varadinum sine omni haesitatione direxerunt. 34 Item aliud miraculum, quod cum in ecclesia Varadiensi sanctum corpus sepeliendi officium dicerent mortuorum, quidam de circumstantibus dicebat foetere corpus illud, reliquis omnibus suavissimam odoris fragrantiam sentientibus, retortum est ilico mentum illius ad dorsum, et reflecti non poterat, qui cum poenitens lacrimabiliter misericordiam postularet procidens ad corpus sanctum, sanitatem recuperavit, sed cicatrix in mento eius occaluit. 35 Dicitur etiam, quod audita sint tunc voces angelorum canentium Introitum Missae de confessore. Item alia quam plurima miracula coepit facere mox Deus benedictus ipsius beati Ladislai merita invocantibus, videlicet caecis multis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, leprosis munditiam tribuendo, quae longum est per singula enarrare. 36 In ipsa etiam hora canonizationis eius stella praeclari fulgoris stetit supra in directo monasterii, ubi sanctum eius corpus quiescit a sexta hora diei per spatium fere duarum horarum, quam maxima multitudo populorum perspicue aspexit gaudio ingenti. Et ipsa hora puer quidam, qui loco manuum et pedum tumida carnis massa ossibus penitus carens fluitabat, ipsius beati Ladislai meritis ossa integra et perfectam recepit sanitatem. 37 Ad laudem Domini Iesu Christi aliqua praeter haec miracula, quae ob breviter hic dimisi, vide si placet infra sermone II. „I”, „K”. Ad ipsius ergo merita confugientes rogemus Deum, ut perducatur nos in caelum. Amen.

---

1 Sap 10,10 2 Prv 12,28 3 Versiculus ad Commune confessorum 4 Iob 1,21 5 Sap 7,6 et 5 6 Sap 7,3 7 Bernardus, De consideratione, Lib. II, cap. 9. PL 182, 753B 8 I Tim 6,7 9 Sir 41,1 10 Mt 19,24 11 Ecl 10,9 12 Bernardus (?), Meditationes de humana conditione, cap. 3 PL 184, 490AC 13 Is 30,21 14 Mt 7,13 15 Mt 7,21 16 Eph 5,15 17 Mt 21,28-32 18 Mc 16,16 19 Hbr 11,6 20 Ioh 14,6 21 Bernardus, De gradibus humilitatis et superbiae, Pars I, cap. 1. PL 182, 942A 22 Mt 19,17 23 Apc 21,27 24 Mt 22,37 25 Auctor incertus, De spiritu et anima, cap. 16. PL 40, 792 26 Mt 3,2 27 Recte: Mt 10,22 28 SRH II, 519, 19-520, 4 29





[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XV.] Pro sancto Ladislao rege Sermo secundus de nobilitate virtutum *Beata terra, cuius rex nobilis est.* Eccs. ca. X., 1 et ad laudem huius sancti. (A) Sicut quippe Lyra dicit: haec auctoritas intelligi debet, scilicet quando rex alicuius terrae fuerit nobilis, non tantum nobilitate generis, sed etiam nobilitate morum et virtutum, quia ut Gregorius dicit, in istis nobilitatibus quando altera alteri copulatur, *quasi gemma – inquit – carbunculi in ornamento auri sociatur.* 2 Talis regis terra merito beata praedicatur, quia rex huiusmodi virtuosus studet sollicite in terra sua extirpare vitia, et virtutes ac iustitiam nutrire. Quoniam ergo beatus rex Ladislaus talis revera rex fuit in regno Hungariae, ad laudem ergo ipsius merito haec verba accipiuntur pro sermone, in quibus de tribus commendatur et in exemplum nobis proponitur. · Primo virtuosa nobilitate, ibi: *Beata terra, cuius nobilis* · Secundo de generosa dignitate, quia dicitur: *Rex* · Tertio de gratiosa Christiformitate, in hoc, quod dicitur: *Nobilis et rex*, ut Christus fuit (B) Circa primum de nobilitate virtutis quaeritur, quae reputetur vera et potissima nobilitas in hominibus. Ad quod respondet Hieronymus in epistola dicens sic: *Sola apud Deum libertas est non servire peccatis, summa nobilitas est clarum esse virtutibus.* 3 Haec ille. Nota pro declaratione, quam Gregorius Nazianzenus 4 in Apocalypsin tractatu de semetipso distinguit, quadruplicem nobilitatem in hominibus: · Prima dicitur nobilitas spiritualis · Secunda dicitur carnalis. · Tertia virtualis · Quarta legalis Prima dicitur spiritualis. Unde ipse Nazianzenus 5 dicit sic: *Nobilitas spiritus est*, secundum quam omnes nobiles aequaliter sumus, quoniam ad imaginem Dei facti sumus. Item Hieronymus in epistola: *Nulli te umquam de generis nobilitate praeponas, quia Deus non respicit personas hominum, sed animas.* 6 Nota autem, quod homo debet hanc nobilitatem super omnia mundi bona custodire. Sed hanc nobilitatem, heu, quam multi nec advertunt, nec curant, quod est magnae dementiae, quod si terrenam nobilitatem transitoriam magno labore conservare student, et si homo honorat imaginem Dei pictam vel sculptam, multo magis rationabile foret conservare in nobis nobilitatem perpetuam, honorareque imaginem in anima nostra impressam. Ad quod hortamur Eccli. X.: *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum* etc. 7 Item multi etiam, heu, hanc nobilitatem adeo peccatis offuscant et destruunt, ut nec a Christo cognoscantur. Matth. XXV.: *Amen dico vobis, nescio vos.* 8 Chrysostomus: *Nescio vos, non propter ignotas facies vestras, sed propter odibiles malitias vestras*, quod certe maximum damnum est homini, maius enim est, quam si omnium rerum mundi Dominus existens omnia perderet: Matt. XVI.: *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiat.* 9 Et ut fortius dicam, maius damnum est in unius animae perditione, quam omnium corporalium creaturarum mundi ruina et destructione. Unde Augustinus li. VIII. De civitate Dei et LXXXIII Quaestionum dicit: *O quam nobilis creatura est anima humana, quia ad visionem et fruitionem Dei creata.* 10 *Sicut ergo Deus omnem creaturam, sic anima omnem corporalem naturam dignitate et nobilitate excellit. Maius ergo damnum – inquit – habetur in amissione unius animae, quam corporum mille.* Haec Augustinus. O ergo homo Christiane, audi Scripturam hortantem Deut. IV.: *Custodi temetipsum et animam tuam sollicite*, 11 scilicet ne perdas tantam nobilitatem eius. (C) Secunda nobilitas dicitur carnalis. De qua Nazianzenus 12: *Nescio – inquit –, quae sit differentia secundum carnem nobilitatis habenda, cum omnibus hominibus sit corruptio una, quia in terram omnes convertuntur, de qua sunt.* Si quaeras: Unde ergo sunt nobiles aliqui in mundo? Respondet Hieronymus in Epistola ad filiam Mauritii dicens sic: *Mundanam nobilitatem non naturae aequitas praestitit, sed cupiditatis ambitio, omnes certe homines per divinum lavacrum efficiuntur aequales, et nulla potest esse discretio, quos secunda nativitas generavit, per quam tam dives, quam pauper, tam servus, quam liber, tam nobilis, quam ignobilis filius Dei efficitur, et terrena nobilitas splendore caelestis gloriae obumbratur.* 13 Haec ille. Haec praedicamus, non ut nobiles viros confundamus, sed ut ad virtutes moneamus. Nam secundum Hieronymum in epistola: *Ad hoc debet quis suae nobilitatis meminisse, ut claritatem generis morum sanctitate conscendat, alioquin ipsa solius carnalis nobilitas exsiliis est reputationis et inane nomen.* Unde Boethius De consolatione philosophiae li. III. prosa VI.: *Nobilitas sanguinis est inane nomen*, 14 quia secundum eundem: *nobilitas carnis est quaedam laus de meritis parentum proveniens.* 15 Sed quid prodest tibi, quod parentes tui fuerunt probi et virtuosus, tu autem es criminiosus. Chrysostomus super Matthaeum: *Quid prodest generatio clara, quam mores sordidant.* Exemplum de Iudaeis, qui cum iactarent se esse de genere sancti Abraham et sic nobiles dicens: „Semen Abrahae sumus et nemini servivimus umquam.” Respondit eis Iesus: „*Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite*”, Ioh. VIII. 16 Quod si petas: Numquid melius est esse de genere nobili, quam rusticano? Audi Cassiodorum in quadam epistola dicentem sic: *Melius est de contemptibili genere nasci et clarum virtutibus fieri, quam de claro genere nasci et criminose vivere.* Ad id pro exemplo producimus, quod Ambrosius dist. XL. „Illud” dicit de Adam et Eva: *Nam Adam fuit de viliiori origine et loco ortus, scilicet de limo terrae et extra Paradisum, scilicet in agro Damasceno formatus. Eva autem de nobiliori, quia de costa Aadae et in loco nobilissimo, scilicet in Paradiso fuit facta, et tamen Eva inferior fuit, quam Adam.* 17 Haec ibi. Item Abraham de Thare idolatri natus patre in caput fidelium omnium est electus pro virtute cultus unius Dei, Gen. (D) Tertia est nobilitas virtutis, quia ut Philosophus in Politicis ait: *Virtus et vitia determinant nobiles et ignobiles.* Et Tullius De officio: *Haec est indubitata nobilitas, quae moribus probatur ornata.* Idem: *Hic vere liber extimandus est, qui nulli turpitudini servit.* Et ratio huius, quod a quo quis superatus est, eius et servus est, II. Pe. II. 18 Qui ergo peccatum facit, servus est tot daemonum, quot vitiorum. Exemplum dicit Chrysostomus super Matthaeum: *In potestate est populi – inquit – facere sibi regem, qui postquam fuerit confirmatus, non potest a populo deponi iugum eius. Sic homo in potestate arbitrii habet, ut sibi diabolus eligat in Dominum peccando, sed postquam eius iugo se subdidit, non potest deponere,*

nisi Deus ipsum misericorditer liberaverit. Hinc Ambrosius De Nabuthe historia dicit: *Qui facit peccatum, servus est peccati, semper in laqueis, semper in vinculis est, et numquam est liber a compedibus, quia semper est in criminibus.* 19 Haec ille. Haec sufficiant. Quarta nobilitas dicitur legalis, scilicet quae fit per condicillorum vel clenodiorum concessorum a regibus promotionem, aut quae venit per adoptionem. Et hoc modo omnes Christiani nobilitantur in baptismo: Ro. VIII.: *Non enim accepistis spiritum servitutis, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, quod si filii, et heredes etc.* 20 O utinam Christiani hanc sanctissimam nobilitatem custodirent, et non perderent. Beatus rex Ladislaus nobilis fuit secundum omnes praemissas nobilitates, quas et summopere conservavit, et ideo feliciter regnavit, et nunc cum Christo rege regnat in caelis. Merito ergo dicitur: *Beata terra Hungariae, cuius rex sanctus Ladislaus nobilis est et patronus.*(E) Circa secundum de eius dignitate regia, ut convertamus ad aedificationem communium hominum, accipiamus pro conclusione ex verbis Nicolai papae II. q. I. c. „Scelus”, videlicet quod *sicut nullus pravus potest veraciter dici rex vel dominus, sic nullus Christianus efficitur vere rex caelestis et dominus, nisi bonus et a vitiis mundus.* Quod ostenditur secundum quattuor praecipue doctores. Unus est Hieronymus in Glossa super Matthaeum XIX. dicens, quod *Christiani hic reges sunt in spe et in futuro erunt in re, ubi et qui regnaverunt, et qui non regnaverunt, regnabunt,* scilicet si boni fuerunt. Secundus est Cassiodorus super Ps. XXXVII. dicens sic: *Reges terrae sunt, qui corporibus suis deitatis munere dominantur,* scilicet non peccent. *Nam ille rex vere non dicitur, qui servire non monstratur.* Haec ille. Tertius est Augustinus De civitate Dei li. IV.: *Bonus, scilicet Christianus, etiamsi serviat, liber est, malus autem etiamsi regnet, servus est, nec unius, sed quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum.* 21 Haec Augustinus. Quartus est Cyprianus li. De XII abus[ion]ibus dicens sic: *Nihil confert habere dominandi potestatem, si dominus tempore non habet virtutis vigorem.* Et infra: *Nomen enim regis rectoris officium indicat, sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores non corrigit? Sciat – inquit – rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in poenis, si iustitiam non fecerit, primatum habiturus est, omnes namque peccatores, quos sub se in praesenti habuit, super se modo plagali poena futura habebit.* Haec Cyprianus. Et sic intelligendum est etiam de quibuscumque aliis dominis. Sic etiam de Christianis, si ingrati fuerint pro tantae dignitatis, scilicet regiae caelestis vocatione in respectu infidelium, *quia quanto gradus Christianitatis altior, tanto casus deterior* secundum Gregorium. O ergo Christiane, noli pro vilissimo peccato perdere tuam regiam et gloriosam dignitatem caelestem perpetuamque coronam. Accipe exemplum a beato Ladislao rege, qui sic se in regia dignitate conservavit, ut caelestem non perderet, sed usque ad mortem pro ista corona caelesti omnia contemneret, ut Christum lucrifaceret. (F) Circa tertium de gratiosa conformitate nobilitatis ad Christum quaeritur, quae sunt virtutes, per quas cognoscuntur veri nobiles et nobilissimo regi Christo fiunt conformes, ut et nos sciamus per has conformari et grati fore Christo in nobilitate Christiana. Ad quod responderet, secundum quod colligitur a doctoribus, praecipue sunt quattuor: · Prima est humilitas · Secunda est pietas · Tertia est veritas · Quarta est aequitas Prima est humilitas. Nam Christus, rex regum et dominus dominantium summe humiliavit se, ut ostenderet, quod humiles diligit principes et alios. Bernardus: *Non magna virtus est humilitas in abiectioe, sed rara et Deo cara est humilitas in honore.* Idem: *Honor honoris est humilitas,* patet ergo, quod praecipue in dominis et principibus humilitas commendatur, ut Christo conformis, quamvis in omnibus sit Deo grata. Hinc Ecc. III.: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.* 22 Ideo secundum Bernardum sermone de religionibus: *Numquam in honore sine onere, nec in praelatione sine dolore et tribulatione, in sublimitate quis potest esse sine vanitate.* Vult ergo Deus, quod etiam princeps sic humilietur, quia ut etiam Innocens dicit: *Quanto quisque humilior in se, tanto coram Deo nobilior.* Exemplum de Saulo, qui cum esset humilis, electus est a Deo in regem, sed cum superbivit, postea deiectus est, et in locum eius humilis David praelectus est, ut patet I. Reg. XV. et XVI., quem Dominus secundum cor dilexit. Beatus rex Ladislaus hanc virtutem habuit. Non enim honores ambivit, immo in exedris ecclesiarum inter pauperes saepe pernoctare dilexit, soli Deo placere cupiens. Vide sermonem I. „F”, „G”. Secunda virtus est pietas. Christus namque Dei Filius est rex piissimus ad omnes adeo, quod omnibus inimicis parceret, immo pro inimicis morti se exponeret, et totum sanguinem in redemptionem hominum effunderet. Ut ergo homo in hac nobilitate Christo sit conformis, debet remittere iniurias et pietatis opera in proximos exhibere, ut sic mereatur a Christo diligi propter similitudinem. Nam Christus dicit, quod nil ita nos Deo assimilat, quemadmodum pietas, et praecipue in iniuriarum remissione. Siquidem proprium Dei est misereri semper et parcere, debent prae ceteris nobiles et principes ac permaxime reges esse pii et clementes exemplo Christi. (G) Unde quaeritur: Utrum melius sit regere subditos pietate an severitate? Ad quod respondet Seneca De clementia dicens sic: *Remissius imperanti melius paretur,* id est oboeditur pietati. *Nam contumax est humanus animus et in contrarium nitens, sequitur, quo facilius ducatur,* 23 ideo nullum ex omnibus magis clementia, quam regem vel principem decet. Haec Seneca. Istud autem Christus ostenditur tripliciter: Primo ex auctoritate Scripturae: Prover. XX.: *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roborabitur clementia thronus eius.* 24 Hinc et Ecc. IV.: *Noli esse sicut leo in domo tua evertens domesticos tuos, et opprimens subditos tibi.* 25 Secundo ostenditur ex ratione, quia scribitur I. Thimo. IV.: *Pietas ad omnia valet.* 26 Et XXII. q. II. „Si quaelibet” Gregorius dicit, quod *culpa purgatur pietate, et ipsa pietas meretur temporaliter et aeternaliter remunerari, ideo etc.* 27 Tertio patet exemplis, quia magni principes, ut reges tamquam nobiliores, solent inungi in signum pietatis et clementiae, et rex apum non habet stimulum pungendi, sicut aliae apes, ad designandum, quod nobiles et quique rectores subditorum debent esse pii et misericordes. Scribit etiam li. VI. Animalium Aristoteles, quod *nobilis complexionis signum est longa brachia habere signanter usque ad genua deficiente spatio duorum digitorum.* Idem etiam dicit V. Politicorum, quod *habere longa brachia fortitudinem indicat.* Et hoc utique convenit ad significandum largitatem pietatis, et sic patet, quod si volumus esse vere nobiles et Christo conformes, debemus esse pii et clementes. Sed heu, moderni principes et nobiles ac barones et rectores sunt immisericordes, munera et taxas a pauperibus extorquentes, munera diligentes et vindictam expetentes, Ecclesiastica bona diripientes. Impletum est illud Ezech. XXII., scilicet: *Principes in*

*medio eius quam lupi rapaces*, 28 et XXVI.: *Statuae tuae nobiles in terram corruent*, 29 id est nobiles, qui tamquam statuae deberet pauperes sustentare et defensare, in terrenam cupiditatem declinant, ut spolient pauperes. Beatus rex Ladislaus non sic fecit, sed tam piissimus exstitit, ut mutato nomine ab omnibus pius rex vocaretur. Nam pauperes alebat, et pro eis morti in bello se exponebat. Vide legendam „G”. (H) Tertia virtus est veritas, nam Christus Dominus adeo dilexit veritatem, ut sibi ipsam appropriaret. Ioh. XIV.: *Ego sum via, veritas et vita*. 30 Hanc ergo debemus habere, ut a Christo diligamur, tamquam conformi nobilitate decorati. Unde Ephe. IV.: *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*. 31 Dicit 'unusquisque', quia veritatem debent omnes amare et servare, sed potissime debent nobiles servare, ut possint esse victoriosi, quoniam ipsa veritas est, quae vincit omnia. II. Esdrae III.: *Et ipsa statuit nomen laudabile in perpetuum, quod nobiles multum desiderant*. 32? Prover. XII.: *Labium veritatis firmum erit in perpetuum*, 33 et: *propter peccata labiorum ruina proximat malo*. 34 Sed, pro dolor, moderni multi nobiles in sui perniciem nihil curant de veritate, multa promittunt et non implent, plura appendunt sigilla, sed nulla fiducia in eis, ut videamus impletum illud Ps.: *Nolite confidere in principibus*. 35 Sed o quam perniciosum, o quam confusibile clenodium mendacii in nobilibus, quia Proverb. XVII.: *Non decet principem labium mendax*, 36 et Ps.: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. 37 *Tales – inquit – viri sanguinum*, id est peccatorum *non dimidiabunt dies suos*. 38 O quam honorificum et gloriosum clenodium veritatis in principe, quia dicente Ps.: *Misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit*, 39 scilicet talibus. Hoc claret in beato Ladislao rege, qui fuit verax in sermone, constans in promissione, ut in legenda eius habetur. Et idcirco Deus ipsum gratificavit et glorificavit per conformia quaedam miracula, scilicet *in sui corporis tumulatione, quod fieri commiserat in Varadiensi ecclesia. Et cum barones vellent hoc aliter ordinare, miraculose corpus illud, quo ipse mandaverat deferri, viderunt in curru*. Patet in legenda „H”. Item pro eodem attestatur miraculum sanationis oculorum, quia veritas oculo mentis intueri habet. Ipse quippe beatus rex praecipuam potestatem in miraculosa virtute sanandi oculos legitur a Deo obtinuisse, ut aliquod de hoc narremus. (I) Legitur quippe in legenda, quod *quaedam paupercula virgo amisum visum recuperavit iuxta sancti sepulchrum tanta animi limpидitate, ut non solum in corpore, verum etiam in spiritu visitata divinitus esse videretur. Item quaedam nobilis puella dum tanto dolore oculorum teneretur, ut visu omnino privata omnem spem medicinae amisisset, ad ipsius sancti sepulchrum veniens, ibi cum lacrimose sibi subveniri postularat instanter, ceciderunt ecce in manus eius quidam globi carnei formam oculorum habentes, sed coagulato sanguine involuti. Quae credens sibi oculos excidisse, vociferata est. Et populus accurrens viderunt omnes dictos globos oculorum in eius manu elisos, et novos sibi oculos sanos et optimos mirabiliter eorum loco datos a Deo, et admirantes Deum in sancto laudaverunt*. 40 Vidi et ego quendam fratrem ordinis minorum praedicatorem, qui cum lippos antea habuisset et crebro defluentes oculos, apud ipsius sancti Ladislai sepulchrum orando obtinuit fieri sanus. Quarta virtus est iustitiae aequitas. Nam Christus iudex iustus multum diligit iustitiam in principibus et iudicibus, sicut testatur de eo Ps.: *Dilexit – inquit – iustitiam, et odit iniquitatem* etc. 41 Hinc XXIII q. V. „Regum” Hieronymus dicit: *Regum officium proprium est facere iudicium atque iustitiam, et liberare vi oppressos de manu calumniantium, et pupillis ac viduis auxilium praebere*. 42 (K) Beatus Ladislaus rex iustitiam summe observavit, et omnia praedicta fecit non solum in vita, sed etiam post mortem. Nam legitur, quod *miles quidam argenteam scutellam, quam prius suo patri sanctus rex, dum viveret, donaverat, urgente necessitate venalem exposuit cuidam comiti. Ardore autem cupiditatis comes illectus finxit hanc scutellam suam fuisse et furto a se sublatam. Cumque de hoc lites in iudicio movissent, Domino inspirante sic adiudicatum est, quod ipsa scutella poneretur super sepulchrum sancti regis Ladislai, et Deus comprobaret, quis eorum habere eam deberet, sicque factum est. Comes igitur nimis praesumendo cum accepturus scutellam appropinquaret ad sepulchrum, statim cecidit quasi mortuus, nec de terra surgere potuit. Pauper autem miles, quod suum fuit, humiliter accedens accepit, et Deo gratias egit, ac sanctum Ladislaum omnes laudando in ipsius meritis Deum glorificaverunt pro liberatione a calumnia*. 43 Oremus ergo nos, carissimi, Deum, ut huius sancti interventu caveat a periculo, et det gratiam et gloriam. Amen.

---

1 Ecl 10,17 2 Auctor incertus, Appendix ad II. Pent. Bibliothecae Divinae. – PL 29, 451A 3 Auctor incertus (sub nomine Hieronymi), *Epistola CXLVIII*. PL 22, 1214 4 Editio: *Nazanenus* 5 Editio: *Nazanenus* 6 *Loc. cit.* 7 *Sir 10,31* 8 *Mt 25,12* 9 *Mt 14,26* 10 Auctor incertus, *De spiritu et anima*. PL 40, 807 11 *Dt 4,9* 12 Editio: *Nazanenus* 13 Auctor incertus (Hieronymus?), *Epistola XIII*. – PL 30, 173C 14 *Boethius, De consolatione philosophiae, Lib. III, prosa 6*: „iam vero quam sit inane, quam futille nobilitatis nomen. – CCSL 94 15 *Auctoritates Aristotelis et aliorum philosophorum. Köln, 1490. Op. 25, sent. 38* 16 *Ioh 8,39* 17 *Decretum Gratiani, D. 40, c. 9* 18 *II Pt 2,19* 19 *Ambrosius, De Nabuthe Israelita. – PL 14, 739B* 20 *Rm 8,15-17* 21 *Augustinus, De civitate Dei. – PL 41, 114* 22 *Sir 3,20-21* 23 *Seneca, De clementia, 1, 24* 24 *Prv 20,28* 25 *Sir 4,35* 26 *I Tim 4,8* 27 *Cf. Decretum Gratiani, C. 22, q. 2, c. 20* 28 *Ez 22,27* 29 *Ez 24,11* 30 *Ioh 14,6* 31 *Eph 4,25* 32 *II Esr 4,??* 33 *Prv 12,19* 34 *Prv 12,13* 35 *Ps 145,2* 36 *Prv 17,7* 37 *Ps 5,7* 38 *Ps 54,24* 39 *Ps 83,12* 40 *SRH II, 524, 13-26* 41 *Ps 44,8* 42 *Decretum Gratiani, C. 23, q. 5, c. 23* 43 *SRH II, 524, 30-525, 8*

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XVI.] Pro sancto Ladislao rege Sermo tertius de iudiciali iustitia in regimine pro imitatione nostra *Sit Dominus Deus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum regem*. II. Paral. IX. 1 (A) Verba ista dixit ad litteram regina Saba de rege Salomone. Et nos optime possumus dicere Deo gratias agendo pro sancto rege Ladislao, quem Deus ordinavit regem super thronum regni Hungariae. Nam ut dicit Gregorius in *Moralium XXX.*: *Secundum merita subditorum tribuuntur personae regentium*, 2 et ideo Deus cum dat bonum principem vel regem, merito Deo ab omnibus gratiae



agenda sunt, quia Deus hoc ordinavit pro salute populi. Sic per contrarium, *cum datur malus princeps populo, signum est mali pro demerito populi*, ut ibidem dicit Gregorius. Et idcirco cum Deus talem et tantum sanctum regem, videlicet Ladislaum, nobis donaverit pro salutis acquisitione, digne et merito ipsum Deum laudando et gratias agendo pro tali dono dicere possumus ad eius honorem verba praemissa, scilicet: *Sit Dominus Deus benedictus, qui voluit te ordinare* etc. Iuxta quae verba de ipso sancto rege Ladislao tria mysteria notabimus pro sermone, secundum quod de tribus commendatur. · Primo de iudiciali iustitia, ibi: *Te ordinare super thronum*, quo iudicii executio significatur · Secundo de regali clementia, ibi: *Regem* · Tertio de divinali vicaria: *Deus, qui voluit te ordinare super thronum suum* (B) Circa primum de iustitia in iudicio. Ex quo beatus rex Ladislaus de hoc praecipue commendatur in legenda, ubi dicitur de eo, quod *in examinandis iudiciis non tam iudicare, quam iudicari, sibi que magis iudicium terribile imminere credebat, quam his, qui ab eo iudicabantur*. 3 De ipsa ergo pro aedificatione rectorum et iudicium quorumcumque quoad praesentem materiam quaeri sufficiat amore brevitatatis tantum de eius obligatione. De qua quaeritur, utrum in omni iudicio et casu sub necessitate salutis quamcumque causam teneatur semper iudex quilibet iuste iudicare. Ad quod respondetur per conclusionem, quod sic. Et ostenduntur tripliciter: · Primo per varias leges · Secundo per rationes · Tertio per exempla et similitudines Primo per varias leges. Et primo quidem per legem naturalem, quae dictat, quod *quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*, et quod tibi fieri non vis, aliis ne facias. Patet Luc. VI. 4 et dist. I. „Ius naturale” 5. *Sed nullus vult sibi a quoquam fieri iniustitiam, ergo* etc. Secundo per legem divinalem. Levit. XIX.: *Ego Dominus Deus vester, nolite facere aliquid iniquum in iudicio, nec iniuste iudicabis, non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis*. 6 Item eiusdem XXIV.: *Aequum iudicium sit inter vos, sive civis sive peregrinus fuerit, qui peccaverit, quia ego Dominus Deus*. 7 Deut. XXIV.: *Non pervertes iudicium advenae et pupilli*. 8 Tertio per legem evangelicalem. Matth. V.: *Amen dico vobis, nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum*. 9 Et iterum: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam*. 10 Et XXV.: *Ibunt iniusti in supplicium*. 11 Quarto per legem canonicam et etiam civilem. Nam extra de mutuis petitionibus c. „Prudentia” habetur scriptum, quod eo modo, quo quis vult sibi iustitiam fieri, sub eadem forma aliis respondere tenetur. 12 Item extra de probationibus c. „Contra in verbo negligentiam” 13 dicit Glossa et eam sequuntur doctores, quod scilicet iudex tenetur ad restitutionem, saltem in foro animae, si eius negligentia aliquod dandum incurrit pars quaecumque in iudicio, et hoc secundum Angelum de Clavasio, qui adducit Panormitanum super dicto c. „Maxime tenet”, quando iudex est in dolo et lata culpa. Et non solum de lata tenetur quoad Deum, sed etiam de levi, si diligentiam non adhibuit. Patet extra c. „Constituisti” II. q. V. in textu cum glossa et est tutius. Denique tota lex canonica et civilis est ordinata iustitia faciendae et servandae, ut ff. de iusti. et iur. l. iustitia, et plerisque locis colligi valet, quae transeo. Unde Augustinus De libero arbitrio: *Lex esse non videtur, quae iusta non fuerit*, 14 et ideo secundum leges tenetur iudex iudicare dist. IV. „Erit” etc. (C) Secundo ostenditur per rationes. Et primo ratione offensionis, quia iniustitia est peccatum mortale in suo genere, eo quod contrariatur charitati, quod infert nocumentum proximo, unde et visionis divinae privationem inducit iuxta Ps.: *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos, Domine*, 15 et per consequens damnabile vitium est. Haec secundum Thomam II. II. q. LX. ar. IV. Secundo ratione divinae maledictionis, quia omnes iudices iniusti a Deo maledicti sunt, Deut. XXVII.: *Maledictus – inquit –, qui pervertit iudicium advenae, pupilli et viduae* etc. 16 Tertio ratione divinae ultionis, quia iudices iniustos Deus quandoque punire solet multipliciter. Primo temporaliter flagellando, Ps.: *Propter iniustitias enim suas humiliati sunt*, 17 et Eccli. X.: *Regnum a gente in gentem transfert propter iniustitias et dolos* etc. 18 Secundo mala morte perimendo, ut patet de Pilato, qui Christum iniuste iudicavit morti, et ideo in exilium a caesare religatus, propria manu se occidit secundum Eusebium. Unde Ps.: *Virum iniustum mala capient in interitu, cognovit Dominus iudicium inopis et vindictam pauperum*, 19 scilicet ad ulciscendum. Tertio in iudicio aeternaliter damnando, ut patet ex praedictis. Hinc Gregorius: *O homo, qui iudicas in terris, memento, quod et tibi iudex est in caelis, a quo tibi eadem mensura remetietur, qua mensus fueris*. Haec ille, et sic patet. (D) Tertio ostenditur per exempla et similitudines, quia legitur de Achab, ut scribitur III. Regum XXI., quod cum rex Achab iniusto iudicio procurante Iezabel uxore sua interfecisset Naboth, ut possideret vineam illius, Dominus eum et uxorem eius punivit morte mala pro signo damnationis. Et praedixit per Eliam dicens: *In loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent sanguinem tuum* et Iezabelis. 20 Et certe sicut iustum est latrones et fures occidi, ac daemones damnari, sic iustissimum est iniustos iudices Dei iudicio puniri, et morte et damnatione, quia ut Augustinus dicit: *Ablata iustitia quid sunt regna, nisi latrocinia*. 21 Immo tales plus nocent, quam latrones. Idem Augustinus: *Nihil est similis daemonum actibus*, 22 quam litigare iniusto iudicio et damnare animas. Ad idem facit exemplum de Susanna, quam impii iudices iniuste iudicaverunt, et propter hoc male ipsi perierunt, Dan. XIII. Item per contrarium de Traiano, qui pro eo, quod iustissimus fuit, promeruit per orationem beati Gregorii liberari. Et sic patet. Ad idem faciunt exempla etiam paganorum. Refert enim Valerius li. VI., quod quidam princeps, nomine Zalentius, 23 statuerat, quod deprehensus in adulterio utroque privaretur oculo. Accidit autem, quod eius filius unicus deprehenderetur in adulterio, noluit quoque illi parcere etiam ad petitionem multorum. Sed tamen, ne legi fieret iniuria, et etiam ne eius filius inutilis ad omnia redderetur, si totaliter caecus fieret, praecepit, ut unum oculum sibimet, et alterum filio oculum eruerent, et sic iustitiae satisfaceret. 24 Narratur etiam de Alexandro imperatore, quod cum apud eum accusatus fuisset quidam iudex iniquus, quod solitus fuerat iudicia pervertere propter munera, imperator mandavit ipsum excoriari, et de pelle eius sedem fieri. Constituens autem eiusdem filium iudicis in iudicem ordinavit, quod semper in illa sede ex corio paterno facta iudicaret, quatenus recordaretur, quod si iniuste iudicaverit, simili morte puniretur. Beatus itaque rex Ladislaus bene semper recogitavit de iudicio divino, in quo omnes puniendi sunt iniusti aeterna morte, ideo multum timuit et maximam diligentiam adhibuit, ne umquam iniuste iudicaret. (E) Circa secundum de regali eius clementia, in qua etiam beatus rex Ladislaus maxime floruit, quia ut legitur de eo: *Rigorem iustitiae lenitate temperans misericordiae talem se erga subditos exhibuit, ut potius amaretur, quam timeretur*. 25 *Et tantam pietatis clementiam in omnes exhibuit, ut mutato proprio vocabulo rex pius ab omnibus nominaretur*. 26

Unde hic quaeritur: Utrum melius sit facere semper in iudiciis secundum misericordiam, quam secundum iustitiam, aut econverso. Et ratio quaestionis est, quod Iacobi II. scribitur: *Iudicium sine misericordia fiet illis, qui non fecerunt misericordiam.* 27 Superexaltat autem misericordia iudicium. Haec ibi. Ad haec respondetur secundum doctores distinguendo, quod aut talis faciens iustitiam quoad proximum est persona publica, ut est iudex et princeps, rector vel quicumque officialis, aut est persona privata similiter ille, cui debet fieri iustitia, et aut est bonus, aut est malus. Hac ergo distinctione praemissa nota pro responsione ad quaesitum tres praecipuas veritates. Prima veritas, quod quando certum est proximum, cui fieri debet iustitia, fore malum, melius est, ut persona publica sibi faciat secundum iustitiam, quam secundum misericordiam. Ratio: quia malus per iustitiam corrigitur, sed per misericordiam deterioratur, nec formidat sic deterius agere. Unde Ambrosius li. I. De officiis et XXIII. q. IV. „Est iniusta” dicit, quod *iniusta est misericordia, si quis latronem filiis deprecantibus motus et lacrimis coniugis vel aliorum flexus absolvendum putat, cui adhuc latrocinandi aspirat affectus. Nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem.* Et infra: *Nonne cum uni indulget indigno, ad prolapsionis contagium provocat universos. Facilitas enim veniae incentivum tribuit delinquendi.* 28 Haec Ambrosius. Item C. de episcopali audientia L. „Nemo” dicitur: *Remissionem veniae crimina non semel commissa non habeant.* Secunda veritas, quod quando certum est eum, cui facienda est iustitia, fore bonum, melius est publicae personae, ut faciat sibi misericordiam, quam secundum rigorem iustitiae punitivae. Ratio: quia talis paratus est se emendare, et melior ex hoc efficitur. Sed haec veritas intelligenda est, si persona publica, hoc est: iudex vel officialis facere potest salvus legibus, quod si non potest sic, tunc tenetur facere, quod dictat iustitia. Unde hic locum habet, quod Gregorius XLV. dist. dicit c. [„Disciplina”]: *Disciplina vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos inesse debet rectoribus et iuste consulens misericordia, et pie serviens disciplina.* Haec ibi. (F) Sed quoniam non potest omnino certus esse homo de bonitate alicuius aut malitia, ideo quaeritur: Quid, si dubium sit, utrum proximus sit bonus aut malus. Respondetur secundum Lyrum in Postilla super praescriptam auctoritatem Iaco. II., scilicet: „Superexaltat misericordia iudicium” 29, quod in casibus dubiis inter misericordiam et iustitiam semper declinandum est ad partem misericordiae. Unde et Christus interrogatus de muliere in adulterio deprehensa, utrum deberet lapidari, quamvis omnia sciverit, tamen ad misericordiam declinavit damnando culpam et salvando naturam dicens: *Vade, amplius noli peccare,* ut habetur Ioh. VIII. 30 Hinc enim Christus in iudicio disceptabit de misericordiae operibus, et sic sunt intelligendae tales auctoritates, sicut patet de ista Iac. II. Scriptura: *Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam,* 31 scilicet ubi debet, puta: cum ille est bonus, quem aliqua fragilitate contigit peccasse, aut quando dubitatur in casibus de misericordia et iustitia. Nam dicit Chrysostomus, quod *facilius est reddere rationem de misericordia, quam de iustitia.* Aut etiam quando persona est privata, ut patebit in sequentibus. Hinc rabbi Salomon dicit super Exo., ut allegat Lyra, ubi supra, quod *apud Hebraeos fuit antiquarius constitutum, quod si maior pars iudicium in uno condemnet aliquem ad mortem, non propter hoc esset interficiendus, sed exspectanda est maior deliberatio. Si autem maior pars in uno liberet eum, est liberandus.* Haec ille. Tertia veritas, quod privatae personae semper melius est facere secundum misericordiam, quam secundum iustitiam, scilicet corporaliter punitivam. Unde Matth. V.: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 32 Et Lucae VI.: *Dimittite et dimittimini. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* 33 Idcirco XXIII. q. I. dicitur, quod vindicta privata est Deo servanda, qui dicit: *Mihi vindictam, et ego retribuam.* 34 O ergo omnes, qui diligitis iustitiam, diligite simul et misericordiam, immo plus misericordiam, exemplo beati Ladislai, ut et vos a Deo misericorditer iudicemini. O quam timendum est eis, qui nolunt, cum deberent proximis misereri, quia iudicium sine misericordia fiet eis. (G) Circa tertium principale de vicaria Dei in iudicio sit pro conclusione, quod in actu iudicii iudices tenent vicem Dei, et ideo debent in hoc Christum iudicem imitari. Haec conclusio patet per illud Deut. c. I. dictum ad iudices sic: *Quid iustum est, iudicate, sive civis sit, sive peregrinus, nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis et magnum, quia Dei est iudicium.* 35 Et Sap. VI.: *Audite reges et intelligite, discite iudices finium terrae, quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.* 36 Haec ibi. Quaeritur ergo hic: Qualiter vel in quibus iudices debent Christum iudicem imitari vel ei in iudicio conformari, ut sic poenam evadant, et Deo plurimum placeant? Ad quod respondendo accipiamus verbum David Ps. VII. dicentis: *Deus iudex iustus, fortis et patiens, numquid irascatur per singulos dies. Nisi conversi fueritis gladium suum, vibrabit arcum suum, tetendit et paravit eum. Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* 37 Primo ergo sicut Deus dicitur iustus iudex, sic debet esse et iudex terrenus iustus in seipso, ut nulli subiaceat vitio gravi. Unde Ambrosius super „Beati immaculati” dicit sic: *Iudicet ille, qui non agat eadem, quae in altero putaverit punienda, nec cum de alio iudicat, in se ferat sententiam,* 38 ut patet III. q. VII. „Iudicet”. 39 (H) Quaeritur: Utrum rector vel iudex aut officialis existens in se malus, peccet mortaliter iudicando malos vel quoscumque homines. Respondet frater Angelus de Clavasio secundum Alexandrum de Hales in III., quod *mortaliter peccat, quia coram Deo suspensus est quoad se, etiam si peccatum sit occultum, et ideo peccat talis officium exsequendo.* Petrus tamen de Palude in IV. dist. XIX. tenet hoc verum fore de praelato in spiritualibus, sed secus de praelato in temporalibus, quia si iudex suspendit aliquem latronem, non peccat mortaliter, licet ipse sit in mortali. Idem tenet sanctus Thomas in IV. et Archidiaconus I. dist.: *Tutius ergo est iudici, cum accedit ad iudicium contritionem formare de peccatis,* ne Christus sibi dicat illud Ioh. VIII.: *Qui sine peccato est, in illam lapidem mittat* etc. 40 Secundo sicut Deus dicitur iudex fortis, sic iudex terrenus debet esse constans fortiter, ne flectatur quoquo modo ad pervertendum iudicium. Nam Gregorio teste XI. q. III.: *Quattuor – inquit – modis humanum iudicium pervertitur. Primo timore, dum metu alicuius potestatis veritatem loqui pertimescimus. Secundo cupiditate, dum praemio alicuius animum corrumpimus. Tertio odio, dum contra quemlibet adversarium molimur. Quarto amore, dum amico vel propinqui contendimus praestare auxilium.* 41 Haec Gregorius. Unde cavere haec debet fortiter iudex. Tertio, sicut Deus est iudex patiens et tranquillus – non enim irascitur per singulos dies, quamvis per quotidiana peccata provocetur –, sic iudex et rex terrenus debet esse patiens, et ab ira tranquillus. Nam Iac. I.: *Ira viri iustitiam non*

operatur. 42 Super quae verba Beda XI. q. III. „Ira” dicit: 43 *Qui iratus in aliquem sententiam profert, etsi ille quantum ad se iustam reportat sententiam, iste tamen, qui non amore iustitiae, sed livore odii sententiam dedit, iustitiam Dei non imitatur.* Unde leges statuerunt iudicem in iudicando et sententiam proferendo debere sedere, ut notatur in Authenticis § „Sedebunt”. Et hoc ad designandum mentis tranquillitatem. Ad haec XI. q. III. „Illa”. 44 Quarto. Sicut Deus minas infert peccatoribus: *Nisi – inquit – conversi fuerunt etc.*, scilicet a vitiis. Debet ergo comminationes facere iudex, scilicet ut partes convertantur ad pacem, et reo et actori et testibus pro veritate habenda, exponendo eis Dei iram, et graves legis poenas in transgressores. Nec debet pro lucro suo temporali gaudere de laetitiiis, vel quod peius est, iustitiam vendere, aut pecuniam accipere, ut expediat causam. Nam tenetur restituere de necessitate, si acceperit, secundum quod probat frater Angelus de Clavasio in Summa per capitulum „Statutum” de vita et hone. cle. et c. „Exigit” de censi. li. VI. Quinto. Sicut Deus est iudex iustus in dando sententiam, tamen semper contemperat cum misericordia, ideo dicitur: *Arcum suum tetendit.* 45 In quo misericordia significetur per cordam arcus, quae mollis est, et per lignum arcus durum et rigidum iustitia significatur. Sicque Deus paravit arcum sui iudicii ad sagittandum per diffinitivae sententiae sagittas ad condemnandum morte aeterna et igne. Sic iudex terrenus debet semper iustitiam temperare cum misericordia, ut supra dictum est ar. II. Unde Gregorius XLV. dist. [„Omnis”:] *Omnis – inquit – qui iuste iudicat, stateram in manu gestat, in utroque penso iustitiam et misericordiam portat, sed per iustitiam reddit peccati sententiam, per misericordiam peccati temperat poenam.* 46 Beatus rex Ladislaus haec omnia sollicitate observavit, et ideo vicem Christi optime tenuit in throno iudicii. Propterea ut loquitur verba Ambrosii III. q. VII. „Iudicet”: *Discite vos iudices saeculi, scilicet ex praemissis, quem in iudicando debeatis tenere affectum, quam societatem, quam sinceritatem, quam sobrietatem.* 47 Ut ergo meritis beati Ladislai regis det nobis Deus gratiam, ad ipsum preces fundamus, quatenus imitando caelestem gloriam obtinere valeamus. Amen.

---

1 II Par 9,8 2 Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, Lib. 25. – PL 76, 344B 3 SRH II, 518, 25-26 4 Lc 6,31 5 Decretum Gratiani, D. 1 c. 7 6 Lv 19,14-15 7 Lv 24,22 8 Dt 24,17 9 Mt 5,20 10 Mt 5,6 11 Mt 25,46 12 X 2. 4. 2. 13 X 2. 19, 11 14 Augustinus, *De libero arbitrio*. Lib. I, c. 5. – PL 32, 1227 15 Ps 5,6 16 Dt 27,19 17 Ps 106,17 18 Sir 10,8 19 Ps 139,12 20 III Rg 21,19 21 Cf. Auctor incertus (Augustinus?), *Ad fratres in eremo commorantes*. – PL 40, 1292 22 Augustinus, *Confessiones*. – PL 32, 685 23 Recte: *Zaleucus* 24 Valerius Maximus, *Dictorum factorumque memorabilium* Lib. IX, 6. Cap. 5. exten. 3 25 SRH II, 518, 27-519, 1 26 Cf. SRH II, 519, 5 27 Iac 2,13 28 Decretum Gratiani, C. 23 q. 4 c. 33 29 Iac 2,13 30 Ioh 8,11 31 Iac 2,13 32 Mt 5,7 33 Lc 6,37-38 34 Decretum Gratiani, C. 23 q. 1 35 Dt 1,16-17 36 Sap 6,2 et 4-5 37 Ps 7,12-14 38 Ambrosius, *Expositio in Ps. 118*. – PL 15, 1493B 39 Decretum Gratiani, C. 3 q. 7 c. 4 40 Ioh 8,7 41 Decretum Gratiani, C. 11 q. 3 c. 78 42 Iac 1,20 43 Decretum Gratiani, C. 11 q. 3 c. 68 44 Decretum Gratiani, C. 11 q. 3 c. 67 45 Ps 7,13 46 Decretum Gratiani, D. 45 c. 9 47 Decretum Gratiani, C. 3 q. 7 c. 4

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XVII.] Pro sancto Ladislao rege Sermo quartus de profectu spirituali *Proficiebat rex vadens et crescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo*. I. li. Paral. c. 1 (A) Quamvis haec verba litteraliter dicantur de David rege, merito tamen et congrue accipi possunt et dici etiam de beato Ladislao rege, quoniam sicut David passus multam persecutionem a rege Saule, tandem Dei ordinatione in regem est electus, et Saul est a Domino abiectus. Proficiebat quoque David crescens in omni prosperitate, et Dominus erat cum eo eum in suis operibus manifeste dirigendo. Sic beatus rex Ladislaus postquam est passus multas persecutiones a rege Hungariae, nomine Salomone, factum est divina ordinatione, ut ille abiceretur, et beatus Ladislaus in regem eligeretur, qui proficiebat in omnibus prosperando, et Dominus erat cum eo dirigendo ipsum, et quod est optimum, *proficiebat semper crescens* in omni virtute et sanctitate. Et in hoc nobis proponitur in exemplum imitandi, ut scilicet proficiamus in virtutibus et salutis acquisitione, quia ut Origenes super li. Numeri homilia XVII. dicit: *Anima Sanctae Trinitatis igniculo succensa numquam potest otiari et quiescere, sed semper a bonis ad meliora, et a melioribus iterum ad superiora provocatur.* 2 Haec ille. Unde pro nostra aedificatione ad honorem beati Ladislai accipimus verba praemissa pro sermone. In quibus commendatur et in exemplum nobis proponitur de tribus ad imitandum: · Primo de spirituali profectu, unde dicitur, quod *proficiebat rex* · Secundo de eius gradu progressu. Nam dicitur: *Vadens et crescens* · Tertio de praesidii Dei proventu, ibi: *Dominus Deus exercituum erat cum eo* (B) Circa primum de profectu spirituali Christianorum sint pro conclusione verba Augustini et Bernardi in epistola ad Garrinum: *Tota vita Christiani desiderium est iustitiae* 3, *ut semper proficere studeat ad meliora.* 4 *Minime pro certo bonus est, qui melior esse non vult. Et ubi incipit nolle fieri melior, desinit esse bonus.* 5 Declaratur tripliciter: · Primo per auctoritates · Secundo per rationes · Tertio per exempla et similitudines Primo per auctoritates. Nam Salvator Matth. V. dicit: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* 6 Bernardus ubi supra, scilicet ad Garrinum abbatem: *Iustus – inquit – numquam arbitratur se comprehendisse, numquam dicit satis esse, scilicet se bonum, sed semper esurit sitiique iustitiam, ita ut si semper viveret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur.* 7 Haec ille. Unde et Prover. IV.: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem,* 8 scilicet gloriae, quae est in patria. Secundo per rationes. Quarum prima est ex parte Dei, quia ut dicit idem Bernardus ad Henricum episcopum: *Solet divina pietas sic ordinare, ut quanto quis plus proficit, eo minus se reputet profecisse.* 9 Et ad idem Cassianus li. Collationum dicit, quod *quanto quis magis proficit et fuerit mente purgator, tanto se sordidiorem videns, magis humilitatis, quam elationis causas invenit.* 10 Sicut exempli gratia, quanto quis puriorem lucem solis per fenestram intrantis intuetur, tanto plures pulveres in eo videt, quos praeter lucem solis vel radium non videt. Sic etc. Unde patet, quod mundani magna peccata in se pro nullo reputant, spirituales autem etiam minima deplorant et reformidant, ergo etc. Secunda ratio ex parte viae caelestis regni, quia videmus, quod in via cuiuscumque civitatis non progredi idem est, quod regredi, quia sicut retrogradans, ita et in via perstans numquam perveniet ad civitatem. Ideo Augustinus de verbis



Apostoli dicit: *Semper ambula, semper profice, noli in via deficere, noli retroire, noli deviare, remanet, qui non proficit, retrocedit, qui ad ea revertitur, unde iam recesserat, deviat, qui apostatat, scilicet a praeceptis declinando.* 11 Tertio per exempla. Nam videmus, quod omnia sub caelo crescere diligunt naturaliter, ut patet de plantis, herbis et corporibus humanis. Homo enim usque ad dimidium vitae, videlicet XXXV. annum crescit, et post decrescit, ut dicit Richardus in sermone. Si delectatur ergo homo crescere, et dolet decrescere in corpore, quanto magis hoc velle debet in mente. Semper ergo debet homo extimare, quasi vix adhuc coeperit Deo servire, et conari ad melius serviendum. Unde legitur de beato Francisco, quod *cum multum servivisset a iuventute Deo, et iam esset prope mortem, dicebat fratribus: „Incipiamus, fratres, servire Deo, quia adhuc modicum fecimus.”* Legitur etiam, quod *quaedam anima damnata apparuit cuidam suo caro. Quae interrogata ab illo, scilicet qualis poena esset in Inferno maior, respondit, quod maximum dolorem animae damnatae in hoc habent, quod in hac vita potuissent parvo tempore lucrari caelum et visionem beatam Dei in bono opere vivendo et proficiendo, et non faciendo se aeternaliter perdiderunt.* (C) Sed quaeritur: Unde est hoc, quod nullus hominum in hac vita potest habere omnes virtutes simul, nec tantum in virtutibus proficit, quantum desiderat? Ad hoc Gregorius XII. Moralium respondet dicens: *Nemo est, qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat, quia omnipotens Deus interiora discernens ipsis spiritualibus proventibus modum ponit, ut ex hoc homo quod apprehendere conatur et non valet, in illis se non elevet, quae valet.* 12 Idem in homilia super Ezechielem in prima parte dicit: *Non enim uni dantur omnia, ne in superbiam elatus cadat. Sed huic datur, quod tibi non datur, et tibi datur, quod illi denegatur, ut dum iste considerat bonum, quod habes, et ipse non habet, te sibi in cogitatione praeferat. Et rursus dum tu habere in illo conspicias, quod ipse non habes, te illi in tua cogitatione postponas. Et sit, quod scriptum est, superiores sibi invicem arbitrantes.* 13 Haec Gregorius. Et ponit ibidem exemplum de regionibus terrarum, quia *quamvis Deus potuisset unicuique regioni fructus omnes tribuere, sed non tribuit, ut sic una alteri conicet, quod illa indiget, unde fit, ut huic vini, alteri olei, alteri animalium abundantiam tribuat. Sic in mentibus sanctorum alteri dedit Deus virginalem puritatem, alteri scientiae et doctrinae praeclaritatem, alteri patientiam martyrii, alteri pietatem misericordiae, alteri vitae austeritatem, alteri magnae devotionis dulcedinem etc.* 14 Ad propositum in beato Ladislao habemus exemplum pietatis et misericordiae ac devotionis et iustitiae plurimarumque virtutum ad imitandum. (D) Circa secundum principale de gradibus proficiendi ad salutem. Quaeritur: Qualibus gradibus debeat proficere Christianus et ascendere crescendo in spiritualibus? Ad quod respondetur, secundum quod colligitur ex dictis sanctorum, praecipue sex sunt gradus, quos observare debet proficiens ad salutem. Primus gradus dicitur animi absolutio, scilicet ab omni mala affectione et peccati delectatione. Non enim potest oneratus gravi pondere et compedibus peccatorum ligatus ascendere. Unde Beda super Lucam: *Nisi quis a seipso deficiat ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat.* 15 Unde debemus onera deponere vitiorum nostrorum non solum mortalium, sed et venialium, ut possumus. Quoniam Anselmus li. De conceptu virginali, c. XXVII.: *Impossibile est – inquit – aliquem hominem cum aliquo quamvis parvo peccato salvari.* 16 Haec ille. Sed quaeritur, quomodo venialia impediunt nostram salutem. Respondetur secundum doctores: *Venialia licet non damnant aeternaliter, tamen a gloria retardant caelesti, usque quo hic vel in Purgatorio expiantur;* et quia saepe in mortale ducunt. Gregorius in Pastoralis: *Qui minima peccata deflare ac evitare neglexerit, a statu iustitiae non repente, sed paulatim cadit.* 17 Iuxta illud Eccli. XIX.: *Qui spernit modica, paulatim decedit.* 18 Et pro tanto dicuntur a salute impedire, quia a visione Dei retardant. Sic etiam impediunt profectum, in quantum diminuunt fervorem charitatis, et devotionem tepescere faciunt notabiliter. Unde qui vult proficere, diligenter debet cavere omnia peccata. Et licet nequeat ex toto omnia venialia cavere, tamen debet se moderare, quantum potest. Unde Hieronymus in epistola: *Mens Christo dedicata sic cavere debet minora, quomodo maiora, quia multiplicata gravant.* 19 Beatus Ladislaus sic curavit proficere plene Deum diligendo. Secundus gradus bonae voluntatis firma tentio. Unde Bernardus De libero arbitrio c. XV.: *Velle bonum profectus est, velle malum defectus. Sola voluntas si fuerit bona, bonam facit animam, si vitiosa, vitiosam.* 20 Sed quia homo – sicut ait Iob numquam in eodem statu permanet, 21 aut enim proficit, aut deficit, proficiendum est in hac bona voluntate. 22 Haec ille. Item Richardus De Benjamin adol.: *Quidquid homo agat, bonum esse non potest, nisi ex bona voluntate procedat. Quidquid ex bona voluntate sit, malum esse non potest. Sine bona voluntate omnino salvari non potes, cum bona voluntate omnino perire non potes.* 23 Haec ille. Unde si volumus proficere, debemus fixam voluntatem tenere in bono. Nam qui mutatur in voluntate, nunc vult et incipit bonum agere, et non continuat, sed post aliquot dies incipit aliud et primum deserit, talis non proficit. Bernardus: *Qui unam et rectam tenuerit viam, cito pervenit, quo tendit. Si vero varias mutat vias, faciliter errat, nec laborum habebit finem, quia error non habet finem. Maxime autem cavendum est proficienti, ne voluntas declinet a bono in malum, quia – ut dicit Bernardus – per bonam voluntatem incipimus esse Dei, et per malam voluntatem incipimus esse diaboli.* 24 Beatus Ladislaus totaliter in bono firmavit voluntatem volens, quod Deo placebat. Tertius gradus est consilii susceptio, ut scilicet in faciendis bonis operibus spiritualium virorum consilia humiliter requirat. Unde Cassianus dicit, quod sola humilitate acquiritur virtus discretionis, 25 cuius primum initium est omnes cogitationes et temptationes spirituali patri revelare, a quo possit informari. Hinc etiam Eccli. XXXII.: *Fili mi, sine consilio nil facias, et post factum non poenitebis.* 26 Sic fecit beatus Ladislaus. (E) Quartus gradus est discretio, nam sanctitas vitae non consistit in arto ieiunio vel vigiliis et corporalibus exercitiis, sed in virtutibus, scilicet in humilitate, castitate, misericordia, oboedientia, patientia. Et ideo illa exercitia corporalia discrete sunt assumenda. Et in tantum sunt laudabilia, in quantum homines disponunt ad virtutes. In discretum enim fervorem habentibus diabolus suggerit artiozem vitam, ut cito deficient, et inutiles fiant Deo et proximo, aut in insaniam incidant. Unde Isidorus De summo bono, li. II. c. XXXVI.: *Qui dilabuntur ad vitia, non statim a magnis criminibus incipiunt, sed a modicis assuescunt, et sic ad maxima ruunt. Sic ad virtutis columen tendens non a summis inchoant, sed a modicis, ut sensim ad altiora pertingant. Qui autem inordinate virtutes comprehendere nititur, cito periclitatur, sicut herbae tanto festinius pereunt, quanto celerius crescunt.* 27 Haec ille. Unde Cassianus in Collationibus patrum scribit, quod quidam Antonium interrogaverunt, quae virtus hominem ad perfectionem recto tramite veheret diaboli insidiis evitatis. Et cum alius diceret, quod

vigiliae et ieiunia, alius autem, quod paupertas, alius, quod opera misericordiae, demum sanctus Antonius dixit: Haec omnia bona sunt, sed sola est discretio, quae omnium virtutum generatrix, custoditrix et consummatio existit. 28 Proinde Bernardus super Cantica dicit: Discretio est mater omnium virtutum, tolle hanc, et virtus vitium erit, 29 haec ille. Beatus Ladislaus hanc tenuit. Quintus gradus est exercitatio in bonis operibus. Unde in Vitis patrum senex quidam dixit: propterea non proficimus, quia nescimus mensuras nostras, sed sine labore aliquo volumus virtutes possidere. 30 Augustinus sermone dedicationis: Laboremus – inquit –, ut nobis bonorum operum clavibus ianuam regni caelestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus, quasi quibusdam seris et vectibus, vitae nobis ianua clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur. 31 Haec ille. Beatus Ladislaus multa opera bona fecit ieiunando, vigilando in oratione et misericordiae opera exercendo. Vide legendam. Sextus gradus est finalis perseveratio. Unde Isidorus De summo bono li. II. c. VII. dicit: Inchoantibus praemium promittitur, sed perseverantibus datur. Tunc enim placet Deo conversatio nostra, quando bonum, quod inchoamus, perseveranti fine complemus. 32 Haec ille. Haec claruit in beato Ladislao, qui fine bono perseverans consummavit, ut patet prosequendo, si placet, legendam de eius obitu, ergo etc. O ergo Christiana anima, disce proficere his gradibus. (F) Circa tertium de proventu divini praesidii sit pro conclusione verbum Ambrosii De Iacobo li. II. dicentis, quod perfectis et fidelibus divina adesse solent praesidia, 33 et hoc ex Sacra Scriptura clare patet in liberatione Abraham de fornace Chaldaeorum miraculose Gen. XIX., qui cum non adoraret ignem, quem colebant Chaldaei pro Deo, missus est et proiectus in ignem, ut experiretur virtutem eius, et divino miraculo combustionem non sentit, sed evasit. Item in Sara, uxore Abrahae, quam cum tulisset rex Aegypti, Deus affuit regem flagellando et Saram liberando, ut habetur Gen. XII. Item in Iacob, quem Deus protexit miraculose in persecutione Esau, et in David, quem protexit a Saul, et in multis aliis. Unde Ps.: Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari etc. 34 Ad propositum loquendo de sancto rege Ladislao legimus, quod divinum auxilium sibi affuit miraculose tam in persecutione sui fratris, videlicet regis Salomonis, quam in bellis plurimis, quae gessit cum suo fratre contra ipsum Salomonem coactus ut fertur in chronicis, quem et adeo superavit, ut ipsum incarceravit. Item in bello Tartarorum, quos divino auxilio de regno effugavit, qui ut fertur in illa via fugientes, pecunias proiebant, ut illarum cupiditate exercitus insequens illos detineretur. Sed ad preces Ladislai omnis multitudo illarum pecuniarum mox in lapides vertebatur, quarum vestigia expressa usque hodie cernuntur, ut dicitur a multis, qui fuerunt in viis illis Transilvaniae 35. Sed et ibi cernuntur fontes miraculose de petris erupti ad preces beati Ladislai pro refocillatione, ubi et vestigia infixae eius lanceae ac galeae in petris tamquam in cera impressa dicuntur et nunc manere. Et ad haec facit testimonium aliquantulum legenda in bello contra latrunculos Byssenorum, ut patuit sermone I. sub littera „G”. (G) Quaeri hic potest pro aedificatione principum et potentum nobilium vel civium vel aliorum rectorum et officialium: Unde homines divina praesidia amittere demerentur, ne in suis factis vel in regimine prosperentur? Ad quod nota, quod hoc primum vitium, per quod demeretur homo, est iuramenti fractura, patet de Sedecia rege et Ioakim Ieremiae XXII.: Scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis non prosperabitur. 36 Denique sicut colligi potest ex Scripturis, praecipuum secundum est superbia, ut patet de Saule rege, qui cum esset humilis, a Deo est electus, et tamdiu est prosperatus, quamdiu Deo oboedivit humiliter. Postquam autem elevatum est cor eius, est abiectus et semper decrevit. I. Reg. XV.: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, unxitque Dominus te in regem. Sed quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis rex super Israel. 37 Hinc Iudith VI. ca.: Domine Deus caeli et terrae, ne derelinquis praesumentes de te, et praesumentes de se et de sua virtute gloriantes humilias. 38 Ad idem exemplum de Nabuchodonosor, qui pro superbia est punitus, ut tamquam bestia cum feris habitaret, a regno deiectus et per humilitatem est iterato reditus post septem annos, Dan. IV. Tertium vitium est luxuria. Unde Ezech. XXII.: Sordida nobilis grandis interitu, 39 quod dicit: Licet sit nobilis, est tamen sordida per luxuriam, et ideo erit grandis interitu. Unde et paulo post subditur: Unusquisque in proximi sui uxorem operatus est abominationem, 40 et ibidem praemittitur: Propterea dedi te opprobrium gentibus, et triumphabunt de te sordida nobilis. 41 Exemplum de David II. Reg. XII., cui dixit Dominus per Nathan: Non recedet a te gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod tuleris uxorem Uriae Hethaei, ut esset uxor tua. 42 Nam et de regno fuit expulsus. Quartum vitium est iniustitia. Eccli. X.: Iudex sapiens iudicabit, scilicet iuste, populum suum et principatus stabilis erit. 43 Et infra: Regnum de gente in gentem transfertur propter iniustitias et iniurias et diversos dolos. 44 Item Ps.: Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, transivi, et ecce non est inventus locus etc. 45 O, si essent principes, milites et nobiles ac iudices et rectores, qui amarent iustitiam, omnes bene staremus, quia Cyprianus dicit: Quaeque bona in regno operatur iustitia, sed remota iustitia ut ait Augustinus quid sunt regna, nisi latrocinia? 46 Propterea Deus irascitur et adversa infligit. Nam Proverb. X.: Benedictio Dei super caput iusti, sed nomen impiorum putrescet. 47 Augustinus: Si iustus essem, non timerem. Haec ille. Quintum est Ecclesiae et sacrorum irreverentia, ac rerum Ecclesiasticarum rapina. Eccli. XXIX.: Cum perdidit reverentiam, derelinquetur. 48 Et eiusdem XXXII.: Pro reverentia accedet tibi bona gratia. 49 Unde refert Valerius de Pompeio, quod ipse fuit antea fortunatissimus victor super hostes. Sed posteaquam in porticu ecclesiae equos stabulari fecit, numquam pugnavit, quin vinceretur. Ad haec optimum exemplum Daniel V. Baltassar, qui vasa templi Domini irreverenter exponens, ut biberent ex eis rex et optimates et uxores et concubinae, apparuerunt mox digiti manus in pariete contra candelabrum scribentes: Mane tetel phares, quod Daniel interpretatus dixit: mane, id est: 'numeravit Deus regnum tuum'. Tetel, id est: 'appensus es, inventus es et minus habens'. Phares, id est: 'divisum est regnum tuum', et datum est Medis et Persis, et sic factum est eadem nocte Baltassar interfecto. Heu, heu, o Deus meus, quam multi sunt nostris temporibus principes, qui spoliant ecclesias, et rapiunt earum possessiones ac bona abbatiarum et episcopatum, quae fundaverunt sancti priores reges et principes, ut sanctus Ladislaus rex et sanctus Stephanus in Hungaria, sanctus Wenceslaus in Bohemia, sanctus Henricus in Bavaria. Illi et multi et alii alibi fundantes ecclesias fuerunt Deo devoti dotantes eas. Isti autem moderni rapiunt et annullant eas. O, si nunc viveret sanctus Ladislaus vel sanctus Stephanus rex et huiusmodi, nonne punirent tales depraedatores ecclesiarum. Utique quanta magis in Dei iudicio stabunt

*contra eosdem ad condemnandum. De talibus conqueritur Hieronymus in epistola ad Eusebium dicens, quod recipiunt superfluitatem sibi vestimentorum, de pauperibus frigore et nuditate morientibus non curantes. Ipsi sibi erigunt magna palatia et aedificia, ut ea humani oculi contemplerentur, non attendentes, quod pauperes in plateis moriantur. Convivia frequenter praeparant sibi et divitibus, replent ingluviem, sed fame pauperes pereunt. Et subdit: Epulemini et inebriemini, non enim post mortem ammōdo facietis, sed cum divite epulone in tormentis gehennalibus guttam aquae optabitis, nec habere poteritis, 50 haec Hieronymus. Hortor ergo omnes fideles tam principes quam divites et pauperes communes homines, ut exemplo beati regis Ladislai caveamus ab omnibus peccatis, et in sancta vita Christiana proficere studeamus, et humiliter Deum oremus, ut beati Ladislai meritis det gratiam et gloriam.*

---

1 I Par 11,9 2 Cf. Hrabanus Maurus, *Enarrationes in librum Numerorum*, cap. 24. – PL 108, 749D 3 Cf. Augustinus, *In Iohannis epist. ad Parthos tractatus*. PL 35, 2008 4 Cf. Bernardus, *Ep. CCLIV, Ad abbatem Garrinum*. – PL 182, 929B 5 Bernardus, *Ep. XCI, Ad abbates sessione congregatos*. – PL 182, 224A 6 Mt 5,6 7 Bernardus, *Ep. CCLIV*, op. cit. – PL 182, 460AB-C 8 Prv 4,18 9 Bernardus, *Sermones de diversis*, Sermo XXV. PL 182, 607B 10 Cassianus, *Collationes*, cap. 21. PL 49, 1278A 11 Augustinus, *Sermones de Scripturis*. Sermo CLXIX, cap. 15. PL 38, 926 12 Gregoris, *Moralia in Iob*, lib. XII, cap. 2. PL 75, 987B 13 Phil 2,3; Gregorius, *Homeliae super Ezechielem*, pars I, Hom. X. PL 76, 899B 14 Cf. Gregorius, *Homeliae*, op. cit. – PL 76, 900C-901B 15 Walafridus Strabo, *Evangelium secundum Lucam*, cap. IX, 23. PL 114, 279C 16 Anselmus Cantuariensis, *De conceptu virginali et peccato originali*, cap. 28. (al. 27). PL 158, 462B 17 Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, cap. 33. PL 77, 116A 18 Sir 19,1 19 Cf. Incertus auctor (Hieronymus?), PL 22, 1207 1098 20 Cf. Bernardus, *De gratia libero arbitrio*. PL 182, 1010C 21 Iob 14,2 22 Cf. Bernardus, *Epistolae*. PL 182, 460 23 Richardus a S. Victore, *Beniamin minor*, cap. 65. – PL 196, 46C 24 Cf. Bernardus, *De gratia et libero arbitrio*. PL 182, 1011 25 Cf. PL 49, 549A 26 Sir 32,24 27 Isidorus, *Sententiae*, Lib. II, cap. 36. PL 83, 637C 28 Cassianus, *Collationes patrum*. – PL 49, 525B, 526B 29 Bernardus, *Sermones in Cantica canticorum*, Sermo XLIX. PL 183, 1018D 30 *Vitae patrum*, Verba seniorum. PL 73, 897C 31 Incertus auctor (Augustinus ?), *Sermones de sanctis*, Sermo CCXXIX. PL 39, 2166 32 Isidorus, *Sententiae*, cap. 7. PL 83, 606 33 Ambrosius, *De Iacob et vita beata*, Lib. II, cap. 6. PL 14, 624 34 Ps 104,14-15 35 Editio: *Transserinae* 36 Ier 22,30 37 I Rg 15,17 et 26 38 Idt 6,15 39 Ez 22,5 40 Ez 22,11 41 Ez 22,4-5 42 II Rg 12,10 43 Sir 10,1 44 Sir 10,8 45 Ps 36,35 46 Augustinus, *Ad fratres in eremo commorantes*, Sermo XXXI. PL 40, 1292 47 Prv 10,6-7 48 Sir 29,23 49 Sir 32,14 50 Eusebius Cremonensis, *De morte s. Hieronymi*, cap. 21. PL 22, 252



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XVIII.] De festo apostolorum Petri et Pauli Primus sermo cum legenda et pro utroque *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum*. Ps. CXXXVIII. 1 (A) Scimus, carissimi, quoniam consuetudo est in curiis principum, quod quem rex decorat et honorat, hunc omnes subditi regis honorare solent. Unde poeta ait versum: *Quem rex decorat, populus decenter honorat*. Sic ex quo Christus, rex regum honoravit beatos apostolos Petrum et Paulum magnis privilegiis sanctitatis et miraculis per mundum, Petrum tamquam summum Ecclesiae pastorem, et Paulum omnium gentium doctorem celeberrimos faciendo. Idcirco dignum est, ut omnes homines, principes etiam et reges mundi ipsos honorent. Ad quod hortatur Gregorius ad Mauritium imperatorem scribens, ut habetur XI. q. I. „Sacerdotibus” dicens, quod *non est mirum, immo dignum et iustum est, ut imperator Christianus veri Dei sacerdotes honoret, quibus ipse Deus in suo eloquio honorem tribuit suo loco*. Sed quoniam istos, scilicet beatos Petrum et Paulum Deus fecit summos inter omnes sacerdotes, idcirco merito per totum mundum ab hominibus honorantur, quod David in spiritu praevidens dicit: *Mihi, scilicet in persona fidelium, nimis honorati sunt amici tui*, id est apostoli, *Deus, nimis confortatus est principatus eorum*, quia perpetuo stabilitati sunt in caelesti regno. Iuxta quae verba tria notabimus pro hoc sermone mysteria, secundum quod de tribus commendantur: · Primo de magna honorificentia, quia *nimis honorati sunt* · Secundo de Christi grata amicitia, quia *amici* – inquit – *tui, Deus* · Tertio de perpetua gloria, quia *nimis confortatus est principatus eorum* (B) Circa primum de honore istorum apostolorum sit pro conclusionis documento, quod Christus benedictus sanctos istos apostolos maximis sublimavit honoribus. Et hoc tribus: · Primo honore summae dignitatis · Secundo honore summae potestatis · Tertio honore summae sanctitatis Primo nimis honorati sunt isti beati amici Dei honore summae dignitatis, quando constituit Deus eos praelatos Ecclesiae. Nam XXIV. q. I. „Quodcumque” dicit Augustinus, quod tunc claves Petro sunt datae, quando Ecclesia fuit sibi data. Sicut ergo maximus honor est alicui, quando rex magnus committit ipsi omnes claves domus suae, et omnes thesauros et omne regnum suum, sic fecit beatis istis Christus, rex regum iturus ad Patrem. Quod sic declaratur. Et primo de thesauris, Deus enim habet thesaurum infinitae potentiae et sapientiae et misericordiae, ut clarum est, et tamen Deus dedit Petro et Paulo thesaurum suae 2 potentiae quodammodo infinitae in Eucharistiae consecratione, quia secundum Magistrum Sententiarum li. IV. dist. XI. per eandem potentiam, scilicet infinitam conficitur corpus Christi, per quam creatus est mundus. Unde de consecratione dist. II. „Quia corpus” Eusebius dicit: *Sicut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa caelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, ita pari potestate in spiritualibus sacramentis, ubi praecipit virtus, servit effectus*. Et quia Paulus fuit sacerdos, idem habuit, sed sub Petro. Item dedit eis thesaurum sapientiae, scilicet in doctrina evangelii Christi, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi*, Col. II. 3 De his Leo papa dicit: *Petro sicut bono dispensatori Christus claves regni caelestis dedit, Paulo tamquam idoneo doctore magisterium ecclesiasticae instructionis iniunxit, ut quos iste erudiret ad salutem, ille susciperet ad quietem*. Tertium autem thesaurum, scilicet misericordiae quamvis et istis communicaverit, tamen praecipue super hunc constituit thesaurariam Beatam Virginem Matrem, quae est mater



gratiae et *mater misericordiae*, ut canit Ecclesia. O ergo peccator, si vis misericordiam, accede primum ad Mariam, deinde pro absolutione a peccatis accede ad Petrum, id est presbyterum confessorem. Et si opus est in casibus dubiis, accede ad Paulum, id est doctorem Ecclesiae, ut evadas diaboli laqueos, et salutem consequi noveris et valeas. (C) Secundo declarantur praedicta de clavibus et domibus regni Dei. Notare namque placeat, quod Deus habet varias domus, per quas variis clavibus intratur, super quas omnes et singulas constituti sunt Petrus et Paulus et sacerdotes. Prima domus est Ecclesia militans, in qua habitant peregrini viatores ad patriam tendentes. In hanc intratur per clavem baptismi, quia baptismus est ianua et fundamentum omnium sacramentorum Ecclesiae, ut de consecratione dist. IV. per totum. Huius commissionem a Christo habet Petrus, quia ipse et successores sacerdotes habent sacramenta conficere et ministrare aliis, ut clarum est secundum doctores. Secunda domus Dei est caelestis patria, cuius clavis est post baptismum actus poenitentiae et bonorum operum, ut scilicet homo declinet a malo per poenitentiam, et faciat bona opera. Ps.: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos. Declina a malo, et fac bonum*, etc. 4 Huius ergo clavis est absolutio a peccatis cum actione boni operis. Unde Matth. XVI.: *Tibi dabo claves regni caelorum, quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis*, etc. 5 Et Augustinus sermone dedicationis: *Laboremus – inquit –, fratres, ut bonorum operum clavibus regni caelestis ianuam aperire possimus*. Sicut enim malis operibus quasi quibusdam seris ac vectibus vitae nobis ianua clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur. Haec clavis, scilicet absolutionis est commissa Petro Matth. XVI.: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis*. Tertia domus Dei est Purgatorium, in qua habitant debitis obligati. Eius clavis, per quam intratur, est clavis iustitiae. Iustitia enim requirit, ut nullum malum remaneat impunitum secundum Augustinum. Et ideo qui non solverunt hic sufficienter poenam pro peccatis debitam, exsolvere debent in Purgatorio, iuxta illud Lu. XII.: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*, 6 id est donec satisfacias in poenis etiam pro minimo peccato. Huius claves Purgatorii sunt sub manu Petri, quia virtute clavium magnam partem poenae debitae in Purgatorio potest sacerdos remittere, et papa per indulgentiam plenariam totam poenam remittit, ut qui consequatur, statim evolet in caelum, ut dicit Hostiensis et concordantes doctores super IV. dist. XX. Quarta domus est Infernus damnatorum, in qua habitant perpetuo incarcerati. Clavis, per quam intratur, est obstinatio et finalis impenitentia. Hanc Petrus non habet ad aperiendum, sed ipsemet Christus habet clavem Inferni, ut aperiat et claudat ibi peccatores, sicut ipse dicit Apoc. I.: *Habeo clavem mortis et Inferni*, 7 habet tamen Petrus ad ligandum peccatores vinculo excommunicationis et decernendo damnatione dignum peccatorem pro impenitentia et contemptu, Matth. XVI.: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis*. Unde Magister in IV. dist. XVIII. c. II. dicit: *Claves istae sacerdotales sunt non corporales, sed spirituales, scilicet scientia, id est auctoritas discernendi et potentia iudicandi, id est ligandi et solvendi, qua dignos recipere, indignos debet excludere a regno*. Item Maximus in sermone dicit: *Clavis caeli est lingua Petri, quia singulorum merita censendo apostolus unicuique regnum caeli aut claudit, aut aperit*. Haec ille. O ergo peccator, honora Petrum, ut tibi aperiat caelum. (D) Secundo honoravit eos Deus honore summae potestatis, scilicet in remittendo peccata, quod transcendit potestatem omnis creaturae, etiam angelicae, sed solius Dei proprium est. Luc. V.: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus*. 8 Gratia huius quaeritur, utrum sacerdos absolvendo potestate clavium a Deo sibi data vere remittat peccata. Et ratio quaestionis est, quia solius Dei est proprium remittere et peccata tollere, ut praedictum est. Et ad id plures sunt auctoritates et dicta sanctorum, ut infra patebit, quomodo ergo dicuntur sacerdotes absolvere a peccatis vel remittere. In huius autem contrarium est Ioh. XX., ubi dixit Christus apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc. 9 Respondetur secundum doctores et praecipue Richardum super IV. dist. XVIII. ar. II. q. I., quod utrumque verum est, quod peccata scilicet Deus remittit et etiam sacerdos, sed differenter, quia peccata remittere est solius Dei effective, et ut sic non potest remittere vel absolvere sacerdos, scilicet effective principaliter, sed tamen sacerdos absolvit et remittit ministerialiter et instrumentaliter illi, qui per attritionem removet obstaculum gratiae Spiritus Sancti, dispositive remittit maculam peccati, in quantum suo ministerio assistit virtus divina, quae principaliter peccatum remittit, ut dicit Magister in littera IV. dist. XVIII.: *Solus – inquit – Deus hominem interius mundat a macula peccati, et debitum poenae aeternae solvit, qui per prophetam, scilicet Isaiam XLIII. ait: „Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.”* 10 Item Ambrosius: *Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos et iudex, sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis iura exercet. Idem: Ille solus dimittit peccata, qui solus pro peccatis nostris mortuus est. Et Augustinus: Nemo tollit peccata, nisi solus Christus, qui est agnus tollens peccata mundi*. Haec Magister ubi supra. (E) Ut autem hoc clarius declarem, notandum, quod ex peccato mortali tria incommoda in homine generantur. Primum est Dei inimicitia. Augustinus: *Scio Deum omni criminoso esse inimicum*, quia Sap. XIV. scribitur: *Odio est Deo impius et impietas eius*. 11 Secundum est deformis macula, quia in peccatore imago et similitudo Dei deturpatur. Thren. IV.: *Denigrata est super carbones facies eorum*, 12 scilicet animae. Tertium est reatus, id est peccati obligatio ad poenam aeternam, quia peccant contra bonum aeternum, scilicet Deum. Modo ista tria solus Deus virtute contritionis remittit. Unde Ps.: *Dixi, id est proposui, confitebor adversum me iniustitiam meam, et tu remisisti impietatem peccati mei*. 13 Mox ergo ut homo est vere contritus, haec tria sibi remissa sunt a Deo in contritione cum proposito confitendi et satisfaciendi, scilicet quia mox Deus remittit offensam vel inimicitiam, et recipit in gratiam, lavat maculam et dissolvit obligationem poenae aeternae. Et sic intelligendae sunt auctoritates praedictae, quod solus Deus sic absolvit. Sed quia secundum Dei praecepta adhuc insuper obligatur peccator ad confessionem et ad satisfactionem, quia iustitia Dei requirit, ut nullum malum remaneat impunitum secundum Augustinum. Idcirco sacerdos alia praeter praefata facit tria in peccati remissione. Primo quod ipsum absolutum esse denunciat vel diiudicat, quia quantumcumque esset absolutus interius a Deo, tamen pro absoluto non recipitur ab Ecclesia, nisi ad arbitrium sacerdotis. Sicut in figura de leprosis praecipiebatur, quod etiam si essent mundati a Deo, nihilominus ostenderent se sacerdotibus, quorum iudicio reciperentur ad hominum consortium, propter quod Matth. VIII. Christus leproso mundato dixit: *Vade et ostende te sacerdotibus*. 14 Secundo sacerdos peccatorem a poena Purgatorii absolvit, et poena praesenti satisfactoria ligat ipsum, ita quod si haec sufficiens fuerit, aliam poenam,

scilicet Purgatorii non sustinebit. Tertio quia de ipsa poena satisfactoria partem relaxare potest. Et quoad haec tria, dicitur sacerdos remittere peccata. Haec significata sunt in suscitatione Lazari, Ioh. I. Solus namque Christus Lazarum suscitavit a mortuis, discipulis tamen tria commisit. Primo lapidem tollere, et hoc significat poenam Purgatorii in poenam satisfactoriam commutare. Secundo Lazarum ligatum institis solvere, quod significat absolutum ostendere. Tertio ut eum libere permitterent abire, et hoc significat plene liberatum. Ex his ergo claret honor Petri et sacerdotum in potestate concessa. (F) Tertio honoravit Christus Petrum et Paulum honore summae sanctitatis. Nam tanta sanctitate eos sublimavit, ut omnes homines, etiam reges et imperatores genibus flexis ipsorum tam pauperum hominum secundum saeculum nedum ossa venerando, verum etiam caligas et compedes optent habere pro honore sanctitatis eorum et suffragiis impetrandis. Vere ergo impleta est Scriptura prophetica, quoniam *nimis honorati sunt amici Dei*, 15 scilicet apostoli per orbem, et summe honorantur in caelis. Quo docemur, quod ut dicit Anselmus: *Si honor quaeritur, nusquam maior, quam in caelo, scilicet Christo serviendo invenitur*. O ergo homo, servire stude Christo, si honoris et dignitatis ac potestatis sublimitatem vis habere perpetuo in caelo apostolorum exemplo. Gregorius: *Si culmen veri honoris cupitis, ad caeleste regnum tendite*.

(G) Circa secundum principale de amicitia Christi sit pro conclusione, quod isti beati apostoli comprobantur veri amici Christi ex sufferentia pro Christo martyrii. Patet, quia hoc est perfectissimae charitatis secundum Glossam super Heb. XII. Sed pro simplicibus prosequamur legendam. Legenda Erat namque eo tempore in Ierusalem quidam magus, nomine Simon, qui multos magicis artibus deludebat, et se primam veritatem esse affirmabat. Contra hunc Simon Petrus disputabat, et omnia eius maleficia detegebat. Qui videns, quod Petro non posset resistere, Romam porrexit, ut ibi deus habeatur. Quod ut Petrus comperit, ipsum insequitur, et Romam usque proficiscitur, ubi XXV annis in episcopatu sedit, et praedicationi insistens multos ad fidem convertebat, et infirmos in nomine Christi curabat. In praedicatione autem sua semper laudans et praeferebat castitatem, quattuor concubinas Agrippae praefecti convertit, adeo quod ad praefectum redire recusarent. Iratus ergo praefectus adversus Petrum occasionem quaerebat. Interea Dominus apparuit Petro dicens: „Simon, ecce Nero contra te cogitat, sed ne timeas, quia tecum sum, ut eruam te, et dabo tibi servi mei, Pauli solatium, qui cras Romam ingrediatur.” Quod et impletum est. Et sic Petrus cum Paulo Romae Christum praedicare coeperunt. Simon autem magus intantum a Nerone amabatur, quod vitae eius et salutis et totius Romae custos sine dubio putabatur. Ut autem plura magicae artis opera, quibus Neronem et Romanos seducebat, pertranseamus ob brevitatem, istud narrari sufficiat, quod sicut refert Leo papa, quadam vice Simon dixit Neroni: „Ut scias, imperator, me Dei filium esse, iube me decollari, et tertia die resurgam.” Praecepit ergo Nero carnifici, ut illum decollaret. Sed Simon arte magica fecit, ut ille putans se decollare Simonem, decollaret arietem. Cuius membra Simon colligans tribus diebus se occultavit, et tertio die se Neroni ostendit dicens: „Fac sanguinem meum, qui effusus est, extergeri 16, quia ecce ego decollatus ut promiseram, die tertia surrexi.” Propter haec ergo et alia magica maleficia eius Nero ac Romani delusi intantum eum venerati sunt, quod ei imaginem in templo fecerunt, et hunc titulum scripserunt: „Simoni deo sancto”. Tandem in superbiam Simon elatus ausus est se iactare, quod posset mortuos suscitare, et accidit, quod quidam iuvenis moreretur. Tunc Petrus et Paulus, qui Simoni contradicebant ipsius maleficia detegentes, vocati sunt. Et omnes hanc sententiam firmaverunt, quod ille occideretur, qui mortuum suscitare non posset. Simon ergo super mortuum faciens incantationes, coepit caput agitare defunctus. Tunc omnes exclamantes Petrum lapidare volebant, qui vix silentio imperato dixit: „Si vivit defunctus, surgat, loquatur et ambulet, alioquin sciatis esse phantasma, separetur autem Simon a lectulo, ut plene diaboli figmenta denudentur.” Separatur ergo Simon, et defunctus immobilis permansit. Petrus autem longe stans oratione facta exclamavit dicens: „Adolescens, in nomine Christi Nazareni crucifixi surge et ambula!” Et statim vivus surrexit. Cum autem populus vellet Simonem lapidare, Petrus non permisit, dicens: „Magister noster nos docuit, ut pro malis bona reddamus.” Ut plura pertranseamus, tandem Simon populum convocavit, et a Galilaeis se offensum et ideo Urbem se deserere velle, quam tueri solebat, dixit, et diem statuere, qua in caelum ascenderet. Quo die lauro coronatus de Capitolio se deiciens volare coepit. Dixit autem Paulus ad Petrum: „Meum est orare, tuum imperare.” Dixitque Nero: „Verax est hic homo, vos autem seductores estis.” Tunc Paulus videns illum volantem ait: „Petre, quid cessas, perfice, quod coepisti. Iam enim vocat nos Dominus.” Tunc Petrus ait: „O vos angeli Satanae, qui eum in aera fertis, per Dominum Iesum Christum praecipio, ut ipsum non feratis amplius, sed corruere dimittatis.” Et continuo dimissus corruit, et confractus cervicibus exspiravit. Nero ergo talem virum perdidisse doluit, sanctosque apostolos captivans in custodiam Mamertini sub cura militum Processi et Martiniani tradidit. Ubi dum multa miracula facerent super his, qui infirmabantur et ad eos confluebant, videntes Processus et Martinianus crediderunt in Christum, et omnes, qui erant in custodia. Et Petrus facto signo crucis in monte Carpesio in custodia Mamertini, mox emanarunt aquae de monte, et baptizati sunt numero XLVII. Unde ipsi Christiani et milites apostolos libere abire rogavere. Dicit autem Leo et etiam Linus, quod cum Petrus venisset ad portam in loco, ubi nunc dicitur Sancta Maria ad passus, vidit Christum sibi occurrentem, et ait: „Domine, quo vadis?” Qui respondit: „Venio Romam iterum crucifigi (intellige: in membris).” Petrus ait: „Ergo, Domine, revertar, ut tecum crucifigar.” His dictis Dominus in caelum ascendit. Cum ergo Petrus hoc dictum intellexisset de sua passione, rediit, et fratribus rettulit. A ministris ergo Neronis capitur. Tunc Petrus tamquam alienigena iussus est crucifigi, et Paulus, quia civis erat Romanus, capite truncari. (H) Circa tertium de gloria ipsorum sufficiat pro conclusione, quod istorum beatorum apostolorum gloria claruit revelata per plura miracula. Et patet prosequendo legendam. Data quippe in eos sententia mortis, ut testatur Dionysius in Epistola ad Timotheum de morte Pauli: *Coeperunt – inquit – turbae gentilium et Iudaeorum apostolos percutere, et in facies eorum conspuere. Fratres autem, id est Christiani, plangebant. Cumque educerentur, et ubi ad invicem separarentur, tunc Paulus ait valediciens Petro: „Pax tecum, fundamentum ecclesiarum et pastor ovium Christi.” Petrus autem ad Paulum ait: „Vade in pace, praedicator bonorum morum et dux salutis iustorum.”* Cum ergo Petrus venisset ad crucem, ait: „Quoniam Deus meus de caelo ad terram descendit, ut pro nobis pateretur, recta cruce sublimatus est. Me autem de terra ad caelum vocare dignatur, ideo crux mea caput in terra debet ostendere et pedes in caelum dirigere. Non enim sum dignus ita in cruce esse, ut Dominus meus.” Et sic

deorsum verso capite crucifigi voluit. Cumque populus furens vellet ipsum liberare, rogavit, ne passionem suam impedirent. Ut autem testatur, Egippus et Linus fideles, qui ibi flebant, viderunt angelos stantes cum coronis de floribus rosarum et liliorum, et Petrum in cruce cum eis stantem, et Christum Iesum praesentem, a quo librum Petrus accepit et verba, quae loquebatur, exinde legere videbatur, gratias scilicet Christo agens, et fideles Christo recommendans, et inter alia dicens: „Tu, Domine Iesu, mihi omnia es, totum es, tu mihi solus, gratias tibi ago spiritu toto.” Et sic emisit spiritum in Christi praesentia et beatorum angelorum, et sic claret eius gloria. (I) Denique ut satisfaciamus communi eorum festo, quoniam est hodie festum utriusque, scilicet Petri et Pauli, idcirco beati etiam Pauli martyrium breviter pro devotione populi applicemus, et solum quoad eius mortem gloriosam, quoniam alia speciali sermone de eius commemoratione tractabimus. Itaque beatus Paulus postquam separatus fuisset a Petro, et ductus in locum passionis, flexis genibus oravit cum lacrimis, et gratias egit, quod scilicet pro Christo pateretur. Post hoc fratribus valefecit, et genibus flexis collum extendit, et sic decollatus mox caput de corpore exsiliens „Iesus Christus” exclamavit, et cadens in terram mox ubi cecidit, fons vivus emanavit. Secundoque inde exsiliens „Iesus Christus” exclamavit, et in terram cadens secundo loco fontem ut prius effecit. Tertio exsiliens „Iesus” insonuit, et cadens tertio loco fontem fecit. Unde locus ille usque hodie aquas emanans trifontis nomen accepit, et sic gloriosissime ad Christum Iesum anima migravit, quem dilexit, et frequentissime in vita, in epistolis et praedicationibus nominavit. In morte quoque ipsum nomen invocavit, in quo solo est hominum salus. De eius autem vulnere unda lactis usque in vestimenta militis prosiliit, et postea sanguis effluxit. In aere lux immensa emicuit, et de corpore odor suavissimus emanavit. Haec causa brevitatis hic sufficiant. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut istorum apostolorum meritis det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro.

---

1 Ps 138,17 2 Editio: siue 3 Col 2,3 4 Ps 33,13, cf. I Pt 3,10 5 Mt 16,19 6 Lc 12,59, cf. Mt 5,26 7 Apc 1,18 8 Lc 5,21, cf. Mc 2,7 9 Ioh 20,23 10 Is 43,25 11 Sap 14,9 12 Lam 4,8 13 Ps 31,5 14 Mt 8,4 15 Ps 138,17 16 Editio: *extergi*

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XIX.] Pro sancto Petro Sermo II. de clavibus sacerdotalibus *Tibi dabo claves regni caelorum*. Matth. XVI. 1 (A) Misericors Dominus nolens perdere peccatores voluit sic misereri eis, ut claves caelestis regni traderet Petro apostolo, et consequenter omnibus sacerdotibus, ut introducantur poenitentes in caelum. Ex quo enim peccator habet supra se caelum clausum, et infra se Infernum apertum, voluit ergo Deus, ne pereat peccator in peccatis suis, ut sacerdos poenitenti possit claudere Infernum. Ideo Iesus dixit Petro in persona sacerdotum: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et portae* – inquit – *Inferi non praevalebunt adversum te*, scilicet ad claudendum peccatori, quod fit in absoluteione a peccatis. Item voluit etiam Deus, ut non solum peccatori Infernus claudatur, sed insuper etiam caelum aperiatur, videlicet quod satisfaciendo in Christi Iesu amore salvetur. Et hoc ut omnibus clarescat, dixit Christus Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum*. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone: · Primo de clavium qualitate · Secundo de earum potestate · Tertio de ipsarum salubritate (B) Circa primum tres quaestiones pertractemus: · Prima quaestio de dicto · Secunda de modo · Tertia de numero, ut patebit. De dicto clavis ergo prima quaestio est, scilicet quales et quare dicuntur scilicet ipsae claves, per quas aperitur porta caelestis, ut intrare possint homines. Ad quod respondetur per conclusionem, quod claves, per quas reserantur portae caelestes, non sunt materiales, sed spirituales. Pro cuius declaratione notandum secundum Petrum super IV. dist. XVIII., quod claves istae spirituales dicuntur quidem ad similitudinem materialium clavium in aperiendo, sed differenter. Clavis materialis enim primo et principaliter est ad claudendum et ex consequenti ad aperiendum, clavis vero spiritualis econtra primo est ad aperiendum, et secundario ad claudendum propter hominum videlicet malitiam. Ista autem claves spirituales, quibus caelum potest reserari homini, distinguuntur plures, quia una clavis est sana doctrina. Unde Luc. XI. Salvator ait: *Vae vobis, legisperitis, qui tulistis clavem scientiae, 2 Glossa: id est auctoritatem docendi ad veritatem salvificam, ipsi non introistis, scilicet male vivendo, et eos, qui intrabant, id est intrare desiderabant, prohibuistis, scilicet falsa doctrina vel malo vestro exemplo corrumpendo illos simplices. Bernardus: Quantum – inquit – quis aedificaverit ex meritis vitae, cum tot tantisque recipiet mercedem retributionis aeternae. Et quanto quis exemplum malae conversationis tribuit, tanto maiorem poenam sustinebit. Beatus Petrus cum ista clavi, scilicet doctrinae fidei Christi, similiter et beatus Paulus per mundum innumerabilibus hominibus caelum aperuerunt. Alia clavis spiritualis est vera poenitentia, quae caelum aperit, Matt. III.: *Poenitentiam agite, appropinquabit regnum caelorum*. 3 O poenitentia, quae es sole splendidior, auro pretiosior, tu omnia ligata solvis, tu Paradisum aperis, haec aperuit latroni Paradisum, et Magdalenae et Petro post negationem, et Paulo per veram conversionem etc. Tertia clavis est sanguis Christi et poena. Isaiae XXII.: *Dabo clavem domus David super humerum eius*. 4 Ambrosius: *Sanguis Christi clavis est Paradisi*. Item Gregorius et Damascenus: *Crux Christi Paradisum aperuit, quod plus quam quinque milibus annorum clausum fuit*. Per hanc clavem nobis aperitur caelum in baptismo et aliis sacramentis, hanc ergo teneamus iugiter in memoria, ut virtute huius clavis, id est passionis Christi caelum nobis reseretur. Sed quarta clavis, de qua hic specialius agitur, est ipsa potestas collata a Deo supernaturaliter sacerdotali dignitati, quae dicitur clavis metaphorice ad similitudinem clavis materialis, quia scilicet ordinatur ad aperiendum vel claudendum regnum caelorum. (C) Secunda quaestio de modo est, quomodo regnum caelorum dicitur clausum et per claves sacerdotales aperiendum, cum per Christi passionem sit iam vere omnibus apertum. Ad hoc notandum secundum doctores, quod regnum caelorum clausum fuit hominibus dupliciter. Uno modo universaliter. Alio modo particulariter. Primo inquam universaliter, scilicet toti generi humano. Et hoc fuit*



dupliciter, quia aliis perpetue, puta pueris descendentibus ad limbum, et damnatis descendentibus in gehennam; contra hoc nulla clavis data est vel datur, quia ibi manere habent aeternaliter dicente Iob: *In Inferno nulla est redemptio*, 5 aliis autem clausum fuit temporaliter propter peccatum Adae, ut sanctis patribus in limbo patrum. Contra hoc claves sunt datae soli Christo, qui aperit per suam passionem et sanguinem hominibus caelum, removendo primam clausuram, scilicet generalem, quae ex peccato erat primorum parentum, ita tamen, quod removet clausuram particularem, videlicet quin quilibet homo suo proprio peccato possit sibi claudere caelum. Secundo ergo clausum fuit vel clauditur regnum caelorum particulariter, et sic etiam dupliciter. Quia quibusdam perpetuo propter peccatum mortale, in quo homo moriens perpetuo damnatur. Iob VII.: *Qui descendunt ad Inferos, non revertuntur ultra*. 6 Aliis autem non perpetuo, sed in hoc mundo ad tempus, puta cum quis peccat mortaliter, et de peccato resurgit. Et contra istam clausuram particularem data est clavis sacerdotibus per Petrum a Christo, per quam Christus principaliter et effective absolvit peccatorem poenitentem et confitentem peccata sua. Sacerdos autem absolvit ministerialiter in sacramento applicando virtutem passionis Christi ad remissionem peccatorum. Sicut exempli gratia: Medicina vel unguentum aut herba sanat sua virtute a Deo sibi data, medicus autem sanat applicans medicinam vel unguentum aut herbam ut minister. Sicut ergo medicus est minister tantum in sanando, sic sacerdos in absolvendo. (D) Tertia quaestio est de numero, quot sint Ecclesiae claves, quibus solvuntur vel ligantur peccatores. Ad quod respondetur secundum Richardum et concordantes doctores super IV. dist. XVIII., quod sunt duae quantum ad effectum vel relationem, una tamen in radice. Claves enim sunt potestas iudicandi in foro animarum, scilicet per quam dignos recipit iudex ecclesiasticus, et indignos excludit. Sicut ergo in foro iudiciali haec duo requiruntur, scilicet primo causam discernere, secundo sententiarum, sic et in foro animarum vel poenitentiali potestas integratur ex duobus, scilicet ex potestate discernendi [et sententiandi]. Et haec est prima, scilicet clavis scientiae, haec autem clavis scientiae non est habitus scientiae vel actus, quamvis scientia sit dispositio faciens ad bene discernendum, alias caecus caecum duceret. Sed auctoritas utendi scientia ad discernendum dicitur hic esse clavis prima. Clavis autem secunda est clavis potentiae, videlicet potestas ligandi vel solvendi, et ista dicitur principalior, quia prima ordinatur ad istam, et sic hae duae claves sunt una in essentia auctoritatis, licet distinguantur penes actus, quia prima habet discernere, secunda habet determinare. Et fundantur in characterem sacerdotali. Idcirco omnibus et solis sacerdotibus Novae Legis datae sunt, Ioh. XX.: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt eis*. 7 Et si quaeras: Cur ergo soli Petro dictum est: *Tibi dabo claves*? Respondent doctores, praecipue Thomas super IV. dist. XVIII., quod hoc fecit Dominus ad demonstrandam Ecclesiae unitatem, ut omnes sacerdotes a Petro et successoribus suis acciperent suae potestatis originem. Et haec expresse dicit Cyprianus papa XXIV. q. I. „Loquitur”. O ergo quantum errant, qui nolunt subici et oboedire Romanae Ecclesiae, ut schismatici etc. O quantum debent fideles revereri ipsos sacerdotes pro hac summa potestate. Nam qui non reverentur, iuste in hora mortis absolutionem vel confessorum non promerentur, ut per quae peccaverunt, per haec puniantur. (E) Circa secundum principale de clavium potestate quaeritur, utrum sacerdos per claves possit pro voluntate sua ligatos vel absolutos coram Deo reddere homines. Ad quod respondetur per tres veritates tamquam regulas circa hoc observandas. Prima veritas pro regula tenenda dicitur aequitatis, quam Leo papa XXIV. q. I. c. „Manet” testatur dicens: *Manet Petri privilegium, ubicumque ex ipsius aequitate fertur iudicium, ubi – inquit – nihil erit ligatum vel solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligaverit, aut solverit*. Ibi glossa dicit: *nisi quod iuste fuerit Petri auctoritate*. Hanc etiam Gregorius XI. q. III. „Tunc vera” testatur dicens: *Tunc vera est absolutio praesidentis, cum interni sequitur arbitrium iudicis*. Haec ille. Et ideo secundum Rainerium illa auctoritas: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis* etc. non simpliciter intelligenda est, sed tunc, cum sacerdos iuste secundum Deum ligat vel solvit, scilicet clave non errante. Et ratio secundum doctores, praecipue Richardum super IV. dist. XVIII., quia sacerdos in ligando vel solvendo operatur ut minister Dei et ut instrumentum non mortuum, sed vivum, et ideo secundum virtutem motoris Dei procedere debet, alioquin frustratur effectus. Item quia in absolutione animae a peccatis triplex iudicium debet concurrere. Primum et summum est Dei, qui mundat animam non nisi in vera contritione. Secundum est iudicium sacerdotis, qui nullum absolvit, nisi quem superior iudex, scilicet Deus, in contritione absolvit. Tertium est iudicium curiae caelestis approbantis, ut quem sacerdos absolvit in terris, sit absolutus in caelis per approbationem. Caelestis autem curiae approbatio non fit, nisi iuste sacerdos absolvat. Haec secundum Rainerium et concordantes doctores. Et sic patet veritas. Ex quo patet, quod incautum est habere non intelligentem vel ignarum confessorum. Et valde incauti sunt, qui graves casus, puta de rapinis et usuris ac similibus confitentur sacerdotibus idiotis vel ignaris, et putant se ab illis absolutos dicentes: „Quid ad me, ipse recepit in animam suam casum meum”, non attendens, quod Salvatore teste Matth. XV.: *Si caecus caeco ducatum praestat, ambo in foveam cadunt* etc. 8 (F) Secunda veritas vel regula dicitur iuridicae auctoritatis, quia secundum Richardum in IV. dist. XIX. concordantes Thomam, Petrum et Rainerium ac alios, quamvis omnes sacerdotes habeant potestatem clavium quantum ad ordinem, non omnis tamen sacerdos habet iurisdictionem supra quemlibet, nisi secundum ordinationem vicarii Christi, et propterea non omnis sacerdos potest exercere usum clavium in quemlibet, sed solum in sibi subditum secundum eundem modum, quem Ecclesia statuit, quia deficit iurisdicatio eis, quae ministrat materiam. Unde qui privati sunt usu potestatis vel auctoritatis, sicut excommunicati et haeretici et huiusmodi, non absolvunt coram Deo, etiam si attemptent, quia talibus Ecclesia subtrahit subditos. Similiter illi, qui nullum habent populum subditum, nec concessam auctoritatem absolvendi, vel qui alienos subditos absolveret, nil faceret, nisi a praelatis vel aliunde sibi concederetur iuridica auctoritas absolvendi in illos, ut exempli gratia in articulo mortis conceditur a iure, quod quilibet sacerdos non praecisus ab omni peccato absolvat, si proprii sacerdotis praesentia vel superioris haberi non potest, extra de sen. ex com. „A nobis” et c. „Sacramentis”. Si autem sacerdos sit malus, dummodo non sit praecisus vel excommunicatus et huiusmodi, non privatur usu clavium quoad sibi subditos, licet peccet sic absolvendo. Tertia veritas vel regula verae poenitentiae et charitatis, sine quibus non est salus, nec absolutio a peccatis ipsi peccatori. Unde de poenitentia dist. III. „Sane” et c. „Irrisor”: *Vera poenitentia veniam promeretur, falsa vero Deum irritat*. Ut ergo peccator sit coram Deo vere absolutus, quem sacerdos debet solvere per claves, debet esse vere contritus de

omnibus et vere confessus et satisfactionem implere volens toto posse. Et his modis praedictis observatis regulis quemcumque solvit sacerdos, solvit et Deus, et quem ligat sacerdos, ligat et Deus. Et quomodo hoc facit Deus et sacerdos, patuit sermone I. „E”. O ergo peccator, age poenitentiam vera Dei charitate, et sic absolveris. Si autem peccatum deserere non vis, nec male ablata restituere velis, etiam si aliquis ignarus sacerdos te absolvat, frustra erit. (G) Circa tertium de salubritate sit pro devotiori conclusione sic videlicet, quod clavis Petri in virtute sanguinis Christi est animabus pro salute felici et praecipue triplici: · Primo super terram · Secundo subter terram · Tertio supra terram Pro declaratione nota, quod Christus voluit in suo sacro corpore per quinque vulnerum specialium aperturas sanguinem sacrum pro nostris animabus abluendis, scilicet a peccatis, et absolvendis fundere, quorum duae fuerunt in eius sacris manibus in hoc aere extensis. Aliae duae fuerunt in pedibus, quibus terra calcatur confixis, et latius ac profundius vulnus fuit in apertura lateris, ex qua exivit aqua et sanguis, Ioh. XIX. 9 Unde clavis Petri, quae habet totam virtutem ex sanguine Christi, est ad salutem animarum super terram existentium, et subter terram et supra terram, hoc est: in caelo, et iuxta numerum scilicet vulnerum Christi quintupliciter aperiens animabus caelum. Primo namque aperit caelum animabus super terram existentibus, unde dixit Salvator Matt. XVI.: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis* etc. 10 Sed quare non dixit: subter vel supra terram? Respondetur, quod ad denotandum, quod supra terram, scilicet in caelo sunt omnes animae solutae per sanguinem Christi, ita quod non indigent ibi clave Petri, et quod sub terra, scilicet in Inferno inferiori sunt omnes animae ligatae per sententiam excommunicationis aeternae a Christo, iuxta illud Matt. XXV. de illis dictum: *Ite, maledicti, in ignem aeternum* etc. 11 Sed dicit *super terram*, quia in terra sunt quidam ligati ex toto, ut obstinati, sed quia possunt converti, ut ait Augustinus: *De nemine in hac vita desperandum est, quantumcumque criminoso*, ideo absolvi possunt, dum convertantur. Alii autem sunt in hac vita soluti ut poenitentes. Proinde Christus in cruce extendit manus suas, unam versus latronem obstinatum a sinistris, alteram versus poenitentem a dextris, quia utrique vere poenitenti sanguis Christi prodest. O peccator, advertite, quomodo te Christus vocat ad poenitentiam, ne pereas, ecce extendit manus pro te, et sanguinem fudit, ut per clavem Petro datam tibi aperiatur caelum. Noli ergo perire, noli vocantem Christum contemnere. Claret ergo, quod sicut sanguis Christi, sic clavis Petri dupliciter est ad salutem animabus in hac vita. Primo peccatoribus, si tamen redire velint ad poenitentiam. Secundo vere poenitentibus, et haec significantur aperturis duarum manuum Christi extensarum. Pro huius exemplari instructione de clavibus possumus accipere, quod Christus voluit Petrum in cruce extendi, et sic conformiter Christo mori, ut doceamur, quia una manu vocat peccatores obstinatos ad absolvendum per poenitentiam, altera extendit claves absolutionis quoad vere poenitentes. Hic, si placet, prosequere historiam, quoad eius crucifixionem. (H) Secundo subter terram aperit Petrus animabus ad salutem per claves et sua merita sanctitatis. Et sicut Christus duobus pedibus aperta vulnera habuit, quibus sanguinem in terram fudit pro nobis, sic Petri clavis sub terra dupliciter valet animabus ad solvendum vel aperiendum. Primo in Purgatorio, quia ut dicunt doctores in IV. communiter, per indulgentias potestate clavium potest remitti poena peccati illa, quae in Purgatorio est explenda, et dominus papa potest plenariam indulgentiam ex causa legitima concedere, quam si quis consequitur et sic decedit, mox evolat secundum Hostiensem tit. de pe. et re. Denique communis est opinio theologorum, quod indulgentiae concessae expresse pro aliis faciendo illud, pro quo datae sunt, pro mortuis etiam valent, et si non per modum indulgentiae, tamen per modum suffragii. Ista autem indulgentiae proveniunt ex thesauro Ecclesiae, scilicet ex passione Christi et meritis sanctorum ex misericordia omnipotentis Dei, quem thesaurum dispensandum commisit Dominus sedi apostolicae. Patent haec de pe. et re. „Cum ex eo” li. VI. et ca. „Consuluisti” et c. „Indulgentiae”. Ad id facit miraculum, quod refert Vincentius in Speculo historiali li. XXII. c. XLIX., quod Carolus imperator sacri diei Dominicae post matutinum audivit vocem terribilem dicentem sibi: „Carole, exeat a te spiritus tuus.” Et mox angelus Domini duxit spiritum eius in vallem, quae ex una parte videbatur velut clibanus ardens, et erat tenebrosa, ex alia vero parte erat amoenissima, et vidit respiciens contra tenebrosam partem ibi in dolio aqua ferventi patrem suum, Ludovicum torqueri, qui dixit: „Noli timere, Carole, quia permisit te Deus huc venire, ut videres, quid paterer pro peccatis, nam sum in poena, sed precibus sancti Petri genus nostrum et ego liberamur, et ad Paradisi gaudium perducimur.” Et sic patet Petri potestas sub terra. Secundo sub terra potestas Petri valet contra Inferni portas, quia ut scribitur Matt. XVI.: *Portae Inferi*, quae sunt vitia, diabolus et mors, *non praevalent adversus eam*. 12 Eius quippe potestas claruit contra daemones, quando daemonibus praecepit, qui Simonem magum in aere ferebant, et mox ipsum corruere dimiserunt, ut patuit sermone I. „G”. Item claruit contra mortem damnabilem, quia aliquos mortuos suscitavit, etiam qui propter infidelitatem perpetuo damnari debuissent, ut patuit de filio Theophili sermone de cathedra sancti Petri in legenda sub littera „G”, qui quidem in infidelitate defunctus iacuerat sub terra per XIV annos. Item suscitavit etiam mortuum, quem Simon magus non potuit suscitare, ut dictum est sermone I. „G”. Alios quoque multos ad solium suae umbrae tactum sanavit infirmos, ac convertit ab infidelitate et vitiis, mortuos quoque suscitavit, patet Actu. V. et IX. de Tabitha, ut sic Deus ostenderet virtutem apostolicae potestatis. Legitur etiam in legenda, quod cum Petrus duos de discipulis suis misisset ad praedicandum, dum viginti diaetas ivissent, unus illorum defunctus est, hic dicitur fuisse beatus Maternus vel Martialis, alius ergo ad Petrum rediit, et quod acciderat, nunciavit. Tunc Petrus suum baculum sibi tradidit praecipiens, ut ad socium pergeret, et super illum poneret, quod cum fecisset, ille, qui iam per dies quadraginta iacuerat mortuus, protinus surrexit vivus. Unde quamvis claves sacerdotales non habeant directe animas de Inferno liberare post damnationem, tamen valent eas praeservare a damnatione per absolutionem in praesenti sacramentalem, quod autem Petrus praefatos resuscitavit, hoc fecit meritis sanctitatis. Tertio supra terram, id est in caelo valet clavis Petri ad salutem virtute sanguinis Christi. Sicut enim Christus aperiendi voluit suum latus, ut per illam aperturam noverimus nobis apertam visionem deitatis, quae habitavit in Christo, sic Petrus per claves aperit caelum adiudicando dignos. Unde Ecclesia orat dicens: *Solve iubente Deo terrarum, Petre, catenas, qui facis, ut pateant caelestia regna beatis*, quod nobis praestare dignetur Iesus Christus, qui cum Patre et Filio (sic!) vivit in saecula saeculorum. Amen.



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XX.] Pro sancto Petro apostolo Sermo tertius super evangelio ipsius festivitatis *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Math. XVI. 1 et in evangelio hodierno. (A) Quibus verbis Christus ostendit suam erga Ecclesiam immensam charitatem. Nam ut dicit Chrysostomus in homilia: *Ecclesia est carior Deo, quam caelum*. Et primo hoc claret ex signo charitatis, quia Dei Filius pati et mori voluit pro redemptione Ecclesia potius, quam pro caelo, immo de caelo descendit in huius mundi miseriam pro Ecclesia redimenda. Secundo quia perpetuo stabilem fundavit super seipsum et sui passionem ob nimiam charitatem, qua *dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, Apoc. I. 2 Nam ut Ecclesiae Sanctae stabilem firmitatem insinuaret, seipsum nomine petrae, in qua fundata est Ecclesia, significavit. Ut enim idem Chrysostomus in homilia Pentecostes dicit: *Facilius caelum exterminari potest et terra perire, quam totam Ecclesiam dicente Domino: Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt*. 3 Haec ille. Propter quod Christus in hodierno evangelio dixit ad Petrum, Ecclesiae principem constitutum: *Tu es Petrus, et super hanc petram solidam aedificabo ecclesiam meam, ut portae Inferi non praevalent adversus eam*. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus ex ipso evangelio huius festi accipienda et in hoc sermone proseguenda: · Primum mysterium de Christi professione, quam fecit Petrus dicens: *Tu es Christus, Filius Dei* etc. 4 · Secundum de Petri commendatione, quam fecit Christus dicens: *Et ego dico tibi: Tu es Petrus* etc. · Tertium de clavium caeli collatione, ibi: *Tibi dabo claves* etc. (B) Circa primum de professione verae fidei Christi sit pro documento conclusionis videlicet, quod quilibet Christianus debet cum Petro profiteri veraciter fidem Christi dicendo: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*. Hoc declaratur ex ipso sacro evangelio hodierno, in quo Christus Dominus voluit praecipue tria facere pro nostri instructione ad veritatem suae fidei sanctissimae: · Primo errores eliminavit · Secundo discipulorum fidem examinavit · Tertio veram fidem profiteri placuit Primo errores eliminavit. Ut enim Beda exponit, Christus voluit per confessionem discipulorum eliminare de sua vera fide errores hominum, quia non est periculosior error, quam in fide, de qua dicit Augustinus: *Fides est – inquit – omnium bonorum fundamentum, et humanae salutis initium, sine qua omnis labor vacuus est*. Unde in illo tempore, scilicet cum Iudaei temptassent divinitatem Christi dicentes: *Magister, volumus a te signum videre*, 5 scilicet de caelo, ipse redarguit eos dicens: *Generatio mala adultera, et quia descenderant ipsi Iudaei ex patribus persecutoribus prophetarum et idolatris cum alienis diis adulterantibus, signum quaerit, scilicet de caelo, et signum tale non dabitur ei* tamquam indignae propter curiositatem et malitiam, *nisi signum Ionae prophetae*, 6 scilicet in morte Christi et resurrectione tertia die. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti, et tertia die evomitus, sic Christus de terrae sepulchro tertia die resurrexit, in quo suam deitatem manifestavit, quia nullus potest mortuum vere resuscitare, maxime seipsum mortuum, nisi virtute supernaturali deitatis. Tunc ergo relictis Iudaeis venit Christus trans fretum, et dixit discipulis: *Attendite et cavete a fermento Pharisaeorum*, 7 id est a falsa fide, et doctrina eorum. Et in illo tempore venit Iesus in partes Caesareae Philippi, quae sic dicitur, quia ampliavit eam Philippus tetrarcha, frater Herodis, et renovavit, et extunc nominavit eam Caesarem in honorem Tiberii Caesaris, ut dicit Iosephus et Hieronymus, et ista civitas prius dicebatur Lachis, et postea dicta est Caesarea Philippi, nunc autem Belmas seu Paveas dicitur secundum Lyram. Ibi autem et in confinibus eius habitabant gentiles, et idcirco ibi voluit Christus mysterium Dominicae incarnationis revelare per confessionem discipulorum, ut ostenderet, quod Ecclesia fundaretur in fide gentium. Ibi ergo interrogavit discipulos suos de hominum opinione erga ipsum, id est Christum, quamvis enim omnia sciret, tamen ut ait Origenes, interrogavit, ut doceremur scrutari, quid alii sentiant de nobis. Et si quid mali fuerit, occasionem debemus vitare, si quid autem boni, non debemus extolli, sed Deo attribuere. Interrogavit etiam secundum Bedam, ut errores hominum eliminaret, et ait: *Quem dicunt homines esse Filium hominis*, 8 id est me, qui sum Filius hominis unius tantummodo, scilicet Virginis Mariae. At illi dixerunt: *Alii Iohannem Baptistam*, cuius opinionis fuit Herodes et sui sequaces, Marc. VI.: *Iohannem ego decollavi – inquit –, et ipse surrexit a mortuis*, 9 ideo virtutes operantur in eo. *Alii scilicet homines dicunt te esse Eliam*, hoc propter zelum veritatis. *Alii Ieremiam* propter patientiam in adversis, *aut unum ex prophetis*, 10 scilicet antiquis, surrexisse a mortuis, hoc propter operationem miraculorum, quia credebant, quod anima separata a corpore sit maioris potestatis, quam coniuncta, et ideo sic operari maiora miracula per Christum, quam antea fecerant prophetae. Hos ergo errores Christus eliminavit per confessionem factam a Petro, ut sequitur. (C) Secundo Christus examinavit discipulorum fidem dicens: *Vos autem quem me esse dicitis?* 11 Lyra: quod dicit: Si alii errant opinando falsa de me, vos non debetis errare, si vultis salvari, quia ad Heb. XI.: *Impossibile est sine fide placere Deo*. 12 Item Augustinus XXVIII. q. I. „Omnes” ait: *Infidelium omnis vita peccatum est, nec valet esse bonum, quod sit absque Deo, ubi deest enim agnitio aeternae veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus*. Haec ibi. Respondit ergo Petrus tamquam principalis inter alios pro se et pro aliis omnibus. Et per hoc docetur, quod praelati debent esse prompti ad respondendum de articulis fidei et his, quae sunt necessaria salutis. Unde XXI. dist. „De quibus” dicitur, quod praelatorum est confirmare fidem subditorum. Et Innocentius extra de baptismo et eius effectu c. „Maiores ecclesiae” dicit, quod maiores causas, praecipue articulos fidei contingentes ad Petri sedem referendas intelligitur in eo, quod Petrus pro omnibus respondit. Idcirco non debent in talibus laici se intromittere, ut consueverunt haeretici. Nam li. VI. de haere. c. „Quicumque” scribitur: *Inhibemus unicuique laico personae de fide disputare*. Itaque Petrus respondens dixit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, scilicet naturalis et consubstantialis. Tertio haec confessio fidei Christi placuit summe ipsi Christo tamquam fides vera et salvifica hominum, et adeo, quod Petrum pro hac confessione beatum fore dixit, et sibi claves regni caelorum tradidit. Quo docemur, quod taliter profitentes Christum sunt ipsi multum grati et accepti ac beatificandi per ipsum. (D) Quaeritur ergo, qualiter exemplo beati Petri debeat Christianus



Christum profiteri. Ad quod respondetur, quod ut colligitur ex evangelio, praecipue tripliciter. Primo integraliter, ita quod omnes articulos fidei profiteatur et firmiter credat et de nullo haesitet. Unde Athanasius in Symbolo: *Haec est fides catholica, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.* Sic confessus est Petrus de Christo integre divinam et humanam naturam, cum dixit: *Tu es Christus*, quod interpretatur 'unctus', et in hoc confitetur eius humanitatem veram, in qua unctus est, scilicet in regem et pontificem, scilicet oleo gratiae. Ps.: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* 13 Addidit: *Filius Dei*, quo confitetur eius divinam naturam. Et dicitur: *vivi*, ad differentiam eorum, qui putabantur a gentibus dii, et colebantur, ut Hercules, Iuppiter et consimiles, qui tamen mortui sunt ut homines. In hoc ergo confitetur Christum et eius Patrem Deum immortalem et vivum per essentiam, sicut ipse Deus dicit Ezech. XVIII.: *Vivo ego, dicit Dominus.* 14 Origenes: *Ipse solus Deus habet immortalitatem, qui est fons vitae.* Secundo debet profiteri Christianus Christum veraciter, ut vere sic vivat, sicut credit fideliter Deo adhaerendo. Gregorius: *Tunc veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus adimplemus.* Hinc Iaco. II.: *Fides sine operibus mortua est.* 15 Hieronymus: *Quid prodest, si impie agis, quod Deum voce invocas, quem operibus negas.* Sanctus enim Petrus, qui Christo firmus adhaerendo sanctissime vixit, exemplum nobis est, qui omnia terrena contempsit. Et cum Christum negasset, amarissime poenituit, Lu. XX.: *Egressus foras Petrus flevit amare.* 16 Refert quippe beatus Clemens de eo in epistola, quod Petrus, quoad vixit, sudarium in sinu portavit, quo crebro fluentes lacrimas tergeret, memor pietatis Christi et culpa suae negationis, in galli cantu semper ad fletum prorumperebat et orare consueverat, adeo quod eius facies tota adusta lacrimis videretur. O ergo Christiane peccator, age et tu poenitentiam. Tertio debet profiteri Christum Christianus perseveranter, ut paratus sit, cum oportet, mori pro fide Christi. Augustinus: *Ille apud Deum habet plus meriti, qui plus fidei, quod quidem perseverantia in adversis probatur.* Petrus pro fide Christi mori et incarcerari non timuit. Patet ex evangelio et historiis, ergo etc. (E) Circa secundum principale de beati Petri commendatione est clara conclusio, quod Iesus beatum Petrum in hoc evangelio commendavit tripliciter. Equidem primo de fide. Secundo de novo nomine. Tertio de statu Ecclesiae. Primo nimirum quoad commendationem fidei, dixit ei Christus: *Beatus es, Simon Bar Iona*, 17 quod secundum Lynam accipitur, ac si diceretur filius Iohannis, a 'bar' in Hebraeo, quod sonat in Latino 'filius', et Iona, quod ponitur pro Iohanna, media syllaba subtracta. Etenim Ioh. ultimo 18 Petrus dicitur *Simon Iohannis*. Subditur: *Quia caro et sanguis non revelavit tibi*, id est homo mortalis non docuit te istam veritatem fidei, *sed Pater meus* etc. Et sic commendatur de fide professa fore beatus. Iuxta hoc ergo prima quaestio oritur: Utrum vel quomodo Petrus potuit tunc dici beatus veraciter, qui tamen postea peccavit Christum negando mortaliter, quia ut Augustinus dicit XIII. De Trinitate: *Beatus dici non potest, qui in bono stabilitus non est, sed ea amittere potest, propter quod temporalia bona, ex quo sunt transitoria, neminem beatum faciunt, immo decipiunt inhaerentes.* Ad id Philosophus I. Ethicorum dicit, quod sicut *una hirundo non facit ver*, nec modicum tempus calidum facit aestatem, sic una dies vel parvum tempus non facit hominem felicem, et per consequens homo, qui modico tempore perdurat in statu gratiae, et postea redit ad peccatum, non videtur vere dici beatus, sic videtur de Petro, ergo etc. Sed secundum doctores respondetur, praecipue Bonaventuram in sermone de cathedra Petri et simul Lynam super Matth. V., quod ut colligitur ex Scripturis, duplex est beatitudo vera. Una viae, quae est imperfecta, quia amitti potest, et ista consistit in spe fidei et gratia Dei, viri enim excellentes in virtute dicuntur beati quodammodo, quia excellere videntur vitam humanam, et ad beatam vitam caelestem appropinquant, a qua parum distant, *quod autem parum distat, quasi nihil reputatur*, II. Physicorum. Et hoc modo homines, qui in Christum credunt et bene vivunt, beati vere dicuntur, quamdiu in tali statu sunt, quia ad beatitudinem caelestem appropinquant. Sicut per contrarium peccatores maledicti dicuntur, Ps.: *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis* etc., 19 quia Inferno appropinquant. Cum ergo homo ab hac beatitudine praedicta ceciderit per peccatum, resurgere potest per poenitentiam, sicut patuit de Petro, et sic mox resurgendo nomen iusti et beati retinet, sicut dicit Hieronymus de poenitentia dist. III. § „Hac auctoritate” sic: *Septies in die cadit iustus et resurgit, si cadit quomodo iustus, si iustus quomodo cadit. Sed iusti vocabulum non amittit, qui per poenitentiam semper resurgit.* Haec ille. Sic per consequens eadem ratione de nomine beati. Unde pro statu illo, quo tunc Petrus fuit in fide Christi firmus confitendo et in gratia, vere potuit dici beatus, ut et nos doceamur eius exemplo beatificari in gratia, poenitentia quoque post casum. Alia autem beatitudo est patriae, quae habebitur in gloria, et de illa intelligendae sunt auctoritates, quod amitti illa non potest, quia est perfectissima. Et sic patet solutio quaestionis et obiectionis. O ergo homo, sta in fide et gratia fortiter, quod si contingat te cadere, resurge velocius ad beatitudinem. (F) Secundo de nomine Christus Dominus commendavit Petrum dicens: *Tu es Petrus*, quia cum antea vocaretur Simon, hoc ei imposuit Christus nomen novum, scilicet Petrus. Unde Augustinus dicit sic: *Quia tu dixisti mihi: Tu es Christus, Filius Dei vivi, et ego dico tibi, quia tu es Petrus. Simon quippe antea vocabatur, hoc autem nomen, ut Petrus appellaretur, a Domino ei est impositum.* Haec Augustinus in sermone. Quaeritur ergo secundo ex hoc: Cur Christus Dominus voluit summo praesuli Ecclesiae novum nomen a petra imponere? Respondetur secundum doctores, quod primo ratione magnae et novae dignitatis. Nam secundum Albertum Magnum super „Missus est”: In collatione magnae dignitatis congrue solet mutatio nominum fieri, quatenus permutatio status pro eminentia dignitatis significetur. Unde et papa, quando creatur, novo nomine nominatur, quod accepit Ecclesia exemplo Christi, qui cum Petrum fecit caput apostolorum, nomen ei novum imposuit ratione tantae dignitatis, ut videlicet esset supra omnes homines Christi vicarius, et super totam Ecclesiam. Secundo ratione Christiformitatis, ut sicut Christus erat petra nominatus, I. Cor. III.: *Petra autem erat Christus*, 20 in quo fundata est Ecclesia, sic vicarius Christi, rector Ecclesiae diceretur Petrus a petra Christo. Augustinus in sermone: *Ut Petrus appellaretur, sic a Domino ei impositum est, ut significaret Ecclesiam, quia enim Christus petra, Petrus autem populus Christianus, ideo Petrus a petra, non petra a Petro, quoniam non a Christiano Christus, sed a Christo Christianus vocatur. Tu es – inquit – Petrus, et super hanc petram, quam confessus es, id est super me Iesum, Filium Dei vivi, aedificabo ecclesiam meam. Super me aedificabo te, non me super te.* Haec Augustinus. Patet ergo, quod cum dicitur in evangelio: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, sic est intelligendum: Tu es Petrus dictus a me, petra, quam confessus es, et super

me, petram aedificabo Ecclesiam meam. Non enim Petrus est fundamentum Ecclesiae, sed ipsemet Christus, sed Petrus est vicarius Christi in Ecclesia et minister, cui Dominus tamquam vicario communionem sui nominis indulsit, ut dicit Maximus in sermone. Tertio ratione firmitatis, scilicet in fide Ecclesiae. Nam petra dicitur a 'petros' Graece, quod est 'durum' Latine. Petrus autem secundum Lyram dicitur confessor petrae, id est Christi, et sic significat firmam stabilitatem fidei et Ecclesiae catholicae, quia quantumcumque Ecclesia persecutionibus fluctuet et agitetur, tamen eius fides numquam deficiet, ut dicit Ambrosius XXIV. q. I. „Non turbatur”. Voluit ergo Christus Petrum Ecclesiae summum praelatum sic nominare ad significandum, quod praelati Ecclesiae debent esse firmi in fide, sicut et Ecclesia fundata super firmissimam petram veritatis Christi, quae manet in aeternum. (G) Tertio Christus commendavit Petrum de Ecclesiae sibi commissae statu firmo, dicens: *Super hanc petram, scilicet quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam, et portae Inferi non praevallebunt adversus eam*. Queritur ergo hic, quid intelligendum sit hic per portas Inferi. Respondet Hieronymus in homilia, quod quamvis praecipua porta Inferi sit mors, per quam mali descendere habent in infernum, Ps.: *Mors peccatorum pessima*, 21 hic tamen portae Inferni melius accipiuntur pro vitiis et persecutionibus hominum impiorum, ac insultu et temptatione spirituum malignorum, per quae illi demerentur ire in Infernum, ut sit sensus, quod nulla persecutio hominum tyrannorum vel etiam daemonum praevalebit adversus Ecclesiam, sic quod exterminare possit eam. Nimirum ut dicit Bernardus tractans illud Ps. „Ecce in pace amaritudo mea amarissima” 22: Ecclesia triplicem persecutionem passa est et patitur in Christianis suis. Prima fuit amara in persecutione paganorum. Secunda amarior in persecutione haereticorum. Tertia amarissima in persecutione falsorum Christianorum, qui plus nocent exemplis malis, quam interdum haeretici. Nam in prima persecutione, scilicet paganorum maximi imperatores, quorum primus Nero, qui Petrum et Paulum occidit. Secundus Domitianus, sub quo Iohannes in oleum fervens fuit coniectus. Tertius Traianus, sub quo Ignatius passus, et alii subsequentes, ut Maximianus, Diocletianus, Decius etc., quamvis toto conatu vellent extinguere fidem Ecclesiae, non tamen praevaluerunt, sed male mortui sunt et perierunt. Secunda deinde persecutione haereticorum diabolus impugnavit Ecclesiam gravior sub Christianis imperatoribus, videlicet sub Constantino, quando Ariana fides totum mundum incendit. Deinde sub Iuliano Apostata et sub multis aliis, postea varii haereses insurrexerunt, et modo viget haeresis Hussitanorum, quae haereses singulae innumerabiles strages hominum fecerunt, sed non praevaluerunt Ecclesiam pervertere, scilicet a vera fide. Tertia autem persecutione malorum Christianorum quot a fide et moribus pervertantur et ad vitia inducantur, ad sensum claret potius, quam ad scriptum. Sed non praevallebunt a fide pervertere Petri Ecclesiam, quam Christus fundavit et firmavit, scilicet super seipsum, nec Antichristus praevalebit contra eam. O ergo vos, vere Christiani, gaudete in Christo, et gratias agite pro eo, quod estis in firma fide Romanae Ecclesiae Petri, quae meretur vitam aeternam. (H) Circa tertium de clavium caeli collatione, quia Christus in evangelio dixit Petro subsequenter: *Et tibi dabo – inquit – claves regni caelorum*. Lyras: *Tibi dabo non solum pro te, sed etiam pro aliis*. Sicut enim confessio Petri erat confessio aliorum, ita potestas haec data Petro intelligitur etiam aliis dari, sed Petro principaliter, et per eius auctoritatem alii accipere debent, ut patet XXIV. q. I. „Loquitur”. Queritur ergo hic: In quibus consistit vel quantum et ad quae extendit se ista potestas clavium collatarum. Respondetur secundum doctores super IV. dist. XVIII. et XX., quod praecipue in tribus consistit, et quoad haec tria principaliter se extendit. Primo in peccatorum absolute vel retentione, sicut dixit Salvator Ioh. XX.: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*. 23 Unde et in evangelio hodierno dixit: *Tibi dabo claves, et quodcumque solveris in terra, erit solutum et in caelis, et quodcumque ligaveris super terram* etc. 24 Quamvis enim Deus principaliter peccatorem absolvat, tamen sacerdos ministerialiter dicitur peccatum remittere vel hominem a peccatis absolvere, in quantum examinata conscientia hominis iudicat ei caelum apertum secundum Richardum, et clave non errante hoc Deus approbat in caelis. Et per contrarium dicitur ligare quoad culpam non absolvendo ab ea illum, qui indignus est admitti in caelum in foro poenitentiae, quia iudicat eum non vere et sufficienter poenitentem et huiusmodi. Secundo in excommunicandi et absolvendi iurisdictione ac iudiciorum et causarum diffinitione quoad forum contentiosum. Et quilibet hanc potestatem debet revereri et non contemnere, quia ut dicit Augustinus et habetur XI. q. III.: *Omnis excommunicatus Satanae traditur quomodo, quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus est, ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur*. Haec ibi. Tertio in indulgentiarum largitione. Nam sacerdos potest hominem ligare ad aliquam poenam sensus, quam explere eum oportet vel hic, vel in Purgatorio, antequam ingrediatur caelum, potest etiam poenam vel poenae partem aliquam peccato debitam relaxare. Sicque secundum Richardum ubi supra dicitur claudere vel aperire. Et quoad hoc, multum valent indulgentiae, quae quidem sunt thesaurus Ecclesiae proveniens ex abundantia meritorum passionis Christi videlicet, et post eum omnium sanctorum Ecclesiae ex misericordia omnipotentis Dei, ut patet de pe. et re. „Cum ex eo” c. ultimo li. VI. Istum thesaurum commisit Dominus sedi apostolicae dispensandum, cui claves dedit. Et dicitur thesaurus, quia nulla res est carior, quam sanguis Christi, cuius tanta est virtus, quod minima gutta sanguinis Christi vel sudoris sufficeret ad expiationem omnium peccatorum mundi, quae sunt, erunt et fuerunt, quia eius respectu nil sunt omnia, ut dicit Bernardus. De indulgentiis alibi agetur plenius. Hic tantum hoc notemus, quod sicut dicit Hostiensis: Christus sciens peccatores prae fragilitate labiles in magna peccata et non posse pro quolibet peccato septem annos poenitentiae implere, ut deberent, et quia pro satisfactione hic omnia oportet explere in Purgatorio, quae est gravis, ideo motus misericordia dedit Ecclesiae hanc gratiam, ut poenae illae tollantur per indulgentias, quae fluunt ex merito passionis et sanguinis Christi. Sed quoniam sanguis Christi non profuit latroni a sinistris impenitenti et non credenti, sed profuit latroni poenitenti et credenti, sic nec indulgentias consequitur homo incredulus vel in peccato mortali existens, quia talis non de familia Christi est, sed diaboli, et ideo thesaurus Christi illi non dispensatur. Ut ergo, carissimi, consequamur peccatorum remissionem et indulgentias per virtutem passionis et sanguinis Christi, simus vere credentes et vere de peccatis contriti ac poenitentes, sicque confiteamur Christum cum Petro dicentes: O Iesu bone, tu es Christus, factus homo pro nobis ex Virgine, et passus in cruce. Da ergo

nobis gratiam tuam, ut simus vere tui Christiani, tu es Filius Dei naturalis. Da ergo nobis participes fieri tuae hereditatis caelestis in perpetuum. Amen.

---

1 Mt 16,18 2 Apc 1,5 3 Mt 24,35 4 Mt 16,16 5 Mt 12,38 6 Mt 12,39 7 Mt 16,6 8 Mt 16,13 9 Mc 6,16 10 Mt 16,14 11 Mt 16,15 12 Hbr 11,6 13 Ps 44,8 14 Ez 18,3 15 Iac 2,26 16 Lc 22,62 17 Mt 16,17 18 Ioh 21,15-17 19 Ps 118,21 20 I Cor 9,4 21 Ps 33,22 22 Is 38,18 23 Ioh 20,22-23 24 Mt 16,19

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXI.] Pro sancto Petro Sermo quartus de eius privilegiis *Dixit Iesus Simoni Petro: Diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te.* Ioh. VI. 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Sicut dicit ibidem Glossa et exponens Lyra: Ipse Christus, quamvis sciret, quod Petrus ferventissime amaret ipsum, scilicet Iesum, nihilominus tamen voluit examinare Petrum de sua dilectione, quia volebat ipsi committere suam Ecclesiam ut pastori, quatenus per hoc docerentur praelati, quod ipsi debent Deum diligere prae ceteris. Ut enim dicit Gregorius in Registro c. XIII.: *Tantum debet actionem populi actio transcendere praesulis, quantum distare solet a grege vita pastoris.* Interrogatus itaque Petrus respondit: *Etiam, Domine, tu scis, quia amo te.* Et non dixit: plus his vel prae aliis, sed absolute respondit: *amo te*, quia expertus propriae fragilitatis in Christi negatione non fuit ausus efferre se in Christi dilectione, sed quantitatem suae dilectionis posuit in iudicio Christi, qui secreta cordium omnia novit. Quoniam autem scriptum est Prover. VIII. in persona Christi: *Ego diligentes me diligo.* 2 Unde certum est, quod Petrus diligendo Christum dilectus fuit a Christo. Idcirco in hoc sermone agemus de tribus mysteriis, quibus beati Petri privilegia patebunt: · Primo de amore Petri erga Christum · Secundo de dilectione Christi erga Petrum · Tertio addemus de adiunctione Pauli, scilicet in passionis socium, hoc ideo, quia hoc est festum amborum. (B) Circa primum de amore Petri ad Christum sit pro conclusionis documento, quod beatus Petrus probatur Christum dilexisse ferventius ex signis pluribus. Primum signum in vocatione, quia propter amorem Christi ad ipsius vocationem continuo contempsit omnia, et relictis omnibus secutus est Christum cum fratre suo Andrea, Matth. IV. 3 Hoc quippe fuit magnae charitatis, quia certe cui hodie diceretur, quod relinqueret uxorem, pueros, domum et omnem substantiam et cognatos, ac intraret ad pauperrimam religionem pro amore Christi, magnum quid reputaretur. Sic de Petro. Unde Can. VIII.: *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* 4 Augustinus: *Minus te, Domine, amat, qui praeter te aliquid amat, quod non propter te amat.* Ex quo tu, homo, accipe documentum, quod et si relinquere omnia non potes, ut fecit Petrus, saltem illa dilige secundum Deum, in Deum et propter Deum, etiam uxores et filios et omnia, quae habes. Nam de uxore Petri pro exemplo nostro narratur in Historia ecclesiastica, uti refert Clemens, scilicet papa, quod cum uxor Petri iam fidelis in Christo ad passionem duceretur pro Christo, Petrus ingenti gaudio exsultavit ac post eam clamavit: „O coniunx, memento Domini etc.” Quo colligitur, quod eam ad Christum converterat, et ad palmam, scilicet martyrii perduxit sancta exhortatione. Et sic secundum Christum eam amasse patuit, quoniam et ambo in castitate manentes Christo serviebant. Secundum signum in passione, quando dixit Lu. XXII.: *Tecum paratus sum in carcerem et in mortem ire.* 5 Non enim mentiebatur, quia sic habebat in animo secundum Lyram. Unde et gladium eduxit pro Christo et ad poenam euntem sequebatur, licet fragilitate humana postea negaverit prae timore. O homo, et tu praeopta mortem potius, quam peccare. Tertium signum in negationis dolore, quia peccatum amarissime deflevit, Lu. XXII.: *Egressus foras flevit amare,* 6 et quoad vixit, semper in lacrimis poenitentiae fuit. Unde Clemens papa dicit, quod postmodum quandocumque galli cantum audiebat, ad orationem se convertebat usque ad diem, et lacrimas emittebat memor illius negationis. Quando etiam recordabatur de dulci allocutione Christi, prae nimia amoris dulcedine continere lacrimas non poterat. Semper ergo sudarium in sinu ferebat, quo crebro fluentes lacrimas extergebat, quas adeo in consuetudinem duxerat, quod tota eius facies adusta lacrimis videbatur. O peccator, haec pensa. Si enim Petrus pro illa trina negatione tantum flevit toto tempore vitae suae, quantum deberes tu flere, qui millesies et quotiens mortaliter peccasti, Christum negasti facto quidem, quod maius est, et si non verbo. Titum I.: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati et reprobi.* 7 Isidorus: *Esto tam pronus, scilicet o peccator Christiane, quantum fuisti pronus ad culpam, qualis intentio ibi fuit ad peccandum, talis devotio tibi sit ad poenitendum, scilicet pro Christi amore.* Quartum signum in Christi resurrectione, quia audita Christi resurrectione a Magdalena statim ipse cum Iohanne ad monumentum cucurrerunt. Gregorius: *Illi prae ceteris cucurrerunt, qui prae ceteris amaverunt.* Unde et Christus specialius Petro apparuit, Lu. VI.: *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni,* 8 et in alia apparitione ad mare Tiberiadis Christus Petrum de amore prae ceteris examinavit, ut patuit in themate. (C) Sed circa haec quaeruntur aliqua dubia occurrentia. Primum: Utrum simpliciter Petrus prae omnibus aliis discipulis dilexerit Christum. Ratio quaestionis, quia videtur instantia de Iohanne, quem prae ceteris dicitur Christus amasse secundum Bedam, et canit Ecclesia. Sed Christus secundum veritatem eos plus diligit, qui ipsum magis amant, ergo videtur, quod Iohannes plus dilexerit, quam Petrus. Sed ad haec respondet Bonaventura super III. dist. XXXII. pluribus modis. E quibus unus est secundum Bernardum dicentem, quod Petrus dilexit Christum ferventius, et ideo diligebatur a Christo fortius. Iohannes vero dilexit dulcius, et ideo a Christo diligebatur familiarius. Et sic patet responsio breviter, et sufficiat, quia de hoc latius sermone de sancto Iohanne habetur. Secundum quaesitum: Quis apud Deum reputetur melior horum hominum, videlicet an qui plus diligit Christum, an qui plus diligitur a Christo, licet minus iste diligit Christum. Respondet ad id Augustinus super Ioh. VI. dicens sic: *Quis duorum melior sit, utrum qui minus a Christo diligitur, et eum plus diligit, an qui plus diligitur a Christo, et minus diligit. Quantum ipse sapio meliorem, qui plus diligit Christum, felicior vero, quem plus diligit Christus.* Et consequenter subdit Augustinus non posse se hoc defendere, quod Christus minus diligit eum, a quo plus diligitur, et eum plus, a quo minus diligitur, quia iustum est et rationabile plus diligentem rediligere amplius, cum sapientia Dei



dixerit Prover. VIII.: *Ego diligentes me diligo*, 9 ergo plus diligentes plus diligo, et maxime diligentes maxime diligo per illam Topicam maximam: *Sicut simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis, et maximum ad maximum*. O ergo homo, stude Christum ferventer diligere toto corde, ut a Christo diligaris. (D) Circa secundum principale de dilectione Christi ad Petrum sit pro conclusione, quod Christus dilexerit Petrum donis magnis privilegiorum. Declaratur ex pluribus privilegiis. Primum privilegium apostolicae sublimationis, quia ipsum summum et primum post Christum in apostolatu fecit. Ut autem dicit Dionysius De ecclesiastica hierarchia: *Dignitas apostolica est praecellentissima omnium in Ecclesia immediate a Christo recipiens illuminationem, sicut et Seraphim praecellit in Ecclesia triumphante*. Maximum ergo hoc fuit Petro. Nam in hoc praecellit omnes sanctos in caelo. Unde Christus dixit ei Ioh. I.: *Tu vocaberis Cephas*, 10 id est 'capitaneus'. Quaeri potest: Utrum solus Christus per seipsum praefecit apostolis Petrum, an etiam apostoli praebuerunt ad id consensum. Ad quod respondet Anacletus papa dist. XXII. „Sacrosancta”, quod *licet – inquit – omnes essent apostoli, Petro tamen a Domino concessum est, et ipsi inter se voluerunt idipsum, ut reliquis omnibus praeesset apostolis, et Cephas, id est caput et principium teneret apostolatus, qui et eandem formam suis successoribus et reliquis episcopis tenendam tradiderunt*. Haec ibi. Ex quo patet, quod praelati vel episcopi per consensum legitimum debent eligi. Secundum privilegium beatae sedis Ecclesiasticae praelationis, quia ipsum fecit Christus primum papam et vicarium super totam Ecclesiam, cum videlicet ei dixit: *Pasce oves meas*, Ioh. ultimo. 11 (E) Ubi quaeritur: Cur Dominus unum tantum et non plures apostolorum voluit praeficere sanctae universali Ecclesiae? Respondetur, quod huius sunt plures rationes. Una ex parte capituli, scilicet Christi, qui est caput omnis Ecclesiae, ut ait Apostolus Eph. I. 12 Sicut enim unum est caput totius Ecclesiae, ita unus debuit esse eius vicarius super omnem Ecclesiam. Unde XXIV. q. I. „Schisma” dicitur secundum Augustinum, quod *unam Ecclesiam esse constat unum corpus Christi, quae in plura dividi non potest, a qua quisquis recesserit, non vivit de Christi spiritu*. Secunda ratio ex parte fidei. Eph. enim II. dicit Apostolus, quod *unus Deus, una fides, unum baptismum*, 13 ergo unicum debuit habere praelatum. Unde Cyprianus papa XXIV. q. I. „Loquitur” dicit sic: *Loquitur Dominus ad Petrum: „Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.” Super unum aedificabo Ecclesiam, ut unitatem manifestaret, scilicet fidei unitatis eiusdem originem ab uno apostolo incipientem sua auctoritate disposuit*. Haec ibi. Tertia ratio ex parte mysterii vel documenti, scilicet commendandae pacis et charitatis sanctae. Unde idem Cyprianus ubi supra et c. „Alienus” dicit, quod *habere non potest Deum Patrem, qui universalis Ecclesiae non tenet unitatem. Dominus enim discipulis unitatem suasit et pacem. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit, a fonte scinde rivum, praecisus arescit. Sic et ab Ecclesia praecisus non potest fructum salutis facere*. Haec Cyprianus. Tertium privilegium clavigeriae iurisdictionis, quia caeli claves Christus Petro commisit dicens: *Tibi dabo claves regni caelorum*, Matth. XVI. 14 O quale hoc donum, quia non dixit, claves unius provinciae aut regni, sed totius domini mei, ut ad te pertineat claudere vel aperire cuicumque volenti intrare ad beatitudinem. (F) Quaeri potest hic: Cur Christus cadere permisit Petrum in sui negationem, quem praelegerat in talem et tantum pastorem, ut conferret ipsi caelestem clavem? Respondetur, quod hoc fecit Christus primo propter solatium peccatorum, ut nullus desperet de venia, dummodo resurgeret a peccatis in poenitentia. Ambrosius: *Certus sum – inquit –, quod Deus nullum electorum suorum cadere permetteret, si eum meliorem a casu suo resurrecturum non praescivisset*. Idem Ambrosius dist. L.: *Fidelior – inquit – factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defluit, atque ideo maiorem gratiam repperit, quam amisit*. Secundo propter compassionem proximorum. Unde Gregorius dist. L.: *Considerandum – inquit – nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cunctae Ecclesiae praeferre disposuerat, seipsum negare permisit, quod nimirum magnae pietatis actum est dispensatione, ut in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset*. Haec ibi. Et ista sufficiant. Quartum privilegium dignissimae sanctitatis et perfectionis. Nam beatus Petrus maximae sanctitatis probatur fore, qui tantae praeeminentiae dignus exstitit apud Christum Dominum super omnes apostolos et sanctos, ut fieret digne princeps omnium. Nam multi quandoque eliguntur vel minus perfecti vel sancti vel indigni ad praelationem. Sed in Petro hoc fuit magnum privilegium esse dignissimum pro tali praelatura ob suam sanctitatem et perfectionem. Quod autem Petrus fuerit sanctissimus pro apice principatus apostolici et totius Ecclesiae, probatur tali ratione, quae accipitur a Francisco de Mayronis sermone de sancto Iohanne evangelista sic: *Quia principatus in viris sanctis et perfectis debet esse secundum virtutum praeeminentiam, sicut et in angelis beatis claret*. Unde Symmachus papa I. q. I.: *Vilissimus – inquit – computandus est, nisi praecellat scientia et sanctitate, qui est honore praestantior*. Haec ibi. Sed quoniam Christus, qui personam non accipit, sed amat et agit secundum uniuscuiusque meritum et virtutem, ipsum Petrum super omnes Ecclesiae filios ad praelationem praelegit, ergo sequitur, quod perfectioris sanctitatis pro idoneitate regiminis totius Ecclesiae fuerit. (G) Quaeritur hic: Unde Petrus prae ceteris apostolis fore dignior ad officium praelationis reputatur. Respondetur secundum doctores, quod primo ex hoc, quod fuit inter apostolos maturior aetate, ut enim habetur extra de electione „Cum in cunctis”: *Episcopus eligendus debet esse maturae aetatis, ad minus XXX annorum*. Licet autem et alii apostoli fuerint sanctissimi, tamen Petrus fuit inter eos maturior. Secundo ex hoc, quod fide, charitate quoque fuit ferventior, ut dictum est in primo huius sermonis articulo. Tertio quia fuit scientia plenus a Spiritu Sancto, sicut et ceteri apostoli, et cum hoc fuit miraculorum potestate efficacior, ut patebit in sequenti privilegio. Fuit ergo dignissime electus. Quintum privilegium efficaciae miraculorum et operationis. Nam Petrus prae ceteris fuit efficacior in miraculorum operatione, quia non solum, ut ceteri, sanabat et mortuos resuscitabat orationis verbo, sed etiam solo iussu in nomine Christi, cum quendam nomine Aeneam ab annis octo in grabato iacentem paralyticum invenit et ait: „*Aenea, sanet te Dominus Iesus, surge et sterne tibi*”, et continuo surrexit, Act. IX. 15 Et quod maius est, mortuum discipulum XL dierum defunctum suscitavit solius baculi sui suppositione, ut patuit supra sermone II. prope finem. Denique quod maximum est, sanabat infirmos sola umbra corporis sui, Act. V. 16 Si ergo tantae virtutis fuit in terra eius umbra, quantae virtutis sunt nunc in caelo pro nobis eius merita. Sextum privilegium fructuosae praedicationis. Nam in sua praedicatione, scilicet in die Pentecostes convertit tria milia hominum, sicut habetur Act. I. 17 Et in alia praedicatione convertit quinque milia hominum, ut habetur Act. IV. 18 Tantae etiam virtutis erat eius sermo, ut

habetur Act. X., 19 quod loquente Petro cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum eius, et coeperunt loqui linguis magnificantes Deum. Et stupuerunt ex circumcissione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Haec ibi. O Deus magne, utinam nos, moderni praedicatores saltem unam animam in unaquaque praedicatione convertere valeremus. Nam secundum Chrysostomum super Matth.: *Gratiosus praedicator desiderat et gaudet multos auditores habere, ut multos possit ad Deum convertere, sicut et piscator gaudet multos capere pisces.* Et sic patet. (H) Septimum privilegium gloriosae passionis. Eius quippe passio fuit gloriosa primo quoad modum, quia similem poenam passus est Christo, scilicet crucis mortem. Fuit autem Petro pro gloria magna, quod Christus Dominus per seipsum praedixit eidem, quod tali morte crucifixionis deberet clarificare Deum, Ioh. ultimo, 20 et per seipsum apparuit Petro, cum ad fratrum petitionem fugeret de carcere, et invitavit ipsum dicens: „Vado Romam iterum crucifigi.” Et sic Petrus hoc intelligens de suo martyrio statim rediit Romam, et desideranter crucem subiit pro Christo adeo, quod ne eius passio impediretur, rogavit. Sic ergo Petrus in modo passionis assimilatur Christo, quia sicut Christus passus est crucem amanter sponte se offerens pro nobis, sic Petrus pro Christo. Secundo passio Petri fuit gloriosa quoad mysterium, quia noluit rectus crucifigi propter mysterium. Si quaeratur: Cur noluit Petrus rectus, sed reversus crucifigi, respondetur secundum doctores, quod prima ratio humilitatis, qua se reputavit indignum, unde dixit: „Quia – inquit – non sum dignus ita in cruce esse, ut Dominus meus, ergo crucem meam girate.” Secunda ratio, quia patiebatur propter acquirendum caelum. Unde dixit: „Quoniam Dominus meus de caelo ad terram descendit, recta cruce sublimatus est, me autem, quem de terra ad caelum revocare dignatur, crux mea caput in terram debet habere, et pedes in caelum dirigere.” Et sic passio Petri commendatur a mysterio. Tertio gloriosa fuit passio Petri quoad praemium et solatium, quia ipsi in cruce posito affuit ipsemet Dominus Iesus cum angelis mirabili lumine consolando, et coronas de floribus rosarum et liliorum pro signo coronationis caelestis offerendo, ut patuit in legenda. O ergo sanctissime apostole Petre, propter Domini Iesu amorem intercede pro nobis. (I) Circa tertium principale de consociatione Pauli in passione quaeritur: Cur Christus voluit istos beatos Petrum et Paulum apostolos consociari in passione? Quia ut scribitur dist. XXII. in c. „Sacrosanctam” per Anacletum papam, in ipsa eadem Romana urbe uno die eodemque tempore beatissimi apostoli Petrus et Paulus gloriosissima morte coronati sunt, et ambo Sanctam Ecclesiam Romanam consecraverunt. Nam non vacat a mirabili mysterio, cur Christus sic ordinare voluit. Ad quod respondetur, quod ex praedicto capitulo „Sacrosanctam”, et aliunde ad id eliciuntur aliquae rationes. Prima ratio ex parte sedis Romanae, ut sic consecraretur in caput aliis omnibus ecclesiis et urbibus in mundo. Sicut quippe olim Roma erat caput orbis totius, sic voluit Christus, ut esset Ecclesiae universalis caput consecrando triumpho talium capitaneorum regni caelestis, scilicet Petri, qui acceperat claves regni caelestis, et cum hoc Pauli, qui *raptus fuit ad tertium caelum*, 21 et *vas erat electionis* 22 ad aeternam beatitudinem caelestem. Secunda ratio ex parte instructionis nostrae patientiae, ut toti mundo clarescat in istorum principalium apostolorum exemplo, quia Ecclesia persecutionibus non submergitur, sed probatur, cum in Roma tanto sub persecutore Nerone imperatore aliis quoque consimilibus exstingui non potuit, sed crevit talibus principalibus et aliis fidelibus martyrizatis, ut sic pateret, quia a vero Deo est fides catholica et protegatur. Tertia ratio ex parte dilectionis mutuae, scilicet Petri et Pauli. Unde canit Ecclesia: *Gloriosi principes terrae quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.* Nam et ossa eorum simul custodiuntur et mixtim conservantur, et eorum animae simul beatificantur, ut inter fideles Christi pacis unio et fraterna dilectio per totam Ecclesiam commendaretur exemplo eorum. Quarta ratio est intercessionis assidue, scilicet pro tota Ecclesia. Nam ut dicto capitulo „Sacrosancta” dicitur: Paulus inter omnes sanctos praecipue apud Deum intercessorem se repromisit. *Testis – inquit – est mihi Deus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis*, ut patet Ro. I. 23 et Phil. I. 24 Item Petrus II. canonica I. id promisit dicens: *Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* 25 Lyra: *Pastor bonus desiderat et quaerit salutem sui gregis, non solum pro tempore suo, sed etiam pro futuro.* Unde legitur, quod dum beatus Petrus migrasset in cruce ad Christum, mox apparuerunt ibi viri sancti eximio splendore pollentes, qui dixerunt ad populum: „Gaudete, quia intercessorem magnum et continuum meruistis habere apud Christum.” O ergo Iesu bone, qualis tibi gratias agamus, qui tantum nos diligis. Nam te in advocatum nostrum et tuam matrem advocatam nobis fieri voluisti, summosque apostolos Petrum et Paulum, immo et omnes sanctos tuos intercessores et angelos custodes nostros fieri ordinasti. O dulcissime Iesu, te laudamus, te deprecamur, ut istorum sanctorum interventu des nobis gratiam et gloriam.

---

1 Ioh 21,15 2 Prv 8,17 3 Mt 4,18-20 4 Ct 8,7 5 Lc 22,33 6 Lc 22,62 7 Tit 1,16 8 Lc 24,34 9 Prv 8,17 10 Ioh 1,42 11 Ioh 21,17 12 Eph 1,22 13 Eph 4,5 14 Mt 16,19 15 Act 9,34 16 Act 5,15 17 Act 2,41 18 Act 4,4 19 Act 10,44-46 20 Ioh 21,19 21 II Cor 12,2 22 Act 9,15 23 Rm 1,9 24 Phil 1,8 25 II Pt 1,15

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXII.] In die commemorationis sancti Pauli Sermo de beato Paulo cum legenda *Mihi vivere Christus est et mori lucrum.* 1 (A) Haec verba Ecclesia canit hodie ad honorem beati Pauli apostoli, quae ipse scribit Phil. I. Quibus verbis omnes Christiani docentur exemplo beati Pauli, quod summo desiderio debent idipsum desiderare, videlicet et vivere et mori in Christo Iesu, ut habeant beatitudinis lucrum in ipso. Unde Bernardus et post eum Iohannes Gerson li. II. de interna conversatione c. VII. dicit sic: *Teneas te, scilicet o homo, apud Iesum vivens et moriens, et illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus, scilicet in morte, solus potest te iuvare.* Et c. VIII.: *Perdere Iesum maius damnum est, quam perdere totum mundum. Quid potest mundus conferre sine Iesu? Esse sine Iesu gravis est Infernus, et esse cum Iesu dulcis est Paradisus, qui invenit Iesum, invenit thesaurum bonum super omne bonum, ditissimus est, qui bene est cum Iesu, pauperrimus est, qui vivit sine Iesu. Esto humilis, pacificus et devotus, et erit tecum Iesus.*

Haec ibi. Beatus Paulus haec pensavit, ideo summe Christum desiderando dixit: *Mihi vivere Christus est*. Lyra: *Me vivificans per suam gratiam et mori, scilicet pro eo vel secundum eum lucrum, scilicet supernae beatitudinis et gloriae*. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone, sicut et de his tribus commendabilis redditur beatus Paulus pro nostro exemplo. · Primo de gratiosa vita in Christo, ibi: *Mihi vivere Christus est* · Secundo de glorioso martyrio, ibi: *Et mori* · Tertio de copioso suffragio, in hoc, quod dicit: *Lucrum*, non solum sibi quidem, sed et nobis (B) Circa primum de vita in Christo. Ex quo dicit Apostolus, quod sibi vita Christus est, et suo modo Christiano debet esse cuncto, tres praecipuae quaestiones occurrunt: · Prima de modo · Secunda de signo · Tertia de impedimento Prima quaestio, qualiter vivendo Christianus vere possit Christus dici. Ad quod respondetur, quod per unionem charitatis et gratiae, quia scribitur Ioh. XV. et in pluribus locis evangelii, quod Christus manet et vivit in homine per gratiam, et homo in Christo. Nam ut ait Hugo de Sancto Victore, *charitas est vinculum copulans amantem cum amato, quia qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, I. Ioh. IV. 2 Sed hic notandum, quod aliter anima manet in Christo Deo vivendo, aliter Christus manet in anima vitam praebendo vel vivificando. Nimirum anima boni Christiani manet et vivit in Christo Deo sicut in loco proprio, ad quem tendit, quia ad ipsum Deum tamquam ad finem ultimum creata est, secundum quod dicit Augustinus et claret II. Sententiarum. Et declaratur sic, quia sicut res a proprio suo loco habet haec tria: primo quietationem, secundo vitae conservationem, tertio fructificationem, sic anima hominis non potest quietari nisi in Deo. Unde Augustinus li. Confessionum: *Fecisti nos, Domine, ad te, et ideo inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Sic Christus dixit Ioh. XVI.: *In me pacem habebitis, in mundo autem pressuram*. 3 Item secundo anima habet in solo Deo vitam et vitae conservationem, quia Deus vita animae est, ut patet per Augustinum de poenitentia dist. I. § „Item si”, unde Maximus in sermone de uno martyre dicit: *Permanente fide permanet in homine Christus, discedente fide discedit ab homine Christus, discedente autem Christo discedit ab homine vita*. *Apostolus enim docet, quod Christus est vita nostra, dicens: Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria, Col. III.* 4 Haec ille. Denique anima in solo Christo Deo potest fructificare ad vitam aeternam, Ioh. XV.: *Sicut palmes non potest ferre fructum in seipso, nisi manserit in vite, sic et vos, nisi in me manseritis*. 5 Haec Christus dicit. Et sic patet, quod anima Christiani vivit in Christo sicut in loco proprio quietate conservante et fructificante ad vitam aeternam. Sed Christus in anima manet sicut dominus vel rex in suo regno aut civitate, aut sicut nauclerus in navi, quia cum magna diligentia animam ipsam dirigit, gubernat et ducit ad portum salutis aeternae inter omnia temptamenta tamquam procellas maris huius mundi sua gratia praecavendo, ne pereat. Sicut legimus, quod fecerit Christus Paulo, quem protexit et direxit et gubernavit in temptationibus multis et persecutionibus. O Iesu bone, quam benignus es nobis. (C) Secunda quaestio: Qualibus signis cognoscitur, quod ipsa anima vivere in Christo habeat et probatur? Ad quod nota, quod secundum quod ex Scripturis colligitur, tria ad id sunt signa. Sicut enim videmus, quod aliquid probatur fore vivens per tria praecipua, scilicet per motum, per sensum et per operationem vitalem, sic spiritualiter per haec tria cognoscitur quis in Christo vivere. Primum signum, si anima movetur spiritu Christi, scilicet ad sancta desideria caelestium bonorum et ad contemnenda mundi delectabilia et abneganda omnia vitia. Unde qui moventur ad concupiscendum carnalia et terrena, et illa sectantur vel quaecumque peccata, tales spiritu diabolico moventur, et non vivunt in Christo. Unde Ro. VIII.: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt*. 6 Haec ibi. Item I. Ioh. III.: *Omnis, qui in eo manet, non peccat, qui enim facit peccatum, ex diabolo est*. 7 Et eiusdem IV.: *In hoc cognoscimus, quoniam in ipso manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu Sancto dedit nobis* etc. 8 Secundum signum, si anima sentit ea, quae sunt Christi delectando in Deo et compatiendo Christo passo, quoniam Ro. V.: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum Christi*, 9 scilicet ut delectemur in Deo. Ambrosius super Lu.: *Qui Christum interno suscipit hospitio, maximis pascitur exuberantium delectationum conviviis*. Et quoniam in Christo non solum erat dulcor divinitatis, sed et cum hoc amaritudo passionis, ideo anima in Christo vivens sentit et eius passionem per intimam compassionem, unde Iohannes de Sancto Geminiano: *Sentire debet membrum, quod sentit caput, ne fiat distinctio in corpore*. Propter quod et Apostolus hortatur Phil. II. dicens: *Fratres, hoc enim sentite, quod et in Christo Iesu* etc. 10 Per hoc ergo probatur homo vivere in Christo tamquam membrum, non articulum, si sentit dolores Christi. Tertium signum, si anima operatur, scilicet opera virtuosa in imitatione Christi. Unde I. Iohan. II.: *In hoc scimus, quoniam in ipso sumus, si in ipso perfecti sumus, qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare*. 11 Nam *fides sine operibus mortua est*, Iac. II. 12 O ergo homo, disce sic exemplo beati Pauli vivere in Christo. (D) Tertia quaestio: Quomodo impeditur per peccatum, ne Christus Deus in anima peccatrice esse vel habitare dignetur? Et ratio huius quaestionis, quia Deus est ubique pro omni tempore, ergo est etiam in peccatore, unde versus: *Enter, potenter, Deus est ubique praesenter*. Quomodo ergo vere dicatur non esse in peccatore Deum? Ad haec respondetur secundum Richardum de Mediavilla in I. dist. XIV., quod dupliciter dicitur Deus alibi habitare. Uno modo per praesentiam simplicem. Alio modo per praesentiam simul et fruitionem. Modo peccatores Deum possident tantummodo per praesentiam simplicem, secundum quam Deus est ubique essentialiter, potenter et praesentialiter, omnia conservando in esse et gubernando. Non autem habitat Deus in peccatoribus per fruitionem. Sed hoc modo secundo, scilicet per praesentiam et fruitionem habitat tantummodo in iustis fidelibus. Et ponit tale exemplum: Unus alteri dat pondus auri dicens: „Sit hoc apud te tantummodo, sed potestatem eo utendi non habeas.” Alteri dans pondus auri dicat: „Accipe, hoc tibi trado omnino, et fac ex eo, utens sicut tibi placet ipso.” Ita Deus primo modo seipsum dat peccatoribus, in quantum est ubique, et in illis, sed non dat eis potestatem super se. Iustis autem se praebet praesentem, et cum hoc dat potestatem, ut fruantur Deo, prout volunt ad salutem, propter quod iusti et sancti viri in Scriptura dicuntur caeli, eo quod in ipsis, sicut in caelo habitat Deus praebendo sui potestatem et fruitionem gloriae beatis. Et sic fruitionem gratiae dat animabus in praesenti iustis. Econverso autem peccatores terra dicuntur, quia eos Deus iuste comprimit et conculcat infernali poena. Unde Isa. LXVI.: *Caelum – inquit – sedes mea, terra autem scabillum pedum meorum*. 13 Vae ergo et vae peccatoribus, quia ut scribitur Prover. XV.: *Longe est Dominus ab*



*impiis, et orationes iustorum exaudiet.* 14 Item Ps.: *Longe a peccatoribus salus, 15 maledicti, qui declinant a mandatis tuis.* 16 O vere gaudium et laetitia iustis, quia in ipsis tamquam in caelis Deus habitat gratificans, vivificans, et tandem glorificans in patria, quia scribitur Ps. LXXXIV.: *Verumtamen prope timentes eum, id est: Deum, salutare ipsum, ut inhabitet gloria in terra nostra,* 17 id est in corpore mediante anima eidem coniuncta. Ad propositum: Beatus Paulus Christum Iesum summe dilexit, omnia peccata cavit, totus in Christo vixit, ut diceret: *Mihi vivere Christus est.* Unde et in morte Iesu nomen ter exclamavit, ut patebit. (E) Circa secundum principale de glorioso martyrio Pauli apostoli sit pro conclusione, quod beatus Paulus gloriosissimo martyrio pro nomine Iesu est coronatus. Declaratur potissime tripliciter. Tria enim faciunt ad maximam gloriam ipsius martyrii, videlicet: · Primo causa suae passionis · Secundo miracula tempore decollationis · Tertio apparitio facta post tempus mortis Primum inquam est causa passionis, quia ut dicit Augustinus, martyrem, scilicet gloriosam causa facit potius, quam poena. Paulus autem passus est triplici causa gloriosae iustitiae. Primo quidem ex eo, quod Christum Deum esse praedicabat, constantissimeque culturam daemonum reprobabat et evacuabat. Et propter haec multas persecutiones passus est Paulus, quas beatus Hilarius breviter enumerat dicens: *Paulus apostolus in Philippis virgis caeditur, incarceratur et ligno pedibus affligitur, in Lystris lapidatur, in Epheso feris datur, in Damasco per sportam e muro deponitur, in Ierusalem sistitur, caeditur, ligatur, insidiatur, in Caesarea clausus tenetur, navigans in Italiam periculo dirigitur. Romam veniens sub Nerone occisus finitur.* Haec Hilarius. Cum autem Paulus in custodia de Caesarea portaretur per naves Romam, ut scribitur Act. VI., fracta navi in tabulis evadens in insulam Mytilenem enataverunt, ubi propter frigus cum congregasset Paulus sarmenta, ut super ignem poneret, vipera manum eius invasit. Quod barbari videntes dicebant adinvicem: „Utique homicida est homo hic, qui cum evasit de mari, ultio divina non permittit eum vivere.” Paulus autem excutiens viperam in ignem nil mali passus est, propter quod illi admirantes coeperunt dicere eum esse deum, scilicet credentes ipsum esse immortalem. Gentiles enim dicebant homines immortalitatem consecutos esse deos, ut Saturnum, Iovem etc. Dicitur quoque, quod omnes, qui de progenie illius hominis, qui tunc Paulum hospitio suscepit, nascuntur, a venenosis nullatenus laeduntur. Unde cum pueri nati fuerint, in cunis eorum patres serpentes ponunt, ut probent, si eorum filii vere sunt. Dum vero Paulus venisset Romam Neronis anno II., et a passione Domini anno XXV. secundum Hieronymum, audiens Nero, quod de lege Iudaeorum et fide Christianorum inter Paulum et Iudaeos quaestio vertebatur, et ob hoc Paulus fuerit captus, non multum curavit inde, quia nondum etiam fuerat in imperio confirmatus. Et sic Paulus quo volebat, libere ibat, et praedicabat per biennium. Deinde in occidentales partes pergens evangelium praedicavit usque ad XIV. Neronis annum, quo Romam rediens martyrizatus est. Refert autem Haymo, quod Paulus a pullorum cantu usque ad horam quintam labori manuum insistebat, deinde praedicationi, ita quod plerumque usque ad sero sermonem protraheret, et residuum temporis somno et refectio ac orationi necessarium erat. (F) Secundo gloriosam causam habuit martyrii ex eo, quod scilicet multos de populo et militibus ad Christum convertebat. Nam eius sapientia et religiosa vita ubique famabatur, et ab omnibus admirabilis habebatur, et senatus de illo alta sentiebat. Quadam vero die, dum Paulus circa vespertas praedicaret, pincerna Neronis nomine Patroclus in fenestra audiens praedicationem dormitando decidit et exspiravit. Quod audiens Nero plurimum doluit, quia eum amabat. Paulus vero defunctum iussit afferri, et eum suscitavit, ac ad Caesarem misit cum sociis. Cui Nero admirans ait: „Patrocle, vivisne?” At ille: „Caesar, vivo.” Et Nero: „Quis te fecit vivere?” Cui ille: „Iesus, rex omnium saeculorum.” Iratus Nero dixit: „Ergo ille regnabit in saecula resolvens omnia regna mundi.” Cui Patroclus: „Etiam.” Caesar ergo dedit ei alapam dicens: „Illi militas ergo regi, et non mihi.” Cui ille: „Utique illi milito, qui me suscitavit a mortuis.” Tunc quinque ministri imperatoris, qui eidem iugiter assistebant, dixerunt: „Cur, imperator, percutis hunc iuvenem veraciter respondentem, nam et nos illi regi invictissimo militamus.” Quo audito Nero eos incarceravit, ut torqueret. Et tunc omnes Christianos fecit inquiri et per varia tormenta sine interrogatione puniri. Tunc et Paulus vincus est inter ceteros, et sic pro tali causa punitus est. (G) Tertio causa martyrii Pauli fuit gloriosa, eo quod occisus est propter veram deitatem Christi probandam et potestatem iudiciariam, quam Paulus astruebat. Cum enim Paulus fuisset Neroni praesentatus, dixit ei Nero: „Cur milites meos subtrahis, et tibi colligis?” Respondit Paulus: „Non solum de tuo angulo, sed et de toto orbe collegi Christo, cui et tu si subiectus fueris, salvus eris, qui tantae est potentiae, ut iudex omnium veniat, et mundum per ignem solvat.” Ad quod iratus Nero iussit omnes milites Christi igne cremari, et Paulum capite truncari. Ad quem Paulus ait: „Scito, Caesar, quia modico tempore patiar, sed vivam aeternaliter Domino Iesu Christo.” Nero dixit: „Auferte ab eo caput, ut me rege suo fortiolem intelligat, qui eum devici, et videamus, si semper vivere valeat.” Cui Paulus: „Ut scias me post mortem corporis vivere aeternaliter, vivus tibi post abscisionem capitis apparebo, ut cognoscas, quia Christus est Deus vitae.” Et sic Paulus ductus est ad occisionem. Cumque duceretur a praecipuis tribus militibus, dixerunt ei illi: „Quis est, o Paule, iste rex vester, pro quo mori potius quam vivere diligitis, et quam mercedem ab eo habebitis?” Et Paulus de fide Christi illis loquens et de regno Dei convertit eos. Qui cum rogaret Paulum, ut libere abiret, quomodo vellet, dixit: „Absit, fratres, ut fugiam, cum sim miles Christi legitimus. Scio enim, quod transibo per hanc mortem ad vitam aeternam, vos autem post decollationem meam venite ad eum locum cras mane, et ibi invenietis orantes duos discipulos, et haec eis narrate, et ipsi baptizabunt vos, ut sitis caeli coheredes.” Interim Nero misit alios milites ad videndum, si esset occisus Paulus. Et illos cum vellet convertere, dixerunt: „Cum a mortuis resurrexeris, credemus tibi de his, quae dicis.” Cum ergo ducerent Paulum in porta Ostiensi, obviavit ei matrona nomine Plantilla, Pauli discipula flens et orationibus illius se commendans. Cui Paulus: „Vale, aeternae salutis filia, et da mihi velum tui capitis, quo mihi oculos ligabo, et postea restituam illud.” Et illa tradidit. (H) Secundo gloriosum probatur martyrium Pauli per miracula facta tempore suae decollationis a Iesu bono, quorum primum est, quod veniens ad locum, ubi decollari deberet, versus ad orientem oravit cum lacrimis, et gratias Christo egit. Post hoc fratribus valefecit, et oculos de velo Plantillae ligavit, et utrumque genu in terram figens collum extendit, et decollatus mox eius caput exsilens tres saltus dedit, in quolibet saltu „Iesus Christus” exclamando, et sic tres fontes aquae vivae aperuit usque hodie perseverantes inibi, ut de hoc scriptum est latius sermone de sancto Petro I. „I”. Secundum miraculum, quod de

eius vulnere unda lactis usque ad vestimenta exsilivit primum, et postea sanguis effluxit. Lac quippe eius puritatem virgineam testatur, sanguis martyrii sanctitatem. Et Dionysius in epistola ad Timotheum de morte Pauli addit, quod Paulus in ipso ictu carnificis explicuit velum, et collegit sanguinem proprium in velo, et obvolvitur et ligavit et tradidit illi feminae, scilicet Plantillae. Tertium miraculum, quod mox in aere lux immensa emicuit, et de corpore odor suavissimus emanavit. Lux quippe testatur eius lucidam sapientiam. Odor suavis eius sanctam vitam. (I) Tertio gloriosum martyrium probatur hoc per revelationes et apparitiones factas post mortem, et quarum prima est, quia ut Dionysius ubi supra refert, cum decollato Paulo miles carnifex et alii reverterentur in civitatem, Plantilla eis dixit: „Ubi dimisistis magistrum meum? Ecce vidi, quod nunc Petrus et Paulus induti veste praeclara intraverunt in civitatem, et coronas fulgentes luce habebant in capitibus.” Et protulit velum sanguine cruentatum in testimonium, propter quod multi crediderunt in Christo, et baptizati sunt. Et consimili modo eos vidisse ipsemet Dionysius testatur in dicta epistola. Secunda revelatio, quia cum haec Nero audivisset, extimuit, et cum philosophis de talibus tractare coepit. Ecce autem ianuis clausis Paulus ante Caesarem et philosophos stans ait: „Ecce Caesar, ego – inquit – Paulus, aeterni regis miles, vel nunc crede, quia non sum mortuus aeternaliter, sed vivus, tu autem miser aeterna morte morieris, quia sanctos interficis.” Et his dictis disparuit, unde Nero quasi amens effectus pertimuit, et quos Christianos captivaverat, liberos dimisit. Tertia revelatio, quia illi magistri militum tres, quos Paulus converterat, cum ad mortem duceretur, ut dictum est, crastino mane venientes ad locum decollationis Pauli viderunt ibi duos viros, scilicet Titum et Lucam orantes, et in eorum medio Paulum stantem, quos isti discipuli, scilicet Titus et Lucas putantes persecutionis causa venire territi fugerunt, et Paulus mox disparuit. Milites autem clamantes post eos et omnia enarrantes, et quomodo Paulum cum eis apparentem viderint, isti cum magno gaudio illos baptizaverunt. Et sic patet propositum. (K) Circa tertium principale de suffragatione sit pro conclusione, quod beatus Paulus per sua merita invocantibus praestat salutis suffragia. Primo quidem ab hostibus defendendo. Unde Sancta Ecclesia Paulum solet depingere cum libro et ense. Petrum autem cum clavibus, ad repraesentandum, quod Paulus per sapientiam in libris epistolarum nos docet ad salutem, et per ense, id est per merita passionis defendit ab hostibus. Petrus autem habet claves aperiendi caelum. Secundo Paulus suffragatur a mala morte liberando. Nam ut dicitur in legenda, refert Gregorius Turonensis, quod quidam desperans laqueum sibi parabat, semper tamen dicebat: „Aduva me, sancte Paule!” Tunc affuit quaedam umbra squalida dicens eidem: „Eia bone vir, age, quod agis, ne moram feceris.” Cumque iam expedito laqueo dixisset: „Beatissime Paule, adiuva me!” – ecce statim affuit umbra quasi hominis scilicet splendida, dicens: „Fuge, inimice, quia Paulus advocatus advenit.” Et statim illa umbra squalida evanuit. Et homo ad se rediens poenitentiam egit, et laqueum proiecit. Tertio suffragatur in extremis animam laetificando. Nam refert Gregorius in li. Dialogorum, quod quidam presbyter sanctus ad extrema deductus coepit cum magna laetitia clamare dicens: „Bene veniunt domini mei, bene veniunt domini mei. Ecce venio, gratias ago, gratias ago.” Interrogatus ab astantibus, quibus sic loqueretur, respondit: „Numquid videtis huc venisse sanctos apostolos Petrum et Paulum?” Cum vero iterum verba, ut prius, repeteret, sancta anima e carne soluta est. Haec sufficiant. Accedamus ergo, carissimi, et veneremur beatum Paulum, ut ipsius meritis perducamur ad regna caelorum. Amen. De visitatione Beatae Mariae Virginis habes in Stellarario.

---

1 Phil 1,21 2 I Io 4,16 3 Ioh 16,33 4 Col 3,4 5 Ioh 15,4 6 Rm 8,9; 8,13-14 7 I Io 3, 6 et 8 8 I Io 4,13 9 Rm 5,5 10 Phil 2,5 11 I Io 2,5-6 12 Iac 2,26 13 Is 66,1 14 Prv 15,29 15 Ps 118,155 16 Ps 118,21 17 Ps 84,10

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXIII.] De sancto Bonaventura ordinis minorum Sermo cum legenda *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, 1 scilicet sapientia. (A) Haec verba scribuntur Sap. VII., et optime conveniunt dici de sancto Bonaventura, ut quasi ipse sanctus dicat: *Venerunt mihi omnia bona cum sapientia*. Tum quia ipse beatus pater plenitudinem sapientiae habuit. Nam et professor sacrae paginae et vir totius perfectionis excellentissime exstitit. Tum quia etiam haec verba eius nomini consonant, eo quod vocatus est Bonaventura ab omnium bonorum proventu. Et hoc factum est Deo bono disponente et Spiritu Sancto inspirante, videlicet ut beatus pater Franciscus ipsum vocare hoc nomine Bonaventura, qui antea vocabatur Eustachius. Dicit autem Lyra in Postilla super Lu. II., quod nomina, quae hominibus imponuntur divinitus, semper significant aliquid donum gratuitum datum vel dandum. Sicut patet de Abraham, cui dixit Dominus: *Non vocaberis ultra Abram*, id est pater excelsus tantum, scilicet in prole pauca, *sed Abraham*, id est pater multarum scilicet gentium, ideo sequitur: *eo, quod patrem multarum gentium constitui te*, Gen. XVII. 2 Sic et Iesus vocatus est Iesus, id est salvator, eo quod hoc munus gratiae collatum est sibi a Deo Patre, ut ipse salvet populum a peccatis eorum. Ita Deus praevidens sanctum Bonaventuram dono sapientiae et omni bono gratiae et gloriae sublimandum, sic voluit ipsum nominari Bonaventuram. Optime ergo et convenienter dicere potest haec verba: *Venerunt mihi omnia bona* etc. Quibus ipse beatus pater commendatur praecipue tripliciter, de quibus in hoc sermone agemus: · Primo de omnium bonorum proventu: *Venerunt* – inquit – *omnia* · Secundo de sapientiae verae profectu, ibi: *pariter cum illa*, scilicet sapientia · Tertio de gratiae magnae fructu, quia dicit: *bona*, scilicet gratuita provenisse (B) Circa primum de proventu bonorum sit pro conclusione, quod sanctus Bonaventura merito commendatur per omnis mundi bona provenientia homini in praesenti vita et futura. Declaratur, quia ut clare constat, sunt: Primo aliqui homines, quibus pauca vel fere nulla proveniunt bona in hoc mundo, ut sunt mendici mali et pauperes in peccatis viventes, qui quidem nec praesentibus frui possunt bonis (quamvis multum pro eis acquirendis laborent), nec futuris, eo quod in peccatis vivunt nunc, et in futuro damnabuntur. De talibus Ps.: *Duplici contritione contere eos*. 3 Secundo alii sunt, qui multa bona habent in hac vita, sed nulla in futuro. Sicut legitur de divite epulone, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, et tamen in futuro nec guttam aquae desideratam potuit habere, Lu. XVI. 4 Tales sunt omnes divites de suis divitiis nil boni

facientes, nec pauperibus erogantes, quibus haec bona temporalia erunt in futuro pro damnationis cumulo, quia Apoc. XVIII. scribitur: *Quantum se glorificavit et in deliciis fuit, tantum dabitur ei tormentum et lamentum in futuro.* 5 Denique tertio alii sunt, quibus etsi multa proveniunt bona in hoc mundo vel admodum pauca, tamen per illa fideliter distribuendo pro Deo et bene vivendo plurima acquirunt in caelo. Ad quod hortatur Salvator Matth. VI.: *Thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi nec tinea demolitur, nec fures effodiunt aut etc.* 6 Et Ps.: *Melius est modicum iusto scilicet in praesenti super divitias peccatorum multas.* 7 Item Tobiae IV.: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum et recesserimus ab omni peccato et fecerimus bene.* 8 Haec ibi. Ad propositum: Sanctus Bonaventura et praesentia et futura omnium generum habuisse bona cum studio verae sapientiae promerendo aeternalia comprobatur. (C) Pro quo notandum, quod secundum Augustinum li. De libero arbitrio et Gregorius li. XXVII. aliosque doctores tria sunt in summa omnium bonorum genera hominibus provenientia: · Primo summa · Secundo media · Tertio infima Primo sunt quaedam summa bona, scilicet aeternalia et caelestia. Et haec omni homini summe sunt appetenda, exemplo Ps. dicentis: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum concupiscit et deficit anima mea in atria tua.* 9 Quod dicit: Intantum anima mea concupiscit illa bona caelestia, quod deficit usque ad languorem mortemque prae desiderio. Nam Augustinus De libero arbitrio in fine dicit: *Tanta est pulchritudo iustitiae, tanta iucunditas lucis aeternae, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quam una die, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitae deliciis pleni et affluentia omnium temporalium bonorum merito contemnerentur.* Haec ille. Secundo sunt bona quaedam media, ut virtutes et opera meritoria, quibus mediantibus pervenitur ad summa bona caelestia, et ideo diligenter sunt talia cumulanda et appetenda, tamquam semina caelestium fructuum. Gal. VI.: *Nolite errare, scilicet putando, quod per opera mala homo salvetur, Deus enim non irridetur, id est non decipitur. Quae enim seminat homo, haec et metet, quoniam qui seminat in carne, id est peccatum carnis sequendo, metet corruptionem culpae et gehennae, qui autem seminat in spiritu, id est instinctu Spiritus Sancti, operatur bona, metet vitam aeternam. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus.* 10 Haec ibi. Tertio alia sunt bona infima, sicut sunt temporalia, ut honores et divitiae. Et ista non sunt nimis appetenda, immo potius sunt contemnenda, I. Ioh. II.: *Filioli, nolite diligere mundum, id est mundi huius delectabilia, neque ea, quae in mundo sunt, id est vicia eorum, quia si quis diligit mundum hoc modo, non est charitas Patris, id est Dei in eo.* 11 Unde Gregorius dicit: *Tanto quisque a superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur.* Ad propositum: Sanctus Bonaventura quamvis habuerit bona mundi prospere provenientia sibi, puta honores et dignitates, episcopatus ac cardinalatus, et praelationem ministerii in ordine minorum Deo favente, tamen in istis omnibus tam sincere Deum dilexit et tam sanctissime se habuit, ut omnia pro Christo velut stercora reputaret, et toto conamine ad caelestia festinans gloriam magnam adquisivit, ut patebit in sequentibus. Merito ergo dictus est Bonaventura, eo quod ipsi bona infima, media et summa provenerunt. (D) Sed quaeri potest, utrum aliqua mundi bona proveniant homini mere a fortuna sine Dei providentia. Respondetur secundum doctores, praecipue Thomam in III. li. Contra gentiles, et post eum Rainerium in Summa sua, quod aliqui dicitur evenire a fortuna, quando accidit praeter intentionem illius, sicut cum quis fodiens in agro vel transiens in via invenit thesaurum, quem non quaerebat. Sed nota, quod aliquid est praeter intentionem inferioris, quod non est praeter intentionem superioris, et maxime praeter cognitionem et intentionem Dei, sine cuius providentia nihil fit nec contingere potest. Sicut exempli gratia, cum dominus mittit servum ad aliquem locum, et ad eundem locum mittit alium servum illo ignorante, tunc concursus servorum ad invicem est praeter intentionem utriusque servi, sed non est praeter intentionem domini mittentis eos. Talis ergo concursus servorum licet sit fortuitus respectu servorum, non tamen respectu domini ipsorum. Sic licet aliqua videantur fortuita respectu hominum, eo quod causa vel ratio talium est occulta, nihil tamen respectu Dei, qui omnia praeordinat et praevidet, a quo principaliter provenit omne bonum homini. Et sic omnis eventus fit principaliter a Deo causante vel permittente. Hinc Prover. XVII.: *Sortes mittuntur in sinu.* 12 Lyra: Id est in occulto, ut recipiantur fortuitu. Sed a Domino Deo temperantur, quia ex divina providentia provenit, quod talis sors cadat super talem. Fraus tamen, quae inibi committitur, non a Deo est, sed ab hominum malitia, quam Deus permittit iudicio occulto. Ad praedicta facit auctoritas Novi Testamenti, quia Salvator dicit Mat. X.: *Nonne duo passeris asse veneunt, et unus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro.* 13 Unde sequitur, quod nil provenit sine providentia Dei hominibus, etiam in minimis punctis taxillorum in ludo projectorum, nisi adhibeatur fraus et malicia. Haec secundum Rainerium ubi supra. Quanto magis hoc de vita hominis sentiendum est, quod sicut Gregorius dicit homilia Epiphaniae: *Vitam – inquit – hominis solus qui condidit, Deus gubernat.* Ex quo patent tria praecipua documenta. Primum est, quod illi, qui attribuunt bona constellationi vel etiam casus et fortunam ac similia, sic quod spem totam in constellatione et non in Deo ponunt, nimis errant, ut sunt fata observantes et similia. Secundum, quod omnia, quae habemus bona, Deo debemus attribuere principaliter. Ipse enim dicit Isa. XLII.: *Gloriam meam alteri non dabo.* 14 Sicut enim tibi esset iniuria, cum faciens aliqua strenua opera hostesque devinceret, et tamen gloria victoriae aut facti ascriberetur non tuae virtuti, sed armorum (sic!) alterius. Sic est in proposito. Tertium, quod in omni prosperitate etiam usque ad minimum quadrantem et in omni adversitate maxima vel minima Deum laudare debemus, qui omnia ordinat et disponit ac providet secundum suum beneplacitum et sanctissimam bonitatem pro scilicet salute nostra. Ideo I. Pe. IV.: *In omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est honor et gloria et imperium in saecula saeculorum.* 15 Exemplum in Bonaventura, qui docuit verbo et exemplo in prosperis et adversis Deo gratias agere. (E) Circa secundum principale de profectu sapientiae sit conclusio dictum Ambrosii in Epistola ad Simplicianum sic: *Sola sapientia libera est, et felicissima per consequens fortuna, qua divitibus pauperes praesunt, aeternique thesauri, cuius et usura est pretiosa.* Haec ille. Et ratio patet ex his, quae scribuntur Sap. VII., quod *sapientia omnium bonorum mater est. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.* 16 O ergo homo, vis esse optime fortunatus? Sapientiam adquire. Seneca: *Sapiens vincit virtute fortunam. Pone ex una – inquit – parte virum bonum divitiis abundantem et iustum, ex altera parte nihil habentem, sed in se omnia, uterque aequae vir bonus erit.* Haec ille. Nam per sapientiam Deus, qui est summum bonum, et sine quo nullum bonum habetur, ergo etc. (F) Quaeritur ergo: Quales effectus



operatur vera sapientia, per quos in homine fore comprobatur? Respondetur secundum doctorum scripta, quod potissime quattuor. Primus effectus est peccatorum detestatio. Nam Sap. I.: *In malivolam animam non introibit spiritus sapientiae, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* 17 Bernardus super Cantica sermone I.: *Non aliquid est – inquit – vera et consummata sapientia, quam declinare a malo et facere bonum.* Idem: *Invenisti plane sapientiam, si prioris vitae peccata defleas. Initium quippe sapientiae timor Domini,* ut ait Ps., 18 ergo etc. Unde peccator homo stultus dicitur, et merito, quia ignem gehennae, quo acerbius uratur, sibi quotidie adauget per peccata. Secundus effectus mundialium parvipensio. Bernardus: *Invenisti sapientiam, si huius saeculi desiderabilia parvipendas, si aeterna toto desiderio concupiscas. Invenisti sapientiam, si singula tibi sapiunt, prout sunt, ut haec velut caduca et transitoria contemnenda, illa vero ut perfecta bona appetenda discernas.* Haec ille. Unde VI. Topicorum: *Maiora bona sunt praeeligenda.* Et Prover. IV.: *Principium sapientiae possidere prudentiam,* 19 scilicet in eligendo. Tertius effectus salubrium assaporatio. Nam sapientia dicitur quasi sapida scientia divinorum, scilicet quia est sapida et dulcis per amorem divinum, iuxta illud Ps.: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel ori meo.* 20 Unde in Collationibus patrum legitur, quod mota quaestione, quis posset dici vere sapiens, respondit unus patrum, quod ille, qui bene novit seipsum. Addidit alius dicens: *Ille sapiens est, cui sapiunt Deus et divina vel salubria.* Proinde Bernardus super Cantica sermone LXXXVI. dicit: *Ubi amor est, labor non est, sed sapor. Et sapientia a sapore denominatur, ut si quis sapientiam saporem boni diffiniat, quem saporem boni perdidimus ab ortu poenae generis, ex quo sensu carnis praevalente suggestu serpentis antiqui coepit desipere bonum ac sapor noxius subintrare.* Haec ille. Quartus effectus virtuosorum operum exercitatio. Iac. III.: *Quae desursum est sapientia, primum quidem pudica est,* 21 id est pudicitiae affectiva, deinde pacifica modesta bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis. Ambrosius in Epistola ad Simplicianum dicit: *Ubi sapientia, ibi virtus animi, constantia et fortitudo.* Ibidem quoque quaerit Ambrosius, quae desiderat sapiens summo conatu. Respondet, quod *ea sola, quae virtutis et disciplinae sunt, sine quibus esse non potest, quae si ab eo divelluntur, iam non sapiens est, qui est sine virtutis actu et disciplinae.* Haec ille. Ad propositum: Sanctus Bonaventura per singula et omnia haec probatur vera sapientia fuisse plenus, qua et omnia bona habuit sibi provenientia, ut claret ex eius legenda. Imitemur ergo ipsum, etc.

(G) Circa tertium de multiplici gratia, qua Christus Iesus sanctum Bonaventuram sublimavit, sit conclusio, quod magnitudo sanctitatis beati Bonaventurae claret ex multitudine et magnitudine gratiae a Christo Iesu sibi datae. Declaratur ex legenda secundum ordinem. Primo namque sanctus Bonaventura habuit a Deo gratiam sacrae religionis, de qua Bernardus tractans illud Math. XVII.: „Bonum est nos hic esse” 22 dicit sic: *Religiosus in religione vivit purius, cadit rarius, resurgit velocius, incedit cautius, quiescit securus, irrogatur frequentius, moritur confidentius, purgatur citius, praemiatur copiosius.* Haec ille. Sanctus Bonaventura quippe cum esset de Thuscia, patre Iohanne, matre Ritella fidelibus progenitus, et in pueritia infirmatus usque ad mortem exstitit, cuius saluti anxia mater medicorum diligentiam adhibuit, quae spe salutis frustrato medicamine privata, sancti Francisci imploravit suffragia devovens ipsius religioni illum, si sanum recuperaret. Et ut fertur, pia mater ipsum ad beatum patrem Franciscum tunc in carne viventem adduxit, et ut sua oratione sanum sibi hunc filium redderet, reverenter et humiliter ac devotissime supplicavit. Beatus autem pater Franciscus cum ad Deum lacrimose suspirasset, ecce subito puer sanus exsilivit. Ad quod miraculum sanctus pater repente infusus Spiritu Sancto exclamavit dicens: „O bonaventura!” Exinde hoc nomen Bonaventura sortitus est, qui in baptismo vocatus prius fuerat Eustachius. Sanus itaque domum rediens et tandem adolescens factus memor voti facti a matre, et huius miraculosae sanationis anno suae aetatis circiter XXII habitum religionis sancti Francisci devotissime suscepit, in qua dietim proficiens de virtute in virtutem orationi et contemplationi ac lectioni Scripturarum sub irrefragabili doctore Alexandro de Hales intendebat, qui tanta gratia Spiritus Sancti fuit proventus, ut cunctis fieret admirabilis in sapientia et doctrinae perfectione, adeo quod in brevi tempore, scilicet septimo sui ingressus anno libros Sententiarum in Parisiensi universitate legeret egregie, et magistralem doctoratus cathedram reciperet, et in ordine toto inter primos religione et doctrina haberetur. Et quod erat admiratione dignum, quo crescebat scientia et auctoritate, eo crescebat humilitate mentis et sui depressione. Nam humilitatis officia fratribus serviendo non praetermittebat, infirmis summa diligentia obsequio se mancipabat, morbo etiam contagioso laborantibus. Et sic patet eius magna gratia. Secundo habuit gratiam vitae mundissimae et conversationis. Nam eius sanctam vitam considerans Alexander de Hales doctor tantae auctoritatis in Ecclesia, ut de eius dictis aut scriptis dubitare non liceret, compertis vita et moribus Bonaventurae ipsum ab omni vitio mortali mundum asserebat, et de eo solitus erat dicere sic: „*Iste est verus Israelita, in quo Adam videtur non peccasse*”, quod certe magnae gratiae est et gloriae. Unde Augustinus XXI. De civitate Dei dicit, quod *etiam inter sanctos paucissimi sunt tantae felicitatis, ut ab ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata commiserint.* Item sanctus pater Franciscus Spiritu Sancto inspiratus de ipso Bonaventura prophetavit dicens, quod futurus esset magnus vir in Ecclesia Dei, et quod per ipsum religio sua magna sanctitate cresceret, quod impletum est.

(H) Tertio gratiam habuit perfectae praelationis. Nam ob ingentes virtutes Deus ipsum exaltavit ad dignitates plures. Primo generalatus. Fuit enim XIII. ingressus anno ex omnibus sanctis viris ordinis tunc minorum electus ab omnibus in festo Purificationis Virginis Mariae praesente Alexandro papa IV. anno Domini MCCLVI. in ministrum generalem totius ordinis. Fuit autem octavus minister ordinis post beatum Franciscum, et annis XVIII ordinem rexit laudabiliter. Piissimus autem cultor fuit Beatae Mariae Virginis. Instituit enim, ut fratres populum hortarentur ad salutandum Virginem pro signo campanae post completorium, eo quod creditum sit illa hora ab angelo Virginem salutatam. Secundo exaltavit Bonaventuram Deus ad dignitatem archiepiscopatus, scilicet Eboracensis, quod est pinguissimum beneficium. Sed ipse ad pedes domini papae se conferens tam humiliter et efficaciter tanto gradui cessit, quod papa eius cessionem acceptavit. Tertio exaltavit ad dignitatem cardinalatus et episcopatus. Nam cum concilium Lugdunense quaestionibus emersis inextricabilibus et difficultatibus elaboraret, Gregorius tunc papa XI. pro sublevandis difficultatibus dictis considerans Bonaventurae sanctitatem et sapientiae excellentiam Ecclesiae regimini profuturam, ipsum quamvis plurimum reluctantem promovit in cardinalem et in episcopum Albanensem. Fertur autem, quod cum papa misisset eidem insignia cardinalatus cum pileo, ipse

Bonaventura tunc occupatus in obsequiis fratrum et lotura coquinaria nunciis dixerit, quod ponerent illa in palum (qui usque hodie dicitur pro memoria ibi stare), „usque quo – inquit – perficiam et explebo scutellarum loturam.” Sed illi interim observarunt, ne Bonaventura fugeret. Et sic ad apostolicum ductus invitus est insignitus. Factus autem cardinalis in ea vocatione pari sanctitate et operum fructu perseveravit benignus, prudens, humilis, pudicus, sobrius et omni virtute clarus. (I) Quarto gratiam luminosae sapientiae ac instructionis doctoralis, quia confecit plurimos libros ac editiones, eiusque opuscula sunt multum celebria. Praefulgent enim primo devotionis sapore, ut claret legenti, unde et seraphicus doctor est appellatus. Secundo praefulgent copiositate, quia sunt plurima usque ad CCC numerum. Tertio praefulgent utilitatis luciditate, habent enim cum profunditate sensus tam lucidam facilitatem, ut omnibus merito prodesse possint. Quinto gratiam altissimae contemplationis et devotionis. Nam cum ea tempestate sanctus Thomas de Aquino ordinis praedicatorum sanctitate clarus et Bonaventurae magna charitate coniunctus accessisset ad visitandum et conferendum cum eo de aliquibus quaestionibus, et tunc sanctus Bonaventura ostio cellae clauso contemplationi divinae insisteret, introspexit beatus Thomas per foramen, et vidit Bonaventuram in contemplatione raptam et a terra mirifice sublevatam. Tunc ad suos ait: „Sinamus sanctum” – inquit. O Dei gratia mira in Christi amore. (K) Sexto habuit gratiam dignae communionis, quia cum adhuc in minoribus agens ex humilitate non auderet communicare, pluribusque diebus abstinuisset, et die quadam in missa devotus adesset, Deus ab alto respiciens humilitatem eius angelum misit, qui particulam consecratae hostiae acceptam de manu celebrantis ori Bonaventurae immisit, ob quod ab omnibus praedicatur beatus. Septimo gratiam mirificae operationis. Cum enim Lugduni mulier quaedam Simona beato Bonaventurae devota mortuum peperisset, advocato sancto viro et cadavere eidem ante pedesposito, mater in lecto flens et ceterae mulieres, quae aderant, sancti viri opem in salutem deprecatae sunt. Tunc vir sanctus orans et signa crucis super puerum facto (sic!) viventem reddidit matri, unde tritum verbum in illa tota provincia excrevit, quod videlicet sanctus Bonaventura mulieres utero laborantes a periculo eximit invocatus. Octavo gratiam sanctissimae consummationis. Cum enim esset plenus bonis operibus et meritis, anno Domini MCCLXXIV., et suae aetatis LIII., Dominica die, quae erat XIII. Iulii, quievit in Domino, et anima eius gloriose exstat in caelo coronata, non solum aurea divinae visionis, sed etiam insuper aureola praedicationis, et ut putatur ex praehabitis, aureola virginitatis. Eius autem gloriam Deus comprobans manifestavit miraculis multis. Caput quippe eius post obitum CLX. anno cum levaretur corpus, sic solidum et integrum est repertum cum capillis haerentibus, labiis, dentibus et lingua, ut in nullo a vitali statu aut colore demutata fuerint visa. Denique ut praeter solita miracula in caecis, claudis, leprosis, paralyticis etc. aliqua saltem praecipua notemus, compertum est revera, quod eius suffragia prosunt invocantibus. Primo quidem quassatis et contritis membris et ossibus. Secundo rupturam in inguinibus patientibus et misere putrescentibus. Tertio prole carentibus. (L) Quidam namque Franciscus de uxore propria plures filias habens et nullum masculum, prece fusa ad sanctum Bonaventuram promeruit filium masculum, quem nomine illius Bonaventuram vocavit. Tandem peste invalescente in provincia omnibus filiabus istius hominis extinctis puer Bonaventura infectus cum morti proximaret, clamitabat, quod a malignis spiritibus, praesentia eorum horrida vexaretur, dicebatque infelix: „Succurrite, et hos spiritus malignos fugate!” Tunc parentibus consternatis prece fusa ad sanctum Bonaventuram puer mox salvus surrexit cum magna parentum et concivium laetitia. Referam et hoc tempore factum miraculum in Hungaria, civitate Strigoniensi anno Domini MCCCCLXXXVII.: Puer quidam ad mortem infirmatus cum iam nulla esset spes salutis illius, parentes in praedicatione audientes de sancti Bonaventurae meritis devoverunt pro illius sanitate sancto Bonaventurae missas facere celebrari, et statim iste puer sanus surrexit, et parentes pro conservata prole gratias egerunt ac vota exsolverunt. Quarto in extremis sine viatico decedentibus. Nam quaedam Stephaneta in extremis corpus Domini allatum nec agnoscere, nec accipere potuit, pro qua filius eius Franciscus nomine sanctum Bonaventuram deprecatus est, et sic fidenter corpus Dominicum afferri procuravit, quod illa statim agnitum reverenter suscepit. Rogemus ergo, carissimi, Dominum Iesum, ut huius sancti meritis det nobis gratiam et gloriam. Amen.

---

1 Sap 7,11 2 Gn 17,5 3 Ier 17,18 4 Lc 16,19 et 24 5 Apc 18,7 6 Mt 6,20 7 Ps 36,16 8 Tb 4,24 9 Ps 83,2-3  
 10 Gal 6,7-9 11 I Io 2,15 12 Prv 16,33 13 Mt 10,29 14 Is 42,8 15 I Pt 4,11 16 Sap 7,12-14 17 Sap 1,4 18 Ps  
 110,10 19 Prv 4,7 20 Ps 118,103 21 Iac 3,17 22 Mt 17,4

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXIV.] De sancto Bonaventura Sermo alius *Bonus homo de bono thesauro suo profert bona*. Mat. XII. 1 (A) Haec verba bene conveniunt dici de sancto Bonaventura, qui denominatur a bono, et revera ipse sanctus Bonaventura *bonus homo de bono thesauro*, id est de bona voluntate et sancta sapientia, quae sicut *thesaurus* absconditus latet in mente, *protulit bona* multa, scilicet documenta salutifera in suis libris, docendo omnium generum homines. Sed quoniam ut dicit Salvator Mat. V.: *Qui fecerit et sic docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum*. 2 Ideo non solum verbo, sed et exemplo sanctitatis et opere iste bonus homo, immo optimus, utpote sanctissimus, scilicet Bonaventura de bono thesauro suae sanctitatis protulit bona filiis Ecclesiae. Unde de ipso haec verba accipiendi pro sermone tria mysteria notabimus secundum tres status salvandorum hominum, scilicet incipientium et proficientium ac perfectorum, ut dicamus, quia his bonus homo, videlicet Bonaventura de bono thesauro sapientiae profert bona exemplo et verbo. · Primo incipientibus et ad Christum Iesum conversis · Secundo proficientibus et in Christi Iesu charitate fervidis · Tertio spiritualibus et in Christi Iesu perfectis (B) Circa primum de exemplo et doctrina bonitatis incipientibus praestitis per sanctum Bonaventuram sit conclusio, quod sanctus Bonaventura de thesauro suae sapientiae protulit bonitatis documenta et exempla cunctis fidelibus Deo servire incipientibus. Ubi nota, quod licet documenta multa et varia sint singulis ad salutem praestita, quae nec sufficimus enarrare, tres tamen

praecipuas quaestiones accipiamus de ipsa, videlicet hominum bonitate, de quibus optima protulit sanctus Bonaventura verba et exempla. · Prima quaestio de bonitatis dilectione · Secunda de bonitatis acquisitione · Tertia de bonitatis cognitione Prima quaestio: Unde probatur, quod Deus multum diligat bonos homines. Ad quod Bonaventura super III. dist. XXXII. per plures inibi quaestiones optima puncta dicit. Primum, quod scilicet credendum est, quod Deus magis dilexit Christum, quam omnes homines mundi, vel quam totum genus humanum ratione suae praecellentissimae sanctitatis et bonitatis. Ut etiam Anselmus ostendit, *vita illius hominis, scilicet Christi, praeponderabat toti mundo, immo etiam mille mundis*. Unde quod Deus multum diligat hominem bonum, ex hoc primo probatur, quod Christum Dominum et caput omnium bonorum super omnia dilexit. Unde Augustinus, ut allegatur ibidem a Magistro, dicit sic: *Incomprehensibilis est dilectio atque immutabilis, qua Deus in uno quoque nostrum amat, quod fecit, sicut et odit, quod fecimus, id est peccatum*. Et infra: *Quis ergo digne possit loqui, quantum diligat Deus membra unigeniti sui, et quanto amplius unigenitum ipsum*. Haec ille. Secundum punctum idem Bonaventura ubi supra dicit, quod *bonus Deus adeo diligit bonos homines, quod licet angelos fecerit multo meliores et nobiliores naturaliter, quam homines, tamen secundum statum finalis gratiae magis diligit bonos homines, quam angelos, unde plura beneficia Deus dedit homini, propter quae magis gratus et devotus Deo debet esse homo, quam angelicus ordo. Tum propter beneficium incarnationis, tum propter redemptionis, tum eminentis glorificationis. Ex quibus secundo probatur non solum divinae charitatis magnitudo, sed etiam eius nimietas*. Haec et plura ibi Bonaventura, quae causa brevitate pertranseo. Tertium punctum Bonaventura ubi supra notat, quod Deus non dicitur creaturam diligere ratione affectionis Dei, sed ratione communicationis alicuius boni, ita quod dilectio Dei potius dicitur dilectio effectus, quam affectus. Ex quo tertio probatur, quod Deus maxime diligat bonos, et maxime odiat malitiam hominum, adeo quod sicut Chrysostomus super Math. ait, *omnia bona in mundo Deus dat propter bonos, sicut et flagella et mala omnia propter peccatores. Sed in bonis, scilicet temporalibus non separat peccatores a iustis, ne desperent, unde solem suum oriri facit super bonos et malos, nec in flagellis separat iustos a peccatoribus, ne gloriantur, maxime cum bonis flagella non noceant, sed magis prosint ad iustitiae lucrum*. Haec Chrysostomus. Unde ad propositum exemplo claret hoc in sancto Bonaventura, qui cum esset puerulus innocens, flagellatus est infirmitate, ut exinde Dei gratia melius eliceretur, quia voto facto a matre eius implevit ipse, ut intraret religionem sancti Francisci, per quem sanctum miraculose est sanatus, et tandem in omni sanctitate excresceret ad perpetuam gloriam, patet ex legenda. (C) Secunda quaestio: qualiter homo possit effici bonus. Pro huius fundamento Anselmus li. de similitudinibus dicit, sic respondendo: *Tria – inquit – necessaria sunt ei, qui vult effici bonus: scientia, voluntas et usus. Nam nisi quisque habeat scientiam bonum faciendi, nequaquam bonum, unde salutem consequatur, operari poterit, et si habet scientiam, et voluntatem operandi non habuerit, bonus nullo modo erit, quod si etiam scientiam et voluntatem habuerit, non tamen eius usum opere complevit, cum possit, nequaquam bonus erit*. Haec Anselmus. Ad propositum: Sanctus Bonaventura haec omnia et singula clarissime edocuit in suis libris, ut patet intuenti Centilogium ipsius, Soliloquium et Itinerarium mentis in Deum, epistolas et alia ipsius opera. Haec etiam exemplo perfecit, quia ut perfecte bonus fieri posset, in iuventute religionem intravit, ubi in sapientia excellentissime crevit, et in omni exercitio virtutum, ut patet in legenda. (D) Tertia quaestio: Qualibus signis quis bonus esse vere cognoscitur. Ad quod doctores plura signa tradunt, quae omnia et singula in sancto Bonaventura perfectissime comprobantur. Primum signum amore Dei bonitatem affectare. Nam Augustinus ad Maced. epistola III. dicit: *Non est bonus quisquam timore poenae, sed amore iustitiae*. Seneca: *Magna pars bonitatis est velle fieri bonum, principia enim totius operis dimidium occupare dicuntur*. Bernardus quoque dicit: *Quidam sunt, qui Deum nec intelligunt, nec volunt, hi mortui sunt. Quidam intelligunt, sed non requirunt, sive nolunt, hi impii sunt. Quidam requirunt, sed non intelligunt, hi fatui sunt. Quidam intelligunt et requirunt, hi sancti et boni sunt*. Haec ille tractans illud Ps. „Non est, qui faciat bonum” 3. Secundum signum bona loqui et operari et vitia cavere. Unde Hieronymus super Isa.: *Nihil est bonum, nisi virtus, nil est malum, nisi vitium*. Sola ergo virtus et vitia discernunt inter bonos et malos, sicut per fructus arbor, et herba per odorem discernitur. Tertium signum complacere in aliorum bonis et congaudere. Unde Anselmus de similitudinibus: *Is, qui bonis alterius arridet, sanctis consentit, qui autem invidet, diabolicus. Siquidem magis puto eius salvationem esse sperandam, qui parum boni facit, et beneficiis aliorum favet, quam illius, qui multa bona facit, et beneficiis aliorum invidet*. Haec ille. Quartum signum diligenter perversos ferre et inimicos diligere, non odire. Unde Gregorius XXIII. q. IV. „Haec autem vita” dicit: *Si boni estis, in hac vita quamdiu subsistitis, aequanimiter tolerate malos. Nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exercet*. Haec ibi. Idem Gregorius super Ezechielem: *Perfecte bonus non est, nisi qui fuerit et cum malis, scilicet in persecutione bonus*. Ad propositum: Sanctus Bonaventura haec omnia bonitatis signa et facta docuit verbo et exemplo, ut manifestum est, ergo merito bonus homo dicitur, qui de thesauro vitae sapientiae et bonitatis protulit nobis bona documenta salutaria. O ergo peccator, disce exemplo huius sancti vitam in bonum convertere. O Christiane, esto bonus, ut in numerum sanctorum pervenias. Time, miser, in peccato iacere, ne aeternaliter pereas. (E) Circa secundum principale de doctrina proficientium tres quaestiones incidunt, quae versantur inter proficere volentes per status varios hominum. · Prima inter divites et pauperes · Secunda inter saeculares et regulares · Tertia inter voventes fideles Prima quaestio inter divites et pauperes. Quid est melius ad profectum salutis, an divitias retinere, ut pauperibus erogentur, an penitus contemnere et relinquere. Ad hoc mundi dicunt divites, quod retinere, ut per elemosynas et alia bona exinde adquirant caelestia, iuxta illud Lu. XVI.: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula*. 4 Sed contrarium dicunt paupertatem sectantes, ut religiosi, secundum illud Matthaei V.: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum*. 5 Et I. Thim. VI.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli*, etc. 6 Sed ad haec sententiam tulit Christus, quam prosequitur Hieronymus in Epistola contra Vigilantium, dicens sic, quod *Vigilantius eos asserit facere melius, qui utuntur rebus suis, et paulatim fructus possessionum pauperibus dividunt, quam illos, qui possessionibus venumdatis semel omnia largiuntur. Non a me ei, sed a Christo respondebitur: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et*



da pauperibus, et veni, sequere me. 7 Et hanc sententiam clarius habemus scriptam a Prospero in Decretis XII. q. I. „Expedit”, videlicet quod *perfectius est omnia propter Christum relinquere, quam pauperibus distribuenda servare*. Et li. de ecclesiasticis dogmatibus IV. idem dicitur. Hanc sententiam tamquam verissimam sanctus Bonaventura approbavit multiplici scripto et verbo. Patet li. de profectu religionis et aliis suis operibus copiosis. Et insuper suo exemplo, quia saeculum et omnia relinquens religionem paupertatis intravit. Nimirum Bonaventura li., quo supra distinguit *tres gradus paupertatis et contemptus divitiarum. Primus et infimus est nil velle habere in divitiis cum iniusto lucro, quia hoc est nefarium et peccatum, et cum hoc iuste habitis divitiis non abuti ad peccatum, scilicet superbiae, gulae et aliorum vitiorum, sed insuper elemosynas facere. Secundus gradus altior est nil habere velle superfluum, sed erogare omnia praeter necessaria. Tertius felicissimus, quanto a laqueis cupiditatis elongatus est omnia contemnere propter Christum et seipsum offerre Deo*. Haec Bonaventura. (F) Secunda quaestio incidit inter saeculares et regulares. Quid est melius? An quod homo serviat Deo in saeculo remanendo propter obsequia et subsidia parentum et propinquorum, an quod illis derelictis religionem ingrediatur. Respondent saeculares, quod melius est ad profectum meritorium remanere propter parentes et propinquos in saeculo, quia Deus praecepit Exo. XX.: *Honora patrem et matrem*. 8 Et I. Thim. V.: *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, infidelis est, et infideli deterior*. 9 In contrarium dicunt religiosi secundum illud Matth. VIII., ubi quidam ait ad Iesum: *Domine, permitte me primum sepelire patrem meum, et sequar te*. Respondit Iesus: *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. 10 Ad haec sententiam tulit Christus, iudex summus dicens Mat. XIX. 11 et Lu. XVIII. 12: *Omnis, qui reliquerit domum vel parentes vel fratres aut sorores aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit*. Bernardus: *Si quis religioni resistit, quicumque oppugnat plane, cum Herode nascentem persequitur Salvatorem*. De hac itaque sententia secundum Alexandrum de Hales in III. parte Summae, cuius documenta sectatus est Bonaventura, distinctio talis habetur, videlicet quod si parentibus nostris obsequia sunt necessaria, ita quod sine nobis sustentari nullo modo possent, tunc non liceret religionem intrare, nisi ista remansio in saeculo esset cum salutis dispendio et crimine nobis, quia tunc necessitudini generis antefertur pietas religionis divinae, ut dicit Ambrosius super Lu. Si autem non sunt in tali necessitate parentes, tunc nos filii ipsis etiam invitis possemus intrare, etiamsi cum eis possemus sine dispendio propriae salutis permanere, XX. q. II. c. I. et II. Unde patet, quod multo melius est simpliciter in religione Deo servire, quam in saeculo. Quod sanctus Bonaventura multifarie probat in libro, qui dicitur Apologia pauperum. Et hoc idem exemplo probavit, quoniam religionis observantiam elegit. Ad id autem adducit dicto libro inter multa auctoritatem Bernardi De dispensatione et praecepto dicentis, quod sacra religio habet has praerogativas, videlicet quod baptismum secundum nuncupetur, et quod super homines similes efficiat angelis, et quod Christo configurat ac imaginem Dei in homine reformat, quia religiosi Christum induunt complantati similitudini mortis eius. Proinde sanctus frater Aegidius interrogatus a quodam cive, si liceret intrare religionem, respondit illi: „Si invento thesauro in agro non esset consulendus quis alius de ipso tollendo, multo fortius de thesauro religionis, eo quod certissimum est religionem praeponderare omni thesauro temporali.” (G) Tertia quaestio incidit inter voventes fideles: Utrum parentes possint obligare et devovere suos filios ad aliquid, praecipue ad religionem. Ad quod breviter sententia est doctorum et inter eos Bonaventurae super IV. dist. XXXVIII., ut etiam frater Angelus de Clavasio in Summa dicit, quod nisi ipse filius consenserit, non obligabitur ex voto matris vel patris quoad aliquid personale, ut ieiunare, presbyterari, religionem intrare et similia. Si autem consentiat, obligatur, quia super illud Ps. „Vovete et reddite” 13 Augustinus ait: *Vovere voluntatis est, reddere necessitatis*. Sed quoad aliquid rei temporalis vel pecuniariae satisfactionis, bene potest parens obligare heredem suum, et tenetur, dummodo acceptet hereditatem, puta si ille vovisset mittere aliquem ad Sanctum Iacobum, vel facere ecclesiam, aut vestire pauperem et huiusmodi. Ad propositum: Sanctus Bonaventura tamquam pius et devotus voto a matre facto, quod scilicet ipse intrare deberet religionem sancti Francisci, consensit, et votum implevit, sic quoque Deo perfecte deservire studuit. Unde optima exempla et documenta protulit, ut scilicet exemplo sui omnes proficere volentes mundum contemnant, et Christum sequi praeligant, ac vota sua Deo persolvant. (H) Circa tertium de doctrina perfectorum, ex quo amore brevitatis sufficiat unam quaestionem proponere, quae versatur inter perfectos spirituales et imperfectos, videlicet utrum pro perfectionis signo reputetur vero, cum homo spiritualis cupiat dissolvi et esse cum Christo. Quidam namque dicunt, quod sic, quia Augustinus, ut allegatur a Magistro in III. dist. XXIX. c. ultimo, dicit, quod charitas cum ad perfectionem venerit, dicit: „Cupio dissolvi, et esse cum Christo.” Alii dicunt, quod perfectius est pro Christo optare in mundo isto diutius vivere et sic labores sustinere ac afflictiones plurimas, quia maioris perfectionis signum est appetere laborare et affligi pro aliquo, puta pro Christo, quam quiescere cum eo, ergo videtur, quod ad perfectam charitatem Christi magis pertineat dicere: „Cupio laborare pro Christo, quam cupio dissolvi et esse cum Christo.” Ad haec edocendo respondet Bonaventura super III. dist., qua supra circa litteram, quod desiderium quiescendi cum Christo et dissolvi ab hoc saeculo potest provenire ex causa duplici. Primo quandoque hoc est propter taedium malorum praesentium vel laborum virtutum, et hoc modo est signum imperfectionis, non perfectionis, quia sic recusat talis laborare pro Christo in vita praesenti. Quo contra sanctus Martinus perfectissimus dicebat in hora mortis: „*Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua*.” Secundo quandoque hoc est propter contemptum terrenorum et abundantem praegustationem caelestium, et sic est signum perfectionis, quia non recusat talis laborare, sed spiritus tanto amoris Christi desiderio stringitur, quod vix potest sustinere dilationem perveniendi ad Christum, sicut Paulus de se dicit. Unde hoc est signum perfecti amoris Christi. Sic creditur sanctus Bonaventura ad Christum flagrasse amore Christi inebriatus et dulcedine divina plenus, ut patet ex eius devotis scriptis et contemplatione extatica, ut scribitur in legenda sub litteris „I” et „K” et aliis. O ergo sanctissime Bonaventura, pro Christi amore te deprecamur, ora pro nobis. Item tertium sermonem pro eodem sancto potes facere ex Dominica, qua cadere habet, applicando legendam. Denique quartum ex communi de sanctis.



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXV.] De sancta Margaretha Sermo I. cum Legenda *Dominus omnium dilexit eam*. Sap. VIII. ca. 1 (A) Haec verba optime possumus dicere de sancta Margaretha virgine, quam Dominus omnium, Iesus Christus specialiter dilexit. Primo propter virginali puritatem. Nam dicit Augustinus li. de virginibus: *Non tam diligit aut quaerit Deus pulchritudinem corporis, quam puritatem mentis*. Secundo propter contemptum terrenorum, quia pro amore Christi omnia terrena et patris domum contempsit. Augustinus autem dicit, quod *quantum quis omnia propter Deum despicit, tantum Deum diligit, et per consequens reamatur a Deo*, qui ait Prover. VIII.: *Ego diligentes me diligo*. 2 Tertio propter passionem pro Christo. Unde in hora passionis ipsam Christus tamquam dilectam suam sponsam invitavit in caelestem gloriam, ut patebit in legenda. Merito ergo de ea dicitur in verbis praedictis: *Dominus omnium dilexit eam*. Cuius exemplo et nos docemur sic diligi a Christo. Circa haec verba tria mysteria notabimus ad honorem sanctae Margarethae pro sermone isto, secundum quod Dominus omnium, Christus Iesus dilexit eam hoc triplici privilegio: · Primo privilegio virginalis castitatis · Secundo privilegio virtualis sanctitatis · Tertio quoque privilegio sponsalis Christiformitatis (B) Circa primum de dilectione castitatis a Christo sit pro conclusione verbum Venerabilis Bedae super Lu. dicentis, quod Christus propterea ex virgine mundissima natus est, ut virgineum decus et castitatem se diligere demonstret. Quaestio ergo occurrit: Cur Christus tam praecipue diligit castitatem in hominibus? Respondetur, quod pluribus rationibus, secundum alphabetum: · Primo ratione assimilationis supernaturalis · Secundo ratione beatae stationis patriae · Tertio ratione conditionis primordialis · Quarto ratione desponsationis Christi specialis Primo quidem ratione assimilationis vitae supernaturalis, quia homo per castitatem, praecipue virginali assimilatur Deo et Christo Iesu ac sanctissimae matri eius angelisque quadam supernaturali similitudine. Quod sic declaratur: Videmus enim in naturalibus, quod *omne ens tendit ad sibi simile* secundum Philosophum II. De anima. Unde Eccli. XIII.: *Omne animal diligit sibi simile*. 3 Et iterum: *Volatilia ad sibi similia coniunguntur*. 4 Suo modo videmus quadam experientia gratiae supernaturalis, quod Christus elegit sibi virginali castitatem, qui erat verus Deus, et suam matrem voluit habere virginem mundissimam, immo et omnem ad se pertinentem familiam, ut patet, quia sponsum suae matris Mariae, videlicet Ioseph virginem esse voluit, ut dicit Augustinus De coniugali bono. Et tandem ipsam Virginem Matrem virgini Iohanni in cruce commendavit custodiendam. Item praecursorem Iohannem Baptistam voluit esse virginem. Item ministram Martham et condilectum discipulum, scilicet Iohannem etc. Christus ergo verus Deus diligit castitatem tamquam virtutem divinalem sibi assimilantem et proximum facientem. Sap. VI.: *Incorruptio facit proximum Deo*. 5 Si itaque te quaeram: Quid est, quod hominem facit minorem tam hominibus, quam angelis malis, sive inferiorem? Respondere habes, quod carnalis vita, quia facit bestialem, et per consequens inferiorem etiam daemonibus, qui sunt rationales. Unde Ps.: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intelligentia in camo* etc. 6 Item si interrogem: Quid est, quod hominem facit maiorem hominibus et angelis? Respondetur, quod castitas virginalis, unde Glossa I. Cor. VII.: *Supergreditur virginitas conditionem humanae naturae, per quam homines angelis assimilantur, maior tamen est victoria virginum, quam etiam angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines in carne triumphant*. Haec Glossa. Ad idem Hieronymus sermone de assumptione dicit: *Profecto in carne vivere praeter carnem non terrena vita est, sed caelestis, unde in carne angelicam gloriam acquirere maioris est meriti, quam habere. Esse enim angelum felicitatis est, esse vero virginem virtutis*. Secundo ratione bonae stationis caelestis, quia status beatitudinis perpetuae habet esse in vita angelica et castissima, ubi erunt homines sicut angeli Dei, neque nubent, neque nubentur, ut ait Salvator Matth. XXII. 7 Hunc ergo statum, quo perpetuo in nobis, Christus multum diligit, et in eo delectatur, sicut rex magis delectatur stare in suo regno, quam in peregrino. Unde Christus specialius diligit habitare in castis hominibus iuxta illud Can. VI.: *Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia*, 8 scilicet castitatis. Ideoque I. Cor. VI.: *Qui fornicatur in corpus suum, peccat. An nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, et non estis vestri, id est iuris vestri, sed Christi, quod dicit, quod luxuriosus peccat contra templum Spiritus Sancti et sanguinem Christi. Ideo subdit: Empti enim estis pretio magno, scilicet Christi sanguine, glorificate et portate Deum in corpore vestro*, 9 scilicet casto. Sicut enim gravis iniuria fieret Christo, si eius templum stercoretibus et sordibus profanaretur, et eius corpus ac sanguis in Eucharistia in lutum scilicet conculcarentur, sic in proposito. (C) Tertio ratione conditionis primordialis. Nam sicut unusquisque artifex magis diligit, quod ipse fecit vel condidit per suum artificium, sic Deus diligit ea, quae fecit in homine, sed virtutem castitatis solus Deus operatur in homine, iuxta illud Sap. VIII.: *Non possum esse continens, nisi Deus dederit*. 10 Hanc etiam a principio Deus in homine plantavit. Unde Damascenus li. IV. c. XVI.: *Virginitas – inquit – a principio in hominum natura plantata est, de virgine enim terra homo plasmatus est, et a solo Adam virgine Eva virgo creata est. In Paradiso etiam virginitas conversabatur, post praevaricationem enim cognovit Adam Evam, uxorem suam*. Haec ille. Odit ergo Deus libidinosam corruptionem tamquam vitiosam, non a se factam, sed diligit castitatem in homine utpote a se conditam a principio. Si vero quaeras, numquid in Paradiso homines virginitatem tenuissent, respondetur, quod sicut dicit Magister in II. dist. XX. c. I., quod si non peccassent, fuisset ibi thorax immaculatus sine concupiscentia, et nuptiae sine libidinum ardore, et per consequens praeponderasset modernae virginitati, quae temptatione non caret. Sed completo tandem numero electorum illi ultimo geniti virginitatem tenuissent. Christus etiam de virgine natus fuisset, de hoc in Stellario . Quarta ratio desponsationis specialis, quia tales, scilicet castitatem tenentes specialius dicuntur sponsae Christi, II. Cor. XI.: *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo*. 11 Unde Ecclesia ex tali canit: *Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum*. Diligit ergo Christus castas tamquam spirituales sponsas, et sicut rex caelestis reginas caelestes. O ergo quantus decor, o quanta gloria

castitatis, o quanta confusio et ignominia carnalis vitae, quia tales Deus odit, et a se abicit tamquam stercore foedatas et diaboli fornicarias. (D) Circa secundum de virtuali sanctitate beatae Margarethae sit pro conclusione, quod omnes castae animae ut sint Christo Iesu praedilectae, docentur exemplo, scilicet beatae Margarethae decorari virtutum sanctarum decore. Quaeritur namque, qualibus virtutibus tamquam gemmis debeat decorari castitas, ut placeat Christo. Respondetur secundum doctores, quod septem sunt virtutes, propter quas dilexit Christus beatae Margarethae virginitatem, et sine quibus castitas hominis non est adeo grata, nec sancta. Prima virtus sancta est fidelitas. Nam ut scribitur Heb. XI.: *Sine fide impossibile est placere Deo*, 12 et per consequens non placet Christo castitas infidelis hominis vel superstitiones observantis. Augustinus XXVIII. q. I. „Omnes”: *Ubi deest agnitio veritatis, videlicet vana fides, falsa virtus est etiam in optimis moribus*. Legenda Ad propositum legitur de beata Margaretha, quod fuit filia Theodosii patriarchae, videlicet gentilium in civitate Antiochiae, quae in fide Christi cum esset adulta, baptizata est, idola sprexit omnia, propter quod exosa patri plurimum habebatur. Ipsa autem fide Christi armata reliquit domum patris sui, et adhaesit nutrici suae Christianae. Secunda virtus est humilitas. Bernardus: *Audeo dicere, nec virginitatem Mariae Deo placuisse sine humilitate, idcirco ait: Respexit humilitatem ancillae suae*, etc. 13 Hanc tenuit beata Margaretha, quia humillime conversando cum sua nutrice et aliis quibusdam virginibus Christianis oves paucas, quas habebant, pro victu custodiebat. (E) Tertia virtus continentiae integritas, scilicet ut sit casta et sancta non solum corpore, sed et mente. Chrysostomus XXXII. q. V. „Sicut enim”: *Illam est – inquit – gloriosa continentia, qua complectitur voluntas sancti propositi*. Item Hieronymus: *Grandis fidei est grandisque virtutis Dei templum esse purissimum, totum holocaustum offerre Deo et sanctum esse corpore et spiritu*. Haec Hieronymus li. I. Contra Iovinianum. Unde castus homo debet ab omni peccato etiam spirituali cavere, ut sit gratus Christo, alioquin similis est daemonibus, qui carnale peccatum non faciunt, sed spiritualibus malis pleni sunt. Talis etiam est sicut sambucus, de qua versus: *Sambuci flores sambuco sunt meliores*. Nam arbor sambuci foetet, quamvis flores odore fragrent, sic isti fragrant castitate, sed in se foetent coram Deo pro vitiis. Beata Margaretha fuit timoris Dei plena, iustitia praedita, nihilque in ea contrarium Christianae religioni inveniebatur, odiosa patri suo, dilecta Domino Iesu Christo, ut dicitur in legenda. (F) Quarta virtus est amorosa charitas. Bernardus in Epistola ad Senonem: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo, subtrahere oleum, lampas non lucet, tolle charitatem, castitas Deo non placet*. Haec Bernardus. Hoc Margaretha habuit, quae pro Christo pati et mori desideravit. Cum enim ipsa insimul cum quibusdam virginibus esset in custodiendis ovibus, praefectus scilicet Olybrius inde transitum faciens et puellam tam speciosam considerans exarsit in eius amorem, et concitus famulos ad eam misit dicens: „Ite et eam comprehendite.” Interim Margaretha seipsam Christo commendavit et oravit. Capietes autem eam praesentaverunt Olybrio, qui eam de genere, nomine ac religione requisivit. Respondit illa nobilem se esse genere, Margaretham nomine, Christianam religione. Cui praefectus dixit: „Duo prima recte tibi conveniunt, ut videtur pro tua pulchritudine, sed tertium tibi non convenit, ut puella tam nobilis et tam pulchra deum habeas crucifixum.” Ad quem Margaretha ait: „Unde scis Christum fuisse crucifixum?” Et ille: „Ex libris Christianorum.” Cui illa: „Cum ibi legatur poena Christi simul et gloria resurrectionis, qua verecundia unum credendo alterum denegatis?” Et tunc coepit illi asserere Christum sponte subiisse crucem pro nostra redemptione, sed in aeternum vivere. Tunc praefectus incarcerari eam iussit. Sequenti autem die eam venire faciens ad se, ei dixit: „Miserere, puella, pulchritudinis tuae, ut te in uxorem accipiam, et adora deos nostros, ut bene sit tibi.” Cui Margaretha: „Illum adoro, quem omnes creaturae contremiscunt.” Et ille: „Nisi mihi consentias, corpus tuum faciam laniari.” Respondit Margaretha: „Christus in mortem seipsum pro me tradidit, et ideo pro Christo mori desidero.” Tunc praefectus iussit eam in eculeum suspendi et virgis caedi, deinde pectinibus ferreis usque ad nudationem ossium laniari adeo, quod etiam ipse praefectus eius sanguinis immanem fusionem ac carnis crudelem laniationem aspicere horrescens operiebat chlamydis parte faciem, nec aspicere poterat. Qui autem aderant, flebant dicentes: „O Margaretha, vere de te dolemus, o qualem amisisti pulchritudinem, crede nunc diis, et oboedi praefecto, ut vivas.” Quibus illa dicebat: „O mali consilarii, recedite, haec carnis cruciatio scilicet pro Christo est animae salvatio.” Tandem deponitur de eculeo, et in carcerem recluditur, ubi mira claritas fulsit, qua Christus eam consolatus est. Et sic patet eius charitas. (G) Quinta virtus exemplaris sanctitatis est temptationis victoriositas. Nam tanto castitas digna praemio apud Deum efficitur, quanto gloriosioris fuerit victoriae omnis temptationis. Unde Isidorus De summo bono li. III. dicit, quod *iuvenes continentes maioris sunt praemii et gloriae, quam hi, qui tantummodo in senectute continent, eo quod maioris laboris certamen habuerunt*. Beata Margaretha gloriosa victoria vicit carnem, mundum et diabolum visibiliter apparentem. Dum enim in carcere posita esset, oravit Deum, ut inimicum, qui secum pugnat, visibiliter demonstraret. Ecce draco immanissimus ibidem apparuit, qui cum eam devoraturus impeteret, signum crucis edidit, et ille evanuit. Item diabolus in speciem hominis se mutavit, ut possit decipere, quem videns orationi se dedit, et diabolus manum eius tenens dixit: „Sufficiat tibi, quae fecisti, iam nunc obtemperare praefecto.” Illa autem eum per caput apprehendit, et ad terram coram se deiecit dicens: „Sternere, superbe daemon, sub pedibus feminae!” Daemon autem clamabat dicens: „O Margaretha, superatus sum, et inde plus doleo, quia a tenera puella superatus sum. Et quia pater tuus et mater tua amici mei fuerunt.” Tunc Margaretha dixit: „Fuge, miser!” Et daemon evanuit. Secura igitur efficitur, quia quae principem vicerat, ministrum proculdubio superaret. In quo datur exemplum puellis, ne credant persuasionibus malis. Sexta virtus est operum bonorum claritas, quia Christus Lu. XII. dicit: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris*. 14 Super quo Gregorius dicit: *Duo sunt, quae iubentur, et lumbos restringere, et lucernas tenere, ut et munditia sit castitatis in corpore, et lumen veritatis in operatione. Redemptori enim nostro alterum sine altero nequaquam placere potest. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum opus aliquid est sine castitate*. Haec Gregorius. Beata ergo Margaretha fuit iustitia plena, religione compta, compunctione perfusa, oratione sedula. Eius itaque exemplo debent virgines maxime cavere otium, quod est sentina et mater omnium vitiorum, ut dicit Bernardus. (H) Septima virtus, quae amabilem Christo reddit castitatem, est stabilitas in finem perseverans, unde Isidorus li. II. De summo bono: *Inchoantibus – inquit – praemium promittitur, sed perseverantibus datur. Tunc enim placet*



*Deo conversatio nostra, quando bonum, quod inchoamus, perseveranti fine complemus.* Haec ille. Item Gregorius in *Moralium* li. XXXIV. dicit, quod *saepe castitas diu ostensa innotescit, et superbia in corde latet, atque ideo castitas diu ostensa circa finem vitae perditur iusto Dei iudicio, quia unde Deo displicuit, corrigere non curavit.* Haec ibi. Beata Margaretha stabilissima superavit in castitate et Christi charitate, pro qua ignem, eculeum, tormenta et mortem superavit. O ergo omnes castitatem diligentes viri et mulieres, exempla sanctae Margarethae imitari studete, ut Christo placeatis. (I) Circa tertium de sponsali conformitate ad Christum sit pro conclusione, quod beata virgo Margaretha tamquam fidelissima Christi sponsa sicut in vita casta, sic et in martyrii gloria exstitit Christi conformata. Nam revera omnis sponsa Christi et quaelibet fidelis anima debet Christum in vita et in morte imitari, quia ut scribitur Apoc. XIV., *virgines potissime habent sequi agnum*, 15 id est Christum in caelo quocumque iverit, ergo et in vita, et in morte debent ut verae sponsae Christo conformari. Unde Bernardus in epistola: *Quid prodest – inquit – Christum sequi, scilicet in praesenti per castitatem, si non contingat quo sequi.* Ideo Paulus ait: *Sic currite, ut comprehendatis metam, ubi Christus posuit suam, factus oboediens usque ad mortem.* 16 Beatam ergo Margaretham voluit Christus conformari sibi in pluribus quoad passionem, tamquam sponsam dilectam. Primo in denudatione, quia sicut Christus denudatus pependit in patibulo, sic Christi sponsa Margaretha exspoliata suspensa est in eculeo ad innuendum, quod omnia pro Christo contempsit. Secundo in ignis adustione, quia Christus intra se ardebat igne charitatis, qua pro nobis patiebatur voluntarie. Margaretha autem adusta est ardentibus facibus usque ad interiora viscera, quae fortius ardebat in anima charitate Christi. Tertio in laceratione, quia Christus fuit toto corpore flagellis laniatus et clavis ferreis perforatus. Margaretha quoque, Christi sponsa fuit flagellis et deinde unguis ferreis tota lacerata usque ad denudationem ossium, ut omnes mirarentur, quomodo tam tenera puella posset tanta tormenta sustinere. Quarto in effusione, scilicet totius sanguinis, Christus enim totum suum pro nobis effudit sanguinem, et Margaretha totum sanguinem pro Christo fundere desideravit, et hoc desiderium implevit. Quinto in concussionem terrae commotione, quia in Christi passione terra mota est, ad quod extimuerunt plurimi, Mat. XXVII. 17 Sic etiam legitur, quod dum Margaretha exuto corpore facibus ardentibus esset combusta, Olybrius tandem iussit, ut Margaretha ligaretur in vase pleno aqua frigida, quatenus ex commutatione poenarum cresceret vis doloris, et ecce subito terra concutitur, et cunctis videntibus virgo illaesa egreditur. Tunc quoque quinque milia ad hoc miraculum crediderunt in Christum, et pro nomine Christi capitalem sententiam acceperunt. Praefectus autem timens, ne alii converterentur, concitus beatam Margaretham decollari praecepit. (K) Gratia horum quaeri potest: Cur solet Deus facere tales motus terrae. Respondetur secundum Scripturas et doctores, quod praeter motum terrae solitum et naturalem Deus ipse facit miraculose terraemotus aliquando ad confusionem peccatoris. Valde enim debet confundi peccator, quando videt vel audit, quod insensibile elementum terrae commovetur et scinditur, ipse vero peccator non movetur ad poenitentiam, sic fuit in Christi passione. Unde Bernardus in *Meditationibus*: *Qui ad clamorem Christi pendentes in cruce non movetur ad poenitentiam et compassionem, vilior est terra, petra durior, monumentis foetidior.* Aliquando autem facit hoc Deus in detestationem sceleris, ac si terra non possit tantum facinus hominis sustinere, nec sanguinem iusti operire. Iob XVI.: *Terra, ne operias sanguinem meum.* 18 Aliquando autem fit aliis de causis, quas praetereo. In passione itaque beatae Margarethae in detestationem sceleris hoc fuit, et ad confusionem incredulorum, ac ad incutiendum timorem, scilicet peccatoribus. Sexto conformis fuit in affectuosa oratione. Nam Christus oravit in cruce pro se spiritum Patri commendando, et pro inimicis et peccatoribus dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* 19 Oravit etiam iturus ad passionem in ultima cena pro omnibus, qui credituri essent in eum, Ioh. XVII. Sic sponsa Christi Margaretha data sententia cum deberet decollari, oravit quidem pro se, Deo et Christo Iesu suam animam commendando. Oravit etiam pro persecutoribus, oravit denique pro omnibus fidelibus eius passionis memoriam agentibus et ipsius merita invocantibus, praecipue autem ut quaecumque in partu periclitans eam invocaret, illaesam prolem emitteret. Factaque est ad eam vox de caelo dicens: „Veni, electa mea, quaecumque petivisti, noveris te exauditam.” Et sic decollata est. Septimo in maiestate gloriae, quia sicut Christus ascendit in caelum cum melodia angelorum, sic animam Margarethae tamquam Christi dilectam sponsam in die huiusmodi desponsationis angeli cum dulci melodia, quae ibi audita fuit, duxerunt in caelum, canentes: „Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam Deo” etc., ut scribit Iacobus de Voragine in sermone de ipsa. Denique tamquam sponsam Christus tunc gloriosissimis coronis coronavit, scilicet virginitatis, praedicationis quoque pro fructu animarum, scilicet quinque milium per eam credentium, ut iam dictum fuit, et corona martyrii. O ergo gloriosa virgo, Christi sponsa, ora pro nobis.

---

1 Sap 8,3 2 Prv 8,17 3 Sir 13,19 4 Sir 27,10 5 Sap 6,20 6 Ps 31,9 7 Mt 22,30 8 Ct 6,2 9 I Cor 5,18-20 10 Sap 8,21 11 II Cor 11,2 12 Hbr 11,6 13 Lc 1,48 14 Lc 12,35 15 Apc 14,4 16 I Cor 8,24; Phil 2,8 17 Mt 27,51 18 Iob 16,19 19 Lc 23,34

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXVI.] De sancta Margaretha Sermo secundus de castitatis pretiositate et comparatione, scilicet gemmae margaritae *Inventa una pretiosa margarita dedit omnia sua, et comparavit eam.* Matth. XIII. 1 (A) Ecclesia sic canit haec verba Salvatoris, quae optime possunt accipi inter alias virgines praecipue de sancta Margaretha. Tum ratione nominis, tum ratione significationis. Nam ipsa beata Margaretha sic denominata fuit ab ista gemma margaritae pretiosae. Et quoniam Salvatoris nostri haec praedicta verba appropriate canit Ecclesia de sanctis virginibus vel mulieribus castis in evangelio ad missam et aliis passibus officii earundem. Quibus verbis commendatur nobis in proprietate margaritae pretiosae mira pretiositas, decor et formositas castitatis, ut tanto eam desiderabilius amplectamur exemplo sanctarum virginum, quanto pretiosiori rei comparatur. Hanc autem virtutem castitatis virginalis dilexit beata Margaretha adeo, ut

omnia daret pro ea, videlicet carnem in supplicia, sanguinem in effusionem, animam in mortem amore Christi Iesu. Merito ergo de ea dici potest, quod *inventa una pretiosa margarita dedit omnia* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone ad honorem beatae Margarethae loquendo de ipsius sancta castitate: · Primum mysterium dicitur appretiationis, unde dicitur: *Inventa una pretiosa* · Secundum dicitur assimilationis, quia dicitur *margarita* · Tertium dicitur acquisitionis, quia *dedit omnia sua, et comparavit eam* (B) Circa primum mysterium de pretiositate castitatis quaeritur, utrum virtus castitatis sit tantae pretiositatis, ut pro eius conservatione merito debeat homo exponere omnia sua et seipsum poenae mortis. Ad quod respondetur per conclusionem affirmativam, quod sic. Et ostenditur triplici via: · Primo per auctoritates · Secundo per rationes · Tertio per exempla et similitudines Primo per auctoritates tam ex Veteri Testamento, quam ex Novo. Etenim in Veteri Testamento scribitur Eccli. XXVI.: *Omnis ponderatio non est digna continentis animae.* 2 Ex qua auctoritate praecipui doctores, videlicet Albertus Magnus, Raimundus et Thomas II. II. q. LXXXVIII. ac super IV. probant, quod votum continentiae non potest commutari, praecipue si fuerit sollemnizatum, ideo quia non invenitur melius, in quod commutari possit, nisi communis utilitas totius Ecclesiae vel unius regni vel provinciae exposceret, tunc enim posset papa in voto continentiae et religionis dispensare, quantumcumque esset sollemnizatum. Richardus tamen super IV. dist. XXXVIII. ar. IX. q. I. dicit, quod in quolibet voto potest inveniri causa rationabilis dispensandi, scilicet profectus maioris boni vel vitatio mali, sive quoad voventem, sive quoad rempublicam. Reformatio enim pacis inter regna magis bonum est communitati, quam continentia unius personae. Vitatio etiam mali, puta probabilis transgressionis voti, si probabilitas sit vehemens, quod scilicet tale votum militat contra salutem propriam, ut patet in illo, qui castitatem vovit, quam tamen ex fragilitate sua videt verisimiliter se fracturum, potest esse rationabilis causa dispensandi. Et ideo superioris auctoritas nobis dimissa est a Deo in huiusmodi providendis. Et hoc firmiter tenendum dicit frater Angelus in Summa sua, nec curandum de tenentibus aliud. Sufficiat tamen ex auctoritate praedicta, quod maximum damnum homo incurrit, qui castitatis praemium perdit. Secundo auctoritate Novi Testamenti, quia castitatem Christus Matth. XIII. comparavit thesauro abscondito in agro, pro quo venduntur omnia. Et Apostolus II. Cor. IV. dicit de ea: *Habemus – inquit – thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis.* 3 Ecce ergo pretiositas castitatis tamquam thesauri super omnia etc. (C) Denique clarius ibidem Salvator iuxta thema praemissum dicit: *Simile est regnum caelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas.* 4 Et sequitur: *Inventa autem una pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam.* Haec autem Ecclesia appropriate canit de castitate. Nimirum quis est iste homo negotiator, nisi Christus, qui in hunc mundum venit ad negotiandum, ut quaereret bonas margaritas, id est animas castas. Dicit namque Augustinus: *Deus – inquit – illabitur castis mentibus, et ideo illas praecipue diligit et inhabitat.* Idem quoque super Heb. II. dicit: *Omnis mercator dat et accipit, in saeculo isto abundant non nisi nasci, laborare et mori. Hae sunt merces regionis nostrae. Christus ergo mercator accepit nostra vilia, quae hic abundant, scilicet nasci, laborare et mori, et dedit nobis sua pretiosa, scilicet renasci per gratiam, resurgere, et in aeternum regnare. O beate mercator, gratias agimus tibi, fecisti nos, redemisti nos.* Haec Augustinus. Unde si bene et diligenter consideramus, maxima pietas huius mercatoris ostenditur. Primo in hoc, quod descendens de caelo pretiosissimo accepit nostra vilissima, scilicet huius miseriae labores, saepe pro nobis flendo oculis, ore clamando in praedicatione, pedibus peditando, manibus pedes discipulorum lavando et ministrando, corpore sudores et labores plurimos sustinendo, in anima contristando, insuper iniurias, flagella et mortem turpissimam patiendo, ut daret nobis regnum caeleste, quietem et beatitudinem perpetuam. Secundo quoque in hoc, quod nostra vilia tanto pretio carissimo emit, scilicet sanguine suo et anima, I. Cor. VI.: *Empti estis pretio magno.* 5 Tertio quia ultra et supra omne pretium, quod possemus ei solvere, dat nobis caelestis beatitudinis praemium. Ro. VIII.: *Non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam, quae relevabitur in nobis.* 6 Ex quibus omnibus pensatis claret, quod maximum bonum sit castitas in Christi amore, cum castas animas adeo Christus dilexerit, ut sua et seipsum pro illis exposuerit, qui utpote Deus nec falli, nec fallere potest, ut dicit Anselmus, ergo si anima casta pretiosa non foret, Christus tam care non emisset, quia secundum rectam rationem, ut dicit Philosophus VI. Topicorum, *tanto est quodlibet eligibilis, quanto melius*, et sic vere pretiosius. (D) Sed quaeri potest iuxta verba evangelica: Quid est, quod negotiator Christus quaerere dicitur plures bonas margaritas, et tamen unam solam pretiosam dicitur invenisse et emisisse. Ad quod respondetur secundum Augustinum et Lyram aliosque doctores, quia plures sunt modi vivendi in Christo per vitam activam, sicut patet secundum plura opera misericordiae, sed una est vita contemplativa, qua Deo unimur per charitatem, ad quam ut ad finem ordinata est castitas. Et quia rari sunt, qui perfectam castitatem, scilicet virginalem teneant pro Christi amore, ideo *una*, quia rara inter plures nominatur. Secundo ostenditur per rationes, et praecipue tres: · Prima ratio dicitur virtuositatis · Secunda dicitur gratiositatis · Tertia dicitur gloriositatis (E) Prima ratio virtuositatis, quia castitas est virtus altissima, quia est supra facultatem et conditionem humanae naturae. Unde Chrysostomus super Matth. dicit: *Omnes virtutes spirituales res sunt angelicae, praecipue tamen castitas res angelica est, per hanc enim solum singulariter homines angelis simulantur, et vincitur natura virtutibus.* Haec ille. Praeterea castitas decorem tribuit non solum angelicum, sed insuper divinalem ac regalem Christi et reginalem Beatae Virginis Mariae. Unde Bernardus in Epistola ad Senonem: *Quid castitate decorius, quae mundum de immundo conceptum semine hominem angelum facit, differt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute, sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse videtur.* Haec ille. Itaque si quaeratur: Quid est illud, quo anima reginali decore in caelo glorificatur, audi Cyprianum dicentem, quod *virginitas est regina virtutum, soror angelorum et possessio omnium bonorum.* Unde Ps.: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* 7 Item si quaeratur, quid est, quod non solum reginali veste aurea, sed insuper regali purpura et corona in caelo decorat, respondentem audi Hieronymum de X abusionibus, ut scribitur libro Originalium sic: *Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, purpura regalis, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, amicitia Dei creatoris omnium.* Haec ille. Denique si quaeratur adhuc: Quid est, quod propinquum locum in caelo ipsi Deo scilicet et Christo Iesu ac Virgini Mariae

promeretur, audi Sap. VI. respondentem Sapientem: *Incorruptio – inquit – facit esse proximum Deo.* 8 Et Iohannes Apocalypsis XIV. vidit, quod *hi sequuntur agnum*, scilicet Christum, *quocumque ierit*, sine macula enim sunt ante thronum Dei etc. 9 Et sic patet pretiositas castitatis. (F) Secunda ratio gratiositatis, quia castitatem tam Deus, quam omnes angeli et omnes beati ac tota caelestis curia gratiosissime amat et praegratam habet propter conformitatem. Unde Bernardus in Epistola ad Senonem: *Sola est castitas, quae in huius mortalitatis loco statum quendam immortalis gloriae repraesentat, in qua neque nubent, neque nubentur.* Haec ille. Item a contrario caelestes spiritus et beati ac quique viri spirituales summe horrent et abominantur luxuriam, immo et ipsi daemones, qui sunt sublimiores, propter foeditatem et turpitudinem luxuriam hominum fugiunt. Unde dicit Simon de Burstona ex Holkot super li. Sapientiae lectione II.: *Sed et ipsi damnati magis affliguntur et inclamant prae foetore huius vitii.* Ps.: *Ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum* etc. 10, ergo per contrarium in odore castitatis omnes beati cum Christo et angeli delectantur in caelo, iuxta illud Canticorum I.: *In odore unguentorum tuorum currimus, adolescentulae dilexerunt te nimis.* 11 Tertia ratio gloriositatis, quia specialissimam gloriam et gaudium in caelo promeretur et fructum, quoniam virginitati debetur aureola et fructus centesimus, viduali continentiae LX, coniugali XXX, ut tenent doctores super Mat. XIII. Et Apoca. XIV. dicitur, quod *nemo alius cantare poterat illud canticum novum*, 12 scilicet virginum etc. O ergo casti homines, gaudete in Christo. O carnales, pertimescite, quia tanto maius tormentum et lamentum habebitis in Inferno. Apoca. XVIII.: *Quantum se glorificavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* 13 Tertio denique exemplis ostenditur conclusio. Et clarissima sunt ad id exempla sanctarum virginum, scilicet Margarethae, Catherinae, Agathae, Agnetis et aliarum multarum, quae morti se exposuerunt pro virginitate. Narrantur etiam multae virgines infideles secundum Valerium Maximum et Augustinum De civitate Dei, quae pro castitate mortem subierunt, nec tamen salutem consecutae sunt, quia – ut dicit Augustinus Contra Iulianum – vera pudicitia, scilicet salubris non est dicenda, quae non verae fidei mancipatur. Quanto ergo magis deberent Christiani mille mortes pati, quam castitatem amittere, quae est virtus pretiosissima, ut patuit. Sed vae, vae, quia nunc pro nihilo perditur. (G) Circa secundum principale de assimilatione margaritae quaeritur, quia castitatem convenit assimilari gemmae, videlicet pretiosae margaritae. Ad quod respondetur secundum Bernardum dicentem: *Castitas – inquit – est virtutum gemma, angelorum germana, animarum lux* etc. Et idcirco merito pretiosae margaritae comparata, quatenus per proprietates istius gemmae doceamur, qualiter debeamus castitatem servare ad praemium vitae aeternae consequendum. Nimirum proprietates margaritae sunt praecipue sex, ut ab Isidoro XVI. Etymologiarum libro et Alberto aliisque physicis colligitur. Prima proprietas generationis caelestis, quia margarita generatur ex caelesti rore in conchis, quae quanto plus de rore caelesti capiunt, tanto maior in eis generatur margarita, et tanto singularis et pretiosior. Sic spiritualiter castitatem debet homo recognoscere, quia non nisi a supernae gratiae Dei rore potest haberi et servari, Sap. VIII.: *Scio quia aliter non possum esse continens, nisi Deus dederit.* 14 Augustinus li. X. Confessionum: *Domine, continentiam iubes, da, quod iubes, et iube, quod vis.* Item quanto maior gratia hauritur, tanto maior castitas servatur et pretiosior habetur, ut patet de virginitate respectu aliorum. Secunda proprietas inclusionis in testis, quia clausa est margarita in concha dura testa conchea, sic virgo et castus homo debet esse clausus sensibus ad exteriora et refrenatus. Ambrosius super Lucam: *Discite, virgines, non circumcursare per alienas aedes, non demorari in plateis, nec aliquos miscere sermones.* Bernardus: *Mors intrat per fenestras sensuum, nisi diligenter custodiatur.* Tertia proprietas marinae amaritudinis, quia margaritae bonae inveniri habent in mari amaro et eius conchis, quae autem in aqua dulci inveniuntur, non tam bonae sunt. Sic castitas in amaritudine mortificationis corporalis bene servatur. Bernardus: *Periclitatur castitas in deliciis.* Chrysostomus super Ps. L.: *Castitas sine ieiunio et temperantia cito labescit.* (H) Quarta proprietas modicae quantitatis, quoniam margarita est satis parva gemma, quo docetur, quod virgines et casti debent esse humiles. Augustinus: *Superba virginitas prostibulum est diaboli. Melius est ergo humile coniugium, quam superba virginitas.* Haec ille. Bernardus: *Audeo dicere, quod non placuisset Deo virginitas Mariae sine humilitate.* Quinta est albi candoris. Nam margarita, quae candet et claret albedine, melior est, quam illa, quae flavescit. Sic virgines et casti debent clarere intus, id est mente, et extra, id est corpore clarere castitate. Unde Hieronymus Contra Iovinianum dicit: *Illa virginitas hostia Christi est, cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit.* Idem ad Rusticum monachum dicit: *Vae illis castis, qui prava concupiscentia delectantur, quia quotiens concupiscunt, totiens fornicantur.* Iuxta illud Matth.: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est* etc. 15 Sexta est sanativae virtutis. Primo quidem valet contra caducum morbum, quia dicitur margarita bona ligata ad collum sedare caducum morbum. Sic spiritualiter castitas ut valeat contra morbum temptationis, debet in collo pro iugo Christi portari per assiduum laborem boni operis, et numquam deponi per otium. Unde Hieronymus: *Semper aliquid facito, ut te diabolus semper inveniat occupatum.* Unde Isidorus De summo bono: *Servum Dei sine intermissione legere, orare et operari oportet, ne forte mentem otio deditam spiritus fornicationis surripiat.* Haec ille. Secundo quoque margarita valet contra cordis passionem, unde medici faciunt de ea electuarium, quod vocatur diamargariton, per quod cordiaca passio curatur. Sic spiritualiter castitas debet curare cordis passionem refrenando pravas cogitationes. Unde Hieronymus ad Eustochium dicit: *Quia impossibile est in sensu hominis non irruere motum medullarum calore, ille laudatur, ille praedicatur beatus, qui statim ut coepit cogitare, interficit cogitatus, et allidit eos ad petram, petra autem est Christus.* Proinde contra cordis temptationes debet homo in corde habere semper margaritas quinque vulnerum Christi et passionis eius devota recordatione, ut castitatem possit servare. Nam sicut fertur, margarita in aceto posita perdit virtutem, sic castitas perditur in corde acetoso, hoc est: indevoto. O ergo omnes virgines, o viduae, o omnes castitatem diligentes, studete habere devotionem ad passionem Christi exemplo beatae Margarethae, ut Christi amore castitatem possitis illibatam custodire. Nam profecto haec omnia et singula praedicta in beata virgine Margaretha fuisse clarent. In his ergo hanc pretiosam margaritam castitatis imitemur. (I) Circa tertium principale de castitatis acquisitione vel comparatione quaeritur, qualiter comparare vel emere possit homo pretiosam margaritam castitatis pro perpetuo lucro. Ad quod respondetur secundum Salvatoris dictum per conclusionem, quod omnia sua Deo debet dare pro ipsius lucro. Declaratur: Nimirum primo debet



dare proprium affectum, ut nil praeter solum caelestem diligat sponsum, alias esset adulterari, scilicet diligere alienum. Unde dicit Bernardus: *O anima, an nescis te habere sponsum verecundum et zelotypum, qui non vult admittere alienum.* Haec ille. Secundo debet dare proprium et totum intellectum, scilicet per fidem Christo soli adhaerendo, sine qua *impossibile est placere Deo*, Heb. XI. 16 Tertio debet dare totius memoriae cogitatum, I. Cor. VII.: *Mulier innupta et virgo cogitat, quae domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore simul et spiritu*, 17 scilicet ab omni peccati inquinamento. Quarto debet dare corpus totum, quinto omnem sensum, sexto omnem censem, id est temporale bonum, ut sic totum se offerat, Deo mori paratus, quam peccare. Sic fecit beata Margareta, quae dixit: „Christus seipsum exposuit pro me in mortem, et ideo ego pro ipso mori desidero. Christus pro me sanguinem fudit, ergo et ego pro eo fundere cupio.” Ut patuit in legenda. De huiusmodi Hugo super illud Sap.: „Felix sterilis incoquinata” 18 etc. dicit sic: *Sterilis olim erat maledicta, sed hodie felix et beata, quia aeterna mercede digna, quae est incoquinata 19 mente et corpore, quae nescivit thorum in delicto corporalis vel spiritualis adulterii, habebit fructum, id est: praemium aeternae beatitudinis in respectione animarum sanctarum, id est in die iudicii, quando Deus respiciet animas ad remunerandum in gloria.* Ad quam meritis beatae Margarethae perducatur nos Christus, qui vivit in saecula saeculorum. Amen. Item plures alios sermones applicabiles reliqui scribendos ad commune de virginibus, ut deserviant etiam pro aliis sanctis virginibus et viduis. Unde si vis plures habere pro sancta Margaretha, potes ex illis accipere.

---

1 Cf. Mt 13,46 2 Sir 26,20 3 II Cor 4,7 4 Mt 13,45 5 I Cor 5,20; cf. I Cor 6,23 6 Rm 8,18 7 Ps 44,10 8 Sap 6,20 9 Cf. Apc 14,4 10 Ps 10,7 11 Cf. Ct 1,2 12 Cf. Apc 14,3 13 Apc 18,7 14 Sap 8,21 15 Mt 5,28 16 Hbr 11,6 17 I Cor 6,34 18 Sap 3,13 19 Editio: *coinquinata*

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXVII.] Item in divisionis apostolorum festo Sermo *Hos duodecim misit Iesus praecipiens eis: Euntes praedicate, quia appropinquavit regnum caelorum.* Mat. X. ca. 1 et ad laudem hodiernae festivitatis. (A) Sicut dicunt philosophi, praesertim Martianus: *Sol, qui est rex planetarum et stellarum in medio existens bis senarum horarum praecipuos radios a se mittit longe lateque eos diffundens per universum mundum, ex quibus omnia illuminantur, sic spiritualiter Christus, rex omnium creaturarum caelestium et terrestrium, qui figuratur per solem, Malach. VI.: Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae, 2 emisit duodecim apostolos longe lateque per universum mundum, Mar. ultimo dicens eis: Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae, 3 quod potest esse aliud thema pro hoc sermone. Emisit autem eos ad illuminandum mundum tamquam suos radios, sicut ipsemet eis dixit Mat. V.: Vos estis lux mundi. 4 Super quo Basilii dicit: Adveniente luce solis aegritudines et dolores alleviantur, homines a somno excitantur, aves gratulantur, bestiae ad latibula fugiunt. Sic adveniente luce fidei per apostolos praedicatae peccata sunt extirpata, praecipue idolatriae, homines sunt excitati ad caeleste desiderium, angeli sunt gavis, daemones confusi et repulsi. Quia ergo hodie colitur festum divisionis apostolorum in mundum ad praedicandum, sicut praeceperat eis Christus, ideo pro sollemnitate hodierna merito accipiuntur haec verba: *Hos duodecim misit Iesus* etc. Iuxta quae tria mysteria notabimus pro sermone: · Primum dicitur numeralis electionis, cum dicitur: *Hos XII* · Secundum dicitur apostolaris missionis, cum dicitur: *Misit Iesus praecipiens* · Tertium dicitur reverentialis honoris, cum sint regni caelestis praedicatores (B) Circa primum de numerali electione scilicet duodenario apostolorum quaeritur: Cur Dominus Iesus XII tantum apostolos eligere et non plures nec pauciores voluit pro totius mundi conversione et ad praedicandum principali missione? Ad haec respondetur per conclusionem secundum doctores, quod hoc summe congruum fuit praecipue triplici ratione: · Prima ratio significationis · Secunda ratio perfectionis · Tertia praefiguratae consecrationis Prima ratio significationis, Venerabilis Beda dicit sic: *Hunc numerum apostolorum Christus instituit certa causa mysterii, ut scilicet mundi salutem, quam verbo praedicarent, suo numero commendarent. Ter enim quattuor faciunt duodecim, et totidem apostoli ad praedicandum quattuor mundi partibus, hoc est: orienti, occidenti, meridiei et aquiloni missi sunt, quia per eos fides Sanctae Trinitatis in quattuor mundi partibus praedicanda erat, ut quadratum orbem fide Sanctae Trinitatis insignirent.* Haec ille. Secunda ratio perfectionis, quia secundum arithmeticos duodenarius numerus est bis perfectus, eo quod continet duos senarios. Senarius autem dicitur apud eos primus numerus perfectus et sanctitatis vel castitatis, eo quod generatur, sed non generat aliquem numerum infra denarium existentem. Nam producitur ex primo pari, hoc est „II”, et primo impari, scilicet „III”, sic dicendo: Bis tria sunt sex, sed non producit aliquem numerum infra denarium cum pari, quoniam si dicatur bis sex, erunt XII, nam XII sunt supra denarium. Voluit ergo Christus sub numero perfectionis bino sive duplicato, hoc est: bis senario apostolos eligere et in mundum ad praedicandum mittere, ut doceat, quia praedicatores veritatis debent fulgere duplici perfectione, scilicet vitae Christi sive operis imitando, et cum hoc scientiae vel sermonis Christi in cognoscendo ea, quae sunt de necessitate fidei. Matth. V.: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.* 5 Unde Augustinus distinguit quattuor genera hominum, dicens, quod sunt quidam valde boni et per consequens in regno caelorum magni. Quidam per contrarium sunt valde mali et ideo in Inferno gravius puniendi. Quidam autem sunt mediocriter boni, et quidam mediocriter mali. Illi enim sunt valde boni, qui habent bonam vitam et bonam scientiam in Christo, ut fuerunt apostoli, et sunt boni praelati et plures sancti perfecti Christum et apostolos imitantes. Illi vero sunt valde mali, qui et malam habent vitam, et nullam scientiam de salubribus, qui nec volunt audire praedicationem, ut scirent salvari, ipsi damnantur, et etiam alios suo exemplo ad damnationem trahunt. Gregorius XI. q. III. c. „Praecipue” dicit: *Qui perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt.* Haec ille. Item mediocriter boni sunt, qui habent bonam vitam, sed nullum docent per scientiam, et denique mali sunt mediocriter, qui quamvis in se habeant malam*

vitam, tamen prosunt aliis per doctrinam, tales seipsos non docent, sed damnant. Quoniam autem Christus apostolos elegit in praelatos, doctores et iudices mundi ad ordinem summae perfectionis, scilicet apostolici status Christiformis, ut dicit Dionysius, ergo voluit eorum perfectionem commendare etiam numero bis senario. Unde dist. XL. „Multi” Chrysostomus dicit sic: *In iudicio Dei sedens si quidem bene vixeris et bene docueris, recte omnium iudex eris. Si autem male vixeris et bene docueris, tui solius. Male enim vivendo, sed bene docendo Deum instruis, quomodo debeat te condemnare.* Haec ille. (C) Tertia ratio praefiguratae consecrationis, quia iste numerus apostolorum in Sacra Scriptura multipliciter praefigurabatur secundum plurimas eorum dignitates, ut patebit articulo II. sermonis. Ideo ut figuras impleret, Christus hoc numero voluit eligere et consecrare. Proinde Iohanni Apoc. XXI. ostensum est, quod apostoli in numero, scilicet duodenario forent consecrati a Christo Iesu praecipue tripliciter. Primo tamquam XII lapides pretiosi in fundamento supernae civitatis inscripti nominibus apostolorum et agni, scilicet Christi. Secundo tamquam portae XII eiusdem caelestis civitatis. Tertio tamquam XII margaritae singulas portas ornantes. Quare haec, nisi ut doceamur, quod si volumus consecrari in caelestes cives, et introitum civitatis supernae habere, debemus imitari apostolorum fidem et virtutes, iuxta quod fidelibus dicit Apostolus Eph. II.: *Fratres, iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei superaedificati super fundamentum apostolorum* etc. 6 Quid enim significatur per XII lapides pretiosos in fundamento civitatis caelestis, nisi XII articuli fidei positi a XII apostolis, ut dicit Lyra, quoniam sicut domus vel civitas construenda inchoatur a fundamento, sic per fidem formatam inchoatur beatitudo caelestis in nobis. Unde Heb. XI.: *Fides est substantia, 7 id est fundamentum substans seu inchoatio sperandarum rerum, id est bonorum caelestium, quae sunt res a nobis sperandae.* Huius fundamenti primum lapidem edidit Petrus dicens: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem* etc. Secundum Iohannes dicens: *Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum.* Tertium posuit Iacobus maior dicens: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Quartum Andreas dicens: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus est.* Quintum Philippus dicens: *Descendit ad inferna.* Sextum Thomas dicens: *Tertia die resurrexit a mortuis.* Septimum Bartholomaeus dicens: *Ascendit ad caelos, sedet* etc. Octavum Matthaeus dicit: *Inde venturus est iudicare vivos* etc. Nonum Iacobus minor dicens: *Credo in Spiritum Sanctum.* Decimum Simon dicit: *Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.* Undecimum Thaddaeus dicens: *Remissionem peccatorum,* et duodecimum Mathias dicens: *Carnis resurrectionem et vitam aeternam.* Sicque ponit Franciscus de Mayronis distinguendo in sermone de articulis fidei. O ergo homo, haec firmiter crede, si vis ad caelestem patriam introire. Item quid significatur per portas XII, respondet Lyra, quod XII mandatorum observationes, scilicet decem praeceptorum Decalogi cum duobus praeceptis charitatis. Per has enim portas habetur ingressus ad beatitudinem, Mat. XIX.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 8 Et quia has observare apostoli docuerunt verbo et exemplo in fide Trinitatis per totum mundum, ideo duntaxat ad quamlibet orbis partem tres portae. (D) Denique XII margaritae in portis singulis quid sunt, nisi virtutes in apostolis singulis praevalentes, videlicet in Petro fervens caritas, in Iohanne virginitas, in Iacobo maiore desiderium caeleste, unde petivit per matrem sedere ad latus Christi in regno, tanto desiderio, ut offerret se calicem passionis bibiturum. Item in Andrea zelus fraternae salutis in agnitione Christi, quia primus Iesum fratri suo Petro annunciavit, statim ut primum agnovit, et ipse adduxit Petrum ad Iesum. In Philippo spes visionis divinae, qua dixit: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* 9 In Thoma constantia, quia dixit: *Eamus nos omnes, et moriamur cum illo.* 10 In Bartholomaeo contemptus mundialium, quia cum esset de regali genere Syriae, omnia contempsit pro Christo, et in purpureo suo collubrio 11 Christum legitur secutus. In Matthaeo virtus largae elemosynae, quia ad unum verbum Christi sequens illum fecit in domo sua magnum convivium pauperibus Christi. Item in Iacobo minore conformitas Christi in mititate et patientia et mansuetudine, propter quod frater Domini dicebatur. In Simone oboedientia, quia sic interpretatur. In Thaddaeo zelus iustitiae, quia iustitiam divinae ultionis in sua epistola terribiliter praedicavit. In Mathia humilitas, quia humiliter subiectus erat apostolis inter discipulos, unde et parvus interpretatur. Hae autem virtutes tamquam margaritae praevalidae quamvis in singulo eorum perfectae essent omnes simul, tamen praecipue attributae in unoquoque illorum singularius clarent ex praedictis. Haec Franciscus pro parte. In his ergo debemus, carissimi, et nos clarere, ut ad eorundem consortium possimus pervenire et in caelo cum Christo conregnare. (E) Circa secundum de apostolari missione inquirendum est: Ad quid elegit et misit Christus apostolos in mundum? Respondetur per conclusionem, quod secundum Hieronymum, quoniam „apostolus” missus vel legatio interpretatur, ipsi XII apostoli ad plura salutaria officia missi probantur. Declaratur secundum doctores Rabanum et Ludolphum De meditatione vitae Christi aliosque secundum alphabetum. Primo enim missi sunt ad annunciandum et attestandum Christi adventum. Unde Act. I. dixit Christus discipulis: *Eritis mihi testes in omni Iudaea et Samaria et usque ad* etc. 12 Sed quoniam sicut angelus dicitur Dei nuncius, sic et apostolus a Deo missus. Nam secundum Catholicon „apostolus” dicitur ab „apo”, quod est „de”, et „stolon”, quod est missio, quasi de caelo, vel a Deo missus. Quaeritur, utrum apostolorum missio praecellentior fuerit angelorum missione. Respondetur, quod sic, triplici ratione, propter quam etiam noluit Christus angelos mittere ad convertendum mundum, sed apostolos, homines mortales. Prima dignitatis, quia per hoc apostoli praecellent angelos, quod licet angelus sit et dicatur Dei summi nuncius, quod est sibi valde honorabile, sicut esse legatum papae vel ambasciatorem regis maximi, tamen angelus non dicitur testis Domini, scilicet per martyrium, apostoli autem utrumque habuerunt honorem, scilicet esse nuncium et testem Domini per martyrium et sanguinem. Hoc fuit praefiguratum Iosue IV., quando dixit Dominus ad Iosue: *Elige XII viros singulos de singulis tribubus, et praecipe eis, ut tollant de medio Iordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, XII lapides durissimos, quos ponetis in loco castrorum in signum pro testimonio, quod defecerunt aquae Iordanis ante arcam Domini, cum transiret eum.* 13 Isti lapides, scilicet XII figurarunt XII apostolos, qui fuerunt duri et fortes per martyrium in testimonium Domini, quod arcae Dei, id est: Deo incarnato oboediunt ad nutum omnes creaturae. (F) Secundo haec dignitas in apostolis fuit praecellentior ratione potestatis, quia ipsi Christum Deum attestati sunt potestate miraculorum super omnem creaturam. Unde Augustinus in sermone de apostolis dicit, quod *Christus dedit apostolis potestatem super daemones, ut vincerent, super languidos, ut illos curarent, super mortem, ut eam*

*contemnerent, super animas, ut a peccatis solverent, super angelos in hoc, ut corpus Christi consecrarent, et super omnem naturam elementorum, ut mutare possent.* Haec ille. Sed quare ergo apostoli non leguntur montes transtulisse, respondetur secundum Lyram super I. Cor. XIII. Primo quia cum hoc possent facere etiam daemones, si permitterentur, non probasset divinitatem Christi sufficienter. Secundo quia maiora faciendo, quae solus Deus potuit, scilicet mortuos suscitare, per huiusmodi patebat posse et illa minora, si competeret. Tertio ergo non fecerunt, quia non competebat utilitati Ecclesiae. Sed postea quando fuit competens, bene leguntur in historiis alii sancti montes transtulisse, praesertim patet de sancta Cunigunde, filia regis Hungariae, quae montes salis et fodinae plumbi ex Hungaria transtulit in Poloniam, ut dicitur in eius legenda. Tertio praecellit ratione fructuositatis, quia ut Bernardus in Epistola ad fratres de monte dicit: *Licet magna miracula Dominus in terris gessit, hoc tamen maximum super omnia enituit et cetera illustravit, quod in paucis simplicibus totum mundum et omnem sapientiae eius altitudinem sibi subiugavit.* Unde si quaeratur: Quare Christus voluit in apostolos eligere et per mundum mittere ignobiles, illitteratos et pauperes, respondet Ambrosius super Lu. dicens: *Non misit sapientes, nobiles et divites, sed piscatores, ut conversio ad fidem soli divinae virtuti ascriberetur, non potentiae humanae et divitiis vel sapientiae.* Denique propterea etiam non misit angelos, ne virtuti angelicae attribueretur.

(G) Secundo misit Christus apostolos ad baptizandum animas a peccatis et sanctificandum, Mat. VI.: *Euntes docete omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus.* 14 Et propter hoc figurati sunt per XII filios Iacob patriarchas. Quia sicut ab illis sunt geniti omnes filii Israel, sic ab apostolis sunt spiritualiter per sacramenta regenerati omnes Christiani. Ps.: *Pro patribus tuis, scilicet o Ecclesia, nati sunt tibi filii,* id est: pro patriarchis eorum filii, apostoli *constituti principes super omnem terram.* 15 Hinc etiam figurati sunt per duodecim boves sustentantes mare aeneum in templo Salomonis, id est praedicantes doctrinam sacramentorum, in quibus lavantur animae fidelium, et ipsi immolati sunt martyrio pro hac praedicatione, ideo per boves significantur. Tertio misit ad cibandum animas hominum tamquam pastores pascendum populum verbo, vitae et doctrinae. Unde Hier. III.: *Mittam vobis pastores, qui pascent vos scientia et doctrina.* 16 Et ideo Ioh. VI. dixit Christus Petro: *Pasce oves meas.* 17 Hinc figurantur per XII praefectos ex omni gente Israel, quos Salomon elegit, ut cibaria domui suae providerent, III. Reg. X. Item per XII panes super mensam propositionis per singula Sabbata in oblationem, Leviti. XXIV. Quarto ad dirigendum in caelestem patriam et docendum eius introitum, unde ipsi dicuntur doctores regni Dei et lumina mundi, Mat. V.: *Vos estis lux mundi.* 18 Et VI.: *Euntes docete omnes gentes servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* 19 Et ideo figurantur per XII exploratores, quos misit Moyses ad considerandum terram promissionis, ut ad eam omnem ceterum populum animarent, Numeri XIII. Item per XII stellas illustrantes sponsam, id est Ecclesiam, Apoc. XII. Item per XII portas civitatis supernae, ut supra patuit, quia per ipsos habemus introitum. Quinto ad eligendum electos Dei ad salutem et consignandum, scilicet per fidei signum, Mar. VI.: *Euntes praedicate evangelium omni creaturae.* Et sequitur: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* 20 Unde ipsi figurantur per XII fontes in Elim, ex quibus biberunt filii Israel liberati a Pharaone post transitum maris, Exo. XV. Sic omnibus fidelibus salvandis manavit aqua sapientiae fidei ab apostolis XII, tamquam fontibus, ut claret ex Symbolo apostolorum. Sexto misit ad fructificandum, ut eorum fructu impleatur caelum, Ioh. XV.: *Elegi vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat,* 21 scilicet in perpetuum in angelicis choris replendis. Chrysostomus: *O beatos piscatores istos, qui totum mundum ad beatitudinis fructum aeternum praediderunt.* O utinam moderni praedicatores possent saltem aliquos capere per multos clamores, quos faciunt praedicando. Nam sicut venatores clamant, et tamen paucos capiunt. (H) Quaeritur hic, qualiter teneantur et quales Christiani in fructu animarum apostolos imitari. Ad quod breviter respondetur, quod primo summe tenentur episcopi et Ecclesiae praelati, quia ipsi loco apostolorum successerunt in Ecclesia, dist. XXI. „In novo”. Secundo tenentur presbyteri et pastores curam animarum habentes, quia ut dicto capitulo „In novo” habetur: ab apostolis electi sunt septuaginta duo discipuli, in quorum vices presbyteri sunt constituti in Ecclesia, scilicet pro sacramentorum dispensatione et praedicationis doctrina ad salutem animarum. Unde de praedictis omnibus Gregorius, ut habetur dist. XLIII. „Sit rector” dicit, quod praeconis officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit, iram ergo contra se occulti iudicis erigit, si sine praedicationis sonitu incedit. Item idem Gregorius in homilia dicit: *Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed in messe Dei rarus invenitur operator bonus.* Quid dicturi sumus, cum ad Dominum in iudicio vacui veniemus, hic pastores vocati sumus, ibi gregem non adducimus, quod dicit: Utique confundemur, cum videbimus Petrum cum Antiochia et Roma, Paulum cum Graecia et gentilibus, Thomam cum Indis, Andream cum Achaia, et omnes ac singulos apostolos cum multo fructu in iudicio apparere. Tertio regulares debent imitari apostolos et tenentur, quantum ad proprietatis abdicationem, nec debent dicere meum vel tuum, XII. q. I. „Dilectissimis”. Et licet eisdem praedicare, peccata in poenitentia solvere et pro peccatoribus orare, ut dicit Gregorius XVI. q. I. „Ex auctoritate”. Nam figuram gerunt apostolorum, ut ibidem dicitur „Denique”. Quarto omnes etiam communes Christicolae quoad fructum fidei et charitatis, ut propriam saltem animam lucri faciant, tenentur apostolos imitari usque ad mortem. Augustinus: *Nimis dolendum est, quod apostoli nec minis, nec tormentis potuerunt a charitate Dei separari, nos vero interdum otiosa fabula et vilia opera separant.* (I) Circa tertium principale de honore apostolis exhibendo sit pro documento conclusionali, quod Coelestinus in sermone dicit: *Unusquisque fidelium aliquem apostolorum sorte eligat, cuius honori et laudibus iugiter serviat et intendat.* Haec ille. Unde hic oritur quaestio, utrum beati apostoli debeant prae ceteris sanctis et prae angelis honorari. Ad quod respondetur, quod sic, et hoc ratione triplici. Primo ratione sublimitatis, quia Dominus prae ceteris post matrem honoravit eos et prae honorabiles fecit, cum ad supremum gradum vel statum eos ex toto mundo elegit et exaltavit. Ut enim dicit Dionysius: *Apostolicus ordo in Ecclesia militante est summus. Sicut et in caelo est ordo Seraphicus tamquam Christo vicinior.* Ideo Ps. de ipsis, ut canit Ecclesia: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* 22 Secundo ratione potestatis, qua cum sint maioris meriti et potestatis prae ceteris, possunt nos protegere et iuvare. Et quia sunt charitate Seraphica pleni, ideo magis volunt nos iuvare. Nam si quaeratur, in quo ordine sunt apostoli inter angelos, respondet Franciscus de Mayronis, quod in Seraphico. Tum quia ardentis erant prae aliis sanctis in charitate. Tum quia summo ordini in Ecclesia debetur



summus ordo in caelo, ut patuit secundum Dionysium. Et idcirco ex charitate magis merentur, et possunt nos iuvare. Unde Bernardus in sermone de vigilia Pentecostes dicit: *Si potentes fuerunt in terris, et oraverunt pro peccatoribus, nunc amplius in caelis, quia illa patria charitatem non minuit, sed auget.* Tertio ratione iudiciariae dignitatis, in qua praecellunt apostoli alios, secundum Alexandrum enim de Hales auctoritative iudicabit Christus Deus, assessorie autem apostoli, iuxta illud Mat. XIX.: *Super sedes duodecim iudicantes* etc. 23, appropriative autem omnes sancti et omnes angeli. Unde apostoli erunt prae ceteris nostri iudices, et ideo prae ceteris debemus eos honorare. Hinc canit Ecclesia exorando apostolos: *Vos, saeculi iusti iudices, et vera mundi lumina, votis precamur cordium, audite preces supplicum]. Ut cum iudex advenerit Christus in fine saeculi, nos sempiterni gaudii faciat esse compotes.* O ergo carissimi, ipsos honoremus, ut per eorum merita gloriam consequamur. Amen.

---

1 Mt 10,5 et 7 2 Mal 4,2 3 Mc 16,15 4 Mt 5,14 5 Mt 5,19 6 Eph 2,19-20 7 Hbr 11,1 8 Mt 19,17 9 Ioh 14,8  
10 Ioh 11,16 11 collubrium = colobium = ěřĚŮăĕřĭ 12 Act 1,8 13 Ios 4,2-7 14 Mt 28,19 15 Ps 44,17 16 Ier  
3,15 17 Ioh 21,17 18 Mt 5,14 19 Mt 28,19-20 20 Mc 16,15-16 21 Ioh 15,16 22 Ps 138,17 23 Mt 19,28

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXVIII.] De sancta Maria Magdalena Sermo primus cum legenda *Dixit Iesus ad illam: Remittuntur tibi peccata tua.* Luc. VII. 1 et in evangelio huius festivitatis. (A) Sancta Mater Ecclesia salutem filiorum considerans tam verbis, quam factis Christi Iesu ostendit, quam grata sit et dilecta Deo angelisque gaudiosa ipsa sancta poenitentia et peccatoribus utilis ac necessaria. Idcirco hodie celebriter proponit exemplum peccatricis Magdalenae. In cuius poenitentia claruit divina clementia, cum remisit ei omnia peccata, ut et nos non diffidamus de Dei misericordia et venia obtinenda per poenitentiam. Unde Gregorius: *Intueor Magdalenam peccatricem, intueor latronem sero poenitentem, et nil in eis invenio nisi proposita nobis spei et salutis exempla, si eos sequimur in poenitentiae forma.* Haec est nempe Magdalena, quae peccatis plena habens septem daemonia, id est universa vitia ad Christum conversa fudit amarissimas lacrimas, quibus Iesu pedes abluit, capillis tersit, unguento unxit, et osculata est. Et ideo a Christo veniam omnium peccatorum promeruit. Dixit ergo ad illam Iesus: *Remittuntur tibi peccata.* O ergo carissimi, utinam et nos vere ad Christum converteremur, et peccata deploraremus, quatenus Christum dicentem in corde audiremus: *Remittuntur tibi,* o Christiane, *peccata* etc. Itaque ad honorem sanctae Magdalenae tria mysteria iuxta praedicta verba notabimus pro hoc sermone ad aedificationem. · Primum dicitur conversionis, ibi: *Dixit ad illam,* scilicet Magdalenam peccatricem · Secundum dicitur remissionis, ibi: *Remittuntur* – inquit – *peccata* · Tertium dicitur perfectionis, scilicet quae secuta est ad haec praedicta (B) Circa primum de conversione Magdalenae inquirendum est, qualiter beatae Magdalenae exemplo converti debeamus vere a peccato. Ad quod responderetur per conclusionem secundum Gratianum de poenitentia dist. I. „Convertimini” dicentem sic: *Conversio dicitur quasi cordis undique versio. Si ergo cor nostrum undique a malo convertitur ad Deum, mox suae conversionis fructum meretur, ut Deus ab ira ad misericordiam conversus peccati praestet indulgentiam, cuius primo praeparabat vindictam.* Haec ille. Ex quibus patet: quicumque vult vere converti et misericordiam Dei invenire, exemplo Magdalenae debet tria praecipua correquisita facere: · Primo omnia peccata sua et eorum mala recognoscere · Secundo toto corde detestari peccata omnia et ab eis cessare · Tertio totum desiderium et amorem in Deum convertere Primo inquam debet homo recognoscere peccata tripliciter, scilicet quam sint magna, et quam sint multa, ac quam nociva. Hinc Ps.: *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi* etc. 2 Augustinus: *Si homo cognoscit, Deus ignoscit.* Bernardus: *Initium omnis salutis est cognitio sui ipsius.* Sic fecisse Magdalenam ex hoc probatur, quod Scriptura evangelica denotat in ea fuisse primo peccatorum magnitudinem, secundo peccatorum multitudinem, tertio famae nigredinem. Quae Magdalena cognoscens ad fontem misericordiae lavanda cucurrit, ut dicit Gregorius in homilia. Primo quidem peccatorum eius magnitudo designatur, cum dicitur in evangelio: *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit* etc. 3 Lyra: *Ecce in Scriptura pro signo admirationis et rarae novitatis poni solet, quasi per hoc insinuetur, quod mirabile fuit et rarum, quod tam magna peccatrix ad poenitentiam sit conversa,* quia ut Gregorius dicit: *Difficile et raro surgit, quem magna moles peccatorum et consuetudinis premit.* Item Ambrosius de poenitentia dist. III. „Reperiuntur” dicit: *Ego facilius inveni, qui recte servaverit innocentiam, quam qui congrue egerit poenitentiam.* Haec ille. O Deus, quid tunc nos peccatores peccato pleni facimus, si tam rara est vera poenitentia nostra, sine qua salvari non possumus. (C) Quaeritur hic: Quare evangelista non dicit expresse, qualia fuerunt peccata Magdalenae, sed tantummodo dicit eam in generali peccatricem? Responderetur secundum doctores, quod ex quo illa eius peccata fuerunt carnalia, ideo non exprimuntur ad innuendum, quod talia peccata non solum non sunt facienda, sed nec etiam sunt nominanda apud fideles, Eph. V.: *Fornicatio autem et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* 4 Secundo Scriptura Sacra notat in Magdalena peccatorum multitudinem, cum dicit eam peccatricem. Et clarius hoc ostenditur Marci ultimo, ubi dicitur, quod Christus de ea eiecit septem daemonia. 5 Gregorius: *Magdalena septem daemonia habuit, quia universis vitiis plena fuit, videlicet superbia, avaritia, gula* etc. Tertio notat Scriptura eius famae nigredinem, cum tacito proprio nomine eam in civitate quasi famosam peccatricem nominat, quoniam per totam civitatem denigratae famae erat. (D) Quaeritur hic: Cur in hoc passu evangelico proprium nomen Magdalenae non exprimitur, quod tamen deberet pro conversionis et poenitentiae exemplo? Ad quod responderetur secundum doctores, quod pro triplicis significationis mysterio. Primo quidem, ut significetur, quod Deus detestatur peccatores adeo, quod nec vult eos apud se nominari, iuxta Ps.: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* 6 Ideo hic Spiritus Sanctus noluit eam nominari, sed postquam fuerat conversa ad Christum, pluries nominatur in evangelio, quia poenitentes Deus diligit. Secundo ut significetur, quod peccator per peccatum perdit et nomen et omne bonum et esse. Nam perdit esse naturae, quia in naturalibus vulneratur, et perdit omne bonum, scilicet gratiae et gloriae, quia gratuitis spoliatur, ut haec testatur Beda super

illud Luc. X. de eo, qui incidit in latrones, id est daemones, qui dispoliaverunt eum plagis impositis semivivo relicto, quoniam peccator non vivit secundum partem nobiliorem, scilicet in anima, sed tantum corporaliter. Perdit ergo peccator et nomen, ut potius diabolus nominetur, sicut et de Iuda legitur Ioh. VI.: *Unus ex vobis diabolus est.* 7 Augustinus: *Humanum est peccare, sed diabolicum est in peccato perseverare.* Tertio ad significandum, quod sicut dicit Deus Exo. XXXII.: *Qui peccaverit, delebo eum de libro vitae.* 8 Item Ps.: *Deleantur de libro vitae, et cum iustis non scribantur.* 9 Idcirco tria praecipua scilicet genera hominum leguntur in evangelio sacro sine nominibus propriis, nisi propter certitudinem historiae quandoque nominentur. Primum genus avarorum, ut patet de divite epulone, Luc. XVI., et de divite volente ampliari horrea, XII. ca. Secundum genus superborum, ut patet de Pharisaeo ascendente in templum ad orandum, Luc. XVIII. Tertio luxuriosorum, ut patet hic de Magdalena, quoniam per haec tria peccata, scilicet superbiam, avaritiam et luxuriam solet paene totus mundus corrumpi, et multi de libro vitae deleri, ac ad infernale supplicium conscribi. O ergo peccator, cave tibi. (E) Secundo ad conversionem veram requiritur omnium peccatorum detestatio et cessatio. Ecl. XXI.: *Fili, si peccasti, non adicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur, quasi a facie colubri fuge peccatum.* 10 Unde Scotus super IV. dist. XIV. dicit, quod *de communi lege haec est una regula determinata a divina sapientia, quod peccatum non dimittatur sine displicentia verae contritionis.* Ideo et Hugo a Sancto Victore dicit, quod *Deus hominem absolvens ligat eum vinculo perpetuae detestationis peccati.* Et de poenitentia dist. III. circa principium Augustinus: *Peccator – inquit – semper doleat, et de dolore gaudeat, quia ubi finitur poenitentia, nil remanet de venia.* Haec ille. O ergo peccator, adverte haec, et cessa a peccato, ut habeas vitam aeternam. Alioquin ut Gregorius ait, ad magnam iustitiam iudicis pertinet, ut numquam careant supplicio, qui noluerunt carere peccato. Tertio ad confessionem requiritur divina dilectio, qua vult homo facere omnia, quae debet, scilicet confessionem et satisfactionem, et servare Dei omnia praecepta. Unde Augustinus De vera et falsa poenitentia dicit: *Poenitens non solum considerare debet, quid peccavit, sed etiam quem offenderit, quia mortaliter peccare est Deum offendere et Deo inimicum esse.* Idem: *Non solum oportet Deum timere ut iudicem, sed etiam ut iustum diligere.* Unde secundum Scotum et Thomam concordantes in III. parte q. LXXXVI.: *Homo debet dolere de peccatis et confiteri ac satisfacere pro eo, quod sunt contra Deum, et sic principaliter ex amicitia Dei.* Ad propositum: Beata Magdalena haec omnia observavit, et pro tali vera conversione audire meruit Christum dicentem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* 11 quia ut scibitur I. Pe. IV.: *Charitas est, quae operit multitudinem peccatorum.* 12 Gregorius in homilia: *Quid, fratres, quid credimus dilectionem Dei, nisi ignem, quid culpam, nisi rubiginem, tanto plus rubigo peccati consumitur, quanto plus homo charitate accenditur.* Haec ille, haec sufficient. (F) Circa secundum de remissione peccatorum sit pro conclusione verbum Isidori dicentis: *Poenitentis lacrimae apud Deum reputantur pro baptisate,* hoc est: peccatorum ablutione vel remissione. Ratio patet, quia ut ait Ps.: *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.* 13 Augustinus: *Qui se lacrimis miserum fatetur, illi Deus miseretur, et hoc claruit in Magdalena.* Quaeritur ergo, utrum quaelibet illacrimatio scilicet pro peccatis sit sufficiens testimonium pro signo remissionis. Et videtur, quod sic, quia scribitur Ezech. XVIII.: *Quaecumque hora ingemuerit homo, amplius non reminiscor omnium iniquitatum eius, quae fecit.* 14 Sed in contrarium est illud Ioel. II.: *Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem.* 15 Ad haec respondeo: secundum doctores, praecipue Bonaventuram super I. dist. XVII. dicitur, quod certitudine scientiae quamvis non possit homo scire se esse in charitate et gratia Dei, nisi Deus revelaverit, et quoniam peccatum per Dei gratiam remitti habet, ideo certitudinem scientiae non potest homo scire, si peccata sunt sibi omnino remissa. Et sic potest intelligi illud Ioelis II.: *Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus,* tamen per signa potest homo habere certitudinem spei de dimissione peccatorum commissorum. Si ergo illacrimatio pro peccatis fiat, ut dicunt ex vero corde et vera poenitentia, sufficiens signum est remissionis peccatorum, alias non, ut patet per doctores, praecipue Bonaventuram in IV. dist. XVI., quia sine contritione vera non remittitur peccatum. Ad id ergo ponuntur plura signa, quae debent concurrere in vera poenitentia. Primum est vera peccati displicentia et detestatio, ut supra de hoc patuit. Et ista displicentia sufficit ad peccati remissionem, etiam si non possit homo flere vel sensualiter dolere de peccatis. Quanto autem magis homo dolet et deflet sensualiter, tanto magis delet reatum poenae pro peccatis debitae. Et ideo Isaac abbas in Collationibus patrum dicit: *Cum ad regionem lacrimarum perveneris, scito te exauditum pro tuorum remissione peccatorum.* Secundum signum propositi firmatio, quod scilicet caveat peccata de cetero. Unde Smaragdus de poenitentia dist. III. „Ille poenitentiam dignae” dicit: *Qui plangit et iterum admittit peccatum, quasi quis lavet laterem crudum, quem quanto magis abluit, tanto magis lutum facit.* Tertium signum vera confessio, Ps.: *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti etc.* 16 Quartum debita satisfactio. Augustinus XIV. q. VI. „Si res”: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Sine istis omnibus simul concurrentibus non valet fletus exterior ad remissionem peccati. Unde Iohannes Os Aurei de poenitentia dist. IV. „Perfecta” dicit, quod haec est fructifera poenitentia vel lacrima, si in corde sit contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas, scilicet satisfactio. Ad propositum: Beata Magdalena ostendit se haec habuisse, scilicet peccati dolorem in fletu. Augustinus: *Lacrimae sunt testes doloris.* Item firmum propositum in sui et mundi contemptu. Item confessionem in accessu verecundo, quia stetit non a facie, sed retro procumbens ad pedes Iesu coram convivantibus. Item satisfactionem ostendit, quia dicit Gregorius: *Convertit ad virtutes numerum criminum, ut totum serviret Deo in poenitentia, quidquid Deum offenderat in culpa.* Nimirum offenderat in capillis vane orando, satisfecit ex eis tergendis pedes Iesu. Item offenderat in oculis, satisfecit lacrimando, in facie offenderat fucando et se vestitu componendo et deliciis, satisfecit totaliter in pulvere procidendo sub scamno ad pedes Christi. Item in ore osculando et unguentis odoriferis corpus suum unguendo offenderat, ergo satisfecit pedes Domini osculando et unguendo. O ergo peccator, accipe ab ea exemplum poenitentiae et satisfactionis. (G) Circa tertium de perfectione sanctitatis Magdalene sit pro conclusione, quod maximae sanctitatis perfectio claruit in Magdalena in Christi Iesu sequela et perseverantia, et hoc patet manifeste ex ipsius legenda. Nam legitur, quod Magdalena a Magdalo castro cognominata clarissimis est orta natalibus, cuius pater Syrus, mater Eucharia, frater Lazarus, soror Martha, possidebantque Bethaniam et magnam partem

Hierosolymorum, quae omnia post ascensionem Domini vendentes, ad pedes apostolorum pretium posuerunt. Et anno tandem XIV. a passione, cum discipuli diversas partes mundi adiissent causa praedicationis, erat tunc inter discipulos sanctus Maximinus, unus ex septuaginta duobus, cui a beato Petro Magdalena fuerat commendata. In hac dispersione beati Maximinus, Magdalena, Lazarus et Martha ac eius pedissequa, Marcilla, necnon Cedonius, qui caecus natus fuerat a Christo illuminatus, alii quoque Christiani plures navi impositi ab infidelibus, et pelago sine gubernatore expositi, ut submergerentur. Divino tandem nutu Marsiliam devenerunt, ubi cum nullus illos hospitio recepisset, in porticu fani gentis illius morabantur, ubi populos confluentes ad idola coepit Magdalena diserta lingua ab idolis revocare Christumque praedicare tam eleganter, ut omnes mirarentur de eius specie, facundia et eloquentiae illius dulcore. Nec mirum, cum eius labia pedibus Christi oscula fixerant, et ideo verbi Christi odorem spirabant. Post haec princeps provinciae illius cum uxore advenit, ut idolis immolaret pro prole habenda. Cui Magdalena Christum praedicans sacrificia dissuasit. Post dies aliquot illi matronae dormienti in visu apparuit dicens: „Quia cum tot divitiis abundatis, sanctos Dei fame et frigore mori permittitis? Scitote iram Dei omnipotentis incurere.” Cumque illa viro suo indicare timuisset, apparuit Magdalena eidem secundo, et tandem tertio apparuit igneo vultu, ac si tota domus arderet, utique eorum scilicet comminendo, nisi quam totius sanctis providerent. Quapropter ne incurrerent iram Dei, quem Magdalena praedicabat, illos hospitio receperunt et necessaria eis ministraverunt. (H) Tandem quadam die praedicanti Magdalенаe princeps cum sua coniuge dixit: „Ecce dictis tuis obtemperare parati sumus, si a Deo nobis filium impetrabis.” Quod Magdalena promittens oravit, et matrona illa concepit, et hoc facto idem princeps consilio Magdalенаe proficisci voluit ad beatum Petrum apostolum, quatenus per plura visa miracula in fide Christi solidaretur. Cui uxor gravida omni instantia et cum lacrimis petiit obvoluta illius pedibus, ac obtinuit, ut cum marito proficisceretur. Magdalena ergo eorum humeris signum crucis imposuit, ne diabolus nocere eis posset. Et navem ascendentes ecce die altero tempestate orta maxima illa matrona gravida coepit dolore partus irruente urgeri adeo, quod filium parturiens exspiravit. Natus igitur parvulus palpitans vagitus dabat. Vir itaque ille peregrinus tum pro mortua uxore, tum pro puero nato mammae matris appetente lamentabatur dicens: „Heu, heu me miserum, filium habere desideravi, et matrem cum filio perdidit.” Nautae vero acclamabant dicentes: „Proiciatur in mare hoc cadaver, antequam insimul pereamus.” Quid plura? Magnis ille precibus ac munere vix obtinuit, ut ad collem quendam, qui videbatur, applicarent, ibique duri saxi antro reperto mortuam uxorem posuit, et puerum mammae eis apposuit in pectore illius collocavit, chlamydeque obtexit, et lacrimando eiulans dicebat: „O Magdalena, ecce mihi filium a Deo tuo impetrasti, et cum non sit, qui enutriat, mortua eius matre, ne nati filii mortem aspiciam, tibi et Deo tuo et matrem et filium, sicut et omnia mea commendo.” Et sic plenus amaritudine navem intravit. Cumque venisset Romam ad Petrum, omnia haec illi per ordinem enarravit. Cui Petrus consolando ait: „Potens est Dominus, cui vult dona dare et data auferre et ablata restituere ac maerorem tuum in gaudium commutare. Bene venisti, et utili consilio credidisti.” (I) Tandem Petrus ipsum Hierosolymam duxit, et omnia loca, in quibus Christus miracula fecit, ac passus est, et ascendit in caelum, ei ostendit, atque in fide diligenter instruxit. Biennio autem iam elapso repatriare curans navem ascendit, et cum Deo disponente iuxta collem praedictum pervenisset, prece ac pretio nautas ad applicandum induxit. Puerulus autem ille miraculose conservatus frequenter ad litus maris procedens more puerili cum lapillis et glareis ludere solitus erat. Cum itaque homo ille vidisset admirans puerum ibi ludentem, exsiliit de scapha, quem puerulus ut insolitum videns expavit, et ad solita matris ubera recurrens sub chlamyde latitare voluit, tunc peregrinus prae gaudio infusus lacrimis et puerum pulcherrimum in ulnas accipiens et osculans ait: „O beata Maria Magdalena, scio, quod tu puerum biennio pavisti in hac rupe, o si et matrem eius mihi redderes, quam felicem me putarem.” Ad haec verba mulier quasi de somno evigilans surrexit dicens: „O Magdalena, quam magni es meriti, quae mihi in omnibus succurristi.” At ille prae gaudio exclamavit dicens: „Vivisne, uxor mea dilecta?” Et illa: „Vivo equidem, et nunc de peregrinatione, de qua et tu venisti, venio. Nam sicut tu ambulasti cum beato Petro ad omnia loca mysteriorum Christi, sic et ego cum Magdalena comite vobiscum fui, et omnia illa loca conspexi.” Et sic coepit omnia explicare, ut nec in puncto deviare. Tunc peregrinus cum gaudio recepta uxore et filio in navim, ad portum tandem Marsiliae applicaverunt, et beatae Magdalенаe ac sancto Maximino omnia referentes sacrum baptismum susceperunt, et idolorum templa destruentes ecclesias Christi construxerunt. Et beato Lazaro in episcopum electo venerunt tandem ad civitatem Aquensem, ubi Christianae fidei populo aggregato beatus Maximinus in episcopum ordinatus est. (K) Interea beata Magdalena supernae contemplationis avida eremum petiit, et in loco angelicis manibus praeparato per triginta annos incognita mansit, ubi nec aqua, nec herba aut arbor fuit, qualibet autem die in septem horis canonicis ab angelis levabatur in aethera, et angelicorum agminum concentus gloriosos corporalibus auribus audiebat, et tali suavitate caelesti refecta alimento corporali nullatenus indigebat, indeque ab eisdem angelis ad proprium locum reducebatur. Quidam autem sacerdos eremum petens ad duodecim stadia eidem loco vicinam cellam sibi locavit. Die igitur quadam Dominus aperuit illius oculos, ut scilicet videret, qualiter angeli ad praedictum locum descendebant, et Magdalenam in aethera sublevabant et revocabant. Ut ergo de visione certificaretur, accedere illuc temptavit. Cumque ad unius iactum lapidis appropinquaret, adeo eius crura sunt resoluta, quod propius accedere nequaquam valuit, quamvis retro redire posset. Intelligens vir Dei caeleste esse mysterium, invocato nomine Salvatoris exclamavit dicens: „Adiuro te per Dominum Iesum, ut tu creatura, quae in illa spelunca latitas, mihi de te respondeas veritatem.” Tunc Magdalena dixit: „Meministine ex evangelio de peccatrice famosa Maria, quae pedes Salvatoris lacrimis lavit?” Cui sacerdos: „Etiam.” At illa: „Ego sum – inquit –, quae hic iam per triginta annos incognita mansi, et sicut vidisti, singulis diebus septies per angelos elevata caelestibus dapibus refecta vixi. Et quoniam a Domino mihi revelatum est, quod migratura sim a saeculo, proximo die resurrectionis Dominicae, vade ergo, nuncia haec beato Maximino episcopo, ut tunc tempore, quoad matutinum surgere consuevit, oratorium ingrediatur, et me illic per angelorum ministerium inveniet consistentem.” Sacerdos autem vocem eius audiebat quasi vocem angeli, et concitus beatum Maximinum adiit, et haec omnia enarravit. Sanctus autem Maximinus repletus gaudio gratias egit Christo. Et ecce die praefata ingressus oratorium vidit Magdalenam stantem in medio angelorum elevatam a terra spatio duorum cubitorum et orantem, cuius facies



mira luce radiabat ex continuo consortio angelorum. Convocato igitur clero et sacerdote praedicto, corpus Christi Magdalena cum multa lacrimarum inundatione suscepit, et sic sanctissima eius anima migravit ad Dominum, tanto autem odore corpus relictum fragravit, ut per septem dies ab ingredientibus oratorium sentiretur quasi Paradisus, cuius sanctissimum corpus diversis conditum aromatibus sanctus Maximinus honorifice sepelivit. O ergo gloriosissima femina Magdalena, vere tibi dulcissimus Iesus maximam praestitit gratiam et gloriam, qui non solum peccatorum indulsit veniam, sed insuper effecit sanctitate et gloria felicissimam. O Christi beatissima discipula, te deprecamur pro Christi Iesu amore, pro nobis peccatoribus Deum exora, quatenus salvari possimus per tua merita. Amen.

---

1 Lc 7,48 2 Ps 50,4-6 3 Lc 7,37 4 Eph 5,3 5 Mc 16,9 6 Ps 15,4 7 Io 6,71 8 Ex 32,33 9 Ps 68,29 10 Eccl 21,1-2 11 Lc 7,47 12 1 Pe 4,8 13 Ps 50,19 14 Ez 18,21-22 15 Ioel 2,14 16 Ps 31,5

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXIX.] De sancta Magdalena Sermo II., videlicet de ipsius ad Christum Iesum amorosa attractione *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui*. Hier. XXXI. 1 (A) Haec verba dicit Dominus Deus ad peccantem populum, et praecipue poterat dicere Iesus ad Magdalenam. Quibus ostenditur mirabilis ipsius Dei charitas et misericordia erga peccatores, qui redeunt ad poenitentiam, quia ab aeterno praeordinavit illos salvari per poenitentiam, ne pereant per sua peccata. Unde Apostolus Ro. VIII. dicit: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum* (Lyra: id est praedestinationem) *vocati sunt sancti* 2 in praesenti per gratiam sanctificantem. Isti enim et peccata in bonum proveniunt, quia fortiores et cautiores resurgunt, et etiam in gloria ad bonum eorum facit peccatorum memoria, sicut et cicatrices ad gloriam militis, qui finaliter in bello triumphavit. Unde et subditur: *Nam quos praescivit*, id est praecognovit, *hos et praedestinavit, quos autem praedestinavit, hos et vocavit*, scilicet ad fidem vel peccatorum conversionem, *et quos vocavit, hos et iustificavit per gratiam, hos et magnificavit per gloriam*. Haec Lyra. Et haec omnia Christus clare ostendit in Magdalena, quam ab aeterno elegit, ut esset omnibus peccatoribus poenitentiae exemplum. Idcirco dicit ei in persona omnium poenitentium existenti: *In charitate perpetua dilexi te*, scilicet praedestinando salvari per poenitentiam, *ideo attraxi te*, convertendo a peccatis, *miserans tui*, ex mera mea clementia vel bonitate, et non ex tuis meritis. Itaque ex istis verbis ad honorem beatae Magdalenae tria mysteria accipiamus pro hoc sermone, secundum quod de tribus commendari videtur in ipsis verbis thematis: · Primo de Dei dilectione, ibi: *In charitate perpetua dilexi te* · Secundo de Christi attractione, ibi: *ideo attraxi te* · Tertio de exempli instructione, scilicet miserationis divinae, ideo dicitur: *miserans tui* (B) Circa primum de dilectione divina ipsius Magdalenae accipiamus pro documento conclusionis et trimembris considerationis, videlicet quod Magdalena prius Christum graviter offendit. Secundo ferventer postea dilexit. Tertio Christus ipsam poenitentem amasse patenter ostendit. Primo inquam graviter offendit, quod sacrum evangelium ostendit dicens, quod erat ipsa mulier peccatrix in civitate, Luc. VII. et VIII. dicitur, quod eam Christus curaverit a daemonibus septem. Idem etiam dicitur Marci ultimo, quae exponens Gregorius in homilia dicit, quod *in Magdalena septem daemonia habuit, quia universis vitiis plena fuit. Nam universitas septenario numero designatur, quia septem diebus omne tempus comprehenditur*. Haec ille. Et sic patet eius gravis offensio contra Christum. (C) Quaeritur hic: Unde vel quomodo reputantur peccata Magdalenae fuisse gravissima, cum ipsa non legatur tam enormia crimina commisisse, praeterquam quod dicitur lasciva et superba fuisse. Non enim fuit idolatra, aut incantatrix, nec periurans, nec homines necans aut sanguinem fundens, nec aliena rapiens. Sed nec creditur fuisse publica meretrix, etiam si dicatur, quod carnali peccato peccaverit. Quod sic potest probari, quia Deut. XXIII.: *Non sit – inquit – meretrix de filiabus Israel*, 3 ipsa autem fuit de tribu Iuda e genere regio secundum historias. Si ergo ipsa fuisset publica meretrix, sequitur, quod Iudaei in odium Christi non pepercissent sibi, sicut nec Christo pepercissent, sed legis poena, scilicet lapidatione, quae habetur Deut. XXII., eam punivissent. Mirum ergo, unde iudicantur eius peccata tam gravia, ut etiam septem daemonia habuisse dicatur. Ad haec respondetur, quod Magdalenae peccata non immerito iudicantur in Sacra Scriptura gravia triplici ratione. Primo ratione peccati carnalis et eius foedationis, quod valde grave peccatum merito reputatur apud spirituales, tum quia reddit hominem brutalem, iuxta illud Ps.: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*. 4 Lyra: *id est: nolite fieri sequentes appetitum concupiscentiae, ut bruta*, tum quia ut dicit Chrysostomus super Matt.: *Castitas est virtus angelica, per quam homines angelis assimilantur*, ergo per contrarium carnis peccatum est turpissimum et foedissimum cum daemonibus cruciandum. Tum denique quia vitium carnis est contagiosum omnes inficiens, adeo quod sicut scribitur dist. L. „Quia sanctitas” dicente Gregorio: *Sine vitio carnis pauci inveniuntur*. Magdalena autem et si publica meretrix non fuerit, ut probatum est, tamen ut Scriptura dicit, et communiter Ecclesia tenet, fuit peccatrix publica. Secundo ergo reputantur gravia ratione publicae infamationis, quia licet non publica meretrix, tamen publica peccatrix fuit. Nam publica meretrix dicitur secundum Hieronymum XXXIV. dist. c. „Vidua” illa, quae multorum libidini patet, et hoc negant de Magdalena doctores. Sed publica peccatrix dicitur, quae aliquibus vel alicui amasio familiaris est et consentiens, non curando, ut publice sciatur vel fametur. Et hoc modo dicitur Magdalena peccatrix infamata. De hoc causa brevitatis hic pertranseo, quia alio sermone speciali quaestione, scilicet „utrum ipsa fuerit carnaliter corrupta”, latius agemus. Tertio ratione infectionis et periclitationis, quia suo vano ornato multos ad concupiscentiam provocans gravissime offendit inficiendo et perdendo animas, sicut heu et modernae mulieres solent facere ornando se, ut pulchriores appareant, et concupiscantur ad libidinem. (D) Tales mulieres quippe gravissime peccant multipliciter. Primo quia offendunt Deum se ornando et faciem fucando ad lasciviam. Nam Cyprianus li. De habitu virginum dicit sic: *Manus Deo inferunt mulieres, quando quod Deus formavit, reformare contendunt, Deum videre non poteris, quando oculi vel facies aut crines tibi non sunt, quod Deus*

*fecit, sed diabolus infecit.* Haec ille. Secundo offendunt Christum, Dei Filium occidendo animas, quas ipse sua passione et morte redemit. Tertio offendunt Beatam Virginem, quae castitatem diligit. Quarto offendunt angelos, qui nos custodire volunt ab omni concupiscentia et peccato. Quinto offendunt se ipsas occidendo et perdendo proprias animas. Augustinus: *Concupiscere et concupisci velle - utrumque aequae est damnabile.* Sexto offendunt proximos ad concupiscentiam alliciendo. Nam ut Gregorius XI. q. III. „Praecipue”: *Tot mortibus digni sunt, quot perditionis exempla praeberunt.* Ratio, quia qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, extra de iniuriis et damno dato, „Si culpa”. Sed tales dant occasionem pereundi aliis per concupiscentiam, ideo Matt. XVIII.: *Vae illi, per quem scandalum venit.* 5 Unde tales bene assimilantur serpenti, qui dicitur cerastes, de quo Isidorus Etymologiis, quod cerastes serpens habet cornua pulchra, corpus vero turpe. Volens igitur aviculas capere corpus abscondit sub arena cornibus extra prominentibus, quibus aviculae insident, quas capit et devorat. Sic mulieres animas suo ornatu capiunt et perdunt in gehennam. Istis modis multipliciter peccaverat Magdalena se ornando, ergo gravissime offendit. O ergo vos, pomposae mulieres, agite poenitentiam exemplo Magdalенаe. (E) Secundo postea Magdalena ferventer Christum dilexit, quod claret ex pluribus signis. Nam quaeri potest, scilicet hic: qualibus signis comprobatur quis Christum Iesum ferventi dilectione diligere. Ad quod responderetur secundum Franciscum de Mayronis aliosque simul recolligendo plura signa. Primum signum ab omni offensa dilecti Christi cavere. Ideo Christus dixit Magdalенаe: *Vade, et amplius noli peccare,* 6 quod ipsa veraciter implevit. Secundum signum a Christo separari nolle, sed imitari ipsum in virtute, sicut dicebat Apostolus Rom. VIII.: *Qui nos separabit a charitate Christi* etc. 7 Beata Magdalena non potuit separari a Christo ambulante, sequebatur enim eum in via et ministrabat ei, Marc. XII. Nec ab ipsa Beata Virgine Maria Christum sequente, cuius societati adhaeserat. Nec a Christo comedente, quia fecit Christo cenam pluries hospitando, Ioh. XII. Nec a Christo docente, quia sedens secus pedes Iesu audiebat verbum illius, Luc. X. Nec a Christo existente in cruce et moriente, cui astitit, etc. Nec a Christi funere in sepulchro iacente, quia emit aromata, ut veniens ungeret Iesum, Marc. XVI. Nec a gloriose resurgente, quia stabat ad monumentum foris plorans, et vidit Christum sibi apparentem, Ioh. XX. Nec a Christo hinc in caelum ascendente, quia affuisse tunc creditur cum discipulis. Tertium signum ferventis dilectionis Christi est toto corde compati in eius passione ac liquefieri ex amore. Hoc fuit in Magdalena, quoniam tota fuit tempore passionis resoluta in lacrimas prae compassione Christi una cum matre Christi et sororibus, et tandem mortuo Christo recedere a sepulchro non poterat, nec a ploratu cessare. Unde Gregorius in homilia: *Pensandum est, huius mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quae a monumento Domini etiam discipulis recedentibus non recedebat.* Unde sicut dicit Bernardus: *Quanto Christum plus diligit, tanto eius dolores magis sentit, et affectus passionis eius animam stringit.* (F) Tertio Christus Magdalenam poenitentem amavit, quod patet Ioh. XI., ubi scribitur, quod *diligebat Iesus Martham et Mariam, sororem eius.* 8 Nam quaeritur: Qualibus signis poenitens anima Christo Iesu fore probatur dilecta? Responderetur, quod primum est peccatorum remissio, Ezech. XVIII.: *Quaecumque hora ingemuerit peccator* etc. 9 Revera mirabilis dilectionis signum est, quod inimicum suum, videlicet peccatorem perire non permittit in suis peccatis, Ezech. XVIII.: *Nolo mortem, scilicet aeternam peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat.* 10 Sic fecit Magdalena. Unde Bernardus: *O quaecumque es, peccatrix anima, non tibi despicabile videatur, quod Magdalena peccatrix omnia peccata deposuit, et sanctitatem induit. Ideo beatae peccatricis exemplo prosternere et tu, misera, scilicet per poenitentiam ad pedes Iesu, ut desinas esse misera, sed sis Christo dilecta.* Secundum signum lacrimarum acceptatio et exauditio. Chrysostomus enim dicit, quod *Christus tantum amat lacrimas poenitentis, quod nemo flens ad eum accessit, qui non impetravit, quod postulavit.* Hoc ostendit Christus Magdalенаe, quia semper eius lacrimas pie exaudivit, vidit enim eam flentem pro peccatis, et mox omnia peccata sibi remisit. Vidit flentem pro morte fratris sui, et mox fratrem suum resuscitavit. Vidit eam flentem de hoc, quod Christus educebatur ad mortem, et mox lacrimas eius compepsit dicens: *Filiae Ierusalem, nolite flere super me* etc. 11 Vidit eam flentem pro sublacione sui corporis, et mox se sibi manifestavit. Tertium signum gratiae accumulatio et gloriae exaltatio, quae sunt dona Dei summa et maximi amoris. Augustinus: *Gratia est excellentissimum donum Dei, quod solum dividit inter filios regni et perditionis.* Christus autem Magdalенаe hoc ostendit, quia gratis et gloria maximae sanctitatis sublimavit, ergo eam vere dilexit. Unde Bernardus super Cantica dicit: *Omnino propter mansuetudinem tuam, o bone Iesu, curremus post te in odorem unguentorum tuorum, audientes, quod non spernas peccatorem poenitentem. Non enim horruisti latronem sero poenitentem, non lacrimantem peccatricem.* (G) Circa secundum de attractione quaestio occurrit: Unde congruebat, quod Christus hanc famosam peccatricem ad se attraheret, eiusque facti occasione discipulum ante electum, scilicet Iudam perire permetteret? Ratio quaestionis est, quia ut Beda alique doctores dicunt, cum Magdalena unguentum super caput Iesu fudisset pro refrigeratione, tunc Iudas indignatus dixit: *Ut quid perditio unguenti haec facta est, poterit enim venumdari plus quam CCC denariis, et dari pauperibus.* 12 Et ex hoc statuit Iudas vendere Christum XXX denariis, ut recuperaret, quos furari potuisset ex pretio unguenti, si fuisset venditum, quia decimam partem consueverat furari, triginta autem sunt decima CCC denariorum. Hinc Leo papa in sermone de passione: *Scio, qui dicit, quando Magdalena lupanar exivit, tunc discipulus Iudas gehennam intravit, pretium sanguinis Magistri postulans. Potuisset ergo primo sic obicere Iudas vel aliquis in eius persona et dicere: „Quibus est, Deus meus, quod sic mecum egisti, ego prior Christo adhaesi, ex duodecim electis apostolis unus fui. Haec autem mulier peccatrix filia fuit diaboli, ipsam attraxisti et salvasti, ego autem perii.” Sed ad hoc protinus sapientia Dei respondet dicens: „Scriptum est: Si averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in iniustitia sua, et omnes iustitiae, quas fecerat, non recordabuntur, Ezech. XVIII. 13 Iusto ergo iudicio tu, Iuda, periisti, quia iustitiam, quam ceperas, reliquisti.” Ibidem etiam scriptum est: Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet, et non morietur, 14 ergo iuste et digne Magdalенаe poenitenti misericordia Dei subvenit, quia poenituit et perseveravit. Secundo potuisset dicere Iudas: „Et mihi quoque misericordia Dei subvenire debebat, quia Filius Dei venit quaerere et salvum facere, quod perierat, Lucae XIX. 15” Ad quod sapientia Dei respondet: „Scriptum est Isa. LIX.: Ecce non est abbreviata, id est minorata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata auris eius, ut non*

*exaudiat, sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius, ne exaudiat”, 16 scilicet ad praestandam misericordiam. Haec ibi. Unde sicut dicit Cyprianus papa de consecratione dist. IV. „Nec quemquam”: Sicut sol super omnes pari et aequali luce diffunditur, et dies omnibus aequaliter nascitur, sic Christus in Ecclesia sol et dies verus pari aequalitate lumen gratiae et vitae largitur omnibus, scilicet quantum ex se, nisi homo ponat obicem peccato suo, sicut fecit Iudas, ergo etc. Cum ergo tu, Iuda, peccaveras, omnia peccata per poenitentiam Christus tibi remisit, sed tu ingratus eius beneficiis peccata tua aggravasti Christum tradendo et tandem desperando et te occidendo. Ex te ergo perditio tua. Magdalena vero grata perseveravit in Christi amore et poenitentia, ergo etc. Tertio adhuc potuisset dicere: „In hoc – inquit – mihi iniuria facta est, quia me peccantem vel recidivantem desperare, scilicet permisit et perire, cum tamen Petrum ter cum anathematizatione etiam eum negantem et Thomam dubitantem revocavit, et Magdalenam peccatis universis plenam desperare non permisit.” Ad quod sapientia Dei respondet: „Scriptum est per Ps.: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis*” 17, ergo et hoc iuste fecit, quoniam et Iudam Christus multipliciter revocare voluit per pietatem eius peccatum traditionis praedicando, pedes lavando et osculando, sed ille obduratus permansit, sicut heu multi peccatores faciunt. (H) Unde pro responsione ad quaesitum nota secundum doctores super I. dist. XLI., et praecipue Alexander de Hales II. parte Summae q. XXIII. tres veritates. Prima, quae causa indurationis et periclitationis in peccato est principaliter ex ipso libero arbitrio hominis impedimentum gratiae praestante, quia Deus omnibus paratus est gratiam dare, dummodo homo velit suscipere, ut patuit supra in exemplo per Cyprianum. Ideo Oseae XIII.: *Perditio tua ex te, o Israel, ex me autem auxilium tuum.* 18 Et ideo nullus peccator, sicut nec Iudas excusatur, quia voluntarie se perdit. Secunda veritas, quod liberationis a peccato vel attractionis ad Deum principalis causa est divinae voluntatis complacentia et benignitatis abundantia. Ideo Ro. IX.: *Cuius vult, Deus miseretur.* 19 Lyra: dando ei gratiam et finaliter gloriam, et hoc convenit Deo per se et principaliter. Et quem vult, indurat, non immittendo quidem malitiam, sed permittendo indurari per ipsius hominis malitiam, ut Ambrosius dicit in Glossa. Et hoc convenit Deo per accidens et iuste, ut dicit Lyra, quia iustum est, ut homo permittatur libere uti arbitrio suo. Tertia veritas, quod ad misericordiam et gratiam Dei assequenda requiritur liberi arbitrii cooperatio, quoniam ut ait Augustinus super Ioh.: *Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te.* Unde de poenitentia dist. II. § „Cui”: *Cur Deus hominem condidit liberi arbitrii, ut non trahatur ad vitia invitus, vel etiam ad praemia.* Ideo secundum Richardum et Augustinum: *Gratia se habet ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum, nam licet pungat eum calcaribus, tamen si non vult ire equus, cadit sub ipso. Sic homo si non vult liberum arbitrium conformare Deo consentiendo, potest manere in peccato et perire.* Si autem consentiat inspirationi divinae, sicut Magdalena, liberabitur. (I) Circa tertium de exemplari instructione, scilicet miserationis divinae sit pro conclusione, quod pius Iesus voluit docere in exemplo Magdalena, qualiter soleat scilicet peccatores misericorditer convertere. Et declaratur: nam Magdalena conversa est ad Christum praecipue per tria. Primo per faciem Christi splendorem. Hieronymus super Matth.: *Certe fulgor ipse et maiestas divinitatis, qui in humana facie Christi relucebat, ex primo ad se videntes poterat trahere aspectu peccatores, quos volebat. Si enim in magnete lapide haec virtus esse dicitur, ut festucas et anulos sibi copulet ferreos, quanto magis Dominus omnium poterat peccatores ad se trahere.* Haec ille. Hoc modo Christus multos convertit illuminando corda eorum ad recognoscendum peccata et eorum pericula damnationis, ac Christi pietatem promittentem veniam poenitentibus. Secundo conversa est Magdalena per divinam inspirationem, quia dicit Gregorius in homilia: *Quid miramur, fratres, Mariam venientem ad Dominum susipientem? Susipientem dicam, an trahentem? Dicam melius trahentem et susipientem, quia nimirum ipse eam per misericordiam intus traxit, qui per mansuetudinem foris suscepit.* Haec ille. Ad quod narratur insuper secundum fratrem Iohannem Gritsch in suo sermone, quod *cum Magdalena audisset plura de Domino Iesu bona a Martha et Marcilla, eius ancilla, et suggereretur in eius corde, ut accederet ad Christi praedicationem, ecce quadam nocte dormienti sibi apparuit quaedam virgo pulcherrima in ulnis puerum speciosissimum baiulans, quae ait illi: „Visne, Magdalena, hunc ditissimum super omnes et pulcherrimum habere tibi in sponsum?” Et Magdalena accensa eius amore mirae pulchritudinis respondit: „Volo.” Et domina: „Non poteris habere, nisi vitam tuam in melius mutes, et quod praedicat Iesus, sequaris.” Evigilans mane ad praedicationem Iesu mox cucurrit.* Sic multos Christus convertit in anima movendo. (K) Tertio conversa est Magdalena per verbi Dei praedicationem, et sic innumerabiles Christus convertit peccatores per verbi Dei auditionem in praedicatione. Heb. IV.: *Vivus est sermo Dei et efficax* etc. 20 Nimirum cum Magdalena venisset ad praedicationem Iesu, coepit mox Dominus suae faciei splendore illius cor commovere in admirationem. Coepit et sermonem taliter formare, ut cor illius molliret ad poenitentiam. Ausculta, o anima Christiana, haec, quia et tibi spiritualiter talia loquitur Christus in corde tuo dicens: „O anima peccatrix, cuius amore descendi de caelis, factus sum homo, ut liberarem te ab inferis. Cur ergo me, Deum tuum contemnens, et mundum, carnem ac diabolum in perditionem tui sequeris? O infelix et misera anima, cur tui non misereris, cur tanto studio diabolo deserviens aeterno igni tradis teipsam, nec advertis, o stulta, quia in morte vermes et putredinem hereditabis, et pro momentanea delectatione aeterna tormenta sustinebis. O immunda anima, recognosce te et tua pericula, quam ineffabilia bona caelestia amittis pro his caducis voluptatibus carnis, quantos cruciatus incurris, quantum luctum perpetuae mortis tibi adquiris. O anima dilecta, *revertere nunc Sulamitis, revertere* a peccatis. 21 En omnia peccata tibi poenitenti remitto. O pretiosa anima, noli te perdere. En dulciter te invito, ulcisci dissimulo, te in gratiam suscipio, et caelestis gloria remunerabo.” Tunc Magdalena compuncta coepit flere, et domum suam reversa proicit a se omnia vanitatis ornamenta, plorans quoque dicit talia: „Heu me miseram, heu me perditam, heu me diaboli filiam, peccavi super numerum arenae maris. Et nunc, Deus meus, quid faciam? Audivi, quia Christus, Dei Filius fecit misericordiam Matthaео, Zachaeo et aliis multis publicanis, spero, quod et mei peccatricis miserebitur. Sed quid illi offeram pro devotione, scio, quia pedibus nudis incedit, quos asperitas petrosae viae plurimum laniavit et fatigavit. Offeram ergo illi pretiosum unguentum doloris lenitivum.” Et surgens cum fletu ac interrogans didicit Christum in domo Pharisaei recubuisse, et ingressa domum accessit retro secus pedes Domini Iesu coepit lacrimis rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et*



osculabatur et unguento ungebat, taliter in corde suo dicens: „O Iesu Christe dulcissime, o salus animarum, propitius esto mihi peccatrici. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, sana animam meam, quia peccavi tibi etc.” Tunc piissimus Iesus ait ei: „Remittuntur tibi peccata tua etc.” Ut claret in evangelio. O ergo et tu, peccator homo, accede ad pedes Iesu, deplora peccata tua vere poenitendo, osculare devote orando, unge contritionis unguento, exerge capillis satisfaciendo, et sic Christus dicit tibi, sicut et Magdalena: *Remittuntur tibi peccata tua*. Quod nobis ipsius Magdalena meritis praestare dignetur Christus, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

---

1 Ier 31,3 2 Rm 8,28 3 Dt 23,17 4 Ps 31,9 5 Mt 18,7 6 Ioh 8,11 7 Rm 8,35 8 Ioh 11,5 9 Ez 18,21-22 10 Ez 18,32 11 Lc 23,28 12 Mc 14,4-5 13 Ez 18,24 14 Ez 18,21 15 Lc 19,10 16 Is 59,1-2 17 Ps 144,17 18 Os 13,9 19 Rm 9,18 20 Hbr 4,12 21 Ct 6,12

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXX.] De sancta Magdalena Sermo III., scilicet de beneficiis divinae pietatis sibi collatis *Glorificabo nomen tuum, Domine, in aeternum, quia misericordia tua magna est super me, eruisti animam meam ex inferno*. Ps. LXXXV. 1 (A) Haec verba optime potuit dicere Magdalena gratias agens Deo pro sua liberatione a peccatis damnabilibus, et nos ergo docemur, ut eius ac Psalmistae exemplo gratias agamus Deo pro beneficio revocationis a peccatis et verae poenitentiae. Nam ut Cassiodorus super Ps. ait: *Nimis improbum constat esse delictum beneficiis Dei gratias non referre*. Ideoque Anselmus in oratione dicit: *Laudes et gratias tibi ago, Domine, quod me immeritum praeveniendo benigne desiderium tui mihi inspirasti, quod tua bonitas me creavit, quod tua misericordia creatum a peccato originali mundavit, quod tua patientia post baptismum in aliis peccatorum sordibus involutum hactenus toleravit, nutrit et exspectavit meam correctionem ad poenitentiam*. Sic etiam Sapiens Ecc. LI. gratias agens ait: *Confitebor tibi, Domine, rex, et collaudabo te verum salvatorem meum, liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui*, 2 quod potest esse aliud thema pro sermone. Itaque Magdalena potest dicere verba praescripta: *Glorificabo etc.* Iuxta quae tria mysteria notemus, secundum quod de tribus beneficiis Magdalena praestitis ipsa gratias agit in ipsis verbis. · Primo de beneficio permaximae miserationis, ibi: *misericordia tua magna super me* · Secundo de beneficio piissimae liberationis, ibi: *eruisti ex inferno etc.* · Tertio de beneficio gratissimae acceptationis, ibi: *animam meam* scilicet acceptando (B) Circa primum de magnitudine misericordiae divinae erga Magdalenam et in eius exemplo erga omnes peccatores. Quaeritur, unde probatur maximum beneficium Dei in conversione peccatorum, et praecipue in Magdalena revocatione. Respondetur secundum doctores, quod potissime ex triplici ratione. Primo ratione iustificationis. Secundo ratione contrariationis. Tertio ratione gratiae infusionis. Primo ratione iustificationis, quia ut Augustinus super illud Ioh. XIV. „Maiora horum faciet” 3 dicit: *Maius est unum iustificare impium, quam de nihilo creasse mundum*, ergo magnum est beneficium. Si petas, quia hoc iudicatur maius, respondetur secundum doctores: Primo quia in creando mundum Deus nullum requisivit adiutorium. *Dixit enim, et facta sunt, mandavit, et creata sunt*, ut ait Ps. 4 Sed in iustificando impium Deus requirit adiutorium, scilicet liberi arbitrii hominis consensum, propter quod I. Cor. III. Apostolus ait: *Dei adiutores sumus*, 5 scilicet per liberum arbitrium consentiendo Deum. Nam ut dicit Augustinus in Glossa Phil. III.: *Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te*. O ergo homo, consenti divinae inspirationi, si vis iustificari. Secundo quia in creando mundum Deus nullum laborem habuit, sed ipse mandavit, et qui voluit, fecit. Sed pro iustificatione impiorum Deum incarnari oportuit, et usque ad sudores laborare, esurire, sitire, insuper et verbera ac mortem acerbissimam pati et sanguinem fundere, ut ex meritis suae passionis deleantur hominum peccata in poenitentia. Patet ergo, quod Deus maximum beneficium misericorditer impendit homini, cum ipsum a peccatis convertit ad poenitentiam, et per consequens maximas gratias ei homo pro hoc tenetur, plus quam si a morte corporali suscitasset, et plus quam caelum et terram pro te crearet ac innumerabiles angelos. Hinc Augustinus super Ioh. ubi supra dicit sic: *Iudicet, qui potest, utrum maius sit iustos angelos creare, quam impios iustificare, certe et si aequaliter utrumque Deo est possibile, hoc est maioris misericordiae*. Haec ille. O homo, nonne si quis te de faucibus draconis erueret et salvaret, illi gratias ageres, et eius offensum caveres, quanto magis cum Christus te a peccatis eruit, per quae Infernum demeruisti. Sic fecit Magdalena, ergo etc. (C) Secundo ratione contrariationis, quia quanto quis est in statu contrario gratiae et miserationis divinae, tanto si illi Deus beneficium praestitit misericordiae, reputatur maius propter illius indignitatem, sicut si quis benefacit inimico, maius est propter illius indignitatem et contrarietatem, quam si benefacit amico. Unde misericordia exhibita peccatori maioris est gratiae. Nam Ro. VI.: *Stipendia peccati mors, gratia Dei vita aeterna in Christo Iesu*, 6 ergo stipendia peccati maioris maior mors, et gratia tali praestita maior per regulam Topicam: *Sicut simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis*. Hinc etiam Ro. V.: *Ubi superabundavit delictum, superabundat et gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, Lyra: id est potestatem habuit deiciendi in aeternam mortem, ita et gratia regnet per iustitiam*, 7 scilicet ducendo in vitam aeternam. Ad propositum ergo, ex quo Magdalena fuit in statu maxime contrario gratiae Dei, quoniam fuit assueta in peccato carnali et famosa et obcaecata adeo, ut non curaret nobilitatem generis et famae perdere et Deum offendere ac animas illaqueando scandalizare. Dicit namque Gregorius, quod peccata carnalia sunt maioris inquinamenti, scilicet quia non solam animam, sed et corpus inquinant, et sunt maioris infamiae et fortioris adhaerentiae atque durioris obcaecationis. Idcirco sunt magis contraria gratiae divinae, et per consequens misericordia magna Dei claret, cum talem revocaverit ad poenitentiam, sic in proposito. (D) Sed quaeri potest hic, utrum gravius demeretur puniri in Inferno vir pro luxuria vitio, quam femina ceteris paribus, vel econverso, ac consequenter cui eorum in convertendo fit maior misericordia a Deo, cum liberantur a tali graviore poena et peccato. Ratio namque una dicit, quod vir gravius peccat, et puniri demeretur amplius eo, quod plus habet de bono rationis et prudentiae, per quod magis potest et

tenetur cavere peccatum. Alia autem ratio dicit in contrarium, quia adulterium mulieris magis laedit sacramentum matrimonii, inquantum non solum violat fidem et sacramentum, sed etiam causat prolis incertitudinem, ut patet. Ad haec respondetur secundum Richardum super IV. dist. XXXV. ar. I. q. IV. aliosque per plura scilicet puncta. Primum punctum, quod simplex fornicatio gravius peccatum est viro, quam mulieri ceteris paribus, eo quod vir plus viget usu rationis, quo efficacius potest frenari concupiscentia, mulier autem est magis fragilis, unde pro simplici fornicatione plus punitur vir in Inferno, quam mulier, et cum tales Deus convertit, maiorem misericordiam facit viro, ut sic. Proinde Augustinus XXXII. q. VI. „Indignatur” dicit, quod *tanto gravius puniri oportet virum, quanto magis ad eum pertinet et virtute, scilicet rationis, vincere, et exemplo regere feminas*. Haec ille. Secundum punctum est, quod adulterium omnibus pensatis gravius peccatum est in muliere, quam in viro, quia magis laedit sacramentum matrimonii, eo quod causat prolis incertitudinem, et magis confunditur vir per adulterium mulieris, quam econverso. Et haec simpliciter loquendo praeponderant in peccato mulieris adulterae, ut dicit etiam Holkot super li. Sapientiae. Tertium punctum est, quod quoad bonum fidei, quo uterque alteri obligatur aequaliter, uterque aequaliter peccat. Unde quilibet coniugum potest alterum accusare et dimittere propter adulterium. Unde Innocentius papa, ut allegatur in IV. Sententiarum dist. XXXV. c. I., dicit: *Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat*. O ergo Iesu bone, da gratiam tuam et viris, et mulieribus ad continendum, ne damnentur. O pie Iesu, fac misericordiam peccatoribus, sicut Magdalенаe fecisti. Tertio ratione gratificationis magna fuit misericordia Dei in Magdalena, quia mox in Christo, principio conversionis suae maximam gratiam Spiritus Sancti Christus infudit illi, ut multum diligeret Christum, unde dicit Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Lu. VII. 8 In charitate autem quantitas uniuscuiusque animae sanctae consistit, ut quae magnam habet charitatem, magna sit, et quae parvam, parva, prout dicit Bernardus super Cantica sermone XXVIII.: *Sequitur ergo, quod ipsa maximae sanctitatis gratiam tunc adeptam est, in qua mirabiliter crevit adeo, ut mereretur per XXX annos singulis diebus septies ab angelis in aethera levare et caelesti cibo per totum illud tempus refici, nec terreno alimento indigere*. O mirabilis gratia Dei de tali peccatrice tam sanctam facere. O Iesu dulcissime, quam magna est misericordia tua, tibi laus et gloria. (E) Circa secundum principale de piissima liberatione scilicet Magdalенаe per Christum sit pro conclusione dictum Bernardi et Augustini dicentium sic: *O quanta vis est in lacrimis poenitentis, abluunt culpam, extinguunt gehennam, restituunt ablata, et ascendunt ad caelos aperiendo caelestem ianuam*. Et claret haec in exemplo Magdalенаe, quam piissimus Iesus per lacrimas poenitentiae liberavit ab hoc triplici malo restituendo caelo: · Primo a carnali culpa · Secundo a gehennali ruina · Tertio a mundiali infamia Primo quidem liberavit a carnali culpa, quia cum carnalibus esset et omnibus peccatis plena, lacrimosam est per poenitentiam liberata et abluta, sic quod de cetero numquam peccaverit, quod est mirum, cum tamen peccata Magdalенаe antea essent magna, consuetudinaria et publica in civitate secundum evangelium. (F) Quaeritur hic: Utrum Magdalena peccaverit in carnalitate sola voluntate pravae concupiscentiae, aut etiam opere. Ad hoc tres sunt modi dicendi. Primo fuerunt quidam doctores, ut Chrysostomus et Origenes dicentes, quod Magdalena sola mente fuerit corrupta, sed carne praeservata est virgo. Unde et quidam famosus doctor comparat eam Paulo dicens, quod sicut Paulus propter nimiam superbiam castus permansit, sic etiam Magdalena, cui ex superbia nemo complacuit, et ad id habent rationes plures, quarum una est, quia non est probabile – inquit – quod talis peccatrix cum Christo et matre eius mundissima habuisset tantam familiaritatem, si fuisset publica peccatrix opere. Alia ratio, quia pepulata fuisse non legitur, nam et Christo capillis tersit pedes, non peplo, ergo videtur, quod virginali habitu, capite non pepulato inceserit. Tertia, quia Iudaei ipsam magis honorabant, quam Martham, sororem eius virginem. Nam et sanctae mulieres cum ea, non cum Martha leguntur visitasse sepulchrum Christi. Quarta, quia ipsa fuit prima nuncia et testis resurrectionis Christi, sed infames repelluntur ut indigni a testimonio, III. q. IV. „Nulli” et q. V. „Omnes”, extra de testi. et attestat. c. „Testimonium”. Ex quibus videtur, quod ipsa non fuerit talis. Sed quoniam contra istos est auctoritas Ecclesiae, quae in festo eius non facit officium virginum, cum tamen secundum omnes doctores mentalis virginitas recuperetur per poenitentiam, ideo non tenetur haec opinio ab Ecclesia. Et ratio potissima, quia Scriptura Ecclesiae canonica nominat ipsam peccatricem in civitate notam, Lu. VII. 9 Ecclesia autem aliquem ex sola voluntate et eius occultis peccatis iudicare vel condemnare non debet, nec potest, sed de manifestis et opere perpetratis, quia peccatum, quod sola mente fit, a solo Deo punitur. Haec patent per Hieronymum XV. q. I. „Si quis non”. Ergo sequitur, quod evangelista de opere perpetratis peccatis Magdalенаe locutus fuerit, et non de mentalibus secretis. Secundo ergo fuerunt alii doctores dicentes, quod Magdalena fuit publica meretrix. Et hoc dicit Hieronymus ad Furiam et in prologo Oseae prophetae. Similiter Leo papa in sermone de passione Domini, qui incipit „Scio”, qui dicit sic: *Quando prostituta lupanar exivit, tunc discipulus gehennam intravit, quando illa mercedem sui corporis abdicabat, tunc iste pretium sanguinis Magistri sui postulabat*. Haec Leo papa. Sed sic dicere de Magdalena foret maxime durum, quod tam nobilis et dives pro pretio se prostituerit, et loca lupanaria inhabitaverit. Et ratio maxime facit praecepti illius Deut. XXIII. dicentis: *Non sit meretrix de filiabus Israel*. 10 Item quia cum ipsa Christo adhaesit post poenitentiam, Iudaei sibi non pepercissent, sicut nec Christo pepercerunt, sed legis damnationem ei intulissent, quae dicit tales lapidari debere, Deut. XXII. Non videtur ergo verisimile, quod ipsa fuerit talis meretrix publica. Sed doctores praedicti loquuntur per aggregationem de ea ubi supra ad denotandum, quod eius vita fuit multum dissoluta et lasciva et multum denotata fama eius, ut videretur quasi una ex prostitutis meretricibus, licet non esset talis in veritate. Tertius ergo dicendi modus est medium tenens, et est mitior ac verisimilior, videlicet quod ipsa non sit virgo, ut tenet communiter Ecclesia, nec fuerit publica meretrix, sed quod fuit in sua domo deliciis otioque vacans, vanisque ornatibus lasciviosis in crinibus, facie et vestibus ac conversatione cum iuvenibus tam dissoluta, ut fuerit infamata per civitatem quasi una ex meretricibus, et sic quod ipsa dicitur peccatrix in evangelio, et per doctores hoc intelligendum est secundum communem famam suspicionis, sed mitius est interpretandum, maxima tamen Dei clementia fuit, quod eam indignam a peccatis liberavit. (G) Secundo Christus pie liberavit per lacrimas poenitentiae Magdalenam a gehennali ruina eiciendo ab ea daemonia septem, ne periret, sed in caelesti regno magna fieret. Ideo Ambrosius li. praefa. dicit: *O felix poenitentia, quae ad se trahit Dei clementiam, et ligat eius*

omnipotentiam, et invenit coram Deo gratiam, exstinguens scilicet gehennae flammam. Augustinus: *Flammam poenarum exstinguit unda lacrimarum*. Quaeri potest: Quae sunt occasiones vel causae gravis ruinae in muliere? Ad quod respondetur secundum doctores, quod praecipue tres sunt, quae et Magdalenam fecerunt in peccata ruere. Primum est pulchritudo seu formositas. Theophrastus: *Mulier pulchra cito adamatur, difficile est custodire, quam multi amant habere*. Heu quam multae mulieres sunt, quae suam pulchritudinem ornatu vano ampliant, sicut fecit et Magdalena, et tales dignae sunt profundissima gehenna, ruentes in multa vitia, et perdentes animas hominum in concupiscentia. Unde Matth. XVIII.: *Vae illi, per quem scandalum venit, expedit, ut suspendatur in collo eius mola asinaria, et demergatur in profundum* etc. 11 Hieronymus ad Furiam: *Ornatus iste mulierum non Domini est velamen, sed Antichristi, lingua personat castitatem, et totum corpus ornatum praefert impudiciam*. Idem: *Hae non filiae regis Christi, sed regis Tyri, id est diaboli, quae vultu et capiunt animas, et capiuntur*. Haec ille. Secunda occasio ruinae gravis in muliere est ubertas, qua satisfaciunt corpori in deliciis comedendo, bibendo, dormiendo, labores fugiendo. I. Ti. V.: *Quae in deliciis est, vivens mortua est*. 12 Bernardus: *Periclitatur castitas in deliciis*. Patet hoc in Magdalena. Tertia est libertas, propter quod Eccli. XLII.: *Super mulierem nequam* – Lyra: id est lascivam – *bonum est signum, id est clausura vel custodia, ne evagetur, super filiam constitue custodiam ne quando faciat te venire in opprobrium inimicis* etc. 13 Magdalena libertatem habuit, et sic multipliciter ruit in peccata et gehennam, sed Christus liberavit. (H) Tertio Christus liberavit Magdalenam per lacrimas poenitentiae eius a mundiali infamia, melioris multo nominis praestans sibi famam, ut videlicet diceretur amica et hospita Christi dilecta, eiusque sanctitatis et devotionis fama per orbem diffusa, ubique commendaretur, iuxta quod Salvator ait Matth. XXVI.: *Amen dico vobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium, in toto mundo dicetur et quod haec fecit in memoriam eius*. 14 O sancta poenitentia, o beatae lacrimae, quae delent culpam, exstinguunt gehennam, restituunt perditam famam, ut haec dicit Augustinus. Quaeri potest, quae sunt remedia valentia mulieribus pro animae et famae custodia et honesta vita. Ad hoc respondet Augustinus li. de decem chordis, quod primum est timor Dei, secundum est verecundia, qua pertimescit perdere famam et veretur agere inhonesta, tertium est timor poenae legis peccatrices punientis, quartum est societatis malae declinatio et cautio. Haec secundum Augustinum. Ista quidem defuerunt in Magdalena, et ideo fuit valde infamata, et quod peius, fuit Dei inimica et beatis angelis odiosa ac diaboli filia. O Magdalena, quam vilis fuit in illo statu conditio tua. O quam infelix et misera peccatorum virorum et peccatricum mulierum vita, manere in damnationis ruina. O felicissima poenitentia, qua abluitur anima, restituitur gratia et caelestis gloria. (I) Circa tertium de grata acceptance sit pro conclusione illud Gregorii in homilia dicentis, quod *Magdalena quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta, scilicet Christo grata, ut totum serviret Deo in poenitentia, quidquid Deum offenderat in culpa*. Haec ille. Et hoc declaratur breviter. Nam Magdalena multum grata sacrificia seu holocausta sacrificavit Christo Iesu tripliciter: · Primo ex anima vel corde · Secundo ex corpore · Tertio ex toto tempore vitae Primo ex anima, quam sacrificavit cremando triplici incendio, scilicet dolorosae contritionis adeo, ut omnia crimina eius cremarentur et consumerentur. Heb. X.: *Deus noster ignis consumens est, 15 scilicet criminum*. Gregorius: *Incendit plene peccati rubiginem, qui ardet valide per amoris ignem*. Secundo sacrificavit animam incendio amoris, quoniam dilexit multum. Tertio incendio desiderii et devotionis, quia ardebat desiderio Christi, quo omnem erubescenciam vicit, et inter epulos lacrimas obtulit, ut ait Gregorius. Secundo ex corpore Magdalena gratissima holocausta sacrificavit Christo per singula membra. Primo namque capillos Christo sacrificavit eis pedes Christi extergendo. Secundo oculos lacrimas abundanter fundendo, ut lavaret pedes Christi. Tertio faciem, pudoris ruborem pro peccatis humiliter suscipiendo, unde Augustinus: *Erubescencia maxima pars est satisfactionis, per vos peccastis, per vos ergo erubescatis*, scilicet in confessione. Quarto sacrificavit aures verba Christi audiendo studiosissime. Quinto os et nares in pedum Christi devota osculatione. Sexto manus in unguendo et amplexando pedes Christi. Septimo totum corpus humiliter prosternendo et Christum adorando. Octavo totum sanguinem in abstinentia et castitate de cetero vivendo. Nono totum cor effundendo per devotam orationem pro venia. Ut enim Augustinus in sermone: *Quamvis sermonem non promebat, tacita tamen loquebatur corde talia forte verba: O Iesu bone, o spes unica salutis meae, miserere mei, ego sum illa infelix ingrataque peccatrix, quae te multipliciter offendi, quae multas animas illaqueando perdi, ego sum filia diaboli, quae te Deum contempsi. Heu me miseram, heu me infelicem et inique agentem, sed tu misericors indulge mihi, ecce pedes tuos osculor, qui venisti peccatores salvare. Scio, quia non despicias cor contritum et humiliatum secundum Scripturas, o dulcis Iesu, o benedice Fili Dei, te lacrimose deprecor, sana animam meam, quia peccavi tibi, miserere mihi peccatrici, parata sum de cetero cavere, et oboediendo praeceptis tuis obtemperare*. Talia quam plurima versabantur in corde Magdaleneae. O et tu peccator, o peccatrix, fac similiter, et vives. Tertio ex toto tempore vitae Magdalena se Christo sacrificavit in omni perfectione sanctitatis perseverando et crescendo mirabiliter in Dei gratia et caelesti contemplatione adeo, quod sibi angeli ministrarent quotidie ipsam in aethera elevando septies, et cibo divinae dulcedinis reficiendo. Tandem quoque portando ad communionem Eucharistiae et spiritum in caelum deducens, ut patet ex legenda. Ex quibus omnibus claret, quam grata, quam accepta sit Deo sacra poenitentia, quae non solum tollit crimina, sed et exaltat in gloria. O benedice Deus, o Pater misericordiarum, o praedulcissime Iesu, ecce ostendisti, quoniam scilicet immensa est charitas tua erga poenitentes. Te ergo flentes rogamus, ut per beatae Magdaleneae merita des nobis gratiam et gloriam.

---

1 Ps 85,12-13 2 Sir 51,1-4 3 Ioh 14,12 4 Ps 32,9; 148,5 5 I Cor 3,9 6 Rm 6,23 7 Rm 5,20-21 8 Lc 7,47 9 Lc 7,37 10 Dt 23,17 11 Mt 18,6-7 12 I Tim 5,6 13 Sir 42,6-11 14 Mt 26,13 15 Hbr 12,29





[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXXI.] De sancta Maria Magdalena Sermo IV., scilicet de eius privilegiis *Revertere, revertere, Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*. Can. VI. ca. 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Haec verba dicit Deus in persona Magdalенаe cuilibet peccatrici animae revocando eam a peccatis ad poenitentiam. Nam secundum Hieronymum in interpretationibus Hebraicorum nominum Sulamitis interpretatur misera et captiva, mortificans vel mortificata. Talis per omnia est anima peccatrix. Nam misera est, quia a summo bono, scilicet Deo aliena et infernali supplicio digna. Ps.: *Convertentur peccatores in Infernum omnes gentes, quae obliviscuntur Deum*. 2 Item et captiva, scilicet quia est sub potestate diabolica ligata. Prover. V.: *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur*. 3 Denique est mortificans, Sap. XVI.: *Homo per malitiam occidit animam suam*, 4 et sic est etiam mortificata spiritualiter, quia a vera vita, quae est Deus, privata et separata. Misericors ergo Deus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus revocans animam quamlibet a statu peccatorum, sicut revocavit Magdalenam, dicit sic: *Revertere, revertere, Sulamitis*, id est anima peccatrix. Quater dicit 'revertere', quod dicit iuxta praedictas interpretationes: Revertere a miseria peccati ad sanctam et virtuosam poenitentiam. Revertere a captivitate diaboli in libertatem filiorum Dei, o Sulamitis, id est anima peccatrix. Revertere a damnabili inimicitia, qua animam occidis, ad Dei gratiam. Revertere a morte ad vitam, ut intueamur te, scilicet per gratuitum amorem. Augustinus: *Ubi amor, ibi oculus*. Deus ergo Pater et Filius et Spiritus Sanctus amanter intuentur animam poenitentem et a peccatis reverti curantem, sicut patet in exemplo Magdalенаe. Ad ipsius ergo honorem verba praemissa accipiuntur pro sermone. Iuxta quae verba tria mysteria accipiamus, secundum quod triplici privilegio amando intuitus est Deus Magdalenam. Primo in sua poenitentia. Secunda in sancta vita. Tertio in caelesti gloria. Dicit ergo Deus illi: *Revertere, revertere, Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*. · Primo in sacra poenitentia · Secundo in sancta vita · Tertio in superna patria (B) Circa primum sit pro conclusione, quod piissimus Deus magnorum privilegiorum gratia dilexit Magdalenam in sua poenitentia. · Primum privilegium poenitentialis perfectionis · Secundum exemplaris electionis · Tertium familiaris susceptionis · Quartum certitudinalis securationis Primum est, inquam, privilegium poenitentialis perfectionis, quia ipsa egit de omnibus peccatis congruam perfectamque poenitentiam, quod valde paucorum sanctorum est. Iuxta illud Ambrosii libro de unica poenitentia, et notatur de poenitentia dist. III. „Reperiuntur”, ubi dicit sic: *Ego facilius – inquit – inveni, qui recte servaverit innocentiam, quam qui congrue egerit poenitentiam*. Haec ille. Sed servasse innocentiam paucissimorum est. Quia ut ait Augustinus XII. De civitate Dei: *Paucissimi sunt tantae felicitatis, ut ab ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata commiserunt*. Haec ille. Sequitur ergo, quod congruam poenitentiam egisse vel agere est magnum Dei donum et rarum privilegium. Queri potest, quare tam mirabiliter loquatur Ambrosius, cum multi inveniantur in fine poenitentes resplenduisse, et pauci inveniantur ante finem vitae sine mortali, ar. L. dist. „Quia tua”. Haec quaestio movetur in glossa ibidem super verbo „Facilius”, et respondet ibi Glossa, quod hoc dictum Ambrosii intelligendum est de virginali integritate carnis, quod dicit: *facilius invenio, qui servit virginitatem, quam post corruptionem carnis servet continentiam, quia tunc facilius cadet (quia et fortius temptatur propter praehabitae delectationis experimentum)*. Proinde Boethius dicit, quod facilius est ad virtutem erigere novos, quam revocare veteres vel praeteritos. Item facilius de novo aliquid acquiritur, quam recuperetur amissum, ar. de poenitentia dist. I. § „Sunt, qui arbitrantur” in glossa super verbo „Congrue”. Item potest etiam dictum Ambrosii intelligi de poenitentia perfectissima, quae non solum delet peccata, sed etiam peccandi affectionem, quam non habere difficillimum est. Haec Glossa supradicta. Sed quoniam Magdalena sic poenitentiam perfectissimam tenuit, et omnimodam continentiam, idcirco perfectissimae poenitentiae privilegium habuit. (C) Pro quo notandum, quod perfecta poenitentia debet habere quattuor conditiones. Primo enim debet esse dolorosa, unde Bonaventura super IV. dicit, quod quicumque recogitat vel recolit peccatum mortale, per quod Deum offendit, tenetur dolore, quod si non facit, denuo peccat, quia voluntarie manet in inimicitia Dei, et negliget reconciliari Creatori suo, quem offendit. Ideo Augustinus de poenitentia dist. III. „Poenitentia” dicit sic: *Poenitere est poenam tenere, ut semper puniat in se, quod commisit peccando*. Glossa: *Puniat semper habitu, non actu*. Et capitulo sequenti dicit: *Semper doleat, et de dolore gaudeat, et non semper doluisse doleat, quia ubi dolor finitur, de venia nil relinquatur*. Haec ibi. Secundo debet esse pudorosa, scilicet in confessione. Augustinus: *Per vos peccastis, per vos erubescatis*. Erubescencia est maxima pars satisfactionis. Tertio debet esse operosa in satisfactione. Augustinus de poenitentia dist. III. circa principium dicit, quod qui veraciter poenitet malum, quod fecit, impunitum non sinit. Quarto debet esse amorosa in proposito firmatione, quod scilicet pro Dei amore dolens eius offensam numquam velit de cetero peccare. Isidorus De summo bono et de poenitentia dist. III.: *Irrisor est – inquit – et non poenitens, qui adhuc agit, quod poenitet. Nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus*. Haec ille. Sicut exemplum, si tu percussisti in maxillam aliquem, et dicis te dolere, quod fecisti, ac veniam petis, et tamen hoc idem iteras, derisio quaedam est. Sic in proposito beata Magdalena multum doluit peccata et deflevit abundantissime, et maximam erubescenciam sufferre voluit coram omnibus convivantibus. Opere etiam satisfecit, per quae peccaverat, scilicet per oculos lacrimando, per capillos satisfecit tergendo Christi pedes, per os osculando, per unguentum Christo offerendo laudabiliter, quod corpori suo antea exhibuerat culpabiliter. Denique de cetero omnem offensam perfectissime cavuit plena Christi charitate, ergo ipsa perfectae poenitentiae privilegium habuit. (D) Secundum privilegium exemplaris electionis, quia ipsa, scilicet Magdalena electa est in exemplum salutis et data poenitentibus, sicut Christi mater data est in exemplum virginibus et innocentibus. Nimirum duae erant viae eundi ad patriam. Una innocentia, altera poenitentia. Ideo Deus dedit hominibus in speculum et exemplum salutis duas Marias praefatas. Sed de ista duplici via solent quaestiones oriri inter homines. Prima quidem de honore, utrum Deus aequa dignitate honoret poenitentes, sicut innocentes sive virgines. Ad quod respondet Gregorius dist. L. „Quia tua” dicens, quod sicut Petrum post negationem poenitentia secuta lapsus ab apostolatu non expulit, sic et ad alia dignitatis officia restituit. Unde claret, quod Christus non minus honorat poenitentes, quam innocentes in aequali charitate existentes, et hoc quo ad praemium essenziale in caelo, secundum quod dicit Bonaventura super III. dist. XXXII. et Richardus super IV. dist., licet quoad praemium accidentalis aureolae, innocentes praeferantur. Unde hoc Christus in Magdalena

exemplariter edocuit, quando ipsam licet peccatricem famosam tamen post poenitentiam adeo honoravit, quod in societatem suae sanctissimae Virginis Matris admisit. (E) Secunda quaestio de istarum viarum gratuito amore, utrum Christus maiori gratia amet virginem, qui numquam peccavit, quam qui peccavit quidem, sed poenituit. Ad quod respondet Augustinus li. Contra Faustum dicens, quod *sicut agricolae plus placent agri, qui spinis magnis eradicatis centuplum proferunt, quam agri, qui nullas spinas habuerunt umquam, et tamen ad centenarium fructum numquam pervenerunt, sic Deo plus placent illi, qui poenitentes ferventius in charitate Dei crescunt, quam qui licet iusti sint, tamen minus fructificant, et minori in charitate sunt.* Hoc Christus exemplariter edocuit in Magdalenam, quam Christus etiam pluribus virginibus praetulit, maiorem gratiam et gloriam essentialem ipsi conferendo. (F) Tertia quaestio de poenitentiae valore. Nam possent dubitare mundani homines et dicere, quid valent lacrimae peccatoris, cum scriptum sit Ioh. IX.: *Scimus, quia Deus peccatores non exaudit* etc. 5 Ad quod respondet Hieronymus dicens: *Oratio Deum lenit, sed lacrima Deum cogit*, scilicet ad miserandum peccatori. Ideo subiungit: *O humilis lacrima, tuum est regnum, tua est potentia, tu vincis invincibilem, et ligas omnipotentem.* Ad idem Ambrosius dicit: *Ablue te lacrimis, lava te fletibus, si tu ipse fleveris, alius te non flebit, si Cain et Iudas virtutem lacrimarum scivissent, desperare non debuissent.* Bernardus etiam dicit: *Neque mundus diluvio periisset, si ad lacrimas confugisset. O quanta – inquit – vis est in lacrimis poenitentis, abluunt culpam, extinguunt gehennam, ascendunt ad caelos, descendunt ad abyssos, ignem infernalem extinguunt, caelos pulsant, Deo peccatorem reconciliant.* Haec ille. Haec omnia exemplariter Deus edocuit in Magdalena pro peccatoribus poenitentibus. Unde pro ipsa multum debent peccatores Deum laudare, et ad poenitentiam provocari. Et insuper mulieres debent Deo gratias magnas agere, quia earum sexus magna gloria est decoratus, principaliter ex matre Christi, et post eam ex Magdalena, quae est speculum salutis et exemplum poenitentiae verae toti mundo. (G) Tertium privilegium familiaris susceptionis. Nullum enim peccatorem poenitentem legimus tam familiariter susceptum a Christo, sicut Magdalenam, quam non solum admisit ad se venire, sed et ei pedes ad tangendum et ad unguendum atque tergendum et osculandum permisit. Gregorius in homilia: *Pensemus, fratres carissimi, quanta pietatis fuerit Dominus, qui mulierem peccatricem non solum ad se venire, mittere dignatus est, sed etiam ad tangendum et osculandum ei pedes tribuit.* Si quaeratur ergo, quia sic Christus voluit, respondetur, quod primo ut per talem pietatem provocaret omnes nos ad poenitentiam. Ideo Gregorius subdit: *Consideremus gratiam misericordiae Dei, et damnemus multitudinem reatus nostri.* Item Bernardus: *O tu peccator, exemplo peccatricis prosterne te ad pedes Iesu, osculare, o anima misera, ut desinas esse misera.* Secundo pro signo pacis inter Deum et poenitentem. Nam Christus legitur osculatus a quattuor. Primo a Virgine Matre pro signo intimi amoris, ut doceatur, quod qui intimo corde Deum diligunt, Deum osculari et ab eo reamari merentur. Prover. VIII.: *Ego diligentes me diligo.* 6 Secundo a Simeone pro signo devotionis ad significandum, quod devote orantes ad osculum recipiuntur a Christo et exaudiuntur. Lu. XI.: *Omnis, qui petit, accipit* etc. 7 Tertio a Magdalena, pro signo reconciliationis poenitentium, ut dictum est. Quarto a Iuda proditore ad significandum, quod recidivantes in peccata post poenitentiam quasi osculo tradunt Filium hominis, et ideo damnantur cum Iuda. Heb. VI.: *Rursum crucifigentes Christum in seipsis.* 8 (H) Quartum privilegium certitudinalis securationis, quia certificata est de tribus, de quibus alii homines communiter sunt incerti. Primo de plenaria peccatorum remissione, quia dixit Iesus: *Remittuntur ei peccata multa.* Lu. VII. 9 Si ergo quaeras: Cur Christus non iniunxit exteriorem aliquam poenitentiam Magdalenae, nisi hoc: *Vade, et amplius noli peccare.* 10 Respondetur, quia vidit eius contritionem esse tam fortem et perfectam, quod suffecit delere omnia, et plenariam meruit remissionem. O si modo aliqui tales essent. Secundo certificavit de Dei charitate, cum tamen *nescit homo, an odio vel amore dignus sit*, Eccs. IX., 11 sed Magdalenam dixit Christus multum dilexisse. Tertio de perseveratione et caelesti beatitudine, quando Christus dixit de ea: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea in aeternum*, Lucae X. 12 O ergo Iesu bone, quam mira tua gratia, quam laudabilis tua misericordia in Magdalena, tibi laus et gloria. (I) Circa secundum de aliis privilegiis in vita sancta sit pro conclusione, quod dulcissimum Iesus maximis privilegiis dilexit Magdalenam in vita sanctitatis, declaratur ex aliis quattuor privilegiis, continuando in ordine ad dicta. Quintum privilegium divinalis dilectionis, quia Magdalenam Christus specialiter dilexit, quod patet ex pluribus signis. Primo quia in societatem suae matris eam acceptavit. Secundo quia saepissime apud eam cum discipulis hospitari voluit. Tertio quia pro eius charitate plura miracula fecit. Nam eius fratrem, Lazarum quadriduanum defunctum resuscitavit. Item Martham, eius sororem a fluxu sanguinis liberavit secundum dictum Ambrosii. Item domicellam illius, Marcillam Spiritu Sancto inspiravit, ut diceret: *Beatus venter, qui te portavit* etc. 13 Quarto quia Magdalenam Christus ubique excusavit et eius advocatus ac defensor exstitit. Patet quia cum Simon eam in corde despiceret pro peccatis, Christus eam excusavit, quod dimissa sunt sibi, quia dilexit multum. Item Martha contra eam conquesta est de otiositate ad pedes Iesu sedentis et verbo Christi intendentis. Christus eam defendit et commendavit dicens: *Maria optimam partem elegit.* 14 Augustinus: *Non tu malam, scilicet in ministrando, sed illa meliorem in contemplando, quia contemplatio nobilior est vita activa.* Denique apud Iudam et discipulos improperantes de unguento dicentes, ut quid perditio haec unguenti facta, poterat enim venumdari et dari pauperibus, Christus multum commendavit et acceptavit eius opus dicens: *Bonum opus operata est in me*, Mat. XXVI. 15 Et sic patet, quod Christus eam dilexit. Sextum privilegium insignis illustrationis, quia Christus Magdalenam insigniter prae multis sanctis in vita sua reddidit illustrem. Primo quia post gloriosam matrem Virginem Mariam primo omnium apparuit Magdalenae post resurrectionem, quod fuit maximae gratiae. Secundo quia recedentibus aliis a monumento Domini ipsa prae ardore desiderii recedere non poterat, sicut et sub cruce cum Virgine Matre usque in finem steterat ad sepeliendum Christum, et sic Christus fecit eam prae discipulis communibus amicam per charitatem. Tertio quod maximum est, fecit Christus eam apostolorum apostolam, quando per ipsam primo omnium annunciavit illis suam resurrectionem. Denique quarto supra legem Scripturae Magdalenam ex omnibus mulieribus sanctis Christus fecit suum evangelistam. Nam secundum Apostolum I. Cor. XIV.: *Mulieres – inquit – in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui.* 16 Unde concilium Carthaginiense in Decretis dist. XXIII. c. „Mulier” (ait) *quamvis docta et sancta viros in conventu docere non praesumat*, glossa: hoc enim est

sacerdotale officii. Ad idem est Ambrosii XXXIII. q. V. „Mulierem”. Sed speciali privilegio Spiritus Sancti Magdalena in Marsiliam deveniens praedicavit et convertit Domino cooperante et sermonem miraculis et sequentibus signis confirmante, ut patet in legenda, sermone I. „G, H, I”. Et sic patet. Septimum privilegium caelestis consolationis, quia nulli legitur Deus tam diutinam et crebrem caelestem dulcedinem tam mirabiliter praestitisse in hoc mundo, sicut fecit Magdalенаe, quam triginta annis sine omni cibo et potu terreno degentem diebus singulis septies angelorum agmina dulci modulatione in aethera levaverunt et reportarunt, et sic in illa dulcedine caelesti satiata vixit, ut patet in legenda. Octavum privilegium transitus felicitis mortis. Nam gloriosissimis miraculis eius felix transitus illustratus est, quoniam Domino revelante diem obitus praecognovit, et episcopo nomine Maximino per quendam presbyterum denunciavit. Item die illo adveniente per angelorum agmina illuc in oratorium est portata, et in aere coram altari manibus angelorum stans sublevata Eucharistiae sacramentum sumpsit devotione multa. Item facie erat radiosa ut sol videntibus multis, et sic sumpta Eucharistia inter manus angelorum dulci amore obdormivit. Item corpus remansit odore suavi fragrans diebus septem. O quis audivit talia sancta nova. O mira Christi clementia in tali peccatrice anima. (K) Circa tertium de privilegiis, quae habet existens in patria sive post mortem, sit pro conclusione, quod gloriosus Christus Iesus sicut Magdalenam dotavit in vita magnis gratiis, sic et in patria, et Ecclesia glorificavit gloriosis privilegiis, quae continuando in ordine ad illa praecedentia. Declaratur ex aliis quattuor sequentibus privilegiis. Nonum quippe privilegium est praemialis coronationis. Quaeri namque potest, in quo choro angelorum Magdalena putetur fore in caelesti praemio coronata. Ad quod ex dictis Francisci de Mayronis et doctorum colligendo aliquas rationes respondetur, quod in supremo choro, scilicet inter Seraphim, primo quidem ratione ardentis amoris, Seraphim enim, ut ait Dionysius, ardentes amore interpretantur. Et Magdalena maximi amoris ardore claruit, ergo etc. Unde Gregorius in homilia supra illud „Accesserunt ad Iesum publicani etc.” dicit, quod *distinctae conversationes hominum singulorum ordinibus angelorum congruunt, et in eorum sortem per conversationis similitudinem deputantur*. Haec ille. Secundo ratione dignificationis, quia ipsa apostolorum apostola dicitur, et sic apostolica dignitate laureata. Sed secundum Dionysium apostolico statui in Ecclesia debetur summus chorus in patria tamquam viciniore Christo, ergo debetur Seraphim, qui in caelo viciniore est Deo. Et sic patet, quod Magdalena cum apostolis est in supremo choro propinquiore Christo et beatae matri eius. Decimum privilegium celebris honoris, quia per totum mundum ipsa in evangelio celebri memoria commendatur, iuxta quod Salvator praedixit Matth. XXVI.: *Ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium, dicetur*. 17 Et quod haec fecit in memoriam eius. Item tota Ecclesia universaliter festum eius celebrat. Undecimum efficacis salvationis. Ipsius enim merita sunt multum efficacia ad salutem invocantibus. Nam legitur, quod quidam peccator in schedula conscribens peccata sua et super altare beatae Magdalенаe ponens rogabat, ut sibi indulgentiam impetraret, et mox omnia peccata deleta invenit ex illa schedula. Item miles quidam singulis annis visitabat corpus beatae Magdalенаe, qui tandem in proelio occisus dum a parentibus feretro positus plangeretur piis querelis, opponebant Magdalенаe, cur suum devotum mori promississet sine confessione. Tunc subito defunctus surrexit et sacerdotem vocari praecepit. Cumque devote confessus fuisset, et viaticum recepisset, in pace quievit. Duodecimum privilegium deprecabilis intercessionis pro devotis suis etiam desperatis. Nam legitur in communi legenda, quod clericus quidam de Flandria Stephanus tam sceleratus, quod omnia flagitia exercens ea, quae salutis sunt, non solum non facere, sed nec audire volebat, pro devotione tamen beatae Magdalенаe festum eius colebat et vigiliam ieiunabat. Dum ergo tumultum eius visitasset, apparuit ei beata Magdalena inter duos angelos sustentata, et dixit: „Cur, Stephane, nulla compunctione moveris, ex quo enim devotionem in me habere coepisti, pro te Dominum semper instanter exoravi. Poenitere ergo, et ego te non deseram, donec Deo fueris reconciliatus.” Ille mox in se tantam gratiam infundi sensit, quod saeculo abrenunciando religionem intravit, et perfectissimae vitae fuit, ac tandem in eius morte visa est beata Magdalena cum angelis assistisse, et eius animam quasi candidam columbam cum laudibus in caelum sustulisse. O ergo amore Iesu, o admirabilis Deus, qui nos peccatores non spernis, sed poenitentes suscipis, ecce ostendisti pietatem tuam in Magdalena. O felicissima domina, o Christi amica, beata Magdalena, a te deprecamur pro dulci Iesu amore, impetra nobis veniam et gratiam in praesenti ac gloriam in futuro a Domino Iesu Christo, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

---

1 Ct 6,12 2 Ps 9,18 3 Prv 5,22 4 Sap 16,14 5 Ioh 9,31 6 Prv 8,17 7 Lc 11,10 8 Hbr 6,6 9 Lc 7,47 10 Ioh 8,11 11 Cf. Ecl 9,1 12 Lc 10,42 13 Lc 11,27 14 Lc 10,42 15 Mt 26,10 16 I Cor 13,34 17 Mt 26,13

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXXII.] De sancto Iacobo maiore De sancto Iacobo apostolo Sermo primus cum legenda *Erit sepulchrum eius gloriosum*. Isa. XI. 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Quamvis enim haec verba ad litteram scripta sint de sepulchro Christi, in quo Christus gloriose surrexit, tamen bene possunt dici etiam de sepulchro beati Iacobi apostoli, quod devotione fidelium visitantium per mundum rutilat gloria miraculorum multiplicium. Nam ut ait Augustinus li. I. De civitate Dei: *Non sunt contemnenda, quin potius honoranda corpora sanctorum in sepulchris, quia illis tamquam organis et vasis ad omnia bona opera usus est Spiritus Sanctus*. Sicut exempli gratia videmus, quod magno honore veneratur calix, in quo consecratur sanguis Christi, quamvis calix nil sentiat de Spiritu Sancto Christi, nec vivat ex eo. Multo magis ergo debent venerari corpora fidelium et sanctorum, in quibus vixerunt et operati sunt bona in Spiritu Sancto Christi. Unde beati Iacobi corpus et eius sepulchrum merito per totum mundum ab hominibus visitando honoratur, ubi Deus multiplicia miracula operando glorificatur in ipso sancto Iacobo. Bene itaque de eo dicitur: *Erit – inquit – sepulchrum eius gloriosum*. Iuxta quae verba ipse beatus Iacobus commendatur de tribus, de quibus agemus in hoc sermone: · Primo de sepulchri reverentia, ibi: *erit sepulchrum* · Secundo de privilegii gratia, quia dicitur: *sepulchrum eius*, scilicet sancti privilegiatum · Tertio de martyrii gloria, quia dicitur:



*gloriosum* (B) Circa primum de reverendo sepulchro beati Iacobi sufficiat breviter pro conclusione, quod beatus Iacobus speciali pro privilegio habet a Deo, scilicet quod eius sepulchrum visitatur reverenter prae ceteris sanctis a multo populo. At claret primo ex hoc, quod miraculose illuc eius corpus est a Iudaea translatum, et ibi tumulatum, ut in legenda eius dicitur infra. Secundo ex hoc, quod visitantes illud homines iuvat beatus Iacobus in vita et in morte et post mortem, ut multis miraculis monstratum est, de quibus in legenda. Tertio ex hoc, quod quicumque votum fecerit de visitando eius sepulchro, solus papa et non alius potest dispensare vel commutationem habere. Unde casus papalis est in voto dispensare vel commutare. Si petas, unde hoc habetur, respondetur secundum fratrem Angelum de Clavasio in suo 2 sermone sic dicit: *Quoad quattuor vota* – inquit – *solus papa dispensat, scilicet in voto sollemni religionis, in voto Hierosolymitano, in voto sancti Iacobi et in voto visitandi limina apostolorum Petri et Pauli. Et sic servatur in facto, licet nullo iure inveniat expressum, nisi de voto pro subsidio ipsius Terrae Sanctae, ut De voto et voti redemptione c. "Ex multa", et sic tenet consuetudo.* Haec ubi supra, et plura, quae ad hoc ibidem. Quarto declaratur conclusio ex hoc, quod sic voluit Christus Dominus complere petitionem matris ipsius, scilicet sancti Iacobi et Iohannis. Nam scribitur Matth. XX. et in evangelio recitatur hodierno: *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedei adorans et petens: „Dic – inquit –, ut hi duo filii mei sedeant, unus ad dextram tuam et alius ad sinistram tuam in regno tuo.”* 3 Hoc nimirum videtur Christus sic implese dupliciter. Primo quoad eorum corpora. Nam Iohannis corpus est in dextera collocatum, scilicet in caelo, quia in terris non est inventum eius corpus, sed putatur esse in caelo secundum Hieronymum et Franciscum de Mayronis, et communius doctores tenent: *Corpus vero beati Iacobi est ad sinistram Christi, quia in hoc mundo praecipue honoratur in sepulchro.* Dicit autem Gregorius in homilia Paschali, quod *per dexteram vita beata et per sinistram vita praesens significatur.* Iuxta illud Can. II.: *Laeva eius sub capite meo et dextera eius amplexabitur me.* 4 Voluit itaque Christus honorem dextrae Iohanni praebere, id est caelestem secundum eius corpus, et sinistralem honorem Iacobo, id est terrenum secundum corpus. Verumtamen quoad animam utrosque honorari voluit in dextera, id est in caelesti patria. Secundo hoc idem implevit Christus quoad mundum vel in praesenti terra, quia Iohannes iacet ex parte orientis, videlicet in Epheso, ubi sepulturam sibi parari iussit, licet de sepulchro illo putetur in caelum translatus. Sed Iacobus requiescit in parte occidentis in mundo. Et sic Iohannes est a dexteris et Iacobus a sinistris. Nam secundum Philosophum De caelo: *Dextrum mundi est oriens, unde incipit motus caeli, et occidens est sinistrum mundi.* Et sic patet, quod Christus beato Iacobo dedit pro speciali privilegio iuxta petitionem matris eorum, ut honoretur omnibus ad occidentalem mundi plagam in sepulchro prae ceteris. (C) Sed ut ad moralem aedificationem convertamus sermonem, notandum de sepulchro secundum Bonaventuram in sermone aliosque similiter, quod quadruplex hominum sepulchrum distinguitur in Scriptura Sacra: · Primum est criminale et detestandum · Secundum est materiale et memorandum · Tertium est infernale et formidandum · Quartum est supernale et desiderandum Primum est criminale et detestandum, quia est crimine plenum, de quo Ps.: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione et amaritu plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* 5 Quaeritur: Quare tales peccatores dicuntur sepulchrum vel assimilantur sepulchro? Respondetur secundum Glossam super Ps. et in originali allegatur, dicens sic: *Mortuae – inquit – animae corpus sepulchrum est, quia in Evangelio Dominus talibus dicit: Similes estis sepulchris dealbatis, quae foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.* Haec Glossa. Nam revera in talibus foetor vitiorum maior exhalat, quam in sepulchro. Ideo dicit Ps., quod *sepulchrum patens*, plus enim nocet foetor animae, quam corporis. Quia ut dicit Bernardus: *Pretiosior est anima omni corpore.* Unde quanto pretio carior, tanto damno est maior in foetore peccati. Denique quia tales foetent in gutture per gulam, ideo dicitur *guttur eorum*. Foetent in lingua per detractionem. Ideo dicitur in Ps.: *Linguis suis dolose agebant.* 6 Item foetent in labiis blasphemando Deum et proximos maledicendo ac discordiam seminando. Ideo dicitur: *Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione et amaritu etc.* Item potes quaerere: Quare Ps. ibi dicit *venenum aspidum* potius, quam aliorum serpentum. Respondetur, quod sicut refert Iacobus de Lausanna 7 in suis sermonibus: *Venenum aspidum est tale, quod facit hominem obdormire, et sic dormiens moritur, unde dolorem mortis non sentit.* Propter quod Cleopatra nolens mortis dolorem sentire bibit venenum aspidum, quae obdormiendo est mortua. Sic tales peccatores facit diabolus in peccatis dormire, ne sentiant dolorem peccati. Quia facit eos in ipsis iacere delectabiliter, et rari sunt, qui dolorem poenitentiae sentiant vere satisfaciendo et famam restituendo, quod tamen tenerentur, et sic moriuntur in eis aeterna morte. Unde Hieronymus: *Diffamare cave, nam revocare grave.* Patet ergo. Secundum sepulchrum est materiale et memorandum, de quo habemus omnes in die iudicii resurgere, iuxta illud Ezech. XXXVII.: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris, populus meus etc.* 8 Hoc sepulchrum est nobis semper memorandum. Nam ut dicit Augustinus: *Monumentum dicitur quasi 'monens mentem' ad recognoscendum nos fore morti debitos, et ponendos in sepulchro tam stricto, foetido et obscuro, ne superbiamus.* Unde Innocentius tertius dicit: *Heu fratres, attendite, qui paulo ante inclytus residebat in domo: ecce quam pauper iacet in tumulo. Et qui gloriosus incedebat in aula: ecce quam despectus iacet in tumba. Et qui vescebat deliciis in cenaculis: ecce nunc consumitur vermibus in sepulchro.* (D) Tertium est sepulchrum infernale, quod est multum et super omnia formidandum, quia ibi omnia, scilicet honores, divitiae et deliciae vertuntur in tormentum. De hoc Luc. XVI.: *Mortuus est dives et sepultus est in Inferno.* 9 O quanto consultius iste dives panes hordeaceos comedisset in mundo, quam ad talia supplicia et tantam penuriam venisset, ut in tormentis guttam aquae, quam iam plus quam mille annis desideravit, nec habere potest. De hoc etiam infernali sepulchro Ps. dicit: *Veniat mors super illos, scilicet malos, et descendant in Infernum viventes,* 10 littera Hebraica habet: *in sepulchrum.* Sed quare dicit *viventes*, cum non nisi mortui habeant sepeliri vel in Inferno poni? Respondetur, quod ideo, quia plerumque mali tales credunt se esse vivos, cum latam habeant conscientiam, nec curant de morte animae, cum tamen in veritate mortui sunt. Item ideo etiam, quia peccatores habent voluntatem obstinatam in peccatis, nec volunt fructuose poenitere. Talis autem vita est infernalis et diabolica. Augustinus et Chrysostomus: *Humanum est peccare, sed diabolicum est in peccato perseverare.* Et sic tales viventes mortui sunt. Quartum est sepulchrum supernale, id

est caeleste, de quo Iob V.: *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* 11 Tempus enim inferendi triticum in horreum est tempus messis. Messis autem est consummatio saeculi. Et sic homo iustus in fine mundi corpore et anima in caeleste sepulchrum ingreditur in abundantia meritorum et praemiorum, ut in aeternum ibi cum Christo regnet. Et ideo hoc sepulchrum summe est desiderandum, iuxta illud Ps.: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et defecit anima mea in atria Domini cor meum, et caro mea exsultavit in Deum vivum.* 12 Beatus itaque Iacobus, quia Christum perfecte dilexit, nunc cum Christo regnat in caelesti patria, ubi amplissimis bonis feliciter honoratur in anima. In corpore autem honoratur in sepulchro terrestri super sepulchra omnium regum mundi. Eius ergo exemplo et nos serviamus Christo, ut caelestem assequamur honorem. Gregorius: *Si culmen veri honoris quaeritis, ad caelestem regnum tendite. Si vere divites esse cupitis, veras divitias amate.* (E) Quaero namque a te, o homo, dic mihi: Quid est illud, quod quanto senescit, tanto juvenescit, et quanto juvenescit, tanto peius sit? Ad id respondetur, quod avaritia vel amor mundi. Hieronymus: *Sola est avaritia, quae in senibus juvenescit, cum tamen omnia vitia senescant. Et tanto peius vitium est.* Quia dicente Gregorio: *Tanto a superno amore homo disiungitur, quanto inferius delectatur.* Item quid est illud, quod quanto est minus, tanto est melius? Ad hoc respondetur, quod teste Gregorio *pupilla oculi quanto est minor et nigrior, tanto est lucidior et melior.* Spiritualiter quanto homo videt se humiliando minorem in propriis oculis mentis, tanto est melior. Gregorius: *Tanto coram Deo quisque est acceptior, quanto apud se recognoscitur despectior.* Item adhuc quaero te: Quid est illud, quod quanto modicum, tanto melius? Respondetur, quod peccatum et peccati poena vel reatus, ut claret. Sed quid est, quod quanto plus durat, tanto melius est? Utique gloria caelestis, quae numquam marcescit, sed semper felicitate in Deo crescit, quia Deus semper cum nova admiratione videtur. Unde Sap. VI.: *Clara est, et quae numquam marcescit, sapientia.* 13 O ergo homo, exemplo beati Iacobi contemne mundum, si vis habere Deum. Stude te humiliter parvipendere, minue vitia et eorum supplicia, ne pereas in Infernum. Elige tibi caelestem gloriam quaerere, quo melius non potuit inveniri. (F) Circa secundum de gratia privilegiorum beati Iacobi sit pro conclusione, quod benedictus Iesus beatum Iacobum apostolum magna sublimavit gratia privilegiorum, et declaratur ex quattuor eius privilegiis. Primum privilegium cognationis, quia fuit nepos Beatae Virginis Mariae, et sic consanguineus Christi, sicut et Iohannes, frater eius. Fuerunt enim filii Zebedei, de Maria, tertia filia beatae Annae progeniti. Et per consequens Iacobus fuit Christo et Beatae Virgini Mariae specialiter dilectus, tum ratione propinquitatis, tum ratione sanctitatis. Nam secundum Augustinum: *Ipsos consanguineos diligere debemus in quantum propinquos, sed eosdem malos diligere non debemus. Sic – inquit – diligentur homines, ut non diligentur eorum errores, qui si sunt boni, tanto dupliciter praediligendi, scilicet ut propinqui et ut boni.* Si quaeras, quando homo possit in hac dignitate beatum Iacobum imitari, respondetur, quod per praeceptorum divinatorum observantiam et voluntatis divinae conformationem. Unde Marc. III. Salvator dixit: *Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est.* 14 Secundum privilegium cognationis, quia ipse vocatus est Iacobus maior, et sicut alter Iacobus minor, qui tamen aetate fuit maior Iacobo maiore vocato. Quare ergo vocatus sit maior? Respondetur, quod primo quia iste prius vocatus fuit a Christo ad apostolatam, quam ille. Solent autem seniores vel maiores dici, qui sunt vocati prius in religionem, etiam si aetate sint iuniores. Secundo ratione familiaritatis, quia maiorem familiaritatem videtur habuisse Christus cum isto, quam cum alio, ipsum enim ad secreta sua magis admittebat, ut patet in Transfiguratione et oratione in Monte Oliveti, quando Christus captus est, et in puellae resuscitatione. Tertium privilegium primationis, quia inter apostolos fuit non ultimus, sed post duos primus, scilicet post Petrum et Iohannem, ut patet Matth. III. Primitas autem in viris perfectis, sicut fuit inter apostolos, secundum merita sanctitatis et perfectionis habet fieri. Quartum privilegium passionis, quia inter omnes duodecim apostolos ipse primus pro Christo passus fuit, et sic primus ad caelestem gloriam invitatus. Solet quippe miles gloriari de hoc, quod in primo bello ipse triumphum coram rege habuit, et quod ipse primo omnium a rege invitatur, ut secum sedeat et huiusmodi. Pati autem pro Christo est maxime gloriosum. Et idcirco Christus Iacobo specialem honorem exhibuit in sua passione, sicut dixit Callixtus papa, in hoc prae ceteris, quod *videlicet martyrium sustinuit in die, qua Christus fuit annuntiatus et passus.* (G) Quaeritur hic: Cur Christus eos, quos maiori gratia diligit, maiori tribulationi in mundo exponit, ut patet de Iacobo et aliis apostolis praedilectis? Respondetur secundum doctores, quod primo ratione virtutum, ut scilicet innotescant virtutes sanctorum nobis in exemplum animandi ad similia. Nam et in bello rex solet fortiores et virtuosiores alios praekonstituere in acie. Unde Tob. II. scribitur, quod ideo Deus permisit temptationem Tobiae, sicut sancti Iob, ut posteris daretur exemplum patientiae. Secundo ratione meritoriae acquisitionis. Gregorius in *Moralibus: Sancti Dei quo altius proficiunt, tanto quod gravius tolerant, inveniunt. Sicut – inquit – ignis flatu premitur, ut crescat.* Item Bernardus in sermone XI.: *Quotiens vitio resisteris, totiens coronaberis.* Tertio ratione divinae dilectionis, quia per patientiam magis assimilantur Christo, et magis diliguntur pro fidelitate perseverationis. Unde II. Tim. III.: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* 15 Ambrosius super „Beati immaculati”: *Quanto maior hic tribulatio, tanto uberior in Christo consolatio.* Hinc Augustinus orabat dicens: *Domine, hic ure, hic seca, da pacem in futuro.* Haec sufficiant. (H) Circa tertium de martyrio beati Iacobi sit pro conclusione, quod beatus Iacobus in suo martyrio est glorificatus multiplici miraculo. Claret ex legenda. Legenda: Cum enim praedicando Iacobus venisset in Hispaniam, ibique paucos convertere potuisset, rediit ergo in Iudaeam, ubi dum praedicaret, erat magus quidam, nomine Hermogenes, qui conspirando cum Pharisaeis misit discipulum suum nomine Philetum ad Iacobum, ut eius praedicationem coram Iudaeis falsam esse probaret. Sed illum apostolus coram omnibus rationabiliter convicit, et multa miracula coram eo fecit. Philetus ergo rediens ad Hermogenem doctrinam Iacobi approbavit, se discipulum illius velle fieri contestans. Tunc iratus ille arte magica immobilem fecit Philetum. Quod cum ille Iacobo per puerum nunciasset, misit Iacobus sudarium suum ad eum. Quo tactus mox solutus est, et Hermogeni insultavit, ac Iacobum properavit. Tunc Hermogenes daemones vocavit praeciens eis, ut Iacobum simul cum Phileto vinctos adducerent. Qui venientes in aere ululare coeperunt dicens: „Iacobe apostole, miserere nobis, quia acriter ardemus.” Quos interrogavit Iacobus dicens: „Ut quid huc venistis?” Qui responderunt: „Hermogenes misit, ut te adduceremus vinctum. sed ecce angelus Dei

igneis catenis religavit nos et cruciamur.” Quibus Iacobus ait: „Exsolvat vos angelus Domini, ite, et vinctum Hermogenem adducite, sed illaesum” – et sic ille ligatus est adductus. Tandem Iacobus Phileto ait: „Ut bona pro malis reddamus, sicut Christus nos docuit, solve Hermogenem, qui te ligaverat.” Solutus ille confusus stetit. Et Iacobus ait: „Vade liber, quo vis.” At ille: „Ego novi iras daemonum, nisi aliquid mihi dederis, quod mecum habeam, occident me.” Cui Iacobus baculum suum dedit. Ille autem pergens omnes libros artis magicae ad apostolum attulit, et procidens dixit: „Animarum liberator, accipe me poenitentem!” Et sic apostolus ipsum suscepit, et libros illos in mare proiecit. Coepit autem Hermogenes in timore Dei esse perfectus, adeo, ut virtutes per eum plurime fierent. Tunc Abiathar pontifex et Iudaei videntes, quod Hermogenes esset ad Christum conversus, et Iacobus Iesum praedicaret, concitaverunt seditionem, et ligatum apostolum fune in collo traxerunt ad Agrippam Herodem, qui iussit ipsum decollari. Et cum educeretur, paralyticus in via clamavit ad eum, ut ipsum in nomine Iesu sanaret. Ad quem Iacobus ait: „In nomine Iesu, pro quo ducor ad decollandum, exsurge sanus de grabato.” Et mox sanatus surrexit, ac Dominum benedixit. Quod videns scriba, nomine Iosias, qui eum per funem trahebat, proiecit se ad pedes apostoli, et Christianum se fieri postulavit. Tunc Abiathar illum etiam ligari faciens missa legatione ad Herodem, impetravit, ut cum Iacobo decollaretur. Et sic ambo martyrium consummaverunt. (I) Decollato itaque Iacobo discipuli eius rapuerunt corpus noctu et navi imposuerunt, ac Deo se sine regimine committentes, angelo duce in Galitiam applicuerunt. Erat autem in Hispania regina, nomine et merito vitae Lupa, ad quam discipuli voluerunt intrare, ut peterent locum sepulturae apostolo. Interim deposuerunt corpus de navi, et locaverunt super quendam magnum lapidem, qui lapis mox ut cera corpori cessit, et in sarcophagum se mirabiliter illi coaptavit. Cumque ad Lupam venissent et mirabilia Dei narrassent, ac congruum locum sepulturae peterent, illa eos in dolo ad regem Hispaniae crudelissimum destinavit, ut eius super hoc consensum requirerent, qui discipulos apostoli in carcerem reclusit. Cum autem rex discumberet, angelus Domini carcerem aperiens libere permisit illos abire. Quod ille cognoscens post eos velociter milites misit ad capiendum. Qui cum pontem transirent, fracto ponte omnes in fluvium sunt submersi. Quod ille audiens pertimuit, et poenitentia ductus misit post eos rogans, ut redirent, et quidquid vellent, impetrarent. Illi autem redeuntes, populum civitatis ad fidem converterunt. Tandem ad Lupam venientes, et assensum regis sibi aperientes, illa in dolo respondit: „Ite ad illum montem, et accipite boves, quos ibi habeo, et plaustrum iungite, ac corpus domini vestri differte, ut placet.” Sciebat enim tauros et boves ibi esse indomitos vel silvestres, et ideo putavit, quod non possent iungi, vel si iungerentur, huc illucque discurrendo cursum dissiparent, et illos necarent. Isti autem dolum non cogitantes montem ascenderunt, et draconem quendam spirantem et in eos irruentem cruce opposita per medium ventrem scindunt. Facto etiam signo crucis super tauros mox mansuescunt, et illos iungentes corpus sancti Iacobi cum lapide, in quo iacebat, in currum posuerunt. Boves autem sine alicuius regimine corpus in medium palatium Lupae detulerunt. Dicit etiam Hermannus in chronica, quod tunc clara die in campo apparuit stella fulgida in aspectu omnium, inde civitas illa Campostella vocatur. Haec videns Lupa baptizata est, et palatium illud in sancti Iacobi ecclesiam dedicavit anno Domini XLVII. Ubi sunt miracula multa meritis sancti Iacobi, de quibus in sermonibus aliquibus scribemus. Rogemus ergo Iesum, ut ipsius intercessione det nobis gratiam et gloriam in futura patria. Amen.

---

1 Is 9,10 2 Editio: *sua* 3 Mt 20,20 4 Ct 2,6 5 6 Ps 5,11 6 Ps 5,11 7 Editio: *Lausanus* 8 Ez 37,12 9 Lc 16,22 10 Ps 54,16 11 Iob 5,26 12 Ps 83,2 13 Sap 6,13 14 Mc 3,35 15 II Tim 3,12

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXXIII.] Pro sancto Iacobo Sermo II. de calicis Christi bibitione *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.* Matt. XX. 1 et in evangelio hodierno. (A) Sicut dicit Augustinus: *Dominus noster Iesus Christus idcirco interrogavit filios Zebedei, scilicet Iacobum hunc et Iohannem, fratrem eius de bibitione sui calicis, quando mater eorum petebat illis sedere in regno Christi, unum ad dextram, alium ad sinistram ipsius Christi, quatenus ex hac interrogatione Christi facta omnes discernemus, quod ad regnum caeleste pervenire non possumus, nisi sequamur Christum in passionis imitatione, saltem per veram poenitentiam.* Unde ipse dicit Matt. III.: *Poenitentiam agite, appropinquabit regnum caelorum.* 2 Et Apoc. II.: *Esto fidelis usque ad mortem, scilicet patiendo pro Christi fide et amore, et dabo tibi coronam vitae.* 3 Dum ergo hi duo discipuli, scilicet Iacobus et Iohannes matrem submisissent ad rogandum Christum, ut in eius regno sibi fierent collaterales, Christus interrogavit eos, dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone, secundum quod beatus Iacobus de his tribus commendatur in verbis istis: · Primo de calicis Christi bibitione, ibi: *potestis bibere calicem* · Secundo de passionis Christi devotione, qua prompte se obtulerunt, dicentes: *possumus* · Tertio de huius devotionis valore, quod sequitur ad praedicta (B) Circa primum de bibitione calicis Christi quaestio aedificatoria occurrit occasione praedictorum, qualiter Christiani volentes salvari debeant bibere calicem Christi. Ad quod notanda pro intellectu sunt tria. Primo quidem sciendum est, quod in Scripturis et praecipue in proposito calix accipitur pro passione, ut dicit Rabanus super Matth. Nam secundum Isidorum li. Etymologiarum calix dicitur a 'calon' Graece, quod est 'lignum' Latine. Erat enim antiquitus vas ligneum, in quo potiones amarae propinabantur pro medicina infirmorum. Et sic merito calix significat amaram passionem Christi, quae est medicina peccatorum nostrorum propinata in ligno crucis. Unde et orando Christus ad Patrem suam passionem vocavit calicem, dicens: *Pater, si possibile est, transfer a me calicem istum, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat,* Luc. XXII. 4 Cum ergo Christus dixit: *Potestis bibere calicem,* interrogavit illos de passionis Christi imitatione, quam oportet nos imitari, quia ipse ait Luc. XIV.: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.* 5 (C) Secundo notandum est, quod homines in vita ista secundum Scripturas varios dicuntur bibere calices. Primo namque multi sunt, qui bibunt calicem irae Dei, ut qui patiuntur et sufferunt



multas poenas et gravitates ac miserias non pro bona, sed pro mala voluntate in peccato perficienda. De tali Iere. XLVIII.: *Inebriate eum de calice irae Dei, quia contra Dominum erectus est.* 6 Notanter dicit *inebriate*, quia sicut ebrius non sentit verbera, sic isti peccatorum vulnera. Secundo alii sunt patientes pro mundo, et sic bibunt calicem mundi. De quo Iere. LI.: *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt omnes gentes.* 7 Mundanus enim amor est tamquam Babylon, quod interpretatur secundum Hieronymum 'confusio', quia confundit in morte, quando nudum e mundo exire compellit. I. Tim. VI.: *Nil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre [quid] possumus.* 8 Magna ergo confusio tunc erit sperantibus in eo. Is equidem bibit de aureo calice, quia aurum diligit et terrena, qui tamen est in manu Domini, id est in potestate, qui quando vult, accipit per mortem. Sed heu, quia iste pessimus calix inebriavit omnem terram et omnes gentes, quia omnes toto affectu sectantur mundana, pompas, honores, divitias ad mortem desudantes. Tales autem inebriatis assimilantur, et praecipue tali, de quo narratur, quod exeundo de sua domo ad civitates longinquas, ibi inebriatus nescivit domum redire. Sed cum hospitaretur via intermedia in superiori quadam domo, praeparato sibi lecto pro refrigerio in fenestra, ecce dormienti apparuit quaedam formosa mulier offerens cyphum ad potandum, quem iste sitiens voluit rapere, illa retrahente manum cum cypho, iste insequi volens de fenestra alta cecidit, et collapsus mortuus est. Sic spiritualiter homo in praesenti quasi in via inebriatus amore mundi nescit redire ad patriam caelestem, ad quam creatus est inhabitandum, sed in alto prosperitatis et ambitionis hospitatus cum rapere vellet ea, quae sitit, nec posset ad libitum in mundo habere cupiditatem, insequendo cadit in praecipitium Inferni. I. Tim. VI.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli et perditionem.* 9 Tertio alii sunt, qui bibunt de calice diaboli, ut obstinati. Ps.: *Ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* 10 In quo notatur triplex potus. Primus ignis pravae concupiscentiae. Secundus potus sulphuris, quod significat foetorem expletae luxuriae. Tertius est spiritus procellarum, id est tempestatum irae et invidiae et aliorum omnium vitiorum. Sed quare dicit: *pars calicis eorum*, et non totum, vel absolute calicem eorum? Respondetur, quia peccatores hic in praesenti habent partem tantum peccati, scilicet maculam et reatum, sed in futuro habebunt simul et aliam partem, scilicet poenam infernalem, et sic in praesenti bibunt partem calicis diaboli, sed in futuro bibent totum calicem. Item alia ratione secundum Lynam dicitur notanter *pars calicis eorum* ad significandum, quod in gehenna est tanta poena, quod non potest bene exprimi tota verbis. O ergo quam indicibilis ille ignis peccatorum in Inferno! O quantus foetor ibi super totius mundi sulphur! O quantae tempestates! Quarto alii sunt, qui bibunt de calice Christi Iesu benedicti, ut sunt boni Christiani, qui ipsius passionem imitantur, et ei fideliter deserviunt. Hi cum Christo regnare merentur. (D) Tertio ergo ad quaestionem praepositam, scilicet quomodo debeant fideles salvandi bibere calicem Christi, respondendo notandum, quod praecipue tripliciter. Primo omnia peccata crucifigendo in seipsis per veram poenitentiam. Ad Gal. V.: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis,* 11 ita quod non regnet in eis peccatum. Unde ad hunc modum bibendi calicem Christi, id est imitandi eius passionem omnes Christiani obligantur. Nam I. Pet. II.: *In hoc – inquit – vocati estis, quia Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit* etc. 12 Secundo per martyrii tolerantiam vel desiderium, et hoc est perfectorum. Si quaeras, numquid ad hoc tenentur omnes Christiani in quantulumcumque charitate constituti, scilicet ut mortem desiderent vel subeant pro Christo, ad hoc respondetur secundum Bonaventuram super III. dist. XXX. q. I. ar. II., quod *pro loco et tempore, ubi talis optio datur, quod aut iustitia deseratur, vel vita perdat. Ibi omnes, quantumcumque sint imperfecti, tenentur mortem subire et praeeligere magis Deo dilecto mori, quam ipso offenso vivere. Ubi vero talis necessitas non imminet, non tenetur homo, sed cum offert se opportunitas manifestandi divinam gloriam et aedificandi Ecclesiam, si in hoc casu se morti quis exponat, perfectionis est et supererogationis, ad quam non omnes tenentur.* Haec Bonaventura. Tertio debent fideles calicem Christi bibere per devotam recogitationem passionis eius et memoriam, et hoc est devotorum. De hoc agemus in duobus subsequentibus articulis. Beatus itaque Iacobus his modis bibit calicem Christi, ergo nunc regnat cum Christo. O ergo Christiana anima, stude pro posse eum imitari saltem primo et tertio modis, ut valeas in caelo regnare. (E) Circa secundum de passionis Christi devotione quaeritur, qualiter fidelis anima debeat habere devotionem ad Christi Iesu passionem, ut sic vere dicatur bibere calicem Christi. Ad quod respondetur secundum Scripturas et documenta sanctorum, quod praecipue quattuor modis: · Primo recogitando frequenter · Secundo compatiendo ferventer · Tertio gratias agendo reverenter · Quarto obsequendo fideliter Primo inquam devotio erga passionem Christi consistit et exercenda est recogitando eam frequenter, unde Thren. III.: *Recordare paupertatis meae absinthii et fellis.* 13 Et Can. VIII.: *Pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors, dilectio.* 14 Dicit: *ut signaculum*, id est ut sigillum, quando enim sigillum ponitur super ceram, imprimit ei suam similitudinem, sic passio Christi debet imprimi cordi, qua in passione anima fit Christiformis, quia *amor habet vim transformativam amantis in amatum*, ut dicit Hugo De arrha animae. Dicit ergo *super cor* ponendum secundum Lynam, quia quod valde diligitur, super cor poni dicitur. Addit et *super brachium*, per quod operatio designatur, quia *manus est organum organorum*, III. De anima. Hinc Bernardus: *Sit Iesus semper in corde tuo, semper in ore et opere, in quem omnes tui sensus dirigantur et actus*, ut posset scilicet dicere illud Can. II.: *Fasciculus myrrhae pro amara eius passione, dilectus meus mihi inter ubera*, id est in corde commorabitur. 15 Secundo compatiendo ferventer, unde Phil. II.: *Fratres, hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu* etc. 16 Iohannes de Sancto Geminiano: *Conveniens est, ut sentiat membrum, quod sentit caput, ne fiat distinctio in corpore.* Aridum quippe vel paralyticum est membrum, quod non sentit dolorem capitis. Sic aridum membrum est Christianus peccator, qui non compatitur Christo, capiti. Tertio gratias agendo reverenter, quia multum tenemur pro tali et tanto beneficio. Unde Bernardus super Cantica: *Oportet hominem gratiosum esse Deo, quia libenter dona multiplicantur, si priora bene grata videntur.* Haec Bernardus. (F) Sed hic quaestio occurrit utilis: Pro quo beneficio divino magis obligatur esse gratus homo? Ad quod respondetur secundum tres doctores. Primus est Chrysostomus super Matt. dicens: *Nil est – inquit –, propter quod magis Deo gratias agere debeamus, quam pro morte unigeniti eius.* Secundus est Ambrosius li. De virginibus dicens: *Plus, Domine Iesu, debeo tuis iniuriis, quibus redemptus sum, quam tuis virtutibus, quibus*

*creatus sum*. Et sic patet, quod magis tenemur pro redemptione, quam pro creatione. Tertius doctor est Gregorius dicens, quod *tanto crescunt dona, quanto rationes crescunt donorum*. Haec homilia de confessoribus. Idem quoque in praefatione Paschali dicit: *Nil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset*. Ex quibus claret, quia summe tenemur pro morte et redemptione Christi, in qua maiora dona gratiae et gloriae ac maiorem fructum adquisivimus. Quarto obsequendo fideliter debemus devotionem habere ad Christi passionem, unde Bernardus: *Tunc mihi tua prodest passio (o bone Iesu), si assit mea imitatio*. (G) Sed quaeritur, quali obsequio possit homo Christo passo recompensationem utcumque satis acceptum reddere. Ad hoc respondet Ambrosius super Lucam lectione V. dicens sic: *Nihil est, quod digne Deo referre possimus pro susceptione carnis nostrae. Quid ergo pro verberibus, quid pro cruce, obitu et sepultura reddamus, licet crucem pro cruce, funus pro funere numquid reddimus, cum ex ipso et per ipsum et in ipso habemus omnia? Reddamus ergo amore pro debita charitate, pro munere gratiam, pro sanguine pretioso poenitentiam*. Haec ille. Consulunt ergo plerique, ut magister Iordanus et etiam Ludolphus libro De meditatione vitae Christi, saltem communibus hominibus et simplicibus, ut pro passione Christi quotidie in obsequium devotum specialiter perorent XV Pater noster, dicentes, quod anno completo cuilibet vulnere Christi unum Pater noster proveniet pro annua pensione, quia tot Pater noster resultabunt ex his per annum, quot fuerunt vulnera Christi, iuxta illos versus: *Septuaginta quinque quatercent[um] milia quinque, Tot fertur Christus pro nobis vulnera passus*. De hoc latius sermone de Parasceves . Ad propositum: Beatus Iacobus omnibus quattuor modis praedictis ad passionem Christi devotionem habuit, et sic ipsum ad martyrium imitando meruit pati eodem die, quo Christus, scilicet VIII. Kalendae Aprilis, ut ait Innocentius. Christus autem, secundum quod dicit Augustinus, passus est et etiam annuncius ipso eodem VIII. Kalendae Aprilis. Et quoniam primus inter apostolos passus est pro Christo, patet eius devotio effectualis. (H) Circa tertium principale de valore devotionis erga passionem Christi quaeritur: Ad qualia bona valet, vel quales utilitates confert homini devotio erga passionem Christi? Respondetur, quod secundum doctores plurimae assignantur utilitates. Prima utilitas dicitur acceptationis. Ut enim dicit Magnus Albertus de missis: *Simplex meditatio passionis Christi plus valet et Deo est magis accepta, quam si quis ieiunaret per annum qualibet feria sexta in pane et aqua, vel si disciplinaret se qualibet hebdomada per annum usque ad effusionem sanguinis, vel qualibet hebdomada legeret unum psalterium*. Sed hoc puto intelligendum quoad charitatis augmentum dulcioris, quia plus accendit devotionem secundum Bernardum. Unde I. Tim. IV.: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est*. 17 Lyra: *scilicet ad repressionem concupiscentiae, pietas autem scilicet devotionis quoad Deum, et subventionis quoad proximum utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae*. Proinde narrat Ludolphus li. De meditatione vitae Christi, quod *cuidam sancto viro Deum exoranti, ut revelaret, quale servitium acceptius Deo foret, apparuit Iesus crucem baiulans et vulneratus, ac dixit, quod super omnia sibi accepta est passionis suae devota memoria*. Secunda utilitas thesaurizationis vel meritoriae accumulationis, ut patet ex praedictis verbis Magni Alberti. Item Bonaventura dicit: *In passione Domini invenies totum thesaurum, scilicet meritum et salubrium bonorum*. Idem dicit: *Nil ita illuminat ad cognitionem, nil ita accendit ad dilectionem, nil ita operatur in anima satisfactionem, sicut Dominicæ passionis memoria*. Tertia utilitas dicitur curationis. Bernardus super Cantica: *Nil tam efficax remedium curationis contra omnia vitia et temptamenta, sicut passionis Christi memoria*. Nimirum contra superbiam vide in cruce caput Christi inclinatum. Contra avaritiam intueri eius paupertatem et nuditatem. Contra luxuriam virgineum eius corpus totum vulneratum. Contra iram latus apertum et pro inimicis exorantem. Contra gulam fellis et aceti potationem. Contra invidiam vide brachia extenta ad amplexandum. Contra acediam pedes et manus perforatas. Unde Isa. LIII.: *Eius livore sanati sumus*. 18 (I) Ad id facit exemplum de pelicano, de quo dicit Iacobus li. de mirabilibus orientalium regionum, quod serpentes odiunt eum, et cum exit nidum pro pastu, serpens subintrans pullos pungit et occidit, quos ille rediens et videns mortuos rostro pectus aperit, et sanguine fuso pullos revivificat, ac quos viderit sibi compatientes in tali debilitate posito, illos in nido retinet, pullos ceteros tamquam degeneres naturaliter deicit. Sic Christus compatientes suae passionis retinet et fovet et eos mortuos in peccatis vivificat sanguine suo. Unde et Ps.: *Similis factus sum pelicano solitudinis* etc. 19 Quarta utilitas dulcificationis, scilicet omnis laboris. Unde Gregorius: *Si passio Christi ad memoriam revocetur, nil tam durum, quod non aequo animo toleretur*. Quinta exorationis. Unde Chrysostomus super Matth.: *Nulla res est, quae magis petita obtineat, quam mors et passio Christi*. Exemplum de latrone, qui iuxta crucem pendens et orans mox obtinuit Paradisum. Sexta fruitionis, scilicet per amorem suavem. Unde Bernardus super Cantica dicit: *Super omnia te mihi amabilem reddit, bone Iesu, calix passionis, quem bibisti, hoc est, quod magis et affectum stringit, et devotionem mulcet, ac iustius exigit*. Septima gratiae acquisitionis. Unde auctor libri De stimulo amoris dicit, quod *omnis gratia acquiritur et adquisita conservatur ac augetur per meditationem devotam passionis Christi. Et quicumque aliquam gratiam perdiderit, per hanc recuperare poterit*, ut dicitur etiam in libro de Horologio sapientiae. Octava abundae consolationis in hora mortis, II. Cor. I.: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra*, 20 propter scilicet spem salutis. Nimirum tales consolationem securitatis habent in hora mortis. Dicere enim possunt illud Bernardi quodam sermone dicentis: *Merita mea mihi non sufficiunt, scilicet ad gloriam promerendam, ergo fidenter quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex vulneribus et passione Domini mei*. Haec ille. Nona iucundationis patriae caelestis. Tanto enim gaudium maius habebit homo in patria, quanto devotius hic passionem Christi coluit. Tum propter praesentiam dilecti, scilicet Christi passi, quem videbit clare in caelo. Tum propter amoris eius ardorem, quo transformatur in Christi similitudinem, quia ut Dionysius dicit: *Amor habet vim transformativam et unitivam in amatum*. Unde Isa. XII.: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, id est de vulneribus Christi, *haurietis gaudia et dicetis in illa die, scilicet beatos exhortando ad collaudandum: Confitemini – inquit – Domino, scilicet recognoscendo eius beneficia, et invoke nomen eius*. 21 O quantum ibi erit gaudium beatorum omnium! O quanta laudis resonatio, quanta gratiarumactio pro Christi passione, dicens illud Apoc. V.: *Redemisti nos, Domine Deus, in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo, et fecisti nos Deo nostro regnum, ergo benedictio et claritas et sapientia et gratiarumactio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum*. 22 O ergo, carissimi, studeamus exemplo Iacobi et aliorum

sanctorum, ut simus devoti ad passionem Christi, quatenus talia bona ineffabilia consequamur per eius meditationem. Et rogemus Iesum, ut beati Iacobi meritis det nobis nunc gratiam, et tandem gloriam. Amen.

---

1 Mt 20,22 2 Mt 3,2 3 Apc 2,10 4 Lc 22,42 5 Cf. Lc 14,27; Mt 10,38 6 Cf. Ier 48,26 7 Ier 51,7 8 I Tim 6,7  
9 Cf. I Tim 6,9 10 Ps 10,7 11 Gal 5,24 12 I Pt 2,21-22 13 Lam 3,19 14 Cf. Ct 8,6 15 Cf. Ct 2,12 16 Phil 2,5  
17 I Tim 4,8 18 Is 53,5 19 Ps 101,7 20 II Cor 1,5 21 Cf. Is 12,3-4 22 Cf. Apc 5,9-13

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXXIV.] Pro sancto Iacobo Sermo III. de ipsius festi evangelio *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram tuam in regno tuo.* Matt. XX. 1 et in evangelio hodiernae festivitatis. (A) Haec verba dixit mater filiorum Zebedei, hoc est Iacobi et Iohannis ad Christum, quibus postulat filiorum suorum honorem et exaltationem. Nam ut Hieronymus dicit: *Postquam Iesus praedixit discipulis passionem suam de proximo imminentem, et quod die tertio esset resurrecturus, tunc haec mulier putavit eum post resurrectionem illico regnaturum temporaliter, et sic aviditate feminea, scilicet qua matres appetunt filiorum honorem, et cum hoc a filiis submissa, accessit ad Iesum adorans et petens: Dic – inquit –, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam etc.* Lyra: *id est, ut sint tibi collaterales et excellentiores in regno tuo post te.* Quod quidem regnum credebant fore temporale, tamquam adhuc carnales et nondum perfecte illuminati gratia Spiritus Sancti. Et quia hodie legitur hoc evangelium, ideo haec verba accipiendo de evangelio pro sermone tria mysteria notabimus ad huius sancti honorem, scilicet: *Dic, ut sedeant hi duo etc.*, scilicet per calicem Christi, quo mox Christus illos interrogavit: · Primum de honoris huius petitione · Secundum de dignitatis eius assecutione · Tertium de regni caelestis donatione, de qua Christus subiunxit dicens: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est etc.* (B) Circa primum de petitione honoris huiusmodi sit pro conclusionem verbum Chrysostomi super Matt. dicens, quod *nos Christiani non debemus a Deo petere id, quod nobis videtur bonum esse, sed quod ipse Dominus viderit nobis ad salutem expedire.* Et claret haec conclusio ex Evangelio. Nam dicitur: *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedei cum filiis suis, 2 scilicet conscii huius petitionis, et ex eorum consilio adorans et petens aliquid ab eo.* Lyra: *Primo petivit tantum in generali, ut si sic concessisset, minus posset postea sibi denegari in speciali, qui dixit ei: „Quid vis?” Non interrogavit, quasi nesciens, sed ut petitio sua ex eius responsione convenientius ostenderetur esse irrationabilis. At illa: „Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram” etc., id est ut sint collaterales tibi in regno. Respondet ergo Iesus: „Nescitis, quid petatis.” Hoc dixit filiis, quia sciebat ipsam a filiis submissam.* Ecce ergo patet, quod Christus redarguit istos pro eo, quod petebant id, quod sibi videbatur bonum, non tamen erat expediens ad salutem. Sed circa haec tres quaestiones occurrunt: · Prima de ipsa mulieris affectione · Secunda de ista honoris temptatione · Tertia de petitionis redargutione (C) Primo quaeritur, utrum mater filiorum Zebedei sit commendabilis pro tali affectione, qua cupiebat suos natos fore collaterales Christo in suo regno. Ratio quaestionis est, quia affectio materna ad promotionem suorum filiorum est ex natura a Deo indita, ergo non videtur, quod sit vituperabilis. Dicit enim Philosophus I. Metaphysicorum: *Propter ea, quae insunt nobis a natura, nec laudamur, nec vituperamur.* Mirum est ergo, cur conditor naturae Christus eius petitionem redarguit. Respondetur secundum Chrysostomum et Rabanum aliosque simul doctores, quod haec sancta mulier in aliquo commendatur, et in aliquo reprehenditur, et cum hoc in aliquo excusatur, quod patet sic. Primo namque commendatur de hoc, quod propter Christum reliquerat virum adhuc vivum, et cum filiis Christum sequebatur. Et quia suis filiis non terrena, sed caelestia postulabat, scilicet in regno Christi esse proximos Christo, quod secundum se erat optimum. Unde Chrysostomus commendans eam in sermone hodierno sic dicit: *Magna laus huius mulieris ex hoc loco colligitur. Primum quia non solum illi, scilicet filii sui reliquerant patrem, sed ipsa etiam reliquerat virum suum, et secuta fuerat Christum.* Et infra: *Non eam vicit, sicut ceteras mulieres, maritalis affectus, quia illius amor carnalis deceptio erat, istius autem, id est Christi, dilectio incorruptibilis vita. Cogitavit enim, quoniam amplius prodesset viro suo, si propter Deum reliquerit virum, quam si propter virum reliquerit Deum.* Et infra: *Ceterae mulieres corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt. Desiderant illos valere in hoc saeculo, et non curant, quid sint passuri in alio. Aliae divitias vel militias, aliae honores filii provident, et nemo filiis providet Deum. Haec autem non terrena, sed caelestia suis filiis optabat.* Haec Chrysostomus sententialiter prosequitur. Secundo haec mulier in aliquo reprehenditur, scilicet in hoc, quod Christum temporaliter regnaturum putabat secundum quosdam expositores, vel quia primatum caelestem filiis indiscrete petebat, ut patebit quaestione tertia. Tertio haec mulier excusatur, quia sexus ipse excusabat errorem. Similiter et naturalis maternus affectus, quoniam matres naturaliter filiis desiderant tria: Primo quietem pacis, ideo dicit: *Dic, ut sedeant.* Secundo honorem, ideo dicit: *unus ad dexteram etc.* Tertio divitias, ideo dicit: *in regno tuo.* Proinde Ambrosius in homilia dicit: *Etsi error pietatis, tamen (scilicet maternae) error est, et venerabilis cupiditas, quae non pecuniae, sed gratiae est avida.* Haec ille. Christus ergo non reprehendit eam, sed filios, qui debebant magis intellegere Scripturas de Christo, scilicet quod non esset Christus post suae resurrectionis gloriam temporaliter regnaturus in Ierusalem, sicut rex terrenus in mundo, prout Iudaei et isti credebant. Sed heu quam multi sunt parentes, qui parcunt filiis suis a debito labore, et permittunt eos otiosi non perpendentes illud Eccli. XXXIII.: *Multa mala docuit otiositas.* 3 Heu quam plurimi parentes adeo afficiuntur ad filios, ut neglegant etiam pro illis ea, quae sunt salutis. Vae autem talibus et vae, qui contra salutem animae suae et filiorum optant illis honores et divitias, etiam iniuste adquisitas vel acquirendas, ut fulgeant hic, et pereant in futuro. (D) Secundo quaeritur, cur diabolus viros sanctos, sicut et iustos apostolos temptare soleat de appetitu honoris. Ad quod respondet Origenes dicens, quod *ideo diabolus de appetitu honoris temptat homines, quia scit, quod in nullo sic illaqueare potest hominem, sicut cum honoris appetitu ipsum temptat.* Et huius ratio, quia in honore constitutorum gravior erit et culpa et poena. Culpa quippe gravior est, quia non solum tenetur rationem



reddere pro se ipso, sed etiam pro aliis. Heb. XIII.: *Oboedite praepositis vestris. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* 4 Unde Sap. VI.: *Iudicium durissimum fiet his, qui praesunt.* 5 Item poena erit gravior, quia ut ait Gregorius De cura pastorali et II. q. III. praecipue: *Scire debent – inquit – praelati, quod si perversa umquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.* Bernardus: *Veniat ad iudicium dura allegatio pauperum, clamor viduarum et gemitus pupillorum.* Quia ut Sap. VI.: *Potentes potenter tormenta patientur.* 6 Idcirco Augustinus VIII. Confessionum: *Peto, Domine, ut omnis honoris mundi facias me inexpertem, et tuae gratiae coheredem.* (E) Sed obici potest, quia honor est praemium virtutis, IV. Ethicorum. Virtus autem est summe appetenda, ergo et honor. Respondetur, quod honor est duplex. Primus est honor virtutis, de quo procedit obiectio, et istum honorem omnes desiderare debemus, ut essemus virtuosus. Nam ut dicitur IV. Ethicorum: *Homo pravus non est honore dignus, sed solus virtuosus est honorandus secundum veritatem.* Unde cum quis cognoscitur esse virtuosus, videlicet castus, humilis, pius, oboediens etc., habet causam honoris. Proinde Augustinus dicit, quod antiquitus Romani colebant virtutem et honorem pro diis, et eis duo templa construxerunt sic sita, quod nullus poterat intrare templum honoris, nisi pertransisset templum virtutis ad significandum, quod nullus esset dignus honore, nisi per virtutem meruerit. Valde ergo laudabile et desiderabile est esse virtuosum. Augustinus: *Tale donum est virtus, ut nullus eam operetur in nobis nisi Deus.* Secundus honor est potestatis, et iste non est desiderandus, quia ut ait Gregorius: *Grandis honor grave onus.* Et Heb. V.: *Nemo sibi assumat honorem nisi vocatus a Deo.* 7 Unde Chrysostomus dist. XL. „Multi” dicit: *Quicumque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in caelo, nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit.* Haec ille. (F) Tertio quaeritur, cur Christus hanc discipulorum petitionem taliter redarguit dicens: *Nescitis, quid petatis.* Respondetur, quod ad docendum, quod qui petunt temporalia, nesciunt, quid petunt. Unde notandum, quod plura sunt genera hominis, qui nesciunt, quid petunt in oratione a Deo. Primo qui primatum petunt. Chrysostomus: *Primatus – inquit – fugientem se sequitur, et desiderantem se fugit, sicut umbra hominem insequentem. Conversatio ergo melior petenda est, non dignior gradus.* Haec ille. Secundo nesciunt, quid petunt, qui temporalia absolute petunt et ultra necessitatem. Augustinus: *Temporalia sunt semper sub conditione et cum moderamine ad necessitatem petenda. Sub conditione, inquam, si videlicet expediunt ad salutem.* Tertio nesciunt, quid petunt, qui ultionem inimicorum petunt, quia nec eis peccata dimittuntur. Augustinus: *Unusquisque talem indulgentiam accepturus est a Deo, qualem ipse dedit proximo.* Itaque isti apostoli nescierunt, quid petiverunt, nec mirum, quia adhuc erant tunc carnales, nondum perfecti illuminati. Quia sic petentes aut petebant primatum terrestrem, et hoc absolute petere non licebat, ut patuit. Aut si dicas, quod petebant primatum caelestem, hoc petere sine labore et merito vitae praesumptiosus est, sicut dicit Gregorius: *Sine meritis sperare non spes – inquit –, sed praesumptio est.* Sicut isti petebant ex sola consanguinitate Christi caelestem gloriam habere. Item nesciebant, quid petebant, quia sinistram petebant, quod in iudicio erit reproborum. Chrysostomus: *Ego – inquit – vos vocavi ad dextram, et vos vero consilio curritis ad sinistram.* Item nesciebant, quid petebant, quia Scripturas carnaliter, non spiritualiter intelligebant, et errabant, sicut Iudaei moderni de Messia, quem credunt temporaliter in Ierusalem regnatum super omnem populum terrae, congregando omnes dispersiones Israel in Ierusalem, et hoc modo exponunt Scripturas prophetarum de Ierusalem loquentium, ut est illud Ps.: *Aedificans Ierusalem Dominus dispersiones Israel congregabit.* 8 Cum tamen in Scripturis Ierusalem accipiatur aliquando ut ibi, pro sancta Ecclesia in fidei unitate congreganda ex omnibus hominibus et partibus mundi, aliquando autem pro superna civitate caelesti, ut Isa. LX. de utraque acceptione dicitur: *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lux tua,* 9 id est fidei Christi lumen. Et subditur: *Non erit amplius sol ad lucendum, nec splendor lunae, sed Dominus Deus erit tibi in lucem sempiternam et gloriam tuam.* 10 Hoc de caelesti, et non de alia Ierusalem potest verificari. Et sic patet, quod Iudaei errant de Ierusalem regno, et hoc modo isti apostoli nesciebant regnum Christi. Unde et Act. I.: *Interrogaverunt discipuli dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* 11? Scilicet ablatum per Romanos, ut patet. (G) Circa secundum principale de digna acquisitione, scilicet honoris et gloriae caelestis et perventione sit pro conclusione verbum Chrysostomi dicentis sic: *Magnum laborem necesse est impendere, quia debemus calicem Christi bibere, si volumus ad regnum caelestem pervenire.* Declaratur ex Evangelio, quia Christus discipulis petentibus honorem collateralem Christi interrogavit eos dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et illi responderunt: Possumus,* quod secundum Chrysostomum dixerunt tamquam inexperti, quibus videtur levis esse temptatio passionis. Sicut et Petrus dicit: *Tecum paratus sum in mortem ire* etc. 12 Nam in passione omnes fugerunt a Christo. Sed cur interrogavit Christus, nisi ut ostendat, quod per calicem debemus pervenire ad regnum. Dixit ergo: *Calicem meum bibetis.* 13.(H) Quaeritur hic, qualibus signis cognoscitur Christianus, quod de calice fuerit potatus. Respondetur secundum doctores: Primum signum est extinctio sitis mundanae cupiditatis. Augustinus: *Qui biberit de fluvio Paradisi, restat, quod in eo extincta sit sitis huius mundi.* Iuxta illud Salvatoris dictum Iob IV.: *Qui biberit ex aqua, scilicet gratiae, quam ego dabo, non sitiet in aeternum.* 14 Unde Chrysostomus: *Nil est, quod amet super terram, qui donum Dei in veritate gustavit.* Secundum signum frigeffectio et horror carnalitatis. Gregorius super Ezech.: *Gustato spiritu scilicet Christi desipit omnis caro.* Tertium signum lacrimarum effusio pro peccatis. Ps.: *Potum dabis nobis in lacrimis in mensura,* 15 id est secundum mensuram peccatorum nostrorum. Idem: *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* 16 Isidorus De summo bono: *O poenitentia, quid de te dicam, exprimere non valeo, ut volo, melior es auro, rutilantior sole, per te mors destruitur, diabolus fugatur, Infernus clauditur, caelum aperitur, scilicet ut peccator ad convivium caeleste Christi admittatur.* De hoc bibit Petrus et Magdalena, et Christus, quando peccata nostra deflevit, ut ostenderet nobis flendum, si volumus cum eo in caelo convivari. Unde et Matth. V. ait: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* 17 Quartum signum inebriatio divinae charitatis, qua homo paratior 18 est mori amore Christi, quam peccare vel ab eo velle separari. Ps.: *Calix meus inebrians, quam praeclarus est.* 19 Iste est calix, quo propinatur sanguis Christi. De quo specialius examinavit Christus Iacobum et Iohannem dicens: *Potestis bibere calicem, scilicet passionis, quem ego bibiturus sum?* Unde Rabanus dicit, quod calicem Christi bibunt, qui amore Christi paratiores 20 sunt mori, quam Christum offendere, et hoc

modo omnes apostoli biberent calicem Christi. Unde et Iohannes bibit calicem Christi, quando in dolium ferventis olei est positus, mori pro Christo paratus, licet divino miraculo fuerit praeservatus, ut de eo dicit Hieronymus et Beda, et Lyra addit, quod etiam calicem bibit, quando fuit in exilium missus, quod est quaedam mors civilis. Iacobus autem bibit Christi calicem, quando pro Christo est decollatus, ut patuit in legenda. O ergo Christiane, accipe exemplum a sanctis, ut contempnas mundum et carnis desideria, et lugeas pro peccatis, et tantam charitatem habe ad Christum, quod sicut ipse sanguinem fudit pro te, sic et tu usque ad sanguinem et mortem resistas peccatis. Nam hoc modo debes calicem Christi bibere, si vis regnare. Heb. XII.: *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus [adversum semetipsos] contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum etc.* 21 (I) Circa tertium de regni caelestis donatione, quia dicit in evangelio Christus: *Sedere – inquit – ad dextram vel ad sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* 22 De hoc ergo quaeritur, quomodo intellegenda sunt haec verba Christi dicentis, quod non est suum dare regnum caelorum discipulis istis, cum tamen Matth. ultimo dicit: *Data est mihi potestas omnis in caelo et in terra etc.* 23 Item isti discipuli responderunt, quod possunt bibere calicem Christi, et Christus confirmat dicens: *Calicem meum bibetis.* Mirum ergo, quod sic eisdem dixit: *Non est meum dare vobis etc.* Respondetur, quod illud dictum Christi tripliciter exponitur secundum doctores. Primo secundum Chrysostomum de Christi potestate secundum humanitatem: *Quia Christus hanc potestatem dandi regnum caelorum a Patre accepit, et non habebat a se secundum humanitatem.* Unde Remigius dicit: *Sedere ad dextram meam, vel sinistram meam non est meum, id est humanitatis meae, secundum quam sum vester consanguineus. Dare vobis, sed secundum divinitatem in qua sum Patri aequalis, meum est.* Secundo exponit de donatione propter consanguinitatem. Unde Remigius: *Non est meum dare vobis ratione cognationis carnalis sine merito et labore.* Sic enim isti petebant prius praemium, antequam habuerunt meritum, cum tamen ut ait Gregorius: *Ad magna praemia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Sicut res pretiosissima non comparatur vili pretio.* Sic heu quam multi Christiani moderni, qui nolunt peccata cavere, nec merita accumulare, et tamen volunt ad regnum caelorum et sperant sic pervenire, cum tamen dicat Apostolus II. Tim. II.: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* 24 Ideo Chrysostomus super Matth.: *Non solum debemus – inquit – cogitare, qualem gloriam consequemur, sed quomodo evadamus ruinam peccati, quia in saeculari bello qui solum praedae intendit, difficile vincit.* Proinde et Gregorius XXIII. q. IV. „Obtineri” dicit: *Ipsa perennis regni praedestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad haec electi ex labore perveniant.* Augustinus: *Qui non laborat in semine, non gaudebit in messe.* O ergo peccator, age poenitentiam! Tertio exponitur de discipulorum statu, quo tunc erant indigni propter superbiam et elatam mentem. Unde Remigius et etiam Lyra: *Non est meum dare vobis in illo statu, in quo estis, id est superbis et nondum humiliatis, talibusque, quales vos estis, sed humilibus et mundis a peccato quolibet, quibus paratum est a Patre meo.* Ex quibus patet pro finali conclusionem, quod nulli peccatori daturus est Christus regnum caelorum, nisi vere poeniterint, et in vera poenitentia decesserint. Ad quod accipiamus exemplum ex miraculis beati Iacobi. Quidam namque miles visitavit sepulchrum beati Iacobi. Tandem in via infirmatus per triduum factus est mutus. Sed cum ad providendum saluti hortaretur a sociis, nec posset respondere. Ecce die quarto respirans dixit: „Gratias ago Deo et sancto Iacobo, quia eius meritis sum liberatus. Cum enim monebatis me ad salutem, daemones tam graviter me constringebant, ut nil loqui possem. Sed nunc beatus Iacobus veniens daemones a me repulit, et loquelam restituit. Vocate ergo sacerdotem, quia diu in hac vita esse non possum.” Et conversus ad unum militem adstantem dixit: „Amice, noli ammodo ipsi domino tuo militare, quia veraciter mala morte moriturus est in proximo, et damnabitur, nisi forte poenituerit citius.” Ipse ergo confessione facta bene in Domino mortuus sepultusque est. Et postea miles ille domino suo haec verba cum rettulisset, ille parvipendit, nec vitam correxit. Et post modicum lancea confossus subitanea morte expirando damnatus est. Ecce patet propositum. O ergo beate Iacobe, ora pro nobis ad Dominum, ut salubriter moriendo perveniamus ad vitam aeternam.

---

1 Mt 20,21 2 Mt 20,20 3 Sir 33,29: Multam enim malitiam docuit otiositas. 4 Hbr 13,17 5 Sap 6,6 6 Sap 6,7 7 Hbr 5,4: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo. 8 Ps 146,2 9 Is 60,1: Surge illuminare, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. 10 Is 60,19: Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. 11 Act 1,6: Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?? 12 Lc 22,33 13 Mt 20, 23 14 Iob 4,13 15 Ps 79,6 16 Ps 115,4 17 Mt 5,5 18 Editio: *paratus* 19 Ps 22,5 20 Editio: *parati* 21 Hbr 12,3-4 22 Mt 20,23 23 Mt 28,18 24 II Tim 2,5: Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. Editio: *II Titum II*

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXXV.] Pro sancto Iacobo sermo quartus, scilicet de regni caelestis possessione, quam petivit in evangelio. *Sedere ad dextram meam et ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Matth. XX. 1 et in evangelio hodiernae festivitatis.(A) Sicut gloriosus Hieronymus super Ps. li. VI.: dicit: *Regnum – inquit – caelorum non est dantis, sed accipientis. Non enim est personarum acceptio apud Deum, sed quicumque se talem praebuerit, ut regno caelorum dignus fiat. Hic accipiet, quod non est paratum personae, sed vitae.* Haec Hieronymus. Propterea Iesus, cum beati discipuli sui, Iacobus et Iohannes, vellent et petivissent per matrem, ut regno Christi essent excellentes et Christo collaterales ratione consanguinitatis, ut ait Rabanus et Remigius, voluit ostendere, quod *personam non accipit, scilicet ratione consanguinitatis, vel etiam cuiusque dignitatis, sed qui meretur virtutibus, illi regnum caelorum dabit.* Unde eos de tali petitione reprehendit dicens: *Nescitis, quid petatis, et tandem interrogavit, si possent per*

meritum imitationis calicis Christi acquirere. Ac fine evangelii dixit haec verba: *Sed dexteram vel sinistram meam non est meum dare vobis*, tamquam personis consanguineis ratione propinquitatis carnalis, *sed omnibus, quibus paratum est a Patre pro qualitate suorum meritorum*. In quibus verbis ad honorem beati Iacobi tria mysteria hic notemus: · Primo de assensione, scilicet ad dexteram Christi · Secundo de praeparatione, scilicet caelestis regni. Haec in themate patent. · Tertio de suffragatione scilicet meritorum Iacobi apostoli, quod addimus (B) Circa primum de assensione iuxta Christum quaeritur: Quales homines digni sunt sedere iuxta Christum in caelesti gloria? Ad quod respondetur secundum Scripturas et doctorum dictamina, quod praecipue quattuor sunt genera hominum, qui digni sunt sedere in caelo iuxta Christum propius ceteris paribus: · Primi sunt innocentes · Secundi sunt pro Christi amore mundum contemnentis · Tertii sunt virgines · Quarti sunt martyres Primi sunt innocentes, de quibus dicit Ps.: *Innocentes et recti adhaeserunt mihi*, 2 et hoc in persona Christi. Idem: *Quis ascendet in montem Domini, et quis stabit in loco sancto eius innocens manibus* 3, id est operibus, quia *manus est organum organorum*, III. De anima, *et mundo corde* 4 etc. Propterea et Sap. VI.: *Incorruptio facit proximum esse Deo*. 5 Lyra: *Incorruptio, id est puritas a peccato facit esse proximum propter similitudinem ad ipsum, qui est sanctus sanctorum*. Exemplum de Beata Virgine Maria, quae propter mundissimam puritatem super omnes angelos est sedens ad dextram Christi. Unde Augustinus De vita Christiana dicit: *Nihil Deo dignius, nihil carius esse potest, quam innocentia*. Sed quaeritur: Quid est vera innocentia? Respondet Augustinus li. de vera innocentia: *Est – inquit –, quae nec sibi, nec alteri nocet*. Et sic patet, quod ille dicitur vere innocens, qui nec suae animae nocuit per quodcumque peccatum, nec alterum laesit quoquo modo iniuste. Quid ergo erit de impiis et nocentibus, utique sedebunt cum diabolo? (C) Secundi sunt proximi assessores Christi, scilicet amore divino ardentis, et pro Christo omnia mundi contemnentis. Nam Matt. XIX. interrogavit Christum Petrus dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Respondit Iesus dicens: *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim in regeneratione, cum sedebit Filius hominis super sedem maiestatis suae* etc. 6 Unde Gregorius li. V. Moralium dicit: *Quisquis stimulo divini amoris excitatus hic possessa reliquerit, illic procul dubio culmen iudicariae potestatis obtinebit, ut simul cum iudice sedebat*. Si petas, qua ratione tales debent esse proximi Christo in caelo, respondetur, quia inter omnium beatorum chorus spirituum summi sunt Seraphim, qui interpretantur 'ardentes amore divino', et magis elongati ab istis inferioribus, qui sunt Deo vicinissimi secundum Dionysium De angelica hierarchia. Ergo qui illos imitantur amore divino conformi, ut ab omnibus terrenis elongati in Christi amore fuerint ferventiores et altiores, tanto propinquiores erunt Christo in caelo. Exemplum de apostolis, qui Christo, ut dicit Dionysius, sicut Seraphim tenent viciniorem gradum. (D) Tertii Christo proximi sunt virgines, quia scribitur Apo. XIV.: *Virgines enim sunt, hi sequuntur agnum*, id est Christum, quocumque ierit, *sine macula enim sunt ante thronum Dei*. 7 Si quaeras, numquid soli virgines sequuntur Christum in caelo, quocumque ierit, respondetur secundum Lyrum et alios doctores, quod *ideo virgines dicuntur Christum ubique sequi magis, quam alii, quia sequuntur Christum non solum per viam mandatorum, sed etiam per viam consiliorum, inter quae virginitas est altissima, et Christo conformativa*. Unde angelica res specialius dicitur castitas, per quam homines angelis assimilantur, ut dicit Chrysostomus super Matth., et sic licet et alii sancti ac beati Christum semper sequantur secundum suum gradum, ipsi tamen virgines specialius sequi dicuntur. Quarti sunt martyres, hi enim proximiores sedent ad Christum ratione praemii altissimi, quia ut dicit Glossa super Heb. XII.: *Perfectior charitas nulla potest esse illa, ad quam sancti martyres pervenerunt*. Et ideo patet propositum, quia praemium essenziale correspondet charitati secundum doctores. Proinde Apoc. III.: *Qui vicerit, scilicet insultus mundi et carnis ac diaboli, quae victoria est excellentior per martyrium, sequitur: dabo ei sedere mecum in throno meo*. 8 Lyra: *Id est quietem in caelesti regno, sicut et ego vici, scilicet per passionem meam, et sedeo cum Patre meo in throno eius*. Et sic patet ad propositum. Beatus Iacobus apostolus plurima horum habuit, quia Christi amore plenus, omnia peccata cavit, mundum contempsit, et omnia amore Christi reliquit, ac se ipsum pro Christo in mortem obtulit, ac martyrio glorioso coronatus est, ergo sedet cum Christo propius. (E) Circa secundum de praeparatione regni caelestis primo quaeritur, utrum Deus a principio paraverit regnum caelorum pro angelis potius, quam pro electis hominibus. Ratio quaestionis est, quia Strabo super Gen. dicit: *Caelum empyreum, id est igneum dicitur, vel intellectuale, quod non ab ardore, sed a splendore igneum dicitur, quod statim factum repletum est angelis*. Ergo videtur, quod pro angelis factum principalius, tamquam pro loco eorum. Sed ex consequenti, quia scivit Deus angelos casuros, voluit esse, et pro hominibus electis locum ruentium angelorum deputandum. Sed in contrarium videntur sonare verba Christi dicentis in evangelio, quod a Patre paratum est hominibus, ut in themate patet, et etiam Mat. XXV. 9 Respondendo ergo ad quaestionem Auctor libri Prognosticorum allegat Gregorium dicentem sic: *Non fecit Deus nos, ut gehennae tradat ignique perpetuo. Regnum caelorum propter nos, gehenna propter diabolum facta est. Et hoc ita esse ex evangelio docetur. Ipse enim Dominus dicit his, qui a dextris erunt: „Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.” 10 Illis autem, qui a sinistris erunt, dicit: „Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est” non dicit: vobis, sed „diabolo et angelis eius.” 11 Sic ergo propter diabolum gehenna ignis, et propter hominem regnum caelorum a constitutione mundi praeparatum est*. Haec liber Prognosticorum. Ex quibus, o homo, perpende miram circa te clementiam creatoris et bonitatem Dei. Tum quia non fecit te ad damnationem, tum quia ad gloriam caelestem consequendam creavit te, tum quia licet angelos in caelo creaverit, tamen taliter pro te fecit hoc, ut inter eos habites beatificatus, nec minus vult Deus, scilicet quantum ex se, beatificare et salvare te, quam angelos et omnes beatos quoad voluntatem antecedentem, Timo. II.: *Qui vult omnes homines salvos fieri*. 12 Nonne gauderes, si scires te praeordinatum in regem. Sic in proposito. (F) Secunda ergo quaestio oritur: Qualibus signis probatur regnum caelorum fore potius pro homine factum? Ad quod respondendo colliguntur praecipua signa ex sanctorum dictis, inter alia tria. Primum ex omnium servitute, scilicet ipsi homini, quia ut dicit Magister in II. li. dist. I. c.: *Et sicut factus est homo propter Deum, id est ei serviret, ita mundus factus est propter hominem, ut ei serviret*. Et infra: *Totum igitur hominis bonum erat. Ut enim ait Apostolus I. Cor. III.: Omnia nostra sunt, 13 superiora quidem nostra sunt ad perfruedum, ut Deus trinitas, aequalia ad convivendum, scilicet angeli, qui*



*etsi nobis modo sint superiores, in futuro erunt aequales, qui et modo nostri sunt, quia ad usum nobis sunt. Nam angeli propter nos in ministerium mittuntur. Idem quoque capitulo sequenti dicit, quod etiam si non peccasset angelus, factus fuisset homo. Et in fine dicit: Nostra igitur sunt superiora et aequalia, nostra etiam sunt inferiora, quia ad serviendum nobis facta. Haec ille. Et sic patet secundum signum ex ipsa caeli empyrei conditione, quia ut Bonaventura super II. dist. II. q. I. ar. I. et q. II. tangit: Caelum empyreum factum est a Deo luminosum, perfecta luminositate propter habitationem hominis beati, ut habitatio congruat suo habitatori, id est homini in corpore glorificato, quoniam locus conveniens esse debet locato et proportionatus, IV. Physicorum. Nam et motus caeli stellati non est nisi propter obsequium hominis viatoris. Ideo numero electorum completo non erit revolutio. Haec ibi Bonaventura et plura, quibus patet, quod principaliter propter hominem factum est caelum. Tertium signum ex ipsa hominis glorificatione, quia homo maiori gloria glorificandus est finaliter et simpliciter loquendo, quam angelus in ipso caelesti regno. Nam et in utroque sexu homo praepositus est in gloria angelis, scilicet in Christo et matre eius, quae exaltata est super omnes choros angelorum. Haec ex Bonaventura super III. dist. XXXII. (G) Tertia quaestio pro simplicioribus, qualiter quisque hominum possit sibi in caelo paratum habere locum, quia forte dicat quis: „Ego non possum assequi illa magna praemia praedicta, ut sim iuxta Christum. Quomodo ergo habeam ibi aliquem saltem inferiorem locum, scire cupio.” Ad quod respondetur secundum Scripturas, quod communiter quoad omnes homines quattuor praecipue leguntur, pro quibus regnum caelorum dicitur fore paratum hominibus. Primum est poenitentiae veritas, et hoc pro salute peccatorum. Unde Matth. III.: *Poenitentiam agite, appropinquabit regnum caelorum.* 14 Augustinus: *Qui peccata per poenitentiam deleverit, angelorum consors in perpetuum erit.* Nam Luc. XV.: *Gaudium est angelis super etc.* 15 Secundum est charitas, quae claret observantia praeceptorum. Isa. LXIV. et I. Cor. II.: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* 16 Et Ioh. XIV.: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.* 17 Tertium est humilitas. Matth. V.: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* 18 Augustinus: *Pauperes spiritu sunt humiles.* Item Mar. X.: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum caelorum.* 19 Et Lu. XII.: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* 20 Ambrosius: *Si quis vult capere Christi maiestatem, sequatur eius humilitatem.* Quartum misericordiae pietas. Nam Matth. XXV. dicitur est Christus omnibus electis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* 21 Sequitur ibidem de misericordia merito: *Esurivi enim, et dedistis manducare, siti, et dedistis bibere, hospes eram etc.* 22 Et infra: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* 23 His ergo operibus communes omnes homines possunt sibi locum parare in caelo. Sed quid de his, qui etiam haec renuunt, scilicet poenitentiam, praeceptorum observantiam, humilitatem et pietatem. Vae et vae eis, quia indigni caelesti habitaculo in Infernum descendunt. O ergo Christiane peccator, scito, quia non habes hic manentem civitatem, sed oportet te velis-nolis exire. Age ergo poenitentiam, ut sis in caelo. (H) Circa tertium principale de suffragatione merito beati Iacobi nota pro conclusione, quod omnes fideles debent beatum Iacobum devote honorare. Ratio, quia eius merita leguntur invocantibus in quacumque necessitate suffragasse, ut patet per plura miracula de eo scripta, e quibus aliquae hic proponamus. Primo enim debent invocare in captivitate detenti. Ut enim dicit Callixtus papa: *Quidam vir de episcopatu Mutinensi 24si captus, et in profundum turris iniectus et catenatus beatum Iacobum invocavit, cui sanctus apparens confractis catenis ad summitatem turris illum elevavit, et inde sine aliqua laesione unicum saltum fecit, cum tamen turris erat altitudinis LX cubitorum. Et sic incolumis evasit.* Item: *Quidam mercator a quodam tyranno iniuste spoliatus et captus devote sanctum Iacobum invocabat, cui sanctus apparens vigilantibus custodibus ad turris summitatem perduxit illum, et turris se inclinavit adeo, quod sine saltu in terram descendit et recessit. Quem custodes insequendo licet iuxta eum pergerent, tamen eum non videbant.* Item refert Discipulus, quod *XX Christiani a Saracenis capti devote sanctum Iacobum invocarunt, et apparuit eis dicens: „Ecce assum”, et solvit vincula eorum, et libere abire fecit.* Secundo invocare debent calumniam passi. Ut enim ait Callixtus papa: *Teutonicus quidam circa annum Domini MXX. ad sanctum Iacobum pergens cum filio suo pervenerunt Tolosam, quos hospes inebriavit, et in illorum malha cyphum argenteum abscondit. Mane exeuntes insequitur, et eis furtum cyphi obiecit, et ad iudicem eos rapiens cyphus apud eos invenitur. Et data sententia unus eorum suspendio iudicatur, et omnia, quae habebant, hospiti traduntur. Sed cum filius suspensus fuisset, pater ad sanctum Iacobum maerens progreditur. Tandem post triginta sex dies rediens ad corpus filii divertit lamentando. Et ecce filius de patibulo dixit: „Pater, ne flevieris, quia mihi optime est. Nam sanctus Iacobus me sustentat, et caelesti dulcedine refocillat.” Quod pater audiens ad iudicem cucurrit, cui haec nunciavit. At ille, ut dicitur, tunc in mensa coram se habebat assatum pullum, et dixit: „Sicut impossibile hunc pullum reviviscere, ita impossibile est tuum filium vivum manere in patibulo.” Ad quod mox pullus vivificatus miraculose de scutella evolavit. Unde iudex cum iuratis civibus veniens et populi, filium peregrini incolumem deposuerunt, et hospitem illum iniquum suspenderunt, omniaque eius bona istis dederunt. Et sic cum gaudio redierunt. Tertio quoque invocare debent egeni. Refert Callixtus papa et Discipulus, quod vir quidam ad sanctum Iacobum properans et inde rediens egere coepit et mendicare erubescens, angustiabatur valde per fame. Sanctum ergo Iacobum implorans, cum dormivisset, somniabat, quod sanctus Iacobus eum pasceret, evigilans sub cinerum panem ad caput repperit. De quo quindecim diebus his quotidie sufficienter comedens, altera die semper eundem panem integrum inveniebat. Quarto debent invocare omnes pro evasione aeterni supplicii. Refert enim Hugo de Sancto Victore, quod *cuidam peregrino ad sanctum Iacobum pergenti diabolus in specie sancti Iacobi apparuit, et de miseria huius vitae plura commemorans, asseruit felicem se esse, si seipsum necaret. Quod ille fecisset, ecce tandem eum sepeliri deberet in agro, mox revixit, et narravit, quomodo ad thronum iudicis ductus et accusatus fuerit a daemonibus. Et cum deberet damnari aeternaliter, ecce beatus Iacobus occurrit, et ut vitae restitueretur, pro poenitentia facienda obtinuit. Item: Alius etiam iuvenis cum se occidisset, et ei fovea ad sepeliendum pararetur, subito revixit, et narravit, quod ex quo beato Iacobo devotus fuerat in vita, ipse beatus Iacobus coram Beata Virgine in potentia sanctorum multorum intercessit, ne haec anima periret, et vitae restituit. Haec sufficient. O ergo beatissime Christi apostole Iacobe, te humiliter invocamus, ut per tua merita impetres nobis a Christo***

liberationem ab omnibus malis, et praecipue a damnatione perpetua, ac gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Mt 20,23 2 Ps 24,21 3 Ps 23, 3-4 4 Ps 23,4 5 Sap 6,21 6 Cf. Mt 19,27-28 7 Apc 14,4 8 Apc 3,21 9 10 Cf. Mt 25,34 10 Cf. Mt 25,34 11 Mt 25,41 12 I Tim 2,4 13 Cf. II Cor 3,21: Omnia enim vestra sunt. 14 Mt 3,2 15 Lc 15,10: Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore. 16 Is 64,4: Non audierunt neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deum. I Cor 2,9: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his, qui diligunt illum. 17 Ioh 14,21 18 Mt 5,3 19 Mc 10,14 20 Lc 12,32 21 Mt 25,34 22 Mt 25,35 23 Cf. Mt 25,40: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 24 Editio: *Mytinen*

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXXVI.] De sancta Anna Sermo primus, scilicet de eius praecelsa sanctitate cum historia *Gratia super gratiam mulier sancta*. Eccl. XXVI. 1 (A) Haec verba licet sint scripta generaliter de qualibet muliere sancta, praecipue tamen possunt accipi de sancta Anna, genitrice Virginis Mariae. Tum ratione sui nominis, quia 'Anna' interpretatur 'donum gratiae Dei' secundum Hieronymum. Ideoque haec mulier sancta convenienter in ista Scriptura a gratia Dei sic commendatur denominata. Tum ratione suae sanctitatis, quia scilicet ipsa fuit mulier sanctissima, et propterea gratia super gratiam aliarum mulierum in ea refulsit. Proinde Hieronymus in sermone hodierno, qui incipit: „Postulastis, filiae Ierusalem, de ipsa sancta Anna”, dicit sic: *De qua agimus – inquit – , res est praecelsa, res praeclara, res omni laude digna. Haec est enim arbor bona, de qua virga excisa per se divinitus floruit. Haec est terra sancta, quae rubum ardentem, sed incombustum permanentem germinavit. Haec est caelum excelsum, de qua stella maris ad ortum processit. Haec est sterilitas fecunda, quae ab angelis est frequentata. Haec est benedicta inter mulieres, et mater inter matres beata, ex qua templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti, mater Dei mundo illuxit.* Haec ibi Hieronymus. Bene ergo de ipsa dicitur, quod *gratia super gratiam haec mulier sancta*. Quibus verbis commendatur de tribus, et sic tria mysteria notemus in hoc sermone declaranda ad laudem et gloriam ipsius: · Primo de gratia divinali, ibi: *Gratia – inquit –* · Secundo de excellentia speciali, quia dicitur: *gratia super gratiam* · Tertio de sancta vita exemplari, quia dicitur: *mulier sancta* (B) Circa primum de gratia divinali in sancta Anna. Ex quo a gratia denominatur, quia 'Anna' 'donum gratiae' vel 'donata gratificatio' interpretatur, ut dicit Hieronymus de interpretatione nominum Hebraicorum. Queritur ergo, unde hoc congruebat, quod mater Dei futura, scilicet Virgo Maria a sanctis Ioachim nomine et Anna deberet nasci in hac vita. Respondetur, quod alto mysterio sic Deus ordinavit, et praecipue id conveniebat ratione triplici: · Prima ratio ex parte Virginis Mariae · Secunda ratio ex parte Ioachim et Annae · Tertia ex parte nostrae doctrinae Prima ratio ex parte Virginis Mariae, quia ipsa debuit fore mater gratiae, et singularissima gratia super omnes debuit sanctificari in utero beatae Annae, adeo, quod ut dicit Anselmus De conceptu virginali: *Decebat – inquit –, ut ipsa Virgo Beata ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Unde secundum nostros doctores ipsa Virgo Gloriosa praeservata est gratia singularissima in utero materno ab originali peccato. Pro tali ergo et tanta gratia decuit, ut Virgo Maria nasceretur ex Anna, quod interpretatur 'donum gratiae', et ex Ioachim, quod interpretatur 'Domini partus Domino suscitante' et 'Domini exaltatio'. Ut dicit Hieronymus de interpretatione nominum Hebraicorum, ut ipsa Beata Virgo Maria designaretur singularissima gratia nasci ex sanctis Ioachim et Anna, et oriri Domino ac exaltari in matrem Domini, scilicet Iesu Christi, Filii Dei. Merito ergo pater et mater Virginis Mariae sic sunt denominati, ut ex dono gratiae, quod significat Anna, ortum habebat ipsa mater gratiae, et suscitante Domino atque exaltante ac eius partum mirabiliter faciente prodeat Virgo Maria in mundum. Secunda ratio ex parte Ioachim et Annae, quia ipsis collatum est a Deo omnipotente donum, scilicet praecelsae sanctitatis in hoc, quod sunt parentes sanctissimi ipsius, videlicet sanctissimae Virginis Mariae, et sic Ioachim avus et Anna avia Christi. Sed inter omnia dona Dei quid est maximum, nisi gratia hic et exaltatio gloriae in Patria? Unde Augustinus XV. De Trinitate c. XVIII. dicit, quod *nullum est donum excellentius charitate*, quae realiter quidem idem est, quod gratia, secundum Richardum super II. dist. XXVI. q. I. et concordantem Scotum, unde secundum Augustinum ibidem: *Hoc solum est donum, quod dividit inter filios regni et filios perditionis aeternae.* Ad designandum ergo praecellentissimum donum sanctitatis parentum Virginis Mariae, quae est mater gratiae, decuit, ut a gratia et exaltatione gloriae denominaretur. O peccator, ex his accipe documentum, quod ex quo in crimine iaces, nec poenitentiam agis, alienus es a gratia et regno Christi, alienus a parentela Christi, alienus es a filiis et familia Dei, et es in familia diaboli et inimicitia Dei. Age ergo poenitentiam, ut salveris! (C) Tertia ratio ex parte nostrae doctrinae. Nam quaero, unde oritur salus hominum et peccatorum? Respondet Glossa II. Cor. ultimo dicens sic: *Gratia Dei est, qua sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo faciunt bonum.* Haec ibi. Unde et Augustinus li. De ecclesiasticis dogmatibus c. XXI. dicit, quod *initium nostrae salutis Deo miserante habemus, ut adquiescamus salutiferae inspirationi*, scilicet qua Dei gratia incitatur ad salutem. Et sic patet, quod salus nostra ortum primum habet ex Dei gratia praeveniens. (D) Item quaero: Quomodo homo ad salutem in gratia Dei crescendo pervenit ad consummationem? Respondet Bernardus in sermone de assumptione et concordanter doctores, quod *ad consummationem salutis nostrae requiritur triplex gratia. Prima dicitur praeveniens. Secunda cooperans. Tertia consummans.* De his Bernardus ubi supra: *Prima – inquit – gratia nos initiat, qua vocamur, scilicet divina inspiratione. Secunda provehit, qua iustificamur, scilicet per poenitentiam et boni operationem. Tertia consummat, qua glorificamur, et hoc per perseverationem, cui debetur praemium.* Primo ergo, ut salvari possimus et ad gloriam pervenire, necessaria est nobis gratia praeveniens. Quia ut Gregorius XVII. Moralium ait: *Si lumen praeveniens gratiae nos non*

irradiaret, profecto mens nostra in tenebris peccatorum obscurata permaneret. Idem Augustinus: *Gratia est lumen animae faciens hominem peccatum suum agnoscere et Deum super omnia diligere.* Secundo requiritur gratia cooperans, scilicet ad perficiendum bonum opus, quia dicit Salvator, Ioh. XV.: *Sine me nihil potestis facere.* 2 Augustinus: *Gratia Dei nolentem praevenit, ut velit, et volentem subsequitur, ut possit.* Et Gregorius in coll.: *Tua nos, Domine, gratia semper praeveniat* (scilicet inspirando vel vocando), *et sequatur, scilicet adiuvando vel cooperando ad perficiendum, ac bonis operibus iugiter praestet esse intentos,* scilicet perseverando in bono. Tertio ergo necessaria est gratia consummans, quia secundum Thomam li. III. Contra gentiles c. CLV.: *Indiget homo divinae gratiae auxilio, ut perseveret in bono.* Augustinus De ecclesiasticis dogmatibus c. XXI.: *Nostrae potestatis est, ut adquiescamus inspirationi. Ut salutem quaeramus, divini est muneris. Ut non labamur a bono meritorio, nostrae est sollicitudinis et caelestis pariter adiutorii, quod autem labimur, potestatis nostrae est et ignaviae.* Haec ille. Unde necessaria est homini salvando gratia consummans in perseverantia finali, quia non qui incipit, sed *qui perseveraverit, hic salvus erit,* Matth. XXIV. 3 Ad propositum ergo, ut nos doceremur praedictis modis salvari et ad Christum pervenire, congruum fuit, ut ex sancta Anna nasceretur beata Maria, et ex ea Christus. 'Anna' enim 'donum gratiae' interpretatur, 'Maria' autem 'illuminata'. Nam ex dono gratiae Dei anima humana illuminatur, et in ea Christus nascitur, et permanet Iesus, id est salus vera animae, sic quoque salus hominis in gloria consummatur. Sed heu quam multi sunt, o Deus meus, qui non adquiescunt divinae inspirationi, ut pervenirent ad Iesum! Qui tamen libenter adquiescunt diabolico instinctui, ut perveniant ad aeternam damnationem. O peccatrix anima, numquid melius est Christum Iesum amare pro consequenda aeterna beatitudine, quam diabolum pro aeternis suppliciis! Recognosce, misera peccatrix anima, quia ut dicit Apostolus ad Rom. VI.: *Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna in Christo.* 4 (E) Circa secundum principale de excellentia sanctitatis beatae Annae quaeritur, utrum ipsa beata Anna inter sanctas feminas post matrem Domini reputetur merito fore sanctissima. Ratio quaestionis est, quia de eius vitae sanctitate nil scribitur in Scripturis canonicis Veteris aut Novi Testamenti, cum tamen plures ibi commendantur de sanctitate nimis praeclara, et tamen ipsa electa est a Deo ad dignitatem praeclaram, videlicet ut esset genitrix gloriosissimae matris Christi, et sic avia Filii Dei. Mirum ergo videtur, quod saltem evangelistae nullam de ea voluerunt facere mentionem ad commendationem gloriosae Virginis Mariae, eius filiae. Nam Ecc. III.: *Gloria hominis ex honore parentis.* 5 Ad quaestionem ergo respondetur per conclusionem videlicet, quod quamvis in scriptura canonica nulla fiat mentio de sancta Anna, nihilominus creditur et probatur ipsa post matrem Domini fore mulier sanctissima. Et hoc ceteris paribus, quoad essentialia sanctitatis merita declaratur, quia ordinatione Spiritus Sancti factum est, ut de ea taceatur in Sacra Scriptura, sicut et de vita ac praecellentissima origine atque sanctitate Virginis Mariae ab evangelistis nil scribitur pro hac ratione, quia ab omnibus Christicolis praesupponi debet, quod ipsa propter prolem dignissimam fuerit sanctissima, videlicet propter gloriosissimam Dei matrem, quam genuit. Sicut etiam Beata Virgo propter Christum, Dei Filium ex ea genitum creditur fuisse sanctissima prae aliis. Nec quod Virgo Maria per sanctitatem parentum commendaretur, sicut non decuit, quod Christus per matrem commendaretur, sed potius econverso, ex Christi sanctitate decuit pro praesupposito credi maxima sanctitas Mariae, et ex sanctitate Mariae sanctitas suorum parentum, scilicet Ioachim et Annae firmiter creditur, et pro praesupposito habetur, quia ipsi parentes omnem dignitatem sanctitatis a prole sua acceperunt, sicut et Virgo Maria omnem dignitatem et sanctitatem accepit a Christo, propter quem et Virgo Maria et sui parentes ac tota illa gens Iudaica est electa a Deo. Nimirum, ut ait Philosophus primo Physicorum et VIII. Topicorum: *Peccatum est fieri per plura, quae possunt fieri per pauciora.* Cum ergo ex prolis sanctitate sufficienter praesupponitur in istis parentibus maxima sanctitas credenda apud fideles, noluit Spiritus Sanctus, ut eorum vita describeretur ab evangelistis, ut et maius meritum acquirerent fideles ex fide tali et devotione. Unde Augustinus: *Ille – inquit – apud Deum habet plus meriti, qui plus fidei.* Item Maximus in sermone de corpore Christi dicit, quod *ubi est magna fidei perfectio, erit et copiosa remuneratio.* Et sic per ista solvitur rationis adductae obiectio. (F) Quod autem ipsa beata Anna prae ceteris quoad essentialia post matrem Christi fuerit sanctissima, probatur pluribus rationibus: · Prima ratio divinae electionis · Secunda ratio dignae honorationis · Tertia ratio sanctae generationis Prima ratio divinae electionis, quia Deus quemcumque eligit ad aliquam dignitatem spiritualem, eidem talem et tantam gratiam sanctitatis confert, ut sit dignus tali dignitate, iuxta illud Numeri XVI.: *Quemcumque elegerit Dominus, ipse erit sanctus.* 6 Unde et Augustinus in Glossa super Eph. I. dicit sic: *Deus quos elegit, facit bonos, sicut ait Apostolus: Elegit nos, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum.* 7 Haec ille. Ex quibus dictis arguitur, quod si quos eligit Deus, facit bonos et sanctos, ergo quos magis eligit, id est ad maiorem dignitatem spiritualem, magis sanctos facit vel meliores, et quos maxime, maxime, iuxta illam maximam Topicam: *Sicut simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis, et maximum ad maximum.* Sed quoniam Deus elegit ab aeterno beatam Annam ad dignitatem maximam in Christo, scilicet ut esset mater matris Christi, et sic Filii Dei avia, ergo sequitur, quod eam fecerit sanctissimam et dignissimam. Ad id confirmandum facit, quia Christus eos, quos elegit in apostolos, fecit sanctissimos. Similiter et ipsam virginem, quam elegit in matrem, fecit sanctissimam, ergo et in proposito. (G) Secunda ratio dignae honorationis, quam accipio ex Postilla Lyrae super Io. VI., sic dicit: *Quia distributio honorum respicit iustitiam commutativam, ut habetur V. Ethicorum, scilicet ut alicui plus detur de honore, quanto maior est in virtute. Nam honor est praemium virtutis, IV. Ethicorum.* Et ideo *pravus non est honore dignus,* ut ibidem dicitur. Et hoc maxime habet locum coram Deo, qui personam non accipit, sed unumquemque secundum meritum virtutis amat et honorat. Sed quoniam Deus beatam Annam maximo honore prae ceteris mulieribus post Virginem Mariam exaltavit, ut scilicet esset avia Christi, et per consequens etiam a Christo honoranda, iuxta illud Exo. XX.: *Honora patrem et matrem.* 8 Quanto magis ergo ab angelis et hominibus honoranda est. Unde sequitur, quod ipsa fuerit adeo virtutibus et gratia Dei sanctificata ac repleta, ut merito foret tali et tanto honore digna pro suae sanctitatis celsitudine. Si dicas, quod multae feminae praecellant eam in corona virginitatis vel martyrii et huiusmodi, dicendum, quod talia accidentaliter sunt, quibus summe praeponderantur essentialia. (H) Tertia ratio sanctae generationis. Nam dicente Salvatore Luc. VI.: *Unaquaeque*



*arbor de fructu suo cognoscitur.* 9 Et Matth. VII.: *Omnis arbor bona facit fructus bonos.* 10 Ergo melior et optimus fructus meliorem et optimam arborem esse probat. Pamphilus: *Arbore de dulci carpuntur dulcia poma.* 11 Sed constat, quod ex sancta Anna plurimi sanctissimi homines sunt generati, tamquam fructus ex arbore sanctitatis, videlicet sanctissima Virgo Maria, ex qua ortus est Christus Deus noster, et sancta Maria tertia, Zebedei scilicet uxor, ex qua sancti apostoli, scilicet Iohannes evangelista et Iacobus maior sunt progeniti. Atque sancta secunda Maria, Cleophae scilicet filia, quae dicta est Maria Iacobi, scilicet minoris mater, ex qua quattuor sancti discipuli sunt geniti, scilicet: Iacobus minor, Ioseph iustus, qui et Barsabas est vocatus, et Simon, ac Iudas Thaddeus dictus. Unde de his exstant versus: *Anna solet dici tres concepisse Marias, Quas genuere viri Ioachim, Cleophas Salomeque. Has duxere viri: Ioseph, Alpheus, Zebedeus. Prima parit Christum, Iacobum secunda minorem, Et Ioseph iustum peperit cum Simone Iudam. Tertia maiorem Iacobum volucremque Iohannem.* Cum itaque tales sanctissimos fructus habuerit, sequitur, quod ipsa sanctissima inter feminas fuerit. Et confirmatur ratione etiam tali, quia Iohannes Baptista ex unica Mariae Virginis salutatione tanta gratia abundavit, quod etiam matrem suam, Elisabeth repleverit, et prophetam constituerit, ergo sequitur, quod multo fortius gratia sanctificationis Mariae in utero materno abundantius ipsam sanctam Annam replevit et praesantam effecit. Nam Bernardus dicit, quod *de plenitudine Mariae accipiunt universi*, ergo plus sua mater, scilicet Anna accepit. O ergo sanctissima domina! O beatissima genetrix matris Christi! Quibus te laudibus efferamus, profecto tuam sanctitatem commendare non sufficimus. (I) Circa tertium de sancta vita beatae Annae et exemplari accipiamus pro conclusione, quod ex beatae Annae sancta vita omnis status homines possunt accipere plurima salutis exempla, scilicet tam coniugati, quam viduae et virgines. Primum exemplum est divini timoris, in quo consistit initium sanctitatis et salutis. Ps.: *Initium sapientiae timor Domini.* 12 Ecc. XXV.: *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei.* 13 Timor Dei initium dilectionis eius, quia Prover. XV.: *Per timorem Domini declinat omnis a malo.* 14 Hoc patet in sancta Anna. Refert namque Hieronymus sermone „Postulatis” et in legenda etiam de nativitate Mariae et in officio, quod videlicet gloriosae Annae genus ex Bethlehem fuit de semine iudicum, patre Nazareo vitae egregiae ac matre de David regali semine. Quam in uxorem accepit Ioachim, cuius domus in Galilaea, scilicet Nazareth civitate erat. Ambo autem erant iusti et Deum timentes ac recte viventes, sine omni reprehensione apud Deum et apud homines. Et sic patet, quod ab omni peccato mundissimam vitam habebant in timore Dei. Secundum exemplum divini amoris, in quo consistit perfectio salutis et sanctitatis. Iuxta illud Col. III.: *Super omnia charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.* 15 Hanc in exemplo nobis suo commendavit Anna et Ioachim, quia ut Hieronymus ubi supra dicit, quod *in omnibus mandatis Domini incedebant irreprehensibiliter*, quod est signum charitatis. Ioh. XIV.: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.* 16 Tertium exemplum pietatis et miserationis, per quam sancti magna merita accumulavit. I. Thim. IV.: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae* etc. 17 Nam adeo in operibus pietatis se Anna et Ioachim exercebant, sicut dicitur, ubi supra, quod omnem substantiam suam trifarie dividebant. Unam partem templo et templi servitoribus impendebant, aliam peregrinis et pauperibus erogabant, tertiam sibi et familiae suis usibus reservabant. Quis Christianorum sic facit modo? Quartum exemplum devotionis, qua sancti homines fervidi sunt ad Deum et eius cultum. Nimirum cum in omni pietate per annos viginti sic stetissent, ut patuit supra, prolem ex coniugio non habentes voverunt Domino, quod si eis sobolem concederet, eam servitio Dei manciparent. Cuius rei gratia singulis annis in tribus festis praecipuis Ierusalem ascendebant, et Deo oblationes offerebant. Unde de his virtutibus apud Deum tantum sunt acceptabiles, ut scilicet eorum orationes exaudirentur, et ab angelis Dei frequentarentur, et gloriosissimam Virginem Mariam (mediante qua totus mundus salvatus est) concipere et gignere mererentur. De cuius modo nativitate non est praesentis sermonis texere historiam. O ergo homo, accipe ex vita sanctae Annae ista exempla sanctitatis, ut sis firmus in timore Dei cavendo peccata, et fortis in amore servando Dei praecepta! Sis pius et misericors in proximos ac devotus in Deum et eius cultum. Si enim haec feceris, acceptabilis eris Deo et salvaberis. O sanctissima Anna, pro Christi Iesu amore et Virginis Mariae, scilicet natae tuae devotione, ora pro nobis!

---

1 Sir 26,19 2 Ioh 15,5 3 Mt 10,22; cf. Mt 24,13 4 Rm 6,23 5 Sir 3,13 6 Nm 16,7 7 Eph 1,4-5 8 Ex 20,12 9 Lc 6,47 10 Mt 7,17 11 Cf. WALTHER, H., *Proverbia sententiaeque latinitatis medii aevi I-VIII*, Göttingen 1963-1983, no. 1260 12 Ps 110,10 13 Sir 25,15 14 Cf. Prv 14,16 15 Col 3,14 16 Ioh 14,21 17 I Tim 4,8

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXXVII.] Pro sancta Anna Sermo II. De gratia divinae benedictionis, qua refulsit *Gratia* – scilicet Dei – *sicut Paradisus in benedictionibus et misericordia in saeculum permanet.* Ecc. XL. 1 (A) Haec verba licet sint dicta generaliter, tamen praecipue possunt dici de sancta Anna. Primo quidem, quia *Anna interpretatur et denominatur a gratia Dei*, ut dicit Hieronymus. Secundo, quia ut hanc auctoritatem exponens Lyra dicit, quod *sicut Paradisus est locus amoenus et bonis fructibus plenus, sic gratia Dei facit animam Deo amoenam et gratam ad Dei inhabitationem, et misericordia facit operibus bonis plenam.* Quae quidem omnia perfectissime fuisse comperiuntur in beata Anna, quae fuit misericordia et operibus sanctis plena, ac fructibus sanctae generationis abundantissimae, adeo quod ipse Christus, Dei Filius intantum dilexerit eius generationem, ut ex eius filia, scilicet Virgine Maria carnem assumeret, et sic inter fructus ipsius Annae habitaret. Merito ergo de sancta Anna haec verba accipiuntur pro sermone: *Gratia sicut* etc. Iuxta quae verba commendatur de triplici benedictione divina sibi collata. Et secundum haec tria notemus mysteria pro sermone: · Primo de benedictione gratuita, cum dicitur: *Gratia* etc. · Secundo de benedictione Paradisica, cum dicitur: *sicut Paradisus* etc. · Tertio de benedictione caelica, cum dicitur: *in saeculum permanet* (B) Circa primum de benedictione gratiae sive gratuita sufficiat tractare hanc quaestionem: Utrum vel qualiter possit homo cognoscere se esse in Dei benedictione. Ad quod recolligendo doctorum dicta respondetur per tres veritates.

Prima veritas secundum Petrum Aureoli in Compendio, quod *homo potest certitudinaliter cognoscere se esse in peccato mortali, et eo ipso in Dei maledictione*. Quia dicit Ps.: *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis, Domine*. 2 Item Augustinus: *Scio – inquit – omnem criminis esse inimicum Deo*. Item Eccli. XLI.: *Vae vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Altissimi, et si nati fueritis, in maledictione nasceremini, et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra*. 3 Si autem petas: Quomodo scit homo certitudinaliter se esse in peccato mortali? Respondetur secundum doctores, praecipue fratrem Angelum de Clavasio, quod: Primo cum quis recognoscit se mortale peccatum commisisse antea, nec tamen illud poenitet, nec aliquando poenituit. Secundo cum quis est in actu peccati mortalis. Tertio cum est in proposito peccandi in futurum vel voluntate. Omnes ergo tales sunt maledicti. (C) Secunda veritas, quod homo non potest scire certitudinaliter in hac vita pro omni tempore absolute ac finaliter, se fore in Dei gratia et benedictione. Nam benedictio Dei est collatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro, et de his pro finali et absolute homo est incertus. Iuxta illud Eccli.: *Nemo scit, utrum odio vel amore dignus sit*. 4 Nisi forte hoc sibi revelaretur a Deo. Et si petas: Quare homo de hoc non potest esse securus, respondetur, quod pluribus rationibus, secundum alphabetum: Primo ratione amissibilitatis, eo quod uno solo actu vel proposito peccati potest homo amittere Dei gratiam, quia contraria se mutuo expellunt. Secundo ratione bonitatis variabilis, quia etiam bonae voluntatis homo in hac vita quantumcumque firmatus potest variari, nec ipsa voluntas potest esse immutabilis, nisi cum attigerit ultimum finem, scilicet beatitudinem, qua totaliter impletur. Nam in statu viae non semper voluntas fertur actu in Deum, et ideo potest semper aliquid occurrere, per quod varietur et gratia Dei relinquatur. Apoc. II.: *Habeo adversum te patientiam, quia charitatem primam reliquisti*. 5 Tertio ratione cognitionis intellectus offuscabilis, quia omne peccatum praecipue in conscientiosis viris ex quadam ignorantia contingit. Unde et Philosophus dicit, quod *omnis malus est ignorans*. *Obiectum enim voluntatis non est nisi bonum, vel existens, vel apparens*, III. Ethicorum. Ex quo ergo homo per gratiam non redditur immunis in hac vita ab omni ignorantia et errore, ideo est labilis. Quarto ratione diversitatis passionis, quia per diversas passiones homo est alterabilis, nec gratia tollit alterationem passionum, et propterea homo per passiones est fragilis. Ideo I. Cor. IX.: *Qui se extimat stare, videat, ne cadat*, 6 unde pro remedio oportet semper orare, ut Deus det finalem perseverantiam. (D) Tertia veritas, quod probabili coniectura bene potest homo cognoscere se fore in gratia benedictionis divinae, et patet per fidem et dilectionis divinae experientiam vel per veram de peccatis poenitentiam ac virtuosa opera. Ad propositum auctoritas Apostoli II. Tim. II. dicit: *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc*, scilicet quod subditur: *Cognovit Dominus, qui sunt eius*, hoc quoad fidem. Sequitur: *ut discedat ab iniquitate*, scilicet per poenitentiam, *omnis, qui invocat nomen eius*, 7 scilicet in charitate. Itaque ut convertamus sermonem ad ipsam sanctam Annam, de qua nunc loquimur, advertendum est, quod in Sacra Scriptura inveniuntur quinque mulieres praecipue benedictae a Deo nominatim pro certis donis gratiarum, quae sunt tamquam quinque signa, per quae cognoscitur aliqua mulier fore coram Deo benedicta, vel etiam aliquis virorum, quae omnia fuerunt in sancta Anna. Prima est Sara, uxor Abrahae, scilicet patriarchae, quam Deus benedixit dando ei filium Isaac miraculose, cum esset nonagenaria, et Abraham, viro suo centenario. De hac benedictione Gen. XVII. dixit Dominus ad Abraham: *Benedicam ei*, id est Sarae, *et dabo ex illa tibi filium, cui benedicturus sum*, etc. 8 Sed per quid ipsa meruit hanc benedictionem cum suo marito et etiam filio, eodem libro Genesis satis claret, quod per fidem et cultum unius Dei ac eius oboedientiam. Ex quo patet clarum signum, quod coniugales mulieres et viri dum servant fidem Christi et oboedientiam praeceptorum Dei, benedicuntur a Deo in praesenti et in futuro. Hanc benedictionem habuit beata Anna per fidem et oboedientiam, per quam meruit generare Mariam, totius mundi mediatricem. O ergo homo, o mulier, tene veram fidem et mandata, ut benedicaris! Secunda mulier est Iahel, de qua Iudicum V.: *Benedicta inter mulieres Iahel, benedicatur in tabernaculo suo*. 9 Haec Iahel interfecit Sisaram, hostem filiorum Israel. Et interpretatur 'carnale coniugium', ut dicit Hieronymus. Et ideo significat tales, quae matrimonium iuste et fideliter observant, hostemque, scilicet castitatis adversarium, diabolum interficiunt, in quantum eius pravis suggestionibus non consentiunt, quia hoc est clarum signum benedictionis divinae in matrimonialibus. Hanc servavit Anna perfectissime, ergo etc. Tertia est Abigail, cui dixit David I. Reg. XXV.: *Benedicta tu, quae prohibuisti me, ne ulciscerer me*, etc. 10 Abigail interpretatur 'pater meus fortis', et ideo significat fortitudinem in bonis operibus, scilicet pietatis et misericordiae, quae Christum, filium David placant et ad misericordiam inclinant. Nam ipse ait Matth. V.: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. 11 Unde mulieres et etiam viri facientes opera misericordiae clarum signum habent benedictionis Dei. Beata Anna una cum marito tantum misericordes fuerunt, quod omnem substantiam trifarie dividentes unam sibi, secundam templi servitoribus, tertiam pauperibus impendebant. Quarta est Iudith, cui dixit pontifex: *Benedicta es tu, filia Deo excelso*. 12 Haec fuit vidua castissima, quae occidit Holofernem, Iudith XIII. Significat ergo mulieres castas, quia tales perimunt hostem, id est diabolum illi resistentes. Hoc enim est clarum signum benedictionis divinae, quia ut scribitur Sap. VIII.: *Contentia donum Dei solius est*. 13 Magnae ergo benedictionis est, cum quis in tempore virginitatis mundum se per omnia custodit, et tandem in matrimonio caste se habet, ut decet, ac postea in viduali statu continens est. Talis fuit beata Anna, ergo etc. Quinta mulier Beata Virgo Maria, quae etiam nominatim est benedicta, angelo dicente Lu. I.: *Benedicta tu in mulieribus*. 14 Ipsa autem super omnes benedici meruit, quia omni virtute et gratia plena fuit. (E) Per hoc ergo docetur, quod omnes mulieres et viri, qui ipsam gloriosam Virginem Mariam devote amant, et imitari in puritate, humilitate, castitate, sobrietate, patientia, charitate ac aliis virtutibus pro posse conantur, clarum signum divinae benedictionis habent. Unde Ps.: *Benedictionem dabit legislator*, id est Deus. Sequitur: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*, 15 quod dicit, quod proficere in virtutibus, usque quo tandem videbitur Deus in patria, scilicet cum Beata Virgine et sanctis. Talis profectus signum est benedictionis Dei. Ad propositum beata Anna omnium gratia virtutum et sanctitatis plena inter alias sanctas mulieres – citra tamen Virginem Mariam – perfectissima probatur fore, ex hoc, quia ut Chrysostomus ait et experientia docet: *communiter filiae sive puellae mores matrum educantium eas imitantur*. Sed quoniam Beata Virgo Maria fuit filia beatae Annae ab eaque educata, ergo sequitur, quod fuerit valde conformis ipsi in omnibus moribus et virtutibus prae aliis mulieribus. Unde sicut Virgo Benedicta fuit

virtuosissima, ita et eius gloriosa mater, Anna licet minus plena gratia, tamen fuit mulier sanctissima et omni virtute decora. O ergo omnes virgines, imitari studete praecipue Beatam Virginem Mariam, et eam devotius amate! O omnes vos coniugati, o omnes viduae, accipite exempla salutis, scilicet fidelitatis, castitatis, pietatis, humilitatis et virtuositatis in Beata Virgine Maria et post eam in sanctissima eius matre, Anna, ut mereamini benedictionem consequi a Deo et vitam aeternam. (F) Circa secundum de Paradisi benedictione vel assimilatione accipiamus pro conclusione, quod beatae Annae gratia merito comparatur Paradiso pro sua spirituali congruentia. Declaratur ex quinque proprietatibus secundum alphabetum: Prima proprietas Paradisi, quod scilicet est altae situationis. Nam si quaeratur, ubi situs sit Paradisus terrestris in mundo, respondet Damascenus li. II. c. XI., quod *Paradisus est in oriente positus, omni terra – inquit – excelsior*. Concordant Rabanus super Genesin, Basilius, et Ambrosius in Hexaemeron dicens, quod *Paradisus est in oriente in altissimis montibus pertingens usque ad lunarem circumulum, unde et aquae diluvii illuc non pervenerunt, et a cunctis regionibus, quas nunc incolunt homines, secretus*. Haec ille. Sic spiritualiter beata Anna habuit hanc gratiam, ut esset altissimae sanctitatis prae aliis hominibus, a qua verus sol iustitiae, Christus ortum cepit in mundo per Virginem Matrem. Unde Hieronymus in sermone, qui incipit „Postulatis filiae etc.” de ea dicit: *Haec est res praecelsa, res praeclara et omni laude digna. Haec est caelum excelsum, de qua stella maris ad ortum processit*. O ergo Christiane, multum debes venerari talem et tantam sanctam, quam Christus tanta gratia sublimavit, ut esset avia Christi dignissima. Secunda proprietas, quod Paradisus est boni odoris et amoenae conditionis. Unde Damascenus ubi supra dicit, quod *est temperato aere et purissimo fulgens, plantis semper floridus et bono odore ac lumine plenus, divina regio et digna eius, qui ad imaginem Dei factus fuerat, conversatio*. Haec ille. Unde ibi nec turbatio aeris, nec aliae molestiae sunt. Sic spiritualiter beata Anna exstitit in sua conscientia adeo pura et virtutibus semper florida, odoreque conversationis sanctae plena, ut merito Deus sibi eligeret pro habitaculo conversationis. Unde Augustinus super Genesin ad litteram dicit: *Laetitia bonae conscientiae Paradisus est pollens affluentia gratiarum et deliciarum scilicet divinarum*. Item Hugo in II. De anima c. IX. dicit, quod *conscientia munda templum est Christi, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti*. (G) Tertia proprietas est custodiae angelicae et conversationis. Nam Isidorus Etymologiarum XIV. dicit, quod *Paradisus undique est saeptus rhomphaea flammea, id est muro igneo, ita ut eius cum caelo paene iungatur incendium. Cherubim quoque, id est angelorum praesidium ipsum cingit, ut flamma homines, angeli, daemones submoveant*. Haec Isidorus. Item Chrysostomus in homilia ad Heb. XV. dicit: *Angeli non solum apparuerunt, sed etiam conversabantur in Paradiso*. Sic beata Anna ab angelis custodiebatur et frequentabatur, ut testatur Hieronymus in sermone „Postulatis” dicens sic: *Haec est sterilitas fecunda et simplicitas sancta, quae ab angelis in templo frequentata et inter eos quasi domestica peperit*. Haec ille. Quarta proprietas, quod est deliciosae fructificationis et eius decoris, quia ut scribitur Gen. II.: *Produxit Deus in Paradiso omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitae in medio Paradisi*. 16 (H) Sed quaeritur: quotiens ibi arbores fructificant? Respondetur secundum Petrum Aureoli in Compendio li. II. c. LXIV., quod *in Paradiso arbores quolibet anno bis fructificant, eo quod duae ibi sunt aestates, sed temperatae, ut patuit. Nam in utroque aequinoctio habet sol accessum super eum, eo quod Paradisus est sub aequinoctiali circulo positus, et sic in utroque aequinoctio anni habet sibi aestatem et fructuum productionem quolibet anno a sole accedente, et per consequens duas aestates. Unam circa festum Gregorii, quando est aequinoctium. Aliam similiter circa Michael*. Ad propositum: Sic spiritualiter Anna a Deo habuit hanc gratiam Paradisiacam, ut omnis sanctae pulchritudinis in eius hortulo generationis producta sint ligna, id est sancti apostoli praecipui Iacobus maior, Iohannes et Iacobus minor in utero materno sanctificatus, et Simon et Thaddeus et Ioseph iustus, qui et Barsabas, atque sanctae mulieres tres Mariae, ut patuit in sermone primo „H”. Et inter eos, sicut in medio Paradisi lignum vitae – hoc est Christus. Unde Hugo De arca Noe li. II. c. XV. dicit, quod *sicut in primo Paradiso, scilicet terrestri est lignum vitae arbor materialis, sic in secundo, scilicet in Ecclesia est lignum vitae humanitas Salvatoris*. Denique sicut in Paradiso arbores bis fructificant, ut patuit, ita spiritualiter ex sancta Anna duplicis sexus fructus provenit, scilicet Christus et Maria, et sancti discipuli ac sanctae discipulae, et sic merito eius gratia benedictioni Paradisi assimilatur. Quinta proprietas, quod est electae habitationis, quia ut Damascenus ubi supra et concordans Petrus Aureoli in Compendii libro quo supra: *In Paradiso nihil irrationabilium habitat, sed solus homo, divinarum manuum plasma, quia pro solis hominibus factus est*. Et ut Gregorius in Moralibus dicit: *Ibi soli electi homines fuissent nati, si Adam non peccasset*. (I) Sed si obicias et quaeras: Quomodo ergo serpens, qui primos homines temptavit, intrare Paradisum potuit? Respondetur secundum Petrum Aureoli ubi supra, quod *serpens ille intravit non nisi ministerio diaboli*. Haec ille. Sic spiritualiter ad propositum applicando beata Anna hanc gratiam habuit, in quantum in suae generationis Paradiso nullus reproborum vel damnatorum hominum exstitit, qui pro irrationabilibus reputantur propter vitam brutalem. Iuxta illud Ps.: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus* etc. 17 Sed soli electi sancti ex ea prodierunt, et quod maximum est, ipse electorum caput, Christus per eius filiam virginem ortus est. O ergo gloriosissima domina et benedicta femina, te laudamus, te glorificamus, recommenda nos tuae filiae Mariae et eius nato Christo Iesu benedicto, ne pereamus, sed ad vestra gaudia perveniamus! (K) Circa tertium de caelesti benedictione sit pro conclusione, quod benedictus Deus ipsi beatae Annae tantam contulit benedictionem, ut per eius fructum et cognationem tota caelestis curia per omnem sanctorum ordinem haberet iucunditatem et decorem – declaratur. Primo quidem in ordine patriarcharum eius fulget benedictio, quia ipsa genuit Virginem Mariam, quam omnes sancti desiderant videre, et per quam tamquam mediatricem omnes electi habent salvari. Nam ut canit Ecclesia: *Per eam salus mundi credentibus apparuit*. Et Augustinus in sermone de nativitate Virginis dicit: *Mater generis nostri – scilicet Eva – poenam intulit mundo. Genetrix Domini nostri salutem attulit mundo. Maledictio Evae in benedictionem mutatur Mariae*. Et sic patet, quod beata Anna gaudium habet et benedictionem patriarchalem et cum patriarchis, quia ipsa est matriarcha omnium salvandorum, in quantum est mater Dominae omnium. Secundo in ordine prophetarum habet cognatum Iohannem Baptistam, qui fuit optimus prophetarum et *maior inter natos mulierum*, Matth. XI. 18 Nam Iohannes



Baptista fuit filius Elisabeth, quae fuit filia Ismeriae. Ismeria fuit soror beatae Annae, ut dicit Beda in chronicis et ecclesiastica historia. Tertio in ordine apostolorum et evangelistarum habet nepotes sanctissimos, scilicet Iohannem apostolum et evangelistam, Iacobum, Simonem et Iacobum minorem ac Thaddeum apostolos. Et in ordine discipulorum habet nepotem, Ioseph iustum, qui dictus est Barsabas. Quarto in ordine martyrum, quia praedicti apostoli sunt martyres. Quinto in ordine confessorum habet cognatum sanctum Servatium, nepotem sanctae Eliud, quae fuit soror sanctae Elisabeth, matris Baptistae, secundum Bedam et ecclesiasticam historiam, et Ioseph praedictum. Sexto in ordine virginum Beatam Dei Matrem et Iohannem evangelistam. Septimo in ordine viduarum habet sanctam Mariam tertiam filiam, quae mortuo Zebedeo secuta est Christum, et tenuit viduitatem. Octavo in ordine coniugatorum habet filiam sanctam Mariam secundam, quae dicta est Maria Cleophae. Et sic patet, quod singuli ordines eam benedicunt. Nono praeterea omnes ordines angelorum de eius fructibus tam gloriosis congratulantur, et ipsam beatam dicunt. Si enim *gaudium est super uno peccatore poenitentiam agente* (Lucae XV. 19), quanto magis de talibus sanctis. Decimo super omnes angelorum ordines in throno Dei ipsa beata Anna laetitiam et benedictionem possidet perpetuum, quia ibi habet nepotem carissimum, scilicet Christum Iesum in dextra Dei Patris sedentem, et filiam carissimam, Virginem Mariam in dextera Christi consistentem. O ergo gloriosissima domina, non tantummodo simpliciter, sed multipliciter beata, impetra nobis gratiam et gloriam. Amen.

---

1 Sir 40,17 2 Ps 118,21 3 Sir 41,11-12 4 Ecl 9,1 5 Apc 2,4 6 I Cor 9,12 7 II Tim 2,19 8 Gn 17,16 9 Idc 5,24 10 I Sm 25,33 11 Mt 5,7 12 Idt 13,23 13 Cf. Sap 3,9 14 Lc 1,28 15 Ps 83,8 16 Gn 2,9 17 Ps 48,13 (21) 18 Mt 11,11 19 Lc 15,10

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXXVIII.] De sancta Anna Sermo III., videlicet de privilegiorum eius dignitate *Adoravit Anna Dominum et ait: Exsultavit cor meum in Domino*. Primo li. Reg. II. c. 1 (A) Quamvis haec scripta sint de Anna, matre Samuelis prophetae, tamen optime accipi possunt etiam de ista sancta Anna, quae peperit gloriosissimam Virginem Mariam, matrem Domini Iesu Christi. Tum quia sicut illa sancta mulier vocata est Anna, sic et ista. Tum quia sicut illa fuerat sterilis, et per preces obtinuit ac per oblationes prolem, sic et ista sanctissima Anna, cuius hodie festum colitur, fuerat sterilis per viginti annos in sacro coniugio Ioachim prolem non habens, sed tandem per preces et oblationes persanctissimam prolem divino munere promeruit, scilicet gloriosissimam Virginem Mariam, *per quam salus mundi credentibus apparuit*, ut canit Ecclesia. Sed quoniam ut Cassiodorus super Ps. LXXVII. ait: *Nimis improbum constat esse delictum a Deo beneficia petere, eisque perceptis debitas gratias non referre*. Haec ille. Idcirco beata Anna pro tali et tanto munere ac multiplici gratiarum dono sibi collato gratias agere debebat, quod et fecisse creditur. Unde convenienter de ea dici potest, quod adoravit Anna Dominum et ait: *Exsultavit cor meum in Domino* etc. Iuxta quae quidem verba prosequendo beatae Annae privilegia a Deo collata. Ex quo eius benedicta filia, gloriosissima Virgo Maria fulgere describitur *duodecim stellarum corona*, ut patet Apoca. XII. 2 Ideo ad ipsius filiae quoque videlicet Mariae honore in hoc sermone describemus duodecim privilegia, quibus beata Anna est coronata, ut sic honoremus et filiam ex matris honore. Nam Ecc. III.: *Gloria hominis ex honore parentis*. 3 Etenim *per intercessionem matris et eius filiae propitiationem divinam facilius consequemur*, ut dicitur in collecta consueta in Ecclesia. Dicamus itaque secundum thema praemissum, quod *adoravit Anna Dominum*, scilicet gratias agendo, et *exsultavit in Domino* pro his duodecim privilegiis gratiose sibi collatis: · Primum privilegium dicitur amabilis praelectionis · Secundum dicitur notabilis praefigurationis · Tertium dicitur nominalis gratiositatis vel gloriationis · Quartum dicitur excellentis nobilitationis · Quintum dicitur reverentialis celebrationis · Sextum dicitur opulentis fructificationis · Septimum dicitur spiritualis solatii vel consolationis · Octavum dicitur angelicalis visitationis · Nonum dicitur irreprehensibilis conversationis · Decimum dicitur divinalis cognationis · Undecimum dicitur imperialis impetrationis · Duodecimum dicitur curialis caelestis venerationis (B) Primum privilegium amabilis praelectionis, quia nimirum ante saecula est ipsa a Deo praelecta, ut fieret mater genitricis Christi, electio autem praesupponit amorem vel Dei dilectionem. Quaeritur namque, quos vel quales homines Deus amat ab aeterno. Ad hoc respondet Magister in III. li. dist. XXXII. c. ultimo sic: *Dicimus – inquit – de electis solis simpliciter hoc esse concedendum, quod Deus ab aeterno eos dilexit, quos ad iustitiam et coronam praeparavit. De non electis vero simpliciter est concedendum, quod odio habuit eos Deus, id est reprobavit, sicut legitur: Iacob dilexi, Esau odio habui. Malach. I.* 4 Haec Magister. Ex quibus verbis Magistri secundum Bonaventuram et communiter doctores tres potissimas veritates notemus pro documento. Prima veritas est, quod bonus Deus non diligit homines malos et reprobos, sed odit ab aeterno. Nam scribitur Eccli. XII.: *Altissimus odio habet peccatores*. 5 Augustinus: *Scio Deum inimicum esse omni criminoso*. Hoc autem ostendit Deus in multis exemplis. Primo in angelis, quia tot milia angelorum propter peccatum de caelo aeternaliter puniendos detrusit. Secundo in primis parentibus nostris, quos propter peccatum cum omnibus suis posteris de Paradiso expulit, et a caelesti hereditate plus quam usque ad quinque milia annorum exclusit. Tertio in creaturis humanis et aliis, quia totum mundum diluvio perdidit propter peccatum, et omnia animantia in pecoribus et volucris delevit praeter octo homines et illa, quae in arca Noe fuerunt. Quarto in temporibus modernis. Nam innumera mala, pestilentiae et clades hominibus pro peccatis veniunt, et omnis infirmitas et mortis necessitas pro peccatis nostris accidit. Quinto in operibus nostris, quia nullum opus et servitium nostrum placet Deo in peccato mortali factum. Unde Gregorius: *Perpendite – inquit – peccati malum, quia etiam illa, per quae peccata laxantur (puta sacramenta), in peccatis abiciuntur*. Idem: *Nulla bona a Deo acceptantur, quae peccatorum admixtione maculantur*. Sexto in mortuis malis, quia omnes peccatores in infernum detruduntur, et aeternaliter cruciantur. Unde Magister in II. dist. XLII.: *Peccatum mortale est, quod obligat ad gehennam*.

Athanasius: *Qui mala egerunt, ibunt in ignem aeternum.* O Deus aeternae, quid est, quod tot mala et errores non deterrent peccatores? Septimo in consideratione praescientiae divinalis, quia Deus ab aeterno praedestinavit peccatoribus impenitentibus, quod numquam suam faciem sint visuri. Isa. XXVI.: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* 6 O ergo peccator, pertimesce peccare, et age poenitentiam, ne pereas! (C) Secunda veritas, quod Christus ad aeternam salutem ab aeterno dilexit et diligit bonos et electos. Nam secundum VIII. Ethicorum et IX.: *Dilectio amicitiae in benivolentia fundatur.* Illos ergo Deus diligit, quibus bonum voluit ab aeterno, et vult. Bonum ergo quoddam est infimum, quoddam maius, quoddam maximum. Et secundum Gregorium *bona infima sunt terrena bona, ut divitiae, honores et similia prospera, vel sanitas corporis et huiusmodi. Media sunt, quibus possumus uti bene et male, ut doctrina, prophetia, virtus curationum et omnis gratia gratis data, sicut scientia, sapientia humana et opera indifferentia. Summa autem bona in praesenti sunt fides, spes, charitas, et in futuro gloriae praemium, quae cum veraciter habentur, in malum flecti non possunt.* Haec Gregorius XXVII. Moralium. Deus ergo diligit peccatores quidem bonis primis, scilicet infimis et mediis, summis autem tantummodo bonos et electos diligit, quibus salutem aeternam ab aeterno voluit. Sed obicere potes, quia Christus omnes diligit, quos vult salvos fieri, sed *ipse vult omnes homines salvos fieri* (I. Tim. II. 7), ergo omnes diligit. Item angeli non tantum serviunt electis, sed etiam malis et infidelibus custodiendo, ut dicit Hieronymus, et sic omnes volunt perducere ad vitam aeternam ex charitate, ergo et Deus omnes diligit ex charitate. Respondet Bonaventura super III. dist. XXXI. in quaestione circa litteram, quod *sicut voluntas in Deo est duplex, scilicet voluntas antecedens et voluntas consequens. Voluntas antecedens est solummodo ex ipso. Voluntas vero consequens pendet ex causa nostra. Per hunc modum – inquit – distinguenda est dilectio in Christo, videlicet dilectio, quae est secundum voluntatem antecedentem, et hac quidem omnes diligit, quia omnes salvari cupit, quantum est ex se, ut arguitur supra. Et est dilectio secundum voluntatem consequentem, et hac non omnes diligit, nec omnes salvare cupit, quia haec respicit merita nostra finalia, et sic defectus est ex parte nostri.* Haec Bonaventura. (D) Tertia veritas, quod Deus ab aeterno praedilexit illos, quos praevidebat meliores fore homines. Proinde Magister in III. dist. XXXII. c. I. dicit sic: *Cum dilectio Dei sit immutabilis et aeterna, alium tamen magis et alium minus diligit.* Et infra: *Quis digne posset loqui, quantum diligat membra unigeniti sui, et quanto amplius unigenitum ipsum.* Et c. III. allegat Augustinum dicentem sic: *Absit, ut Deus aliquem temporaliter diligat, quasi nova dilectione, quae in ipso ante non erat. Itaque omnes sanctos ante mundi constitutionem dilexit, sicut praedestinavit.* Haec ibi. Hoc autem secundum Bonaventuram declaratur sic, quia *cum diligere sit idem, quod velle bonum, aequalitas dilectionis potest attendi – inquit – dupliciter: Aut ex parte actus volendi, et sic Deus omnia diligit aequaliter, quia non magis vult bonum alicui, quam alteri, immo ipso summo amore suo vult bonum, cuicumque vult. Aut ex parte boni voliti, sic cum maius bonum velit uni, quam alteri, non omnia diligit aequaliter, sed quosdam maxime, scilicet praedestinavit ad gloriam maiorem, et quosdam minus.* Ad propositum: Ex quo beata Anna est praedestinata et electa ab aeterno ad summam hanc gloriam, ut foret mater Mariae et avia Christi, sequitur, quod scilicet sit privilegio maximo adamata. (E) Secundum privilegium notabilis praefigurationis. Nam haec sancta Anna pro eo scilicet, quod genuit matrem Christi, praefigurata est in Scripturis notabiliter, prout dicit Hieronymus sermone, qui incipit „Postulatis filiae Ierusalem etc.”: *Primo quidem praefigurata est per terram sanctam, quae protulit rubum, quem vidit Moyses ardentem, sed incombustum permanentem, Exo. III. Sic enim sancta Anna tamquam terra sancta genuit virginem Mariam integra virginitate Deo fecundam. Ibi enim apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, ut scribitur, ubi supra. Sed in Virgine apparuit nobiliter per incarnationem. Secundo praefigurata est secundum Hieronymum ubi supra per caelum, de quo stella maris ad ortum processit. Tertio secundum eundem per radicem, de qua egressa est virga Iesse, Isa. XI.: Egregetur virga de radice Iesse et flos etc. 8 Quarto per arborem bonam, de qua excisa est virga Aaron, quae sicca permanens per se divinitus floruit et amygdalas produxit, Numeri XVII. 9 Haec et plura ubi supra secundum Hieronymum. Tertium privilegium nominalis glorificationis et gratiositatis. Unde Hieronymus ubi supra dicit: *Merito mater Dei genitricis, cuius hodie sollempnitatem devotissime celebramus, dicitur Anna. Anna vero gratia dicitur, quia gratia erat plena, felix et omni laude dignissima. Ex hac enim terra illa sumpta est, de qua veritas orta est, ex hac clavis David est facta, per quam Paradisi porta cunctis est patefacta.* Haec ille. (F) Ubi nota, quod in Scripturis leguntur quattuor mulieres Deo gratiae hoc nomine ‘Anna’ vocatae. Prima fuit mater Samuelis prophetae, de qua I. Reg. I., quae tantae gratiae apud Deum exstitit, quod cum esset sterilis, Deus orationem illius exaudivit, et filium sanctissimum prophetam, scilicet Samuelem parere meruit. Sed maiorem hac gratiam Anna ista promeruit apud Deum sua oratione, ut scilicet sanctissimam sanctorum omnium, per quam salus est omnibus, scilicet virginem Mariam, cum foret ipsa sterilis ab annis XX, gigneret. Secunda Anna fuit uxor Tobiae, quae unicum filium, scilicet Tobiam in peregrinatione positum legitur lamentasse irremediabilibus lacrimis, Tob X. Ista beata Anna maiorem gratiam habuit, cum tres maritas sanctissimas, Christi passionem amarissime lamentantes genuit, et quamdiu ipsa supervixit, filiae suae Mariae et Christo in Aegyptum peregrinanti compassa creditur amarissime. Et si forte in passionis tempore supervixit, non dubium est eam cum suis irremediabiliter flevisse. Tertia fuit Anna uxor Raguelis, de qua Tob. VII., quae filiam Saram peperit, quam nullus in coniugium potuit habere motus ex sola voluptatis libidine. Beata ista Anna filiam peperit Mariam virginem, quam nullus unquam concupiscere carnaliter potuit, ut dicit Bernardus. Quarta fuit Anna filia Phanuel, quae Christum videre et confiteri meruit, Luc. II. 10 Haec summam gratiam habuit, quae matrem Christi parere et Christum videre, amplexari et fovere ut nepotem promeruit, merito ergo dicta est Anna. Quartum privilegium excellentis nobilitationis. Omnes enim nobilitates generosae ab Adam et patriarchis ac regibus et ducibus Iudaeorum descenderunt in beatam Annam. Quae quidem stirpe regia David nata fuit, ut canitur in officio, quia per eam debuerunt descendere in Christum. (G) Quaeritur, utrum beata Anna in generis nobilitate praefereatur merito omnibus nobilibus mundi, scilicet post Mariam; ad quod respondetur, quod sic. Et declaratur triplici ratione praecipua. Prima ratio ex parte prolis, scilicet Beatae Virginis Mariae et Christi, quia evangelistae omnes praeclearitates, ingenuitates et nobilitates, quae possunt esse in hominibus, scilicet patriarchalem, regalem, sacerdotalem, ducalem, iudicalem, prophetalem et huiusmodi secundum originem*

sanguinis ab Adam per Abraham patriarcham descendisse describunt secundum originem sanguinis in Christum regem regum, vel descendens, ut patet Matth. I., vel ascendens, ut Luc. III., quibus patet, quod evangelistae intendunt nobilitatem Christi et matris eius praeferre omnibus imperatoribus, regibus et nobilibus. Sed constat, quod haec nobilitas per Annam descendit in Mariam et Christum. Sicut ergo Christus est rex regum, et Beata Maria regina reginarum, sic post eam Anna merito dicitur nobilissima matrona nobilium. Secunda ratio ex parte propriae virtuositatis. Nam quaero te, quare dedit Deus Adae et suis posteris nobilitatem summam, scilicet innocentiae et virtuositatis, sine qua alia omnis nobilitas est nulla apud Deum. Unde Hieronymus ad Cellentiam dicit: *Sola apud Deum libertas est non servire peccatis, nobilitas summa est clarum esse virtutibus*. Item Aristoteles I. Politicorum: *Nil aliud, quam virtus et vitia determinant servum aut liberum*. Utique omnis nobilitas Deo grata. Idcirco est Adae data, ut per generationes descendens in Mariam, per eam Christus nascens ex Virgine omni gratia plena honoraretur in sui originis dignitate et sanctitate ac virtuosa nobilissima. Non enim decuit Deum nasci nisi de mundissima et sanctissima, ut secundum carnem etiam nobilissimus omnium esset. Et ideo omnis nobilitas generis et virtutis debuit esse in Anna prae ceteris, ut per eam descenderet in Virginem. Tertia ratio ex parte efficaciae et utilitatis, quia ex Anna nata est Maria, et ex Maria Christus Deus noster et rex omnium, per quem omnes electi veniunt in libertatem filiorum Dei aeternalem. Et sic patet, quod ipsa est nobilissima. (H) Quintum privilegium reverentialis celebrationis, quia per orbem celebratur festum Annae in Ecclesia. Quaeritur: Cur Ecclesia magis celebrat festum Annae, quam Ioachim, cum enim *pater sit principalior in generatione, quam mater* secundum Philosophum – deberet ergo fieri econverso? Sed respondetur, quod huius una ratio est, quia anima Beatae Virginis creata est in utero sanctae Annae, quia anima humana secundum Augustinum, ut patet li. Sententiarum dist. XVIII. creatur in corpore organizato in utero materno et non extra. Nam anima in creando infunditur et infundens creatur. Alia ratio, quia Deus maiora fecit miracula in Anna, quam in Ioachim, quia ibi sanctificavit tabernaculum suum Altissimus prae omnibus sanctificatis. Et secundum nostros doctores praeservavit Virginem Beatam ab originali peccato in utero Annae, ergo etc. Sextum privilegium opulenti fructificationis. Maximum enim fructum fecit in caelo prae omnibus aliis hominibus. *Ex fructu autem cognoscitur arbor*, Luc. VI. 11 Primum enim et optimum fructum fecit Beatam Mariam, de qua Bernardus: *O Maria, per te Infernus evacuatur, caelum reseratur, angeli reparantur, homines salvantur*. Secundus fructus: secunda Maria generans quattuor discipulos. Tertius fructus: Maria tertia generans duos apostolos, et omnes hi innumerabiles homines ad caelum perduxerunt. De his sermone primo „H”. Septimum privilegium spiritualis consolationis. O devota mens, cogitare potes, quantas consolationes habuit Anna in spiritu, quotiens Christum amplexabatur, osculabatur, et etiam eius Matrem Virginem, quae omni gratia et suavitate plena fuit. Quae etiam, ut pie credo, sicut filia suae matri solet secreta sua patefacere, sic ipsa Annae patefecit mysteria incarnationis divinae, et sic multas consolationes hausit in Christo suo nepote carissimo et pulcherrimo. Nam matronae dicunt non minus affici avias erga nepotes, quam ad filios proprios. Octavum privilegium angelicae visitationis. Unde Hieronymus in sermone „Postulatis” dicit sic de ea: *Haec est sterilitas fecundata et simplicitas sancta, quae ab angelis in templo frequentata inter eos quasi domestica peperit*. Dicitur etiam in officio eius novo, quod Anna iuvenula fuit in templo sancto enutrita, et per angelum de conceptu Mariae praemonstrata. Nonum privilegium irreprehensibilis conversationis, quia ipsa cum Ioachim marito erant ambo iusti, Deum timentes et in omnibus Dei mandatis irreprehensibiliter incedentes, coram Deo et hominibus, ut dicit Hieronymus ubi supra et in officio. Nam revera magnum hoc privilegium sanctitatis erant, quod essent sine omni peccatireprehensione, quia ut Augustinus ait XXI. De civitate Dei, *paucissimi sunt inter sanctos tantae felicitatis, ut numquam damnabilia peccata commissa sint ab eis*. Praeterea magnum etiam hoc erat, quod omnem substantiam trifarie dividens unam partem templo et eius servitoribus, aliam pauperibus erogabant, tertiam sibi et familiae usibus reservabant. O Deus, quis hodie etiam decimam partem substantiae erogat? Decimum est divinalis cognationis, in quo habet plurimas praerogativas. Prima, quia ipsa est Christi avia, et Christus Dei Filius ipsius est nepos. Secunda, quia cum Christus sit idem Deus cum Patre et Spiritu Sancto, ex hoc habet quandam propinquitatem ad Patrem et ad Spiritum Sanctum. Tertia, quia est genitrix reginae caeli, Mariae. Quarta, quia ex hoc ipso est domina angelorum et hominum, quia *quidquid est superius superiore, est superius inferiore*, II. Topicorum, sed ipsa habet quandam superioritatem, scilicet maternitatis ad Christum et eius matrem, ergo et super omnes creaturas Christo subiectas.

(I) Quaeri potest: Qualiter ad tantam gratiam ipsa de congruo fuit digna? Respondetur, quod praecipue per quattuor haec meruit de congruo ex Dei bonitate. Nam et per haec quattuor mulieres promerentur apud Deum magnam gratiam et apud homines laudem et gloriam. Primo per mandatorum Dei observationem, Eccli. XXVI.: *Mandata Dei in corde mulieris sanctae*. 12 Secundo per Christi devotionem. Unde Augustinus exorando Mariam dicit: *Intercede pro devoto femineo sexu* etc. Tertio per pietatem ad pauperes, I. Timo. I.: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens* etc. 13 Quarto per pudicitiam castitatem, sive virginalem, sive coniugalem, sive vidualem. De hoc versus: *Sunt tria grata Deo, nec non homini toto mundo. Servus fidus, uxor casta, sive amicus*. Undecimum privilegium imperiosae impetrationis. Cum enim alii sancti habeant suffragia a Christo impetrare suis devotis solummodo per modum supplicationis, ipsa beata Anna autem sicut avia Christi habet consimile ius imperandi et praeciipiendi ipsi Christo ac mater Maria, nec est fas negare, scilicet ut postulat iuxta illud Exo. XX.: *Honora patrem et matrem*, 14 quod est maximum sibi datum privilegium prae aliis sanctis. Duodecimum privilegium curiae caelestis venerationis. Tota enim curia caelestis habet eam veneratione dignissimam, in quantum ex ea prodiit regina caelestis, et est avia caelestis regis Christi, Filii Dei, quia ex hoc ipso habet praerogativam, quod ipsa est domina omnium angelorum et hominum, ut supra dictum est. Avia enim regis domina est servorum illius. Item ex hoc ipso habet ius, quod veneretur ut mater, scilicet omnium electorum, quorum omnium mater est Maria, ut dicit Anselmus et Bernardus. Sed ipsa beata Anna est mater matris omnium, id est Virginis Mariae, sponsae Dei et genitricis Christi, Filii Dei, ergo omnes filii Dei, scilicet Christiani ipsi beatae Annae quodam iure adoptionis et venerationis et dilectionis sunt obligati, tamquam filii spirituales et adoptivi. Unde XXX. q. III. c. „Ita diligere” dicit Nicolaus papa, quod ita diligere debet homo patrem vel matrem aut fratres spirituales ac adoptivos, sicut carnales. Et ad idem facit ibidem c. „Per adoptionem” et ff. de ritu



nupti. L. adoptivus. O ergo beatissima femina, o superfelix et gloriosa domina, non simpliciter, sed multipliciter in te et tuis natis et potissime in Christo superbenedicta et beata te veneramus, te nos miseri peccatores deprecamur, ut apud Christum una cum tua superbeatissima filia, Virgine scilicet Maria ac ceteris tuis natis et nepotibus pro nobis intercedere digneris, ut detur nobis gratia et gloria. Amen. Pro sancta Anna quartum sermonem iuxta thema: „Mulier timens Deum ipsa laudabitur”, vide in communi sanctorum. Ibi scribendum reliqui, ut pluribus sanctis mulieribus deserviat, sicut placuerit.

---

1 I Sm 2,1 2 Apc 12,1 3 Sir 3,13 4 Mal 1,2-3 5 Sir 12,3; 12,7 6 Cf. Is 26,10 7 I Tim 2,4 8 Is 11,1 9 Nm 17,8 10 Lc 2,36 11 Cf. Lc 6,44 12 Sir 26,24 13 I Tim 4,8 14 Ex 20,12

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XXXIX.] Sequitur de sancta Martha sermo cum legenda *Diligebat Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum*. Ioh. XI. 1 (A) Christus volens ostendere, quantum diligeret hospitari in corde humano per gratiam, voluit hospitari saepius apud Martham, qui tamen in nativitate sua noluit habere hospitium, nec etiam voluit in morte habere, nec in vita proprium domicilium. Unde in alieno stabulo fuit natus, in aliena domo conversatus et in alieno sepulchro sepultus, propter quod dixit Matthaei VIII.: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet*. 2 Licet itaque corporale hospitium proprium noluerit habere, spirituale tamen, id est cor nostrum tantum desiderat, ut etiam ostiatim illud semper quaerat die ac nocte, dicens Apoc. III.: *Ego sto ad ostium et pulso, si quis audierit vocem meam, et aperuerit ianuam, intrabo, et cenabo cum illo*. 3 Ut ergo hoc in mysterio etiam exemplo actionis edoceret, diligebat Martham et Magdalenam et Lazarum, eo quod frequenter hospitabatur apud illos. Ad honorem ergo scilicet beatae Marthae convenienter haec verba assumuntur. Iuxta quae tria mysteria notabimus pro hoc sermone: · Primum de familiari Iesu dilectione, ibi: *diligebat Iesus* · Secundum de hospitali eius susceptione, scilicet a Martha etc. · Tertium de privilegiali sublimatione, qua dilexit Christus Martham (B) Circa primum de Iesu dilectione, scilicet erga Martham, Magdalenam et Lazarum beatus Augustinus in homilia super hoc passu evangelico movet quaestionem talem dicens sic: *Quomodo per Lazarum peccator significatur, et a Domino sic amabatur?* Et respondendo subdit: *Audiat, scilicet qui haec quaerit, eum, id est Christum dicentem: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Si enim Dominus peccatores non amaret, de caelo ad terram non descenderet*. Haec ille. Quaeritur ergo, utrum Deus aliquo modo diligat et vero amore homines peccatores. Nam videtur, quod sic, quia scribitur Sap. X.: *Diligis omnia, Domine, et nihil odisti eorum, quae fecisti*. 4 Item *omnia exoptant summum bonum*, secundum quod dicit Boethius et Dionysius. Sed tunc dicitur Deus diligere creaturam aliquam, quando ad se convertit illam per dilectionem, magis enim diligere dicitur effectum, quam affectum. Prover. VIII.: *Ego enim – ait – diligentes me diligo*. 5 Ergo videtur, quod Deus diligat peccatores. Sed in contrarium est, quia scribitur Ecc. XII.: *Altissimus odio habet peccatores*. 6 Et Sap. XIV.: *Abominabilis est Deo impius et impietas eius*. 7 Ad haec respondetur secundum Bonaventuram super III. dist. XXX. II. q. II. dicens: *Notandum – inquit –, quod Deus non dicitur creaturam diligere ratione affectionis Dei, sed ratione communicationis alicuius boni, ita quod dilectio Dei dicitur potius dilectio effectus, quam affectus*. Communicatio autem bonitatis attenditur in duplici genere effectus, videlicet in effectibus naturae, et haec est omnibus communis et generalis, et secundum hanc dicitur Deus diligere omnem creaturam, et bonos, et malos homines, quia vult omnibus esse naturae, et eos conservat, et *solem suum oriri facit super bonos et malos*, Matt. V. 8 Et sic intelligendae sunt auctoritates praescriptae, scilicet *Diligis omnia* etc. Secundum hoc etiam Deus dedit naturalem affectum creaturis, ut omnia summum bonum exoptent naturaliter, ut est argutum supra, quamvis non gratuite exoptent omnes. Alio modo attenditur communicatio bonitatis in effectibus gratiae, quae est specialis, et quantum ad istum effectum quosdam Deus diligit, puta: bonos, quia in se habent a Deo effectum gratiae gratumfacientis. Malos autem, qui habent in se defectum culpae vel poenae infernalis, odit et punit, quia non habent in se gratiam, nec volunt, sed culpam. Et sic intelligendae sunt auctoritates in contrarium factae, quia Deus odit peccatores, quoad culpam, sed quantum ad naturam, diligit. Nam beneficia specialia gratiae, scilicet gratumfacientis peccatoribus subtrahit, et poenis obligatos facit, beneficia tamen generalia vel communia eis largitur, scilicet esse, vivere, intelligere, sanitatem, diei lumen et huiusmodi. Quae quidem beneficia eis confert, ut se agnoscerent et boni fierent. (C) Pro quo notandum, quod bonus Deus quinque genera beneficiorum ex immensa sua charitate exhibet generaliter omnibus peccatoribus, ut boni fiant, et haec nulli de se negat. Primum beneficium angelicae custoditionis, quam etiam infidelibus et obstinatis exhibet ab ortu nativitatis, ne in tot malis peccent, quot peccarent, si non custodirentur. Unde Ps.: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te* etc. 9 Secundum beneficium benignae tolerationis et exspectationis. Isa. XXX.: *Propterea exspectat vos Dominus, ut misereatur vestri*. 10 Sed vae, si non convertuntur, quia ut ait Ps.: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit*. 11 Gregorius: *Quos Deus diutius exspectat, illos non conversos durius damnat*. Tertium est continue pulsationis, scilicet per inspirationes, ut convertantur. Apoca. III.: *Ego sto ad ostium, et pulso* etc. 12 Aliquando autem pulsat comminando de poenis inferni. Aliquando deterrendo de morte temporali. Aliquando alliciendo per beneficia naturae, fortunae et gratiae, scilicet passionis Christi et redemptionis, quam pro toto mundo sustinuit. Aliquando per Scripturas. Aliquando per flagella huius miseriae, et multis aliis modis, immo per omnes creaturas, unde Augustinus li. Soliloquiorum dicit: *Caelum et terra et omnia, quae in eis sunt, dicunt mihi, ut amem te, Domine, nec cessant clamare omnibus, ut sint inexcusabiles*. Haec ille. Quartum est dignativae sustentationis, scilicet in vita, victu et amictu, aliisque ad haec pertinentibus. Cum enim ut Augustinus dicit: *Peccator non est dignus pane, quo vescitur*, mirum est, quod Deus peccatoribus sic providet in omnibus, et solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super iustos etc., ut patuit. Et quod maius est, dat quibusdam honores et dignitates et alia communia beneficia prosperitatum in maxima abundantia, cum sint impii, et quotidie Deum offendant.

Bernardus: *O clementissima circa filios Adam divinae recordatio pietatis, quae sua beneficia largiri non desinit, non solum ubi nullum invenit meritum, sed plerumque ubi totum videt contrarium.* Haec ille, et sic patet. Quintum est expiationis culpae in actu verae conversionis. Ezech. XVIII.: *Quacumque hora ingemuerit peccator, amplius non recordabor* etc. 13 O ergo mira charitas! O ineffabilis Dei pietas erga peccatores poenitentes! Sed vae, vae, vae impenitentibus. Unde Rom. II.: *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit secundum duritiam tuam, et cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddit unicuique secundum opera sua.* 14 Unde Christus dilexit Lazarum, sicut dicit thema, et Martham ac Magdalenam pro significatione triplicis status, quia apud istos tres status hominum hospitatur Christus in praesenti per gratiam et in futuro per gloriam. Primo per Lazarum significatur status poenitentium et resurgentium a peccatis, sicut et Lazarus resurrexit a mortuis. Secundo per Martham Christo et discipulis et pauperibus ministrantem significatur status activorum, qui se exercent in operibus pietatis. Tertio per Magdalenam status contemplativorum significatur, qui delectantur in dulcedine verbi Christi. (D) Circa secundum de hospitatione Christi sit pro conclusione, quod omnes fideles animae exemplo beatae Marthae debent Christum hospitare spirituali simul et corporali domate, declaratur quintupliciter: · Primo ex auctoritatibus · Secundo ex rationibus · Tertio exemplis et similitudinibus · Quarto ex hospitandi conditionibus · Quinto ex hospitalitatis fructibus Primo auctoritatibus. Nam in Scripturis legitur, quod Christus duobus modis hospitandus est apud homines, sicut et apud Martham est his modis hospitatus. Primo quidem in domo spirituali, id est in corde vel anima nostra, in quo summe delectatur morari per gratiam. Prover. VIII.: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* 15 Et in hanc domum suscipitur per praeceptorum observantiam et charitatem veram. Ioh. XIV.: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem* etc. 16 Secundo in domo corporali vel materiali est hospitandus Christus, in persona scilicet pauperis. Mat. X.: *Qui recipit vos, me recipit.* 17 Et XXV.: *Hospes eram, et collegistis me.* 18 Et infra: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* 19 Ideo Augustinus Contra haereses: *Discite, Christiani, sine distinctione exhibere hospitalitatem, ne forte cui domum clauseritis, et humanitatem negaveritis, ipse sit Christus.* Hinc et I. Pe. IV.: *Hospitales invicem sine murmuratione estote.* 20 Item ad Heb. XIII.: *Hospitalitatem sectantes nolite oblivisci.* 21 Nimirum hospitalitas pertinet ad omnes Christianos hospitia habentes, ut dicit Ambrosius XXXII. q. VII. c. „Offerebat”. Signanter tamen pertinet ad sacerdotes et clericos, ut patet dist. XLII. „Hospitalem”. Item Hieronymus XVI. q. II.: *Quoniam – inquit – quidquid habent clerici, pauperum est, et domus illorum omnibus debent esse communes, susceptione peregrinorum et hospitum invigilare debent.* Haec ille. (E) Secundo rationibus declaratur conclusio. Et potissima quidem ratio exhortans nos ad hospitalitatem est, quia omnes hospites sumus in hac vita, Heb. XIII.: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* 22 Unde Augustinus de verbis Domini sermo XXXII. dicit: *Unusquisque in domo sua hic hospes est.* Nam si non esset hospes, non inde transiret, si transiturus es, velis-nolis hospes es. Si dimittit domum illam filiis, hospitibus dimittit. Neque etenim tabernarius vellet, quod rediret hospes, et reciperet, quod dimisit, sic nec filii tui desiderant reditum tuum post obitum. Etiam sicut tabernarius usque ad ostium conduit vel comitatur hospitem, et tandem dimittit et obliviscitur, sic propinqui usque ad fossam tantummodo sepulturae conducunt, et postea perit memoria eorum cum sonitu, ut dicit Ps. 23 Idcirco omnes debemus esse hospitales, ut per hoc hospitium a Deo promereamur aeternum. Bernardus: *O anima, domum habes luteam et cito casuram* (id est corpus de luto factum), *et nisi tibi provideris de futura, remanebis imbribus et procellis exposita.* Augustinus Contra haereses: *Praebe tectum, accipe caelum.* Aliae plures rationes ad id patebunt infra ex utilitate hospitalitatis. Tertio exemplis et similitudinibus. Nam videmus apud homines, quod libenter suscipiuntur haec tria genera: Primo quidem domini propter honorem et dignitatem. Secundo amici et consanguinei propter amorem. Tertio benefici propter utilitatem. Haec omnia concurrunt in Christo et eius pauperibus. Christus namque est *dominus omnium et rex regum*, Apoc. XIX. 24 Ipse etiam est nobis carissimus amicus, adeo quod sicut Bernardus ait: *Puto, quod iam me non potest spernere Christus, quia os est de ossibus meis, et caro de carne mea.* Ipse etiam multa beneficia nobis praestitit, et praestare non desinit, ac plura, scilicet in caelo repromittit. Debemus ergo libentissime suscipere Christum in paupere vel peregrino. Unde Gregorius: *Quod iacenti pauperi in terra porrigis, regnant in caelo tribuis*, iuxta illud Math. XXV.: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* 25 Item Augustinus De disciplina Christiana dicit: *Christus petit in paupere, dicit tibi Christus: Da mihi de eo, quod dedi tibi, de meo peto, et mihi non donas, da, et reddo, habuisti me largitorem, facito debitorem.* Haec ille. Plura exempla ad idem infra subsequuntur. (F) Quarto ex conditionibus hospitandi. Nam si quaeritur, qualiter debeamus pauperes hospitari, id docet nos Scriptura in exemplo Abrahae et Lot, qui per hospitalitatem angelos suscipere meruerunt, ut legitur Gen. XVIII. et XIX. Videlicet quod primo debemus humiliter invitare, sicut fecit Abraham videns tres angelos, et in terram procidit dicens: *Si invenii gratiam, ne transeas, Domine, servum tuum.* Secundo dulciter introducere, I. Cor. IX.: *Hilarem datorem diligit Deus.* 26 Sic fecit Abraham et Lot. Tertio necessaria ministrare, scilicet aquam pedibus, si indigent, vel manibus ad lavandum, et lectum quieti, ac cibum et potum. Unde Abraham ait: *Afferam pauxillum aquae, et laventur pedes vestri, et requiescite sub arbore, ponamque bucellam panis,* 27 quo omnis cibus intelligitur. Quarto a perturbantibus defendere, sicut fecit Lot. Unde XXXIII. q. VII. „Offerebat” Bartholomaeus Brixiensis in glossa dicit: *Hospes tenetur hospitem defendere*, unde et lex dat actionem contra cum. ff. nautae caupo stabu. L. I. in principio. (G) Quinto ex fructibus. Nam si quaeritur, quales fructus et utilitates conferat homini hospitalitas, respondetur ex Scripturis, quod prima utilitas est, quia a malis salvat, patet de Rahab, quae nuncios recepit hospitio, et salvata est ab interemptione cum omni domo sua, Iosue II. Item de Lot. Unde Origenes super Genesin li. V. dicit: *Audite haec, qui peregrinis domos clauditis. Lot in Sodomis habitavit, alia eius bona gesta non legimus, quam quod angelos hospitavit, et incendia ignis evasit, clausas autem domos hospitibus ignis et sulphur accendit.* Haec ille. Secunda utilitas, quia bona temporalia multiplicat, ut patet de vidua, quae suscepit Eliam, cui non defecit farina et oleum, III. Regum VII. Tertia, quia gratiam et merita augmentat, ut patet de Zachaeo, Martha, Magdalena, qui Christum susceperunt. Unde Matth. X.: *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti recipiet.* 28 Ubi Chrysostomus dicit: *Qualem*

habet, qui peregrinatur propter Deum, talem habet, qui suscipit peregrinantem, et fiunt ambo aequales, qui propter Deum refrigerat, et qui propter Deum laborat, et maioris est meriti, quam quod homo seipsum acriter castigaret. Unde exemplum legitur, quod quidam senex valde hospitalis cum quendam hospitio suscepisset et cum eo manducare nollet ille dicens se ieiunare. At ille ait: „Veni, oremus Deum simul sub arbore, et cui arbor inclinabitur, opus illius fore acceptius comprobabitur.” Cumque orassent, ecce arbor inclinata est huic, qui hospites suscepit. Quarta utilitas, quia per hoc meretur, ut non solum angelos, sed ipsum Christum Deum suscipiat. Heb. XIII.: *Hospitalitatem nolite oblivisci*, 29 per hanc enim quidam Deo placuerunt angelis hospitio receptis, patet de Abraham et Lot. Ambrosius li. De officiis: *Vides – inquit –, quod Abraham Deum hospitio recepit, dum hospites quaerit, et Lot angelos. Unde scias tu, cum suscipis hominem, suscipis Christum.* Ut etiam scribit Gregorius in quadam homilia de Martino monacho, qui in via invenit leprosum, et volens eum portare ad hospitandum in monasterio, invenit eum fore Christum. Ultima utilitas, quia regnum caeleste praestat. Gregorius: *Pensate, quanta sit virtus hospitalitatis, ad mansionem vestram Christum suscipite, ut aeterna convivia recipere valeatis, praebete modo Christo peregrino hospitium, ut vos ad regnum recipiat, dicens: Hospes eram, et collegistis me.* 30 *Venite ergo benedicti Patris mei, percipite regnum aeternum*, etc. 31 O homo Christiane, pensa haec, et esto hospitalis. (H) Circa tertium de privilegiis sanctae Marthae sit pro conclusione, quod amarus Iesus pro remuneratione suae hospitalitatis sublimavit Martham magnis privilegiis. Primum nobilissimae virginitatis. Nam cum Martha foret de nobilissimo genere ex progenie regali orta, virum habuisse aut contubernium hominum numquam subiisse legitur. Unde et Ecclesia eius festum celebrat officio virginum. Secundum privilegium fructiferae sanctitatis. Post ascensionem enim Domini ipsa cum Lazaro, Magdalena, necnon beato Maximino, qui eas baptizaverat, aliisque multis Christicolis navi ad infidelibus Iudaeis includuntur, ablatis remis et velis alimentisque et gubernaculis omnibus, qui Domino scilicet duce Marsilium pervenerunt, et in territorio Aquensi populum ad fidem Christi converterunt, ubi erat draco ferocissimus magnus, devorans homines, qui invasores suos stercore tamquam spiculo ignito exurens fugabat, ad quem Martha a populis rogata accedens, ipsumque in nemore quendam hominem manducantem reperiens aquam benedictam super eum iecit, et crucem quandam sibi ostendit, qui protinus victus ut ovis stans a sancta Martha proprio cingulo alligatur, et ilico a populo lanceis et lapidibus perimitur. Vocabatur autem draco ille ab incolis Tarasconus. Unde in huius memoriam locus ille adhuc vocatur Tarasconum, ibi ergo Martha deinceps remansit de licentia beati Maximini, orationibus et ieiuniis indesinenter vacans et Christum praedicans. Erat autem Martha valde facunda et omnibus gratiosa. Ibidem autem tandem congregato magno sororum conventu et ad honorem Beatae Mariae Virginis basilica magna aedificata asperam vitam duxit, carnes, ova, caseum et omnem pinguedinem ac vinum vitans semel tantum in die edebat, centies in die et totiens in nocte genua flectebat. Tertium privilegium mirificae potestatis. Nam dum inter urbem et flumen Rhodani 32 apud Avionem quadam vice praedicaret, iuvenis quidam ultra fluvium consistens eius verba audire desiderans, cum navigio careret, nudatus natare coepit, sed vi fluminis raptus submergitur, cuius corpus vix die secunda inventum ante pedes sanctae Marthae resuscitatur. Illa ergo solo prostrata taliter oravit: „Adonai, Domine Iesu Christe, qui fratrem meum Lazarum resuscitasti, respice, mi hospes care, ad fidem circumstantium, et resuscita istum puerum.” Et ecce mox resuscitatus sacrum baptismum suscepit. Quartum caelicae invitationis et felicitatis. Nam Dominus antea per angelum sibi obitum revelavit. Ecce autem ante octavum diem exitus sui vidit angelicos choros deferentes animam sororis suae sanctae, scilicet Magdalenae in caelum, moxque convocatis fratribus et sororibus visionem rettulit et exclamavit: „O dilecta soror, vivas cum magistro tuo Christo et hospite meo, meique memor esse velis.” Tandem admonuit, ut luminaribus accensis circa suum obitum vigilarent, et innotescente eius felici transitu convenit multitudo magna extensis per nemora papilionibus. Nocte vero media sui transitus omnibus somno gravatis ventus vehemens irruit, et luminaria exstinxit. Illa vero malignorum spirituum turbam cernens orare coepit dicens: „Eli, mi hospes care, in adiutorium meum intende.” Et ecce vidit sororem suam ante se venientem, quae manu facem gerens luminaria inde accendit, et eam salutavit dicens: „Salve, soror mea dilecta.” Itaque illam resalutavit, et ecce Christus advenit, dicens: „Veni, dilecta hospita, ut ubi ego sum, illic tecum sis. Tu me suscepisti in hospitio tuo, ego te recipiam in caelo meo, et invocantes te exaudiam amore tuo.” Haec illa audiens erigere se et surgere intuebatur. Et Salvator: „Exspecta – inquit – paulisper.” Et sic disparuit. Omnis ergo celeritas prae desiderio tarda sibi videbatur. Et hora transitus adveniente iussit se foras deferri, ut caelum videre posset, et in terram cinerem sterni, et superponi, ac signum crucis coram se teneri, ac evangelium coram sese legi. Et cum diceretur: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, 33 illa emisit spiritum feliciter. Quintum privilegium celeberrimae memoriae et gloriositatis. Nimirum eius hospitalitatis memoria, qua non solum suscepit homines vel angelos, sed et ipsum regem et dominum angelorum ac hominum, Christum celebriter praeconizatur per mundum in evangelio. Item beatus Fronto episcopus cum missam celebraret, tunc apud Petragoricas coepit in cathedra post epistolam dormire, cui Christus apparuit, et cum eo Tarasconum venit, et officium ambo ceteris respondentibus peregerunt, ac corpus suis manibus in sepulchro collocaverunt. Interim per diaconum episcopus ipse ad evangelium excitatus haec omnia narravit, et anulum cum suis chirothecis ibidem sacristae commendatum et relictum dixit, quod probatum est in rei veritate factum per nuncios ob id illum missos et praedicta reportantes. Idem etiam sanctus Fronto addidit, quod Christus ibidem cuidam fratri interroganti, quo nomine vocaretur, ostendit codicem, in cuius foliis sic fuit scriptum: „In memoria aeterna erit iusta hospita mea, ab auditione mala non timebit in die iudicii.” Denique crebra miracula circa Marthae sepulchrum fiunt ad laudem et gloriam Christi, cui laus et gloria in saecula saeculorum. Amen.

---

1 Ioh 11,5 2 Mt 8,20; cf. Lc 9,58 3 Apc 3,20 4 Sap 11,25 5 Prv 8,17 6 Sir 12,3; 12,7 7 Sap 14,9 8 Mt 5,45 9 Ps 90,11 10 Is 30,18 11 Ps 7,13 12 Apc 3,20 13 Ez 18,8; 18,22 14 Rm 2,4-6 15 Prv 8,31 16 Ioh 14,23 17 Mt 10,40 18 Mt 25,35 19 Mt 25,40 20 I Pt 4,9 21 Hbr 13,2 22 Hbr 13,14 23 Ps 9,7 24 Apc 19,16 25 Mt 25,40 26 II Cor 9,7 27 Gn 18,4-5 28 Mt 10,41 29 Hbr 13,2 30 Mt 25,35 31 Mt 25,34 32 Editio: Rodoni 33 Lc 23,46





[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XL.] In die sancti Petri ad vincula, sermo cum historia eius *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Matt. XVI. 1 et in evangelio. (A) Sicut dicit beatus Maximus episcopus in sermone, Petrus confitendo Christum Filium Dei vivi, validissima nobis invictaque fidei fundamenta constituit. Nam sicut in deserto, Dominico sitienti populo aqua fluxit e petra, ita universo mundo perfidiae ariditate lassato de ore Petri a petra sic vocati fons salutiferae confessionis emersit, quando percontanti Domino, quis esse diceretur, respondit Petrus: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, 2 id est: tu, Domine, de carne Virginis factus es Christus, qui vivi Dei sempiternus es Filius, tu es Christus, qui pro redemptione nostra ad passionem veniens Deus manens es apud Patrem. Sicque salutaris fidei veritas ab ore Petri radiavit, propter quod Christus merito tradidit Petro claves regni caelorum, dicens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram, scilicet quam confessus es, id est super me aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis.* 3 Quia vero hodie Ecclesia celebrat festum liberationis Petri a vinculis, ut potestate sibi concessa nos ipse absolvat a vinculis peccatorum. Idcirco pro sermone huius dici convenienter accipiuntur haec verba pro themate: *Quodcumque ligaveris* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone. · Primum de peccatoris ligatione et caelesti clausura: *Quodcumque ligaveris* · Secundum de eiusdem solutione et caeli apertura: *Quodcumque solveris* · Tertium addemus de liberatione Petri miraculosa pro hoc festo (B) Circa primum de ligatione peccatorum et caelesti clausura, qua Infernus eis est apertus, accipiamus pro conclusione verba Maximi episcopi in sermone de apostolis Petro et Paulo dicentis: *Clavis caeli est lingua Petri, qua singulorum merita censendo unicuique regnum caeli aut claudit, aut aperit.* Haec ille. Ex quo patet, quod peccator multum debet formidare et revereri Petri potestatem, ne sibi claudat pro suo demerito caelum, et obligatum decernat ad Infernum. Unde hic quaestio occurrit: Quomodo fit ista clausio caeli per Petrum, id est sacerdotem ipsi peccatori. Ad quod respondetur secundum fratrem Angelum de Clavasio in Summa sua, ubi sequens Richardum in IV. dist. XVIII. ar. I. q. II. ponit quattuor modos, quibus fieri habet ista clausio caeli et peccatoris ligatio vel solutio. Primo iudicando, scilicet cum examinata hominis conscientia iudicat ei caelum vel apertum, vel clausum, et non absolvendum, utpote non vere poenitenti. Secundo poenitentem ligando ad aliquam poenam sensus temporalem, puta quando satisfactionem poenitentiae imponit poenitentibus, quam explere eos oportet vel hic, vel in Purgatorio, antequam ingrediantur caelum. Item sic solvit aliquam partem poenae peccato debitam relaxando vel per satisfactionem purgatos ad sacramentorum communionem admittens, de poenitentia dist. „Multiplex”, ubi Leo papa dicit sic: *Dominus Iesus Christus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut confitentibus poenitentiae satisfactionem darent, et eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum admitterent.* Et infra: *Si autem aliquis eorum priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi carne exutus non poterit,* glossa: *nisi signa poenitentiae apparuerit.* Tertio fit clausio caeli et ligatio peccatoris excommunicando, sed haec respicit forum contentiosum potius, quam poenitentiae. Et quoad hunc modum, solvit ab excommunicatione absolvendo. Quarto fit quidem clausio ex parte peccatoris, minus quam deberet ad poenitentiam se disponendo. Et quoad hoc, fit solutio peccatoris per sacerdotem de non contrito contritum faciendo ex vi absolutionis. Pro cuius declaratione nota secundum sententiam Scoti in IV. dist. XIV. q. ultima, Henrici de Gandavio in Quodlibeto q. XXXII., Iohannis Gerson de forma absolutionis et aliorum plurimorum, quod quando homo est attritus, non contritus, confitens quamvis non habeat actum talem, qui sufficiat ad meritum de congruo, tamen habens voluntatem suscipiendi sacramentum Ecclesiae et sine obice mortalis peccati actualiter sibi facto vel in voluntate inhaerentis recipit non ex merito, sed ex pacto divino effectum istius sacramenti, scilicet poenitentiae, ut sit parum attritus, id est tanta attritione, quod non haberet rationem meriti ad remissionem peccati, volens tamen recipere sacramentum poenitentiae, sicut dispensatur in Ecclesia, et sine obice in voluntate peccati mortalis in actu ex vi sacramenti istius in instanti et ultimo prolotionis recipit remissionem et gratiam poenitentialem vi absolutionis, non etiam merito, quia non erat, sed ex pacto Dei assistentis sacramento suo ad effectum illum, ad quem instituit. Et ideo absolutio sacramentalis potest delere peccata, quae nondum erant contrita, sed solum attrita, alioquin non appareret, quomodo sacramentum poenitentiae esset secunda tabula post naufragium, si numquam per ipsum, ut sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantum per attritionem tamquam praevisam dispositionem, et per contritionem tamquam completivam. Haec frater Angelus post dictos doctores. O ergo mira Dei misericordia, o ineffabilis clementia, quando tam faciliter possunt peccatores invenire eius gratiam, nil enim aliud requiritur in ipsa sacramentali confessione, nisi quod homo non ponat obicem gratiae divinae, quae omnibus praesto est, dummodo faciant, quod in se est. (C) Sed quaeritur ad clariorem simplicium informatione, quales homines censentur a caelo excludendi et ad Infernum ligati per claves beati Petri. Ad quod respondetur, quod possunt distinguui tales in genere sextuplici. Primi sunt alieni, scilicet a fide vera et aberrantes. Unde Heb. XI.: *Sine fide impossibile est placere Deo.* 4 Unde Augustinus De fide ad Petrum, extra de haere. dicit: *Firmissime – inquit – tene, et nullatenus dubites omnem haereticum vel schismaticum cum diabolo et angelis eius aeterni ignis incendio participandum, nisi ante finem vitae catholicae fuerit incorporatus Ecclesiae.* Idem de sortilegis et incantatoribus est tenendum. Secundi sunt bonitatis Dei misericordiam et beneficentiam desperantes. Unde Isidorus De summo bono li. II. c. XIV.: *Desperare in Infernum descendere est. Exemplum de Cain et de Iuda desperando dicentibus: Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear, Gen. IV. Mentiris, Cain, mentiris, quia maior est Dei misericordia, quam quaecumque totius mundi iniquitas.* Haec ille. Tertii sunt crimina continuantes, nec ab eis continere volentes. Ps.: *Convertentur peccatores in Infernum, omnes gentes, quae obliviscuntur Deum.* 5 Item Ro. VI.: *Stipendia peccati mors* etc. 6 Athanasius: *Qui mala egerunt, ibunt in ignem aeternum.* Quarti sunt dilectionem veram ad Deum et proximum non habentes, nec desiderantes, ut sunt

omnes, qui praecepta Dei contempnunt, nec scire volunt, et etiam qui proximum odiunt, et iram contra eos tenent. Unde I. Ioh. III.: *Qui non diligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quia omnis homicida non habet vitam aeternam, 7* scilicet sed gehennam. Item quid dicemus de illis, qui plus diligunt temporalia, divitias, dignitates et similia, quam Deum, qui cum periculo animae ea adquirunt iniusto quaestu, fraude, mendacio, dolo, usuris, rapinis, periuriis in emendo et vendendo. Audiant tales Ecc. XXI. scriptum: *Stuppa collecta synagoga peccatorum.* 8 Lyra: id est raptorum et cupidorum, et in fine illorum inferi et tenebrae et poenae. Et clarius Apostolum I. Tim. VI.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, et desideria nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem, 9* ergo talibus Infernus est apertus. Quinti sunt excommunicati et Ecclesiae sacramenta ac censuras contemnent. Unde Chrysostomus XI. q. III.: *Nemo – inquit – contemnat Ecclesiastica vincula. Non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit.* Et ibidem c. „Omnis” dicit Augustinus: *Omnis Christianus, qui excommunicatur, Satanae traditur.* Haec ibi. Unde legitur, quod sanctus Ludovicus, rex Franciae dicebat, quod nollet totum mundum recipere, ut scienter per unam diem in excommunicatione maneret. Sed heu hoc grossi homines non curant, qui quandoque per tres menses et ultra in excommunicatione vel interdicto pertinaciter stant. Vae etiam et vae illis, qui ad confessionem et sacramenta compelli non aut vix possunt semel in anno, hi habent Infernum apertum. Sexti sunt finaliter impenitentes, et in quocumque mortali peccato morientes. Nam tales perpetuo igni infernali sunt sine dubio ligati. Nam finalis impenitentia est summum peccatorum in Spiritum Sanctum, quod necque hic, neque in futuro remittetur, Mat. XII., 10 quoniam *qualis hinc quisque exit, talis in iudicio apparebit,* ut ait Gregorius dist. XXV. „Qualis”. His ergo omnibus et singulis vae, vae, quia infernus eis patet, et caelum est clausum, melius erat ei, si natus non fuisset homo ille. O ergo peccator, expergiscere, noli perire. (D) Circa secundum de apertione caeli sit pro conclusione verbum Ambrosii in sermone, qui incipit „Propitiatio divinitatis” dicentis sic: *Puto caelos aliter aperiri non posse, nisi claves Petri apostoli aperiendi sumpserimus.* Unde pro hoc Petrum multum venerari et ad eum confugientes interpellare debemus. Iuxta haec ergo pro auditoribus simplicibus quaestio occurrit, qualibus hominibus beatus Petrus caelum sic aperiat, quod quam cito moriuntur, statim in illud evolare habeant. Ad quod respondendo praemitemus quattuor veritates theologicas. Prima veritas, quod mox ut animae a suis corporibus exuuntur, suorum operum vel praemium, vel poenam consequuntur, prout merentur in Inferno vel purgationis loco. Unde II. Cor. V.: *Scimus, quoniam si terrestres domus haec habitationis dissolvatur, quod habeamus domum non manufactam in caelis.* 11 Et infra: *Oportet nos omnes manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit, sive bonum, sive malum.* 12 Et ratio secundum Thomam in IV. dist. XLV. q. I. ar. II., quia sicut in corporibus est gravitas vel levitas, qua feruntur ad suum locum, qui est finis motus ipsorum, ita etiam est in animabus meritum vel demeritum, quibus perveniunt animae ad praemium vel poenam, quae sunt fines actionum ipsarum. Unde sicut corpus per gravitatem vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur, ita animae statim soluto vinculo carnis consequuntur vel praemium, vel poenam, nisi interdum a praemio retardentur in purgationis loco. Sed si quaeras, quomodo scit anima exuta huc vel illuc statim ire, respondetur secundum Bonaventuram super IV. dist. XX., quod omnibus morientibus sive iustis, sive reprobis assistunt boni et etiam mali angeli, et data sententia ducentur reprobi in Infernum per malos angelos tamquam per tortores. Iuxta illud Mat. XVIII.: *Iratus Dominus tradidit illum tortoribus* etc. 13, Glossa: *tortores sunt daemones.* Boni autem ducentur per bonos angelos vel in caelum, vel in Purgatorium, iuxta illud Lu. XXI.: *Mortuus est Lazarus, et portatus est ab angelis in sinum Abrahae.* 14 Secunda veritas, quod reproborum animae mox ut a corpore exuuntur, in Infernum detrudentur, scilicet de communi lege. Iuxta illud Iob XXI.: *Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad Inferna descendunt,* 15 et per praedictam patet rationem. Tertia veritas, quod plurimae animae iustorum antequam in caelum evolent, purgari habent in Purgatorio, quamvis fuerint absolutae per claves Petri a peccato. Ratio, quia tenentur ad satisfactionem pro reatu peccati, quam si hic non persolverunt, in Purgatorio habent persolvere, unde XXV. dist. „Qui in aliud” dicit Augustinus: *Qui in aliud saeculum distulit fructum conversionis, prius purgabitur igne purgationis.* Quarta veritas, quod aliquae animae adeo perfectae inveniuntur satisficientes vel absolutae, quod mox ut moriuntur, in caelum habent volare. Sed quae sunt istae, vel qualibus Petrus, id est sacerdos vel papa taliter caelum aperiat? (E) Notandum, quod praecipue sex genera talium reperiuntur. Primi sunt in innocentia baptismali decedentes. Augustinus de consecratione dist. IV.: *Regnanti – inquit – spiritu non solum originalium, verum etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.* Secundi sunt martyrium pro Christo patientes, unde Augustinus XV. q. I.: *Firmissime – inquit – tene et nullatenus dubites illos, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, accepturos vitam aeternam.* Tertii sunt religionem approbatam ingredientes et regulariter viventes. Propter quod Bernardus li. De praeepto et dispensatione c. XL. dicit sic: *Inter cetera poenitentiae instituta monasterialis disciplina meruit hanc praerogativam, ut secundum baptismum nuncupetur.* Et in Vitis patrum legitur, quod *ingressi religionem eandem gratiam consequuntur, quam baptizati.* Unde ex verbo praefato Bernardi ratio sumpta est, quod religionem intranti de praeteritis culpis in saeculo commissis non est poenitentia iniungenda, de poenitentia dist. I. § „His auctoritatibus” c. I. „Quis aliquando”. Nam hoc est holocaustum maximum, quo quis se totaliter divinis officiis mancipat per religionis ingressum, quod excedit omne genus satisfactionis, XXXIII. q. II. „Admonere”. Talis enim offert Deo res et totum mundum derelinquendo et paupertatem vovendo. Item offert corpus per votum castitatis, et propriam voluntatem ac animam per votum oboedientiae. Sed quare talis ingrediens consequetur hanc plenariam indulgentiam peccatorum, respondet Henricus de Gandavio, quod quando profitebitur, tunc a primo indulgentiam consequitur. Et hoc intelligitur, si intendit servare regulam, alioquin ipso id promittente, quod non intendit servare, peccat mortaliter. Quarti sunt indulgentiam plenariam in mortis hora consequentes, qui enim sic moriuntur, statim evolant in caelum, ut Hostiensis de pe. et re. dicit: *Indulgentia enim tantum remittit – inquit – de poena, quantum sonat de poenitentia.* Cum enim indulgentiae sonant ad totum cumulum peccatorum, tunc omne debitum aufertur, ut nullus reatus poenae remaneat secundum formam plenariae indulgentiae. Et quia nullum est impedimentum ascendendi in caelum, cum quis moritur in gratia, nisi solutio poenae, ergo sequitur, quod talis statim evolat, cum ex thesauro Ecclesiae eius poena soluta est, ut tenent doctores super IV. dist. XX.

Quinti sunt contritione intensa sua peccata deflentes. Ut enim tenent doctores super IV. dist. XVII.: *Contritio potest intantum intendi tum ex parte charitatis causantis, tum ex parte doloris sensualis, quod tota poena peccati remittetur, nihilominus tamen confessio et poenitentiae iniunctae expletio requiritur propter praeceptum.* Haec Petrus de Tarantasia. Sexti sunt per opera poenentialia satisfaciens, scilicet plenarie, puta per elemosynas, orationes, ieiunia et alia bona opera. Mat. III.: *Facite dignum fructum poenitentiae*, 16 nam secundum doctores, praecipue Thomam in IV. poenitentia iniuncta aut est minor, aut maior, quam deberet, aut aequalis. Si minor, oportet residuum supplere in Purgatorio, vel hic per opera bona aut indulgentias. Si est maior, tunc superfluum, cedit homini in praemium, si est aequalis, sic evolat in caelum. O ergo mira Dei pietas, o peccator, age poenitentiam, ut salveris. Ecce misericordissimus Deus tibi aeternam poenam remittit pro temporali. (F) Circa tertium de miraculosa liberatione Petri sit pro conclusione, quod Sancta Ecclesia merito celebrat hoc festum Petri ad vincula pro eius liberatione miraculosa et gaudiosa. Quae quidem describitur a beato Luca Act. XII.: *Misit – inquit – Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.* 17 Iste fuit Herodes Agrippa. Tres enim fuerunt Herodes, et omnes persecutores. Primus fuit Herodes Ascalonita, qui necavit innocentes pro Christo. Secundus fuit eius filius, Herodes Antipas, qui decollavit Iohannem Baptistam. Tertius fuit is Herodes Agrippa, filius Aristoboli, filii Herodis Ascalonitae. Unde versus: *Ascalonita necat pueros, Antipa’ Iohannem. Agrippa Iacobum, claudens in carcere Petrum.* Iste ergo elevatus in regnum Iudaeae per imperatorem Caium multum honorifice susceptus est a Iudaeis. Ob quorum favorem misit manus, id est potestatem ad affligendum Christianos. Occidit enim Iacobum, fratrem Iohannis gladio statim ut venit ante dies azymorum. Videns autem, quia hoc placeret Iudaeis, apposuit apprehendere et Petrum, et in carcerem misit, volens post Pascham, id est post transitum Paschae, quod Iudaei observabant in zimis vescendo septem diebus producere eum populo, id est ad voluntatem populi interficiendum. Tradiditque ipsum quattuor quaternionibus militum ad custodiendum interim. Lyra: *Quaternio dicitur, qui habet quattuor milites sub se*, et sic quater quattuor sunt XVI. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro Petro, ut scilicet Christus suum servaret vicarium adhuc in vita. Ecce autem in ipsa nocte, qua scilicet in crastinum Petrus deberet produci, ut occideretur, erat dormiens in carcere inter duos milites vinctus catenis duabus, et custodes ante ostium carceris. Angelus autem Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris ad Petri consolationem, percussoque latere Petri excitavit eum dicens: „Surge velociter”, et ceciderunt catenae de manibus eius, scilicet divina virtute vel angelica facilitate. Dixit autem angelus ei: „Praecinge te, scilicet ut sis aptus ad ambulandum.” Resolverat enim cingulum Petrus, ut vestis posset cooperire pedes contra frigiditatem carceris. „Et calcia te caligas tuas.” In Graeco habetur ‘sandalia indue’, et fecit sic, et dixit illi: „Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.” Et exiens sequebatur eum. Et ipse Petrus extimabat haec in visione somnii tantum, et non vere fieri realiter, hoc propter imaginationem fortem de impotentia evadendi via humana. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, scilicet militum, qui erant oppressi somno, vel quia vigilantes erant acrisia caecitatis percussi, venerunt ad portam ferream, scilicet carceris, exteriori ducentem ad civitatem, quae ultro aperta est eis, scilicet virtute divina vel angelica. Et sic patet, quod carcer erat extra civitatem, scilicet in suburbio adiuncto, id est hostatio 18. Et exeuntes illam portam processerunt vicum unum, et continuo discessit angelus a Petro disparendo. Et Petrus ad se reversus dixit: „Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me etc.” Venit autem Petrus ad domum Mariae, matris Iohannis, qui cognominatur Marcus, quae erat hospita fidelium, ubi erant multi congregati fideles orantes. Et pulsante Petro ad ianuam processit puella nomine Rode ad videndum, et cognoscens prae gaudio non aperuit, sed intro cucurrit, et nunciavit adesse Petrum. Illi dixerunt: „Insanis”, quia credebant evasionem Petri impossibilem. At illa affirmabat sic se habere. Illi dicebant: „Angelus eius est”, scilicet apparens in Petri specie. Tandem aperta ianua intravit, et obstupuerunt, et narravit eis rem gestam dicens: „Nunciate haec Iacobo (scilicet minori, episcopo tunc Hierosolymitano) et fratribus, ut reddant Deo gratias.” Haec sufficiant. Et nos ergo, carissimi, laudemus Deum et amemus, ac oremus Christum, ut meritis beati Petri det nobis liberationem a peccatis, gratiam et gloriam.

---

1 Mt 16,19 2 Mt 16,16 3 Mt 16,18-19 4 Hbr 11,6 5 Ps 9,18 6 Rm 6,23 7 I Io 3,14-15 8 Sir 21,10 9 I Tim 6,9 10 Cf. Mt 12,32 11 II Cor 5,1 12 II Cor 5,10 13 Mt 18,34 14 Lc 16,22 15 Iob 21,13 16 Mt 3,8 17 Act 12,1 18 Cf. ‘hostad’ – origine Germanica

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XLI.] De sancto Petro ad vincula Sermo secundus, scilicet de catenis peccatorum cum legenda *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ps. CXV. 1 (A) Ista verba optime potuit dicere beatus apostolus Petrus, qui miraculose a Deo est liberatus e carcere et vinculis Herodis, cuius hodie festum celebrat Ecclesia. Potest etiam convenienter dicere quilibet peccator vere poenitens, quia quamdiu est in peccato mortali, tamdiu tenetur captus in vinculis diaboli. Unde Ambrosius de Nabuthe historia dicit: *Qui facit peccatum, servus est peccati, semper in laqueis, semper in vinculis, et numquam est liber a diaboli compedibus, qui semper est in criminibus.* Haec ille. Hinc et Prover. ca. V.: *Iniquitates suae capiunt impium et funibus peccatorum suorum constringitur.* 2 Dum ergo peccator liberatur Dei gratia per veram poenitentiam, potest dicere Deo gratias agens: *Diripuisti, Domine, vincula mea*, scilicet quibus tenebar in peccatis, ideo *tibi sacrificabo hostiam laudis*, scilicet offerendo animam et corpus meum in poenitentia ad tuum obsequium. Nam dicente Ps.: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* etc. 3 Sed quoniam ista Petri liberatio, quae hodie recolitur, significat spiritualiter liberationem hominis a vinculis peccatorum et ex carcere diaboli. Et etiam quia propter hoc hodierna sollemnitas de vinculis Petri agitur, ut scilicet per sua merita et per clavium potestatem nos peccatores absolvat a peccatis, ac plene liberet a carcere infernali et eius catenis, quod patet in collecta, qua sic hodie orat Ecclesia: *Deus, qui beatum Petrum a vinculis absolutum illaesum abire fecisti, nostrorum,*



quaesumus, *absolve vincula peccatorum, et omnia mala a nobis propitiatus exclude*. Convenienter ergo praedicta verba pro themate assumuntur in persona Petri et vere poenitentium pro sua liberatione gratias agere valentium sic: *Diripuisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone.

- Primum de peccatorum scilicet catenis et vinculatione, ibi: *Vincula mea*
- Secundum de earum remediis et confractione, quia dicitur: *Diripuisti*
- Tertium de miraculis et huius festi celebratione (B)

Circa primum de catenis peccatorum inquirendum est, qualibus catenis diabolus animam miseram vinculare soleat, ut in peccatis detineat et ad salutem non resurgere valeat. Sed antequam has catenas prosequendo declarem, est advertendum, quod secundum doctrinam Aristotelis II. Ethicorum et VIII. dicentis: *Medicinarum remedia habent fieri per contraria. Contraria enim contrariis curantur*. Idem dicit et Gregorius in homilia quadam de martyribus: *Sicut – inquit – arte medicinae calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noster, scilicet Iesus Christus contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis praeciperet humilitatem. Sic quoque caelestis medicus singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta*. Haec ille. Ipsius ergo Domini nostri Iesu exemplo remedia ipsis catenis, quibus dissolvantur opera diaboli, adhibeamus contraria singulis. Et ut opposita iuxta se posita magis elucescant, quia *oppositorum eadem est disciplina*, IV. Metaphysicorum. Idcirco prosequens primum mysterium huius sermonis de catenis, quibus ipse diabolus peccatores vinculat, ne de peccatis liberari queant, simul prosequemur, et earum remedia contraria, quibus dirumpantur haec vincula diabolica, et homines salvari valeant peccatores per verae poenitentiae medicamenta. Unde de primo mysterio simulque et secundo agendo notandum, quod praecipuae catenae diaboli sunt novem, quibus miseras animas heu plurimas vinculat, ne a peccatis exeant, sed in eis pereant, et teneantur carcere infernali. Quarum totidem remedia assignabimus, ut sicut Petrus ex Herodis, sic peccator liberetur divina virtute ex diabolica captivitate.

- Prima dicitur amor et delectatio, scilicet in vitio
- Secunda dicitur boni difficultatio
- Tertia dicitur credulitatis caecatio
- Quarta dicitur desperationis inductio
- Quinta dicitur exemplaris consideratio
- Sexta dicitur fiducialis praesumptio
- Septima dicitur gravis recidivatio
- Octava dicitur horrore suggestio de satisfaciendo
- Ultima dicitur longioris vitae speratio (C)

Prima catena diaboli dicitur amor et delectatio, scilicet in vitio. Nam sunt multi, qui adeo oblectantur in his, quae sunt carnis et mundi, et intantum ligantur affectu et prava consuetudine, ut omnia salubria eis desipiant, et quotidie peccata peccatis addere gaudeant, et diabolo deserviant. De talibus Hier. XIII.: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum*. 4 Nam *consuetudo est altera quaedam natura*, ut dicit Philosophus li. de memo. et remi. Et ideo difficile est surgere homini assueto peccatis et delectatione mali vinculado. Hinc Glossa super Ioh. dicit: *Difficile surgit, quem moles malae consuetudinis premit*. Sicut ergo Aethiopsis nigredo et pardi varietas cum sint a natura, non possunt immutari secundum naturam, sed bene possunt a Deo. Sic tales peccatores per solam gratiam Dei et conatum fortem liberi arbitrii ad oppositum possunt liberari. Sed quomodo dirumpere valeat homo istam catenam diaboli adiuvante gratia Dei, notandum, quod ad id tria sunt remedia potissima. Unum est recogitatio aeterni supplicii, quoniam ut dicit Gregorius: *Momentaneum est, quod delectat, sed aeternum est, quod cruciat*. Melior est ergo modica amaritudo in faucibus, quam aeternum supplicium in visceribus. Aliud remedium recordatio passionis Christi. Unde Hieronymus ad Eustochium: *Quia impossibile est in sensum hominis non irruere motum, scilicet delectationis pravae, ille ergo laudatur, ille praedicatur beatus, qui statim, ut coeperit cogitare, interficit cogitatus, et allidit eos ad petram, petra autem erat Christus*. Tertium est assuefactio ad oppositum vitii, unde Bernardus: *Clavus clavo tunditur, et consuetudo consuetudine vincitur*. Per haec ergo divina gratia iuvante homo potest liberari.

Secunda catena dicitur boni difficultatio, nam diabolus suggerit peccatori, quod difficile et quodammodo impossibile est a peccato resurgere et bona facere. Volunt ergo plerique conteri et confiteri et a peccatis cavere, sed difficultatem pensantes exsequendi non perficiunt opere, quod proponunt. (D) Quaeritur ergo, utrum Deus praemiatur voluntatem bonam solam absque operibus, id est facto vel opere impletam. Ratio quaestionis est, quia ab una parte probatur, quod sic, quoniam Bernardus in li. De libero arbitrio dicit: *Intentio sufficit ad meritum, bona actio requiritur ad exemplum*. Item Gregorius in homilia dicit: *Non est vacua manus a munere, cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate*, et XV. q. VI. c. I. Alexander papa dicit: *Deus magis est inspector cordis, quam operis*. Item XXII. q. V.: *Qui periurare (inquit Chrysostomus) paratus est, antequam periuret, iam periurus esse videtur, quia Deus non ex operibus iudicat, sed ex corde*. In contrarium ab altera parte arguitur, quia Ambrosius De officiis, LXXXVI. dist. c. [„Non satis est”]: *Non satis est (ait) bene velle, nisi assit et bene facere*. Et Iac. II.: *Fides sine operibus mortua est* in semetipsa. 5 Respondetur ergo secundum Alexandrum de Hales in II. parte Summae et Bonaventuram in II. dist. XL. ar. I. q. III., quod de bonis operibus loqui possumus dupliciter. Uno modo de illis, quae sunt supererogationis, et in talibus voluntas non est sine merito, sed praemiatur, etiamsi sit facultas ad operandum. Et si in his non est facultas ad operandum, tantum meretur bona voluntas, quantum si adiuncta esset bona operatio cum facultate possibilitatis. Et hoc est verum de praemio essentiali, non de accidentali. Exempli gratia: Mulier nupta cum pleno corde desideraret se fore virginem, istud desiderium praemiatur praemio essentiali, non tamen accidentali, quae est aureola virginalis, similiter de martyrio. Unde Cyprianus de poenitentia dist. I. „Numquid” dicit, quod in servis Christi, apud quos martyrium concipitur mente, etiamsi affectus martyrii ad effectum non deducitur, ipsa sola voluntas coronatur, scilicet essentiali praemio. Et suo modo dicendum est de aliis operibus supererogationis. Secundo autem modo possumus loqui de illis operibus, quae sunt obligationis. Et de istis distinguendum est, quia illi, qui habent bonam intentionem, aut habent facultatem bene operandi, aut non. Si non, tunc sola voluntas plena sufficit ad meritum vitae aeternae absque opere illo exteriori, quod perficere non potuit. Sicut exempli gratia homo mutus vellet confiteri, sed non potest, homo, qui rapuit aliena, vellet satisfacere, sed prae nimia paupertate iam non potest, quidquam facere pleno tamen corde optaret facere. Et isto modo intelligendo solvi habent omnes auctoritates illae, scilicet quae dicunt, quod intentio sufficit ad meritum, verum est, dum deest facultas et potestas. Si autem assit facultas et potestas, intentio absque opere non sufficit ad meritum. Ratio, quia mandata Dei non solum obligant ad volendum, sed etiam ad perficiendum. Unde Hieronymus ad Eustochium dicit:

*Aeterna vita non, nisi per mandatorum divinorum observationem acquiritur.* Ut etiam Salvator attestatur Matth. XIX.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 6 Item quia non potest dici voluntas plena et perfecta, nisi ducatur ad effectum, si assit facultas, unde II. Ethicorum dicitur, quod ad perfectionem virtutis haec tria requiruntur, scilicet scire, velle et operari. Verumtamen ut scribitur XXXII. q. V. „Si Paulus” (per Hieronymum): *In malis voluntas pro facto capitur, iuxta illud Mat. V.: Qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam moechatus est* etc. 7 Et sic etiam in periurio, ut supra patuit. Pro exemplo habemus ipsum beatum Petrum, qui volebat et promittebat se mori pro Christo, sed ipsum postea negavit, cum tenebatur confiteri, et idcirco peccavit, et nisi peccatum deflevisset, damnatus fuisset. Et sic patet responsio. Sed pro remedio praedictae catenae difficultatis in bono summe valet Christi amorem recogitare, qui pro nostra dilectione acerbissimam suscepit passionem. Unde Heb. XII.: *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini animis vestris* etc. 8 Gregorius: *Si passio Christi ad memoriam revocetur, nil tam durum, quod non aequo animo toleretur.* Et sic illa catena dirumpitur. (E) Tertia catena diaboli, qua vinculat peccatores, dicitur credulitatis caecatio. Nam quidam senex in Vitis patrum dixit, quod sicut equus, qui nondum assuevit in molendino circumire rotam trahendo, primo ligatur sibi oculus, ne circumitum inconsuetum videns pertimescat et recalcitret, sic diabolus peccatori conatur caecitatem mentis et credulitatis inducere, ut sic assuescat in vitiis diabolo deservire. Nam si homo vera fide crederet, quoniam indicibilia praemia retribuentur iustis pro operibus bonis, illa utique desiderans virtutes amplecteretur. Item si crederet poenam aeternam malis praeparatam, ipse peccata, quae ad eam inducunt, devitaret. Sed quia illa futura minus credit, ideo minus operatur pro caelesti praemio, et minus cavet a peccato ac futuro eius supplicio. Hinc Augustinus dicit, quod *fides mensurat actionem.* Et Gregorius: *Quantum credis, tantum speras, et tantum operaris.* Item III. De anima: *Voluntas non fertur, nisi in cognitum.* Exempli gratia: Ponamus, quod quidam transiens per viam, ubi eidem sunt insidiae paratae, et occurrens illi amicus dicat: „Ne transeas illuc, quia interficieris”, ille, si credet, aufugiet, si autem non credet, occidetur ab inimicis. Sic nobis eveniet per viam peccatorum transeuntibus. Nam clamant nobis prophetae, apostoli et ipse Christus in Scripturis dicens: O superbi, ne transeatis per viam superbiae, avari per viam avaritiae, o luxuriosi, per viam luxuriae, quia peribitis. Quare ergo non fugimus, nisi quia non credimus, et sic obcaecati in foveam Inferni cadimus. Sed ut ait Gregorius dist. XXXVIII. „Qui ea”: *Quicumque stultus est in culpa, erit sapiens in poena.* Contra istam catenam summum remedium est scire, quod *Deus est infallibilis veritatis, qui cum sit prima veritas, nec fallere, nec falli potest,* ut ait Anselmus, et est communis conceptio omnium etiam philosophorum, et ideo impossibile est aliter fieri, quam sicut Spiritus Sanctus testatur in Scripturis, videlicet quod qui male egerint, ibunt in ignem aeternum, et qui bona, in vitam aeternam, ergo etc. Quarta catena dicitur desperatio. Solet enim diabolus homini, antequam peccavit, suggerere Deum esse misericordem, scilicet postquam in peccatis gravibus detinuerit, suggerit desperare de venia, ut ille numquam poeniteat, sicut fecit Cain et Iudae, unde Prover. XVIII.: *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* 9 Sed contra hanc omnis Scriptura clamat Deum esse misericordem, qui infallibiliter repromisit veniam poenitentis, Ezech. XVIII.: *Quacumque hora ingemuerit homo* etc. 10 Nullus etiam umquam ad Deum vere conversus est a misericordia Dei repulsus, ut patet de latrone, de Magdalena et aliis. (F) Tertia catena dicitur exemplaris considerationis. Nam solet diabolus peccatori proponere exempla multorum et maiorum, scilicet sacerdotum, episcoporum, doctorum et religiosorum ac aliorum, quos vident in peccatis vitam ducere, et sic istorum exemplo perseverare in peccato dicens: „Si peccata essent gravia, ut praedicatur, totus mundus, et omnes doctores ac sacerdotes perirent.” De tali Ecc. XXXII.: *Homo peccator vitabit correptionem, et secundum voluntatem suam inveniet comparationem.* 11 Contra hanc valet recognoscere, quod non minus propterea punietur in Inferno, si cum multis damnabitur homo. Quaeritur ergo, utrum damnati peccatores habeant aliquam consolationem ex multorum societate in Inferno. Ratio quaestionis, quia *gaudium est miseris socios habere poenarum* secundum commune proverbium. Quare ergo non sic est in Inferno? Ad haec respondent Aureolus et Richardus in IV. dist. XLIII., quod scilicet illa regula *Gaudium est miseris* etc. fallit in Inferno, ubi nulla est redemptio aut consolatio, quoniam Augustinus dicit II. q. I. „Multi” in fine: *Non gaudebunt, nec propterea minus ardebunt, quia cum multis ardebunt, immo dico, quod tanto gravius punientur, quanto plures erunt.* Tum ratione participationis plurimarum poenarum horribilium – si enim plures videres: istum assari, illum rotis frangi, alium excoriari etc., plus horreres, quam in unica poena, sic in proposito, – tum ratione foetoris, Isa. XXXIV.: *De cadaveribus eorum ascendet foetor,* 12 et sic tanto abominabilior, quanto copiosior. Tum ratione constrictionis, Iob XX.: *Artabitur et aestuabitur et omnis dolor irruet super eos.* 13 O ergo peccator, emenda te, ne sic pereas. (G) Sexta dicitur fiducialis praesumptio. Praesumunt enim peccatores sine meritis salvari ex sola Dei misericordia, vel ex sola praedestinatione divina, qua putant necessario salvari, quidquid mali agant. Contra quod Gregorius XXIII. q. IV.: *Obtineri – inquit – nequaquam possunt, quae praedestinata non fuerunt.* Sed ea, quae sancti orando efficiunt, ita praedestinata sunt, ut precibus eorum obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni praedestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant. Considera ergo, peccator, Dei iustitiam, et pertimesce. Nam Hieronymus dicit: *Magna est misericordia Dei, immo maior, quam credimus, sed non minor est iustitia.* Idem: *Potius iustitia est timenda, quam misericordia sine poenitentia praesumenda.* Haec ille. Heu quam multi errant sic. Septima gravis recidivatio. Nam stultus peccator a diabolo deceptus dicit intra se: „Quid mihi prodest conteri et confiteri, cum sciam me gravius recidivari, nec possum me abstinere a peccatis propter consuetudinem eorum”, et sic iacet in eis. Contra quod consideret, quod ex assumpta poenitentia crebrius generatur in homine ipsius virtutis habitus et poenitentiae facilitatio. Nam Prover. XXIV.: *Septies in die cadit iustus, sed resurgit.* 14 Ex hoc etiam diabolus magis debilitatur tamquam hostis crebro vulneratus, scilicet per arma poenitentiae suscepta crebrius contra ipsum. De qua Eph. VI.: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis resistere adversus insidias diaboli.* 15 Et dato, quod scires te sexies septiesque in lutum casurum, nonne totiens exurgere festinares. Age ergo poenitentiam. Octava dicitur horror satisfaciendi, scilicet in famae restitutione, inimicorum reconciliatione, votorum observatione, damnorum et ablatarum rerum restitutione et causarum peccati excisione ac testamentorum executione. O quot peccatores confitentur et communicant, sed satisfactionem abhorrent. O quot usurarii, quot

praedatores, quot falsi iudices et similes hac catena vinculati tenentur a diabolo, quia Augustino dicente XIV. q. VI. „Si res”: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*. Sed contra hoc consideret homo modicitatem vitae praesentis merito contemnendam pro evasione aeternorum suppliciorum. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur*, Matth. XVI. 16 Ultima dicitur longioris vitae speratio, qua heu multi ligantur. Contra quos clamat experientia et Scriptura ac eius exempla, ut patet Lu. XII. de divite illo, qui dixit: „Anima mea, multa habes bona reposita in annos plurimos.” Cui dixit Deus: „Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te” etc. Et subinfert Christus: *Estote ergo parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet*. 17 O ergo peccator, disce, quomodo dirumpere valeas vincula diaboli, et evadas supplicia Inferni, ac exemplo beati Petri pervenias ad praemia regni. (H) Circa tertium principale de miraculis, pro quibus hoc festum fuit institutum, videlicet ad honorem vinculorum Petri sit pro conclusione, quod piissimus Iesus plurimis miraculis illustravit vincula Petri, propter quae conveniens fuit hoc festum institui. Primum miraculum, quia Deus per suum angelum Petrum a vinculis Herodis miraculose liberavit, et de carcere eduxit, ut patuit sermone I. „F”. Secundum miraculum fuit tempore Alexandri papae, qui fuit sextus post beatum Petrum. Quirinus quidem, dux Romanorum habuit filiam gutturosam, nomine Galbinam, quae postquam osculata est boias Petri, statim sana facta est, et Quirinus baptizatus est, et tunc papa Alexander in honorem Petri ad vincula ecclesiam fabricavit, ubi vincula reposuit, quae hodie a populo osculantur. Tertium circa annum Domini CCCCXXVI., regnante enim imperatore Theodosio eius filia Eudoxia ex voto venit Ierusalem, ubi quidam Iudaeus pro magno munere duas ei catenas obtulit, quibus sub Herode Petrus fuerat vinctus, quas illa detulit Romam, et habita collatione cum Pelagio papa, populum adhortati sunt pro hoc festo celebrando in honorem Petri apostoli. Quod quidem festum a Romanis antea solitum fuit celebrari in honorem et memoriam Augusti Caesaris ritu gentilitico. Tunc papa catenam illam, qua sub Nerone idem apostolus fuit vinctus, protulit, quae praedictis duabus catenis a Ierusalem allatis cum esset sociata, ita miraculose una catena facta est, ac si semper una exstisset. Quartum fuit anno Domini CCCCLXIV. Nam quendam comitem imperatoris Ottonis propinquum diabolus coram omnibus vexare coepit adeo, ut seipsum dentibus laceraret, sed catena beati Petri eius collo circumdata mox diabolus exclamans abscessit. Et nos ergo, carissimi, rogemus Dominum, ut meritis beati Petri liberet a peccatorum vinculis et diabolica potestate, et perducatur ad regnum caeleste. Pro festo Beatae Mariae de nive habes sermones in Stellario.

---

1 Ps 115,7-8 2 Prv 5,22 3 Ps 50,19 4 Ier 13,23 5 Iac 2,26 6 Mt 19,17 7 Mt 5,28 8 Hbr 12,3 9 Prv 18,3 10 Cf. Ez 18,21-23 11 Sir 32,21 12 Is 34,3 13 Iob 20,22 14 Prv 24,16 15 Eph 6,11 16 Mt 16,26 17 Lc 12,40

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XLII.] Item de transfiguratione Domini Sermo I., videlicet de causa eius et significatione caelestis felicitatis *Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Iohannem, et duxit illos in montem excelsum seorsum*. 1 Item melius thema: *Transfiguratus est Iesus ante eos* etc. Mat. XVII. 2 et in evangelio hodiernae sollemnitatis. (A) Si diligenter pensamus, carissimi, merito haec dies summa devotione est celebranda. Primo quidem propter factae rei et miraculi magnitudinem, quia hodie memoria agitur permaximi miraculi, quo vera Christi deitas est manifestata. Ad cuius testimonium tota Trinitas apparuit mirabiliter, scilicet Deus Pater in voce repraesentante, qua dixit: *Hic est Filius meus dilectus* etc. 3 Filius Dei in carne ipsa, refulgente gloria resurrectionis futurae, et Spiritus Sanctus in nube lucida, quibus fides catholica maxime est confirmata. Sicut ergo decet servos sollemnizare in magnis triumphis regis, sic nos, servos Christi convenit gaudere pro tali sollemnitate Dei nostri et apparitione pro nostra salute. Secundo propter futurae gloriae spem, quae nobis ex hoc praestatur. Voluit enim Christus ostendere suae gloriae maiestatem hominibus, ut spem habeamus, quia ad eam sublevabit, si eidem fideliter servierimus. De hac Phil. III. dicit Apostolus et hodie canit Ecclesia: *Salvatorem – inquit – expectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*. 4 Tertio propter indulgentiarum consecutionem, quia Callixtus papa pro huius festi celebritate officio instituto concessit interessentibus vespere, matutino et missae pro qualibet centum, pro aliis autem singulis horis XL dierum indulgentias, ut patet in bulla. Ex quo itaque hodie sollemnizatur sacratissimae transfigurationis Christi festum, merito verba praedicta assumpsimus ad eius honorem pro themate, scilicet *assumpsit Iesus Petrum* etc. Quapropter de ipsa Domini transfiguratione tria mysteria declarabimus in hoc sermone. · Primum dicitur causalitatis · Secundum dicitur exemplaritatis · Tertium dicitur dulcorositatis (B) Circa primum inquirendum est: Cur Christus voluit transfigurari coram discipulis? Ad quod secundum doctores respondetur per plurimas rationes: · Prima ratio ex parte ipsius Dei · Secunda ratio ex parte verae fidei · Tertia ratio ex parte unionis verbi · Quarta ratio ex parte discipulorum Christi · Quinta ratio ex parte nostri Prima ratio ex parte Dei, videlicet quod in Deo manifestaretur trinitas personarum, nam secundum quod sanctus doctor Thomas II. II. q. II. ar. VI. dicit: Ante Christi adventum fides Sanctae Trinitatis erat occulta et in mysterio abscondita vel implicite credita in fide maiorum, sed adveniente Christo per ipsum est manifestata ac per apostolos toti mundo praedicata. Unde Mat. ultimo ait Christus discipulis: *Euntes docete omnes gentes baptisantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. 5 Ut ergo ipsa Sancta Trinitas manifestius appareret in Deo, voluit Christus sic transfigurari, quatenus Deus Pater apprens in voce testimonium ferret Christo dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo* etc. Ipse quoque Christus, Dei Filius naturaliter appareret in gloria divinae maiestatis, et Spiritus Sanctus in nube lucida Christum obumbrante. Ad id nota, quod secundum Scotum in q. super Prologo Sententiarum posset obici etiam ipsi Antichristo sic: Si tamen es deus, ut dicis, fac me videre divinae essentiae claritatem aperte, et sic convinceretur, quia hoc facere nulla creatura potest. Itaque Christus voluit gloriam resurrectionis suae ostendere pro testimonio veritatis, ut sic confunderet omnes falsos christos et Antichristum et Machometum. Proinde Petrus II. canonica I. dicit: *Non*



*indoctas fabulas secuti.* 6 Lyra: *Sicut sequuntur poetae et doctores falsi, puta Machometus et consimiles, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, scilicet praedicando et in eius nomine miracula faciendo, et praescientiam, scilicet divinam, qua novit omnia, sed specula facti illius magnitudinis, id est magnificae transfigurationis.* Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, id est testimonium honoris et gloriae divinae, a quo Deo Patre nulla falsitas potest esse. Nam impossibile est Deum esse testem falsitatis, voce delapsa de caelo ad eum huiusmodi: *Hic est Filius meus*, scilicet naturalis et coessentialis, *in quo mihi complacui*, ut per eum perficiam salutem generis humani. Et hanc vocem nos audivimus, scilicet sensibiliter et intelligibiliter. Ad idem est secunda ratio ex parte verae fidei. Nam Leo papa in homilia evangelica dicit sic: *Salvator humani generis, Christus Iesus condens eam fidem, quae impios ad iustitiam et mortuos revocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinae monitis et operum miraculis imbuebat, ut idem et unigenitus Dei, et Filius hominis crederetur. Nam unum horum sine alio non proderat ad salutem. Et aequalis erat periculi Dominum Iesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cum utrumque esset confitendum.* Haec ille. Ad roborandum ergo hanc fidem Christus in humanitate sua veram deitatis gloriam inesse ostendit in transfiguratione coram patribus Veteris Testamenti, scilicet Moyse et Elia, ac coram tribus discipulis, nam *in ore duorum aut trium hominum verum est testimonium*, Ioh. VIII. 7 (C) Notandum est autem, quod Christus in transfiguratione comprobavit omnia, quae de ipso debemus credere. Primo quidem probavit se verum Dei Filium consubstantialem in attestatione Patris dicentis: *Hic est Filius meus dilectus*. Secundo probavit se verum Deum humanatum, ut patuit, et omnium electorum salvatorem, cum idem Pater de eo subdit: *In quo mihi complacui*, scilicet ut per eum salventur homines, et ideo *ipsum audite*, scilicet o homines, eius doctrinam sequendo. Tertio probavit se omnipotentem dominum vitae et mortis, quia secundum Augustinum De mirabilibus Sacrae Scripturae li. II. c. XIII. et XIV. ipse Moyses in vero corpore suo de sepulchro resuscitatus apparuit, iterum post hanc visionem sepulturae commendatus, ut in novissimo die, quando resurgent mortui, iterum resurgat ad aeternam gloriam, Eliam autem vivum de Paradiso adduxit. Quarto probavit se iustum iudicem omnium et remuneratorem secundum merita, videlicet cum unicuique locum suum retribuit, scilicet Eliae Paradisum, unde venerat, Moysi limbum, et discipulis praesentem vitam. Quinto probavit suam veram passionem et resurrectionem, ac alia ad id sequentia mysteria, quia cum Moyse et Elia loquebantur de excessu, quem completurus erat, ut patet Lu. IX. 8 Tertia ratio ex parte unionis verbi, scilicet divini, secundum enim Alexandrum de Hales III. parte q. XXII. ar. IV.: *In anima Christi eo quod fuit unita verbo divino sive divinitati, fuit gloria inextimabilis claritatis.* Sicut exempli gratia: Si cristallus uniretur soli, maximam in se reciperet claritatem, ita anima Christi deitati unita, sed haec gloria fuit secundum partem superiorem rationis, et non secundum vim inferiorem, immo secundum partem inferiorem inerat sibi passibilitas et miseria et ea, quae vitant gloriam, sed secundum vim superiorem erat plena gloria, et ista gloria non fuit alterius generis ab illa, quam post resurrectionem habuit redundantem in partem inferiorem et in corpus. Propterea dicit Augustinus, quod *Christus ab instanti conceptionis fuit viator et comprehensor simul.* Fuit enim comprehensor secundum partem superiorem animae rationalis, quia fuit beatificata ex unione ad verbum divinum, et ab instanti creationis non minus clare vidit divinam essentiam, quam post resurrectionem vel ascensionem, sed aequae. Verumtamen ista beatitudo gloriae non redundabat tunc in vires inferiores vel in corpus, ut esset passibilis et mortalis pro nostra salute, et sic fuit viator secundum vim inferiorem et corpus vel sensualitatem. In transfiguratione ergo Christus voluit, ut illa sua interna beatitudo et gloria animae redundaret ad tempus in suum corpus, et sic monstraret se vere beatum secundum superiorem animae partem et ex unione, scilicet ad divinum verbum, et ut patesceret ipsum esse verum Deum et hominem. (D) Unde tu, o homo simplex, si quaeras, quali pulchritudine vel formositate fulgebat Christus in vita, respondet Orosius super Canticum dicens scilicet, quod *Christus fulgebat duplici pulchritudine. Una secundum divinitatem, quae est ipsa pulchritudo, a qua pulchra sunt omnia, quae pulchra sunt. Alia secundum humanitatem, quae fuit speciosus forma prae filiis hominum, qui – inquit – naturaliter sic semper gloriosus fuit, ut in monte apparuit, quando ut sol resplenduit. Sed quia mortalis visus claritatem vultus eius videre non potuit, sub velamine carnis latuit, sicut facies Moysi ex colloquio Dei tam pulchra fuit et cornuta, eo quod radios quasi sol emittebat, ut populus in eum intendere non posset, ideo velamen ante se positum habuit.* Haec Orosius. Et sic patet. Quarta ratio ex parte discipulorum Christi, ut promissum illis factum impleret. Nam ut sacra evangelica dictat historia Mat. XVI., postquam Christus Dominus praedixit discipulis suam passionem futuram in Ierusalem et mortem, ipsosque et omnes ad imitandum animavit et invitavit dicens: *Qui vult venire post me, abneget seipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* 9 Quod erat valde arduum, et ut magis induceret, ne terrentur morte temporali et passione transitoria, proposuit eis futurum iudicium et gehennae supplicium dicens: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiat, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua. Filius enim hominis venturus est in gloria Patri sui, et tunc reddet unicuique secundum opera sua,* 10 quibus verbis gehenna malis, et regnum bonis ac ipsum imitantibus designavit, atque ut illos certiores redderet, tunc promisit dicens: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo,* 11 ut ergo hoc promissum impleret, voluit, ut in transfiguratione videant illi tres discipuli Christum in regno suo venientem, id est apparentem et fulgentem in ea claritate gloriosa, in qua videbitur in iudicio et postea in caelesti regno ab omnibus sanctis. Haec secundum Remigium ac Chrysostomum. (E) Quaeritur hic: Cur Christus concedens discipulis cernere, scilicet oculis gloriam regni caelestis non concessit, ut videant gehennam oculis corporeis, quod tamen bene fieri potuisset adducendo aliquam animam damnatam ex Inferno inferiori, puta Cain vel epulonem, sicut adduxit Moysen ex limbo. Et ratio quaestionis, quia tunc Christus de utroque disseruerat, scilicet et de regno, et de gehenna, ut praedictum est. Cur ergo noluit utrumque ostendere visui eorum? Ad hoc respondet Iohannes Os Aurei in homilia hodierna dicens, quod ideo, quia gehennam videre et sic per illam detertere rudioribus atque ineptioribus necessarium est, probis vero et iam perspicacibus, quales fuerunt apostoli, satis fuit a melioribus confirmari. Item quia Christus venit per amorem attrahere peccatores potius, quam per timorem, ideo fecit sic praemium ostendendo, non poenis deterrendo. Propterea ut videmus, constituit hominem

Deus inter caelum et Infernum sub terra existentem sic, quod aperte videat sidera caelestia, sed non videat infernalium. Alia ergo ratio huius secundum Chrysostomum, quia hoc multo magis Christum Dominum decebat, videlicet pro ostendenda sua pietate et benivolentia, qua neminem vellet perire in gehennam, sed *omnes vult salvari* dicente Apostolo I. Timo. II. 12, et in huius signum promptior fuit ostendere regnum, quam gehennam. O ergo peccator, vide Christi charitatem, qua vult te salvari, et hoc desiderium eius imple. Noli te perdere, sed age poenitentiam pro amore eius, qui te tantum amat. O quam durus et rudis est homo, qui solo metu gehennae et non Dei amore poenitet. Nam talis *timor non est in charitate*, I. Ioh. IV. 13 Quinta ratio ex parte nostri voluit Christus transfigurari, ut scilicet nos ad desiderandam gloriam caelestem toto conatu nostro inflammaret ex eius superamabilis claritatis visione, ac ineffabili maiestate, quae ibi adeo innotuit, quod ipse Petrus ex illa minima gutta visionis vel scintilla inebriatus desiderio desideranter exclamavit dicens: *Domine, bonum est nos hic esse*, nesciens prae spiritus ebrietate, quid diceret, Lu. IX. 14 Unde Ambrosius in homilia dicit, quod Dominus ad praemia futura virtutum erigit infirmitatem mentis humanae, et tamquam bonus magister moralis, ne quis frangatur desperatione aut taedio, per gloriae munera mulcet affectum, scilicet ostensa in transfiguratione. (F) Ad id quaestio occurrit, quam inter philosophos legimus fore versatam, videlicet quid est illud, quod hominem fatigari non sinit. Ad hoc quidam philosophus respondet, quod lucrum. Et concordat Hieronymus dicens: *Pericula maris spes lucri compensat*. Item quaestio fortior adhuc est, videlicet: Quid est illud, quod omnia fatigia laboresque, immo et flagella reddit dulcia? Ad quod respondet Augustinus de verbis Domini c. IX. dicens: *Omnia saevia et immania prorsus facilia et prope nulla efficit amor*. Sic ergo Christus ostendit nobis gloriam caelestem, quatenus eius amore et spe lucri omnem laborem, omnem amaritudinem ac graves poenitentias sufferre animemur, et incitemur usque ad mortem pugnare contra diabolus et vitia. O ergo anima Christiana, o Christi sanguine redempta, diligenter intra te pensa, quoniam ut Augustinus dicit, *nulla maior insania, nulla maior stultitia, quam pro delectatione momentanea perdere aeterna et tam indicibilia gaudia, quae habentur in visione divina et Christi Iesu praesentia gloriosissima*. Expergiscere ergo pauperula, ne incurras aeterna tormenta, sed introas in Domini tui gaudia. (G) Circa secundum de exemplaritate salutis, ad quam docemur in Christi transfiguratione, sit pro conclusione verbum Bernardi in sermone nativitatis dicentis: *Christus ascendit in montem ad transfigurandum, ut doceat nos ascendere ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis, scilicet videndo eius faciem beatissimam*. Pro cuius declarationem notandum, quod in sui transfiguratione voluit Christus instruere nos, qualiter videlicet ad videndum divinam faciem Christi pervenire valeamus in caelesti regno. Ad quod praecipua quinque documenta exemplariter ostendit: Primo documentum sive exemplum poenitentiae verae et eius actionis in eo, quod assumpsit ad transfigurationis visionem hos discipulos, videlicet Petrum, Iacobum et Iohannem. Nam secundum Hieronymum Petrus interpretatur 'agnoscens', scilicet seipsum, et ideo per eum significatur vera contritio et cognitio peccatorum. Iacobus interpretatur 'supplantator', et sic significat confessionem, in qua supplantatur diabolus et ipsa hominis malitia, cum detegitur peccatum coram sacerdote. Iohannes interpretatur 'gratia' vel in quo est gratia, et ideo significat operosam gratiam satisfactionis pro culpis. Sic ergo Christus docuit in exemplo, quod quicumque vult videre faciem eius in gloria, debet vere conteri et confiteri ac satisfacere, et sic poenitere. Unde ipse ait Mat. III.: *Poenitentiam agite, appropinquabit regnum caelorum*. 15 Secundo exemplum contemptus mundanae delectationis in eo, quod scilicet duxit eos in monte excelsum seorsum, et ibi transfiguratus est, non in valle, in quo docemur separari ab amore mundi profundi in vitiis. I. Ioh II.: *Si quis diligit mundum, id est delectabilia et vitia huius mundi, non est charitas Patris in eo*. 16 Hinc Ambrosius De fuga saeculi dicit: *Qui salvus esse vult, spernat mundum, fugiat hunc mundum, ascendat, quaerat verbum apud Deum, id est Christum*. Haec ille. Tertio exemplum devotae orationis in eo, quod tunc Christus oravit, et dum oraret, *facta est species vultus eius altera et vestitus refulgens*, Lu. IX. 17 Unde Augustinus: *Ille Deum videt, qui bene studet, bene vivit, bene orat*. Lu. XI.: *Petite, et dabitur vobis*. 18 Quarto exemplum observantiae praeceptorum divinae legis in eo, quod voluit Moysen legislatorem et Eliam, legem iustitiae zelantem adesse in maiestate transfigurationis, ut doceret non nisi per praeceptorum observantiam promereri beatam visionem faciei, Matth. XIX.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. 19 Quinto exemplum compassivae meditationis charitatis Christi et passionis et mortis in eo, quod tunc Moyses et Elias loquebantur cum Iesu, et dicebant excessum eius. Lyra: id est passionem eius, quae excessivae fuit charitatis. Unde qui vult videre Christi faciem gloriosam in caelo, debet eius passionem crebrius recogitare cum gratiarumactione et compassione. Ro. VIII.: *Si compatimur, simul et glorificamur*. 20 Chrysostomus super Matth.: *Omnis salus hominis in Christi cruce posita est*. O ergo homo Christiane, disce haec praedicta observare, si vis Christi faciem desiderabilem in gloria videre perpetuo. (H) Circa tertium principale de dulcore visionis gloriae Christi in transfiguratione quaeritur, utrum discipuli in transfiguratione viderint Christi divinitatem, scilicet experiendo eius dulcedinem secundum patriae beatitudinem. Ratio quaestionis est, quia scribitur Exo. XXXIII.: *Non videbit me homo, et vivet*. 21 Et Ioh. I.: *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*. 22 Ergo non potuit ab illis videri deitas Christi. Quomodo ergo dicitur, quod viderunt maiestatem Christi, et in illa maiestate cognoverunt Moysen et Eliam adesse. Respondetur secundum Lyrum: *Ad huius – inquit – evidentiam notandum, quod beatitudo essentialiter consistit in aspectu claro ipsius divinitatis et perfecta eius fruitione. Accidentaliter autem consistit in conspectu humanitatis Christi et delectatione vel dulcedine consequente, per quam, scilicet humanitatem Christi, sicut per instrumentum coniunctum divinitati sunt sancti adducti ad gloriam. Isti autem apostoli, qui admissi fuerunt ad videndum transfigurationem Christi, non viderunt ipsius divinitatem, sicut Paulus in raptu, sed tantum eius humanitatem in forma gloriosa*. Haec Lyra. Unde Leo papa: *Illam – inquit – ipsius deitatis ineffabilem et inaccessibilem visionem, quae in aeternam vitam mundis corde servatur, nullo modo adhuc mortali carne circumdati intueri poterant et videre. Splendor tamen faciei eius significat claritatem divinitatis, fulgor vero vestium claritatem humanitatis eius*. Ratio praedictorum est, quia ut Gregorius in homilia ait, quamdiu sic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturae suae speciem non potest, sicut etiam auctoritates in ratione sonant praedictae, quamvis autem ex gratia speciali aliquibus concessum sit videre divinam essentiam in hac vita, ut probat Augustinus ad Paulinam de videndo Deum dicens

Moysi et Paulo in raptu fore concessum, hoc tamen sancti doctores concorditer dicunt, quod talis visio in vita praesenti non est concessa alicui utenti sensibus exterioribus, nisi homini Christo. Unde et Paulus in raptu a sensibus abstractus vidit divinam essentiam. Isti autem apostoli in transfiguratione non fuerunt rapti, sed utebantur sensibus, ergo patet, quod divinitatem Christi non viderunt. (I) Tamen videntes eius humanitatis gloriam ineffabilem dulcedinem hauserunt in ista transfiguratione ex quinque partibus, sicut et beati in caelo ex istis quinque haurient ineffabilem dulcedinem. Ista enim visio gloriae Christi in transfiguratione significavit beatam visionem in patria. Primam dulcedinem haurient beati in clara visione Trinitatis, scilicet Patris et Filii et Spiritus Sancti, qualiter tres personae procedentes unus Deus sunt. In huius signum in transfiguratione apparuit Pater et Filius et Spiritus Sanctus in subiectis creaturis, ut supra patuit. Et de hac revelatione illi tres discipuli fuerunt multum consolati in anima, adeo quod voluissent ibi perpetuo remanere, ut dicit Lyra. Secundam dulcedinem habebunt beati in visione Christi et eius gloriosae humanitatis. Ioh. X.: *Ingrediuntur et egrediuntur et utrobique pasqua inveniuntur.* 23 Ingrediuntur scilicet ad contemplationem deitatis, et egrediuntur ad contemplationem humanitatis. Beda: *O quanta felicitas visioni deitatis inter angelos adesse perpetuo*, si tantum transformata Christi humanitas ad punctum visa delectavit, ut Petrus dixerit: *Domine, bonum est nos hic esse* etc. Tertiam dulcedinem habebunt ex consortio sanctorum, scilicet patriae caelestis. Remigius: *Visa – inquit – Domini maiestate et duorum servorum, scilicet Moysi et Eliae, Petrus adeo delectatus est, ut cuncta temporalia oblivioni traderet, et ibi in perpetuum manere vellet, quanta ergo erit suavitas videre regem in decore suo et interesse choris sanctorum omnium, scilicet Virginis Mariae et apostolorum.* Haec ille. Quartam dulcedinem habebunt ex plenitudine omnis boni desiderabilis et eius satietatis. Ps.: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* 24 Et ob hoc Petrus omnia alia fastidians illud solum bonum sibi sufficere dixit: *Domine, bonum est nos hic esse.* Quintam habebunt ex securitate perpetuitatis, quae significantur per tabernacula ad manendum ibidem perpetuo, quod Petrus desideravit secundum Rabanum. O ergo carissimi, laboremus, ut perveniamus ad caelestem dulcedinem beatitudinis, ubi iucundemur in Christo sine fine.

---

1 Mt 17,1 2 Mt 17,2 3 Mt 17,5 4 Phil 3,20-21 5 Mt 28,19 6 Cf. II Pt 1,16 7 Ioh 8,17; cf. Dt 17,6; 19,15 8 Lc 9,31 9 Mt 16,24 10 Mt 16,26-27 11 Mt 16,28 12 I Tim 2,4 13 I Io 4,18 14 Lc 9,33 15 Mt 3,2 16 I Io 2,15 17 Lc 9,29 18 Lc 11,9 19 Mt 19,17 20 Rm 8,17 21 Ex 33,20 22 Ioh 1,17 23 Ioh 10,9 24 Ps 16,15

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XLIII.] De transfiguratione Domini Sermo II. de mirabilibus eius secundum evangelium procedendo *Resplenduit facies eius*, scilicet Christi, *sicut sol* etc. Matt. XVII. 1 et in evangelio hodiernae sollemnitatis. (A) Bernardus in sermone nativitatis dicit, quod *Christus ideo transfiguratus est in monte, ut tu, homo, scires, quo tenderes, id est ad montem supernae beatitudinis. In monte etiam oravit, ut eundi et perveniendi bonam voluntatem haberes.* Haec Bernardus. Discamus ergo, carissimi, post Christum ascendere in montem veri luminis, ut videre valeamus Domini Iesu gloriosam faciem, quam desiderant etiam angeli prospicere, I. Pet. I. 2 Unde ut illam supernam visionem amplius desideremus, voluit piissimus Iesus magno miraculo coram discipulis tribus, scilicet Petro, Iacobo et Iohanne ostendere pulchritudinem suae claritatis ineffabilem in transfiguratione, in qua *resplenduit facies, sicut sol. Et vestimenta eius facta sunt alba, sicut nix*, ut notat sacrum evangelium. De quo in hoc sermone locuturi tria praecipua mysteria notabimus, secundum quod ista gloriosa transfiguratio tripliciter describitur in hoc sacro evangelio, videlicet intuenti: · Primum mysterium de gloriae Christi refulgentia, ibi: *resplenduit facies eius* · Secundum de sanctorum praesentia, ibi: *Et ecce apparuerunt eis Moyses et Elias* 3 · Tertium de Trinitatis apparentia, ibi: *Ecce nubes, lux et vox* etc. 4 (B) Circa primum de gloriae Christi resplendentia sit pro conclusione, quod Christi Iesu transfiguratio gloriosa exstitit valde mirabilissima. Et hoc quoad plura. · Primo quoad significatum vel mysterium · Secundo quoad factum · Tertio quoad radium · Quartum quoad modum · Quintum quoad visum Primo quoad significatum vel mysterium. Quaeritur namque, quid significet in mysterio ista Christi transfiguratio. Ad hoc respondetur secundum Ludolphum Carthusiensem De meditatione vitae Christi, et concordant doctores, quod significavit futurae resurrectionis et Christi ac nostram gloriam. Non enim erat aliud transfiguratio, nisi secundi adventus praenunciatio, in quo et ipse Christus et sancti eius lucebunt sole clarius. Mat. XIII.: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eius.* 5 Et propter hoc sicut dicit hodiernum evangelium: *Assumpsit* – inquit – *Iesus Petrum et Iacobum et Iohannem fratrem eius.* 6 Pro hac visione tres assumpsit, ut significetur, quod illi soli, qui nunc fidem Trinitatis firmiter servant, digni erunt assumi ad visionis divinae gloriam ex hoc mundo. Assumpsit autem Petrum, Iacobum et Iohannem propter eminentiam sanctitatis prae ceteris, ut dicit Glossa Luc. IX. Nam Petrus fuit ferventior in fide, unde et claves regni caelorum accepit. Iohannes excellebat in virginitate, et ideo mater Christi ipsi erat commendanda. Iacobus autem inter apostolos primus sustinuit martyrium propter Christum, ut patet Act. XII. Hos ergo assumpsit ad designandum, quod quanto quis solidior est in fide et purior a peccatis ac ferventior in Christi charitate, quae perfectissime claret in martyrio, tanto dignior est et meretur prae ceteris videre Dei gloriam. O ergo homo, sis firmus in fide cum Petro, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, Heb. XI. 7 Sis etiam mundus a peccatis cum Iohanne, quia *nil coinquinatum intrabit in illud caeleste regnum*, Apoc. paenultimo 8 Sis quoque cum Iacobo in charitate Christi fervidus, ut potius mori velis, quam a Christo separari. Nam *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, I. Ioh. IV. 9 Hinc extra de regulari licet Innocentius dicit, quod charitas est fons proprius, cui non communicat alienus, item subsequenter evangelium dicit, quod Christus duxit illos in montem excelsum seorsum, qui quidem mons dictus est Thabor, quod 'accessio lucis' interpretatur, et esse dicitur quarto miliario a Nazareth contra orientem. Illuc ergo ascendit Christus ad orandum, et ibi lucem gloriae convenienter ostendit ad significandum, quod caelestem gloriam orando quaerere debemus non in valle vitiorum et miseriae huius saeculi,



sed in monte virtutum et supernae beatitudinis. Unde Ps. quaerit dicens: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius.* 10 Respondet: *Innocens manibus*, id est operibus. Nam *manus est organum organorum*, III. De anima, et ideo per manus opera designantur. Sequitur: *et mundo corde*, qui non accepit in vano animam suam, applicando eam terrenis, quae vana sunt. Eccl. I.: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* 11 *Nec iuravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a Domino* etc. 12 (C) Secundo mirabilis fuit ista transfiguratio, quoad factum. Quaeritur namque, quis fecit et qualiter fecit istam Christi transfigurationem. Nam dicitur in textu: *Transfiguratus est*, non dicitur, transfiguravit se. A quo ergo et qualiter transfiguratus est? Respondetur secundum Alexandrum de Hales III. parte Summae q. XXI., quod *transfiguratio est in aliam figuram mutatio*. Hic autem figura non accipitur pro quantitate, sed pro qualitate, sicut etiam accipit Apostolus I. Cor. VII. dicens: *Praeterit figura huius mundi.* 13 Et sic ponitur quarta species qualitatis figura secundum Philosophum de Praedicamentis. Unde Salvator in transfiguratione nec substantiam verae carnis, nec quantitatem corporis, nec faciei lineamenta mutavit, sed tantummodo splendorem cuiusdam inenarrabilis claritatis addidit, ut dicit Theoph. (?) super Matt. Hanc autem transfigurationem active fecit Deus Trinitas, sed in humanitate Christi. Non dicitur ergo: transfiguravit se, ut notetur actio fieri ex mirabili potentia Trinitatis, secundum quod dicit Ludolphus ubi supra. Passive autem dicitur Christus transfiguratus respectu tantummodo corporis, et non respectu animae, nec deitatis, quia in anima iam a principio conceptionis fuit gloriosus ex unione ad verbum, fuit enim comprehensor secundum superiorem partem rationis, secundum quam clare vidit Deum, et gloriose fruebatur Deo, sed ista gloria nondum redundaverat in corpus, in transfiguratione autem redundavit ad tempus. Et sic patet, quod mirabilis fuit. (D) Tertio quoad radium, quia dicitur: *Resplenduit facies eius, sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.* In quo plura mirabilia fuisse notantur. Primum est, quod sicut dicit Hilarius et Haymo super Apoc.: *Ipsa facies Christi fulgidior fuit sole etiam centies, sed nil clarius habens, cui comparetur, evangelista dixit: sicut sol.* Secundum mirabile, quod ista claritas quamvis subiective stetit in corpore, tamen sic perfudit lumine vestimenta Christi, ut candore niveo alba apparerent ab extra secundum Alexandrum de Hales, ubi supra. Unde et Augustinus dicit, quod candor vestium a faciei splendore superinfuso, et ita fuit vera mutatio in facie, sed non in veste. Tertium mirabile, quod ista claritas stare potuit cum colore faciei priori, cum lux colorem absorbeat, quando fuerit intensa, sicut fuit ibi. Sed Alexander de Hales ubi supra dicit, quod *hoc potuit Deus facere, quia color est quid materiale respectu lucis. Nam in quibusdam lapidibus pretiosis simul stat color et splendor, a fortiori Deus hoc potuit.* Quartum mirabile fuit, quod in carne passibili et mortali gloria immortalitatis et futurae resurrectionis stetit ad tempus. Et de hoc Alexander de Hales ubi supra dicit, quod Deus potest pro tempore unam dotem dare sine alia, cum tamen sint indistinctae dotes, et sic ad tempus dedit tunc Deus claritatem sine impassibilitate et agilitate ac subtilitate. Verumtamen ista claritas in transfiguratione non dicitur propriae dos gloriae, eo quod non habuit permanentiam, quam de ratione importat sua dos, habuit tamen dotis similitudinem, et sic fuit mirabilis. (E) Quarto quoad modum fuit mirabilis ista transfiguratio, et hoc quoad modum illuminationis. Nam mirabile fuit, quomodo tanta claritas cum esset centies clarior sole, ut praedictum est, et tamen non illuminavit totum mundum. Item quia dicit Magister in IV. dist. XLVIII. c. ultimo, quod *veniente ad iudicium Domino sol et luna dicuntur obscurari non sui luminis privatione, sed superveniente maioris luminis claritate.* Haec ibi. Cum ergo Christus in transfiguratione in ea gloria claritatis apparuit, qua venturus est ad iudicium, ut dicit Hieronymus super Matth., quia tunc eius claritas non obscuravit solem. Ad haec respondetur secundum Alexandrum ubi supra, quod illa claritas Christi voluntarie fuit in Christi corpore expressa, et per consequens cui voluit, et quantum voluit, se manifestavit. Nam in potestate gloriosi corporis est suam claritatem ostendere vel non, ut ait Augustinus. Exemplum: Christus post resurrectionem et in ascensione apparuit discipulis gloriosissimus, qui tamen ab aliis extraneis non est visus. Haec patent per Augustinum ad Paulinam. Et ad idem exemplum etiam potest poni in sacramento Eucharistiae, ubi continetur veraciter Christus gloriosus, et non videtur, cum tamen millesies sit clarior sole, ut fides locum habeat. Sic in proposito Christus virtute divina fecit, ne tunc illuminaret mundum et obscuraret solem. Quinto quoad visum, nam valde mirabile fuit, quomodo oculi apostolorum tantam lucem videre potuerunt, cum oculi nostri in sua claritate fixa acie solem intueri non possint. Sed ad hoc idem Alexander ubi supra respondet dicens, quod nos videre solem non possumus, non quidem ratione splendoris, sed ratione caloris dissolventis humidum glaciale in oculo, sed claritas gloriosa non est visus reverberativa et dissolutiva, sed magis fortificativa et delectativa, et sic apostoli pro voluntate Christi videre potuerunt. O ergo Iesu bone, quam magnus et mirabilis Deus es in tuis operibus. (F) Circa secundum de praesentia sanctorum sit pro conclusione, quod dicitur in evangelio, videlicet quod pro maximo miraculo apparuerunt Moyses et Elias loquentes cum Iesu gloriose transfigurato. Nam in his etiam fuerunt plura mirabilia: · Primum in Moysi apparitione · Secundum in Eliae adductione · Tertium in mutua agnitione · Quartum in colloquutione · Quintum in Petri fervore Primum in Moysi apparitione, qui tamen antea per longa tempora fuit mortuus et resolutus. Quaeritur ergo, utrum Moyses a Deo tunc resuscitatus fuerit, ut sic vere in corpore apparuerit. Ad hoc Augustinus De mirabilibus Sacrae Scripturae li. II. c. XIII. et XIV. dicit: *Hoc pro sententia tenendum est – inquit –, quod Moyses et Elias non cum imaginatis, sed veris corporibus convenisse non dubitentur. Ideo et ipse Moyses in suo vero corpore de sepulchro resumptus est, Moysi autem corpus iterum post hanc visionem sepulturae commendatur, ut in novissimo resurgere speretur.* Haec Augustinus. Sed Lyra super Mat. dicit, quod Moysi anima fuit ibi de limbo sanctorum patrum adducta, non quia resurrexit, sed in quodam corpore sibi adoptato anima apparuit, sicut apparent angeli in corporibus assumptis, et sic fuit Moyses ibi non secundum apparentiam phantasticam, sed secundum veritatem in anima. Alexander autem de Hales ubi supra dicit, quod pensando omnipotentiam Dei utrumque potuit fieri, unde utrumque potest teneri. Secundum mirabile fuit in Eliae adductione, quia ipse fuit secundum veritatem adductus vivus in anima et corpore de Paradiso, ut Lyra et omnes tenent doctores. Sed quaeritur, quare ex Paradiso Enoch non venit, sicut Elias. Respondet Alexander ubi supra, quod Christus in hac transfiguratione voluit gloriam resurrectionis et opus nostrae redemptionis expresse ostendere. Et quia solum post diluvium, non ante fuit hoc traditum ac creditum, id est ab Abraham et deinceps, Enoch autem fuit ante diluvium, quando solum implicite credebatur hoc mysterium,

ergo non debuit adduci Enoch. Sed tamen Moyses et Elias debuerunt pro testimonio adesse secundum doctores, praecipue Ludolphum, quia per Moysen, qui fuit legislator, lex significatur, per Eliam autem, qui fuit legis aemulator et inter prophetas praedicator praecipuus, prophetae significantur. Inter hos ergo Christus medius esse voluit, ut ostenderet se illum esse, quem lex et prophetae praedicaverunt, et ut per Moysen mortuum ac Eliam vivum ostendat se imperium habere vitae et mortis, et vivos ac mortuos iudicaturum. Tertium mirabile in mutua agnitione. Unde Efreem dicit: *Magnum fuit ibi gaudium de mutua visione, quia utriusque testamenti principes congregati sunt cum Deo Abraham. Videbat enim Moyses, dux Iudaeorum Petrum, principem Christianorum, considerabat Elias castus virginem Iohannem, et utrique in Iacobo laudabant martyrii privilegium.* (G) Quaeritur hic, quomodo apostoli isti cognoverunt Moysen et Eliam, quos numquam viderunt. Ad hoc respondet Ambrosius et Glossa, quod *noverunt per maiestatem, scilicet gloriae Christi et eius claritatis illustrationem super eos venientem, sicut in futura resurrectione unusquisque alterum, scilicet quem etiam ante numquam vidit, cognoscat, et desiderata alter in altero per charitatem intelliget.* Haec ille. O ergo anima sancta, quam beata eris in caelo, si hic Christo servieris. O quam misera et infelix es, si Christum perdis peccato. Quartum mirabile de colloquutione. Ut enim dicitur Lu. IX., loquebantur de Iesu, et *dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*, 14 id est passionem, in qua fuit excessus amoris, doloris et humilitatis. Nam amor fuit supra mensuram, Ioh. XV.: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* 15 Item dolor fuit supra consuetudinem, Thren. I.: *O vos omnes* etc. 16 Et humilitas fuit supra humanam virtutem. Et sic loquebantur de mirabilibus mysteriis Christi, non tamquam iudicantes Christo aliqua talia, quae nesciret, sed ipsum adorantes et gratias agentes de adventu eius in carnem, et quod secundum leges et prophetas debebat iam in proximo genus humanum sua passione redimere, compatiebantur nihilominus Christo, quod tam gloriosa facies debebat conspui et alapis caedi, tradi et crucifigi. Haec Ludolphus. O ergo Christiane, compatere et tu Christo pro te passo. Quintum mirabile de Petri fervore, quia Petrus haec videns et audiens secundum Remigium adeo delectatus et accensus est amore, ut omnia oblivioni traderet, et ibi in perpetuum manere vellet. Unde inebriatus spiritu dixit ad Iesum: *Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliae unum.* 17 Lyra: *Petrus non loquitur de tabernaculo faciendo pro se et sociis suis, quia volebat cum Christo esse in suo, et socii sui cum aliis duobus.* Sed Lucas dicit, quod loquebatur Petrus nesciens, quid diceret. Quomodo hoc? Respondet Glossa super Matt., quod *Petrus scivit, quid diceret in hoc, quod dixit: bonum est nos hic esse, quia vere solum hominis bonum est intrare in gaudium Domini. Sed nescivit, quid diceret in hoc, quod in caelestibus voluit tabernacula quaerere, ubi nulla adversitatis aura est timenda.* Haec Glossa. Item secundum Ludolphum erravit etiam, quia in via et terra patriam requirebat, quae sanctis in caelo est promissa. Et quia adhuc ipsi et socii in mortali corpore erant, et sine morte statum gloriae subire volebat. Unde secundum Lyram: *Sicut videmus, quod ex magnitudine timoris vel passionis aliquis prorumpit in aliqua verba sine praemeditatione, ita ex magnitudine devotionis et delectationis expertae dixit Petrus illa verba, quae tamen non erant rationabilia, ut patuit.* Sed quaeri potest: Cur Christus Petrum non redarguit de hoc, nec quicquam eidem respondit. Ad hoc respondetur, quod responsionem Domini non promeruit propter petitionis irrationabilitatem, ut significetur, quod cum homo a Deo irrationabiliter petit ea videlicet, quae non sunt ei ad salutem, exaudiri non meretur. Unde Augustinus: *Illam pete a Deo, quae et tibi expediunt pro salute, et illum decent dare.* Denique Petrus non redargutus est, tum quia ex devotione stupefactus haec dicebat, tum quia Spiritus Sanctus per eius verba designavit, quod videlicet homo debet Deo facere in anima sua tria tabernacula ad inhabitandum. Unum Deo Patri in memoria, unum Dei Filio in intellectu, unum quoque Spiritui Sancto in voluntate. Nam secundum quod Bernardus dicit, *Deus Trinitas inhabitat animam sanctam, et deiformem efficit.* Pater quidem memoriam implendo sancta intentione et meditatione, Filius intelligentiam implendo lucida Dei cognitione, et Spiritus Sanctus voluntatem implendo suavi amore. O ergo anima, fac in te haec tria tabernacula Deo ad habitandum. (H) Circa tertium de apparentia Sanctae Trinitatis sit pro conclusione, quod in Christi transfiguratione tota Sancta Trinitas apparuit miraculose. Primum namque miraculum, quod Spiritus Sanctus apparuit in lucida nube. Ut enim testatur evangelium, loquente adhuc Petro praedicta verba, ecce lucida nubes obumbravit eos. Ista autem nubes secundum Ludolphum non fuit causata ex caliginosis vaporibus, sed ex vehementia lucis Christi praecessit. Quia sicut fumus est ab igne, ita ista nubes lucida fuit a luce. Et haec obumbravit, id est operuit circumfulgens discipulos. In hac autem nube secundum Bedam et communiter doctores apparuit Spiritus Sanctus ad significandum plenitudinem gratiae et veritatis in Christo. Et quod in ipsum credentibus daturus est refrigerium per gratiam contra fomitem, et claritatem futurae resurrectionis, ideo in nube refrigerium et in luciditate gloriae resurrectionis figuratur. Secundum miraculum ibi fuit, quod Pater apparuit in voce. Unde sequitur: *Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, scilicet naturalis.* Alii autem sunt adoptivi. *In quo mihi bene complacui*, id est in quo meum divinum beneplacitum complebitur de redemptione mundi. *Ipsam audite*, 18 ut veritatis magistrum, qui docebit vos omnia necessaria ad salutem. Tertium miraculum, quod vox ista fuit tremendae potentiae. Fuit enim secundum Ludolphum quasi vox tonitrualis, terribilis adeo, quod de ipsa voce terra sub ipsis contremuit. Et hoc ad significandum, quod maiestati Dei Patris timor debetur. Unde discipuli audientes eam ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde, quia humana fragilitas conspectum maiestatis divinae ferre non valet, sed piissimus Iesus accedens tetigit eos dicens: *Surgite, et nolite timere.* 19 O Deus meus, quot sunt peccatores, qui non pertimescunt offendere divinam maiestatem, quam omnis creatura contremiscit, sed quotidie peccata peccatis accumulunt. O vos superbi, o avari, o luxuriosi, cur non timetis Deum omnipotentem, veniet dies, quando prae timore illius dicetis montibus: *Cadite super nos, et operite nos a facie irae Dei*, ut scribitur Apoca. VI. 20 O quam beati sunt, quos pie tangit Iesus. Illi enim surgunt ad vitam. Quartum miraculum, quod ad illam vocem viderunt solum Iesum remansisse et in figura ante consueta sine claritate. Moyses enim et Elias mox recesserunt, reducti voluntate divina ad loca, unde fuerant adducti. Et secundum Glossam ideo, ne vox Patris ad alium, quam ad solum Iesum fieri putaretur. Quintum miraculum, quod Christus hanc visionem inhibuit divulgare, donec resurgeret a morte. Sequitur enim: *Et descendantibus illis de monte praecepit dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a morte*

*resurget.* 21 Quare hoc? Hieronymus dicit, quod ideo, ne propter rei magnitudinem incredibile dictum videretur. Remigius autem dicit, quod ideo, ne si in populo divulgata fuisset, plurimi resistentes sacerdotibus eius passionem et sic nostram redemptionem impedivissent. Item etiam ut daret exemplum occultandi ea, quae ad laudem et gloriam nostram spectant. O ergo quam felices apostoli, qui haec videre meruerunt. O quam felices et nos, carissimi, erimus, si Christum vere amabimus, et in eius amore perseverabimus, ut ipsius visione in patria sine fine fruamur et congaudeamus. Rogemus ergo Christum, ut etc.

---

1 Mt 17,2 2 I Pt 1,12 3 Mt 17,3 4 Mt 17,5 5 Mt 13,43 6 Mt 17,1 7 Hbr 11,6 8 Apc 21,27 9 I Io 4,16 10 Ps 23,3 11 Ecl 1,2 12 Ps 23,4-5 13 I Cor 6,31 14 Lc 9,31 15 Ioh 15,13 16 Lam 1,12 17 Mt 17,4 18 Mt 17,5 19 Mt 17,7 20 Cf. Apc 6,16 21 Mt 17,9

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XLIV.] De transfiguratione Domini Sermo tertius, scilicet de hoc, quod Christus sit vere Dei Filius *Ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite.* Matth. XVII. 1 et in evangelio hodierno. (A) Iesus voluit comprobare se esse Filium Dei verum et naturalem, non solum verbo, sed etiam facto, et ipso infallibili Dei Patris testimonio, quae omnia et singula monstravit in transfigurationis mysterio, ubi prophetas Moysen et Eliam, qui fuerunt eximii inter omnes, adesse voluit pro confirmatione, scilicet quod ipse est, quem lex Moysi et prophetae verbis praenunciaverunt et clamaverunt. Item facto confirmavit, quoniam tunc gloriam suae maiestatis divinae ostendit in claritate, qua apparuit. Denique testimonio Dei Patris hoc idem confirmavit, quod quidem *impossibile est esse falsum, cum sit prima et summa veritas*, ut ait Anselmus, et communis est conceptio omnium etiam philosophorum. Ipse namque Deus Pater testimonium ferens Filio voce delapsa ex nube lucida dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo etc.*, ut patet in themate. Unde iuxta haec verba de Filio Dei Christo Iesu tria mysteria notabimus in hoc sermone pro fidei nostrae aedificatione: · Primum de reali veritate, quod notatur, cum dicitur: *Hic est* · Secundum de naturali qualitate, ibi: *Filius meus dilectus, in quo etc.* · Tertium de filiali hereditate, scilicet quam consequentur ipsum audientes (B) Circa primum de reali veritate, scilicet quod Christus sit vere Filius Dei, quamvis de hoc etiam si nil plus dici posset, nisi quod Deus Pater ipsum testatus est esse suum Filium, hoc solum sufficeret. Verumtamen propter titubantium animorum confortationem curabimus ostendere, quod Iesus sit vere Filius Dei. Quaeri namque potest, qualiter probari hoc valet, quod Dominus Iesus vere Filius Dei est. Ad quod respondetur, quod hoc infallibiliter probatur praecipue per tria: · Primo per infallibilia testimonia · Secundo per miraculorum experimenta · Tertio per totius mundi exempla Primo per infallibilia testimonia et triplicia. Primum testimonium est sanctorum, ut patet per omnes sanctos prophetas Veteris Testamenti, et per sanctos apostolos atque alios fideles doctores martyresque et confessores Novi Testamenti, qui omnes uno spiritu Christum Iesum, Dei Filium praedicaverunt. Sed quoniam ut scribitur II. Pe. I.: *Non voluntate humana, id est non sensu humano allata est aliquando prophetia, scilicet in Sacra Scriptura posita, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* 2 A Spiritu Sancto autem non potest falsitas, sed sola veritas inspirari, et in virtute eius pronuciari, cum sit Deus et Spiritus veritatis. Ergo infallibiliter sequitur Christum esse verum Dei Filium, quem confitentur omnes sancti Veteris et Novi Testamenti, immo insuper confitentur et testantur etiam plurimi gentiles et pagani in suis scriptis. Nam ut Augustinus XVIII. De civitate Dei dicit: *Sibylla Erythraea versus quosdam composuit de fine mundi in Graeco, quorum primae litterae coniunctae sonant:* 3 Iesus Christus tenetheos Soter, quod est Latine: Iesus Christus Filius Dei Salvator. 4 Aliae quoque Sibyllae, quas Isidorus VIII. Etymologiarum libro commemorat fuisse decem, prophetarunt Christum Dei Filium de virgine nasciturum, quorum scripta ob brevitatem pertranseo, nam illa scripsi in Stellario · Secundum testimonium evangelicum. Nam Gabriel dixit Virgini: *Ecce concipies et paries filium etc. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur.* Lucae I. 5 Et angelus, qui monuit Ioseph dicens: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Matthaei I. 6 Denique in Christi nativitate angelus pastoribus ipsum Salvatorem annuntiavit, et multitudo militiae caelestis angelicae testimonium cantando perhibuit, sed angeli beati pleni sunt lumine veritatis, a qua errare non possunt, ergo infallibile est eorum testimonium. Tertium testimonium ineffabile est divinum. Ipse enim Deus Pater testificatus est dicens: *Hic est filius meus dilectus*, ut in hodierno evangelio. *Deus autem nec fallere, nec falli potest*, ut ait Anselmus, ergo etc. (C) Secundum probatur per miraculorum experimenta. Nam ipse Christus dicebat Ioh. V.: *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.* 7 Nimirum secundum quod dicit Thomas III. parte q. XLIII. ar. III. 8: *Miracula Christi fuerunt sufficiens testimonium divinitatis suae propter tria. Primo quidem propter speciem operum, quia erant talia, quod transcendebant omnem potestatem creatae naturae, propterea fieri non poterant nisi virtute divina, videlicet quod caecus natus visum recipiat, et mortuus reviviscat, et similia. Nam Philosophus in Postpraedicamentis dicit, quod a privatione ad habitum non est regressus per naturam, ergo caecum illuminare et mortuos suscitare opus est supernaturale et divinum. Secundo propter faciendi modum, quia Christus faciebat illa miracula propria virtute et auctoritate imperando, non impetrando. Unde Lucae VI.: *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* 9 Et Matth. VIII.: *Imperavit ventis et mari et facta est tranquillitas magna.* 10 Et Luc. VII.: *Adolescens – inquit –, tibi dico, surge,* 11 *scilicet a mortuis. Et Ioh. XI. in resuscitatione Lazari dixit: Lazare, veni foras.* 12 *Et sic de aliis miraculis. Alii autem, qui fecerunt miracula, non fecerunt illa virtute propria, sed virtute divina impetrando a Deo, ut patet III. Regum XVII. de Elia orante: Domine Deus, revertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius* 13 *et ceteris. Vel in Novo Testamento fecerunt virtute Christi et eius nominis, ut patet de Petro, qui claudo dixit: In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula. Act. III. 14 et ceteris. Si autem aliquis dicat, quod in resuscitatione Lazari Christus gratias egit Deo Patri, et saepe Christus orasse legitur, respondetur secundum Bedam, quod Christus non oravit**



ad petendum suffragium, sed ad dandum exemplum nobis orandi. Et cum gratias egit, non suffragium impetravit, unde virtute propria fecit miracula. Tertio propter documentum fuerunt sufficiens testimonium deitatis, quia Christus se Filium Dei docebat et praedicabat, quod nisi verum fuisset, nequaquam eidem virtus divina astitisset in miraculorum operatione. Nam impossibile est Deum esse testem falsitatis per miracula vera, quae sunt virtutis infinitae. Prover. VI.: *Detestatur Deus testem fallacem.* 15 Patet ergo, quod Christus verus Dei Filius est indubitanter. Proinde Richardus IV. De Trinitate ait: *Domine, si error est, a te est, si decepti sumus, non nisi per te decepti sumus.* Nam tantis signis firmata sunt, quae non nisi per te fieri potuerunt. Haec ille. Tertio probatur per totius mundi exempla. Nam Gregorius homilia Epiphaniae dicit: *Omnia elementa auctorem suum venisse testata sunt. Nam Deum hunc caeli esse cognoverunt, quia protinus stellam miserunt. Mare cognovit, quia sub eius plantis se palpabile praebuit. Terra cognovit, quia contremuit. Sol cognovit, quia lucis suae radios abscondit. Saxa et parietes cognoverunt, quia tempore mortis eius scissa sunt. Infernus cognovit, quia hos, quos tenebat captivos, reddidit.* Haec Gregorius. Si autem diceres: Quis scit, utrum talia miracula facta sint, an non? Ad id respondet Augustinus XXII. De civitate Dei dicens: *Si ista miracula facta esse non credunt, unum grande nobis miraculum sufficit, quod iam sine ullis miraculis totus mundus credidit.* Haec ille. Unde si tu, homo, non credis facta illa miracula, quomodo ergo sanctis discipulis, qui fuerunt simplices et illitterati, pauperes et despecti praedicantes contra legem carnis et sanguinis, totus mundus sine miraculis credidisset. Indubitanter ergo carissimi, teneamus firma fide, quia Christus est verus Dei Filius, ut ipse Pater testatus est in transfiguratione. O ergo Iesu bone! O sanctissime Fili Dei! Tu es creator noster, tu redemptor noster, tu gloria nostra, tibi laus et gratiarum actio. (D) Circa secundum principale de naturali qualitate quaeritur: Quomodo Christo proprium est esse Filium Dei, cum omnes homines, in quibus Deus habitat per gratiam, dicantur in Scriptura filii Dei? Nam dicit Ps. de talibus: *Ego dixi: Dei estis.* 16 Scilicet per participationem gratiae et Filii Excelsi omnes scilicet per nuncupationem et adoptionem. Et Iohan. I.: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* etc. 17 Ad hoc respondetur secundum Bonaventuram super I. dist. XXVI. inter quaestiones circa litteram, concorditerque alios doctores, quod *cum dicit 'filius', duo dicit vel importat, scilicet ortum et imitationem. Imitatio autem est duplex, seu dupliciter fieri potest. Primo modo per omnimodam assimilationem, et sic Filius naturalis Dei imitatur Patrem, et quia non habet socium imitando sic, ideo solus ipse est filius naturalis Dei, scilicet Filius. Secundo modo potest esse vel est imitatio expressae imaginis, quae est triplex. Una, quae consistit in sua conditione, et ulterius est insignita sua perfectione et decore, et hoc modo dicuntur filii Dei factura et adoptione angeli boni et homines iusti. Alia est imitatio imaginis tantum, ut consistit in sua conditione. Et hoc modo dicitur quis filius factura, et sic omnis homo in quantum est ad imaginem Dei factus, dicitur filius Dei. Tertia est per solam conditionem imaginis, quae per solam malitiam privatur honore et deformatur a sua conditione, et in quantum talis non dicitur filius Dei. Unde peccatores et daemones neutro modo, id est nec adoptione, nec ut sic factura dicuntur filii Dei, nisi valde improprie ac cum additione distrahente, sicut si quis diceret diabolum esse filium Dei, quod est falsum. Nam consimili modo est de peccatoribus, quia Dominus Ioh. VIII. eis dicit: Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere* etc. 18 Haec secundum Bonaventuram. Ex quibus tres veritates eliciamus ad propositum: (E) Prima veritas, quod omnis peccator vere dicitur filius diaboli, et non Dei. Ratio, quia peccator habet tale esse non a Deo, quia Deus intemptor malorum est, Iaco. I. 19, sed a deceptione diaboli. Et ideo peccator secundum hoc esse habet ortum a diabolo, I. Ioh. III.: *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* 20 Item peccator dicitur etiam filius diaboli ratione imitationis. Unde Ambrosius in sermone Dominicae de passione dicit: *Scitote, fratres, quia cuius opera quisque facit, eius et filius vocatur. Unde cum Iudaei dixissent patrem suum Abraham, audierunt a Domino in evangelio: Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite.* 21 *Qui cum iterum dixissent Deum se habere patrem, audierunt: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me.* 22 *His verbis apertissime monstratur, quod mali et cupidi nec Abrahae, nec Dei sunt filii. Nam cuius filii sunt, sequentia monstrant. Ait enim: Vos ex patre diabolo estis, 23 ac si dicat: Ego ostendam vobis patrem vestrum, pater vester diabolus est, non creando, sed decipiendo.* Haec Ambrosius. Denique peccator dicitur filius diaboli et non Dei ratione hereditariae successionis. Unde I. q. I. „Cito” Ambrosius ait, quod mali dicuntur filii diaboli criminis successionem. Non enim habebunt hereditatem cum Deo in caelo, sed cum diabolo et angelis eius in igne aeterno, Matt. XXV. O ergo homo, adverte, quam malum sit esse in peccato, et age poenitentiam. Nam esse filium diaboli est multo confusibilis, et periculosus, quam esse filium asini vel bufonis. Secunda veritas, quod omnis Christianus bonus est vere filius Dei adoptivus. Unde I. Ioh. III.: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus.* 24 Hinc Gregorius super Ezech. homilia VI. dicit: *Adoptio filiorum Dei sola charitate acquiritur.* Quid hac potestate altius? Quoniam dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quid hac altitudine sublimius dici potest, qua quisque creatus efficitur filius Creatoris? Revera hoc multo honorabilis est, quam esse filium regis vel imperatoris. (F) Tertia veritas, quod Christus excellentissime et singulariter prae omnibus dicitur Dei filius. Ratio, quia ut Augustinus super Ioh. homilia XXVIII. dicit: *Nos sumus filii Dei gratia, scilicet adoptionis, non natura. Christus autem est unigenitus Dei Filius natura, non gratia, scilicet adoptionis.* Unde theologi in III. dist. X. colligunt hanc propositionem, quod haec locutio „Christus est Dei Filius per adoptionem”, nullo modo est admittenda, sive proferatur simpliciter, sive cum determinatione, utpote si addatur „in quantum homo”, quia filiatio respicit personam, eo quod Christus est unus filius, et non duo filii, licet sint in eo duae nativitates, scilicet aeterna et temporalis. Adoptio autem praesupponit quandam extraneitatem, quae nullo modo potest convenire personae Christi, qui est Dei Filius consubstantialis et coaeternus. O ergo peccator homo, considera, quantam gloriam adquiris, si a peccatis conversus fueris, quia frater Christi et filius Dei adoptivus eris, et eius caelesti hereditate dignus. Rom. VIII.: *Si filii et heredes* etc. 25 (G) Circa tertium principale de filiali hereditate quaeritur: Qualibus signis cognoscitur homo esse filius Dei hereditatis participatione, scilicet Christi in beatitudine. Ad quod respondendo notandum est, quod Augustinus de poenitentia dist. IV. „In domo” § „Hoc ergo” distinguendo dicit, quod *in praesenti* (inquit) *dicuntur filii Dei tribus modis.* Primo quidem praedestinatione tantum, sicut hi, de quibus Iohannes ait, scilicet capi. XI.: *Iesus moriturus erat pro gente,* 26 et non tantum pro gente (Lyra) scilicet

Iudaica, sed ut filios Dei, scilicet non actu, sed potentia ad actum reducendo, quia erant praedestinati, qui dispersi erant, scilicet per diversos ritus gentilium, congregaret in unum, scilicet in unam Ecclesiam ex Iudaeis et gentibus constitutam. Haec Lyra. Et sic secundum Augustinum omnes, qui nunc sunt mali, sed tamen tandem convertuntur vel conversuri sunt ante finem vitae, dicuntur filii Dei praedestinatione. Secundo quidam sunt filii Dei praedestinatione et spe beatitudinis aeternae, ut sunt illi secundum Glossam, qui boni sunt, et finaliter boni permansuri sunt. Tertio quidam sunt filii Dei merito fidei et praesentis iustitiae, non autem praedestinatione claritatis aeternae, sicut hi, de quibus Dominus ait: *Si autem dereliquerint filii eius legem meam, 27* per quos intelliguntur omnes, qui usque in finem non perseverant. Hoc ex textu ubi supra secundum Augustinum. Ex quo ergo non possumus certitudinaliter scire, qui sunt filii praedestinatione claritatis aeternae, vel qui non, eo quod non sunt omnes perseveraturi, utile est agnoscere signa, quibus cognoscuntur coniecturative omnes filii Dei pro illius hereditatis aeternae participatione. (H) Ubi notandum, quod Ecclesia canit in collecta, quod *in transfiguratione praefiguravit Deus adoptionem filiorum perfectam in voce delapsa*, scilicet: *Hic est Filius meus dilectus* etc. Ideo circa hoc in mysterio per eos, quos adesse tunc voluit huic gloriosae transfigurationi, edocuit signa notitiae eorum hominum, qui sunt participes hereditatis Christi et eius claritatis aeternae. Primum quippe signum significatur per Petrum, scilicet fidei veritas. Unde Gal. V.: *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Iesu. 28* Augustinus: *Impossibile est sine fide ad numerum filiorum Dei pertingere*. Et sic patet, quod omnes Iudaei, gentiles et haeretici, qui non imitantur fidem Petri, excluduntur ab hereditate paterna Iesu Christi. Secundum signum significatur per Iohannem virginem, puritas scilicet ab omni peccato. Unde Levi. XI. et II. Cor. VI.: *Immundum ne tetigeritis, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus. 29* Has ergo habendo promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus. Haec ibi. Tertium signum significatur per Iacobum, adversitas. Nam Iacobus primus inter apostolos martyrium pro Christo pertulit, ut patet Act. XII. Et ideo significat passionis acerbitatem. Hinc Heb. XII.: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit, 30* scilicet ad hereditatem. Et infra, quod *si extra disciplinam estis, adulterini et non filii estis. 31* Bernardus: *Nullum testimonium credibilis in hac vita, quod homo sit regni caelestis heres, quam ipsa correptio divina*. Quartum signum figuratur per Moysen, pietas. Nam Moyses interpretatur 'aquaticus, unguis et liniens seu attractans' secundum Hieronymum. Et ipse fuit *vir mitissimus*. Nume. XII. 32 Unde bene significat misericordiae et pietatis opera. Unde Ecc. IV.: *Esto misericors, et eris velut Altissimi filius. 33* Et Luc. VI.: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* etc. 34 Hinc I. ad Thimo. IV.: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae* etc. 35 Quintum signum per Eliam significatur, scilicet charitas. Nam Elias in curru igneo raptus est in Paradisum, et idcirco charitatem ignitum significat. Unde Augustinus: *Charitas est excellentissimum donum, quod solum dividit inter filios regni et perditionis*. O ergo Christiane homo, stude acquirere hereditatem caelestem, vae tibi, si illam perdidideris, quia ut filius diaboli exhereditaberis, vae tibi, quia cum diabolo in Inferno igne cruciaberis, ubi erit fletus et stridor dentium, vae tibi, quia a tormentis in perpetuum numquam liberaberis. Si vero bene vivendo caelestem hereditatem filiorum Dei adeptus fueris, gaudium et exsultatio tibi erit ineffabiliter, quia Bernardus dicit: *Praemia caelestia sunt tam magna, quod non possunt mensurari, tam multa, quod non possunt numerari, tam copiosa, quod non possunt terminari*. Quae nobis praestet Christus Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit in saecula saeculorum.

---

1 Mt 17,5 2 II Pt 1,21 3 Editio: *sonent* 4 Cf. Augustinus, De civitate Dei, 18,23: „... Graecum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllae Erythraeae, ubi ostendit quodam loco in capitibus versuum ordinem litterarum ita se habentem, ut haec in eo verba legerentur: •••••, quod est Latine, Iesus Christus dei filius salvator.” 5 Lc 1,31-32 6 Mt 1,20 7 Ioh 10,25 8 Cf. ar. IV. 9 Lc 6,19 10 Mt 8,26 11 Lc 7,14 12 Ioh 11,43 13 III Rg 17,21 14 Act 3,6 15 Prv 6,19 16 Ps 81,6 17 Ioh 1,11 18 Ioh 8,44 19 Iac 1,13 20 I Io 3,8 21 Ioh 8,39 22 Ioh 8,42 23 Ioh 8,44 24 I Io 3,1 25 Rm 8,17 26 Ioh 11,51 27 Ps 88,31 28 Gal 3,26 29 II Cor 6,17-18 30 Hbr 12,6 31 Hbr 12,8 32 Nm 12,3 33 Sir 4,10-11 34 Lc 6,36 35 I Tim 4,8



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XLV.] De transfiguratione Domini Sermo IV., videlicet de eius celebritate gloriosa cum historia devota *Levantes oculos suos neminem viderunt, nisi solum Iesum*. Mat. XVII. 1 et in ipso evangelio. (A) Quibus verbis docemur etiam nos exemplo discipulorum levare oculos ad contemplandum caelestia et nostrae salutis opera. Unde si levamus oculos nostrae mentis ad istam gloriosam transfigurationem Domini, cuius hodie festum colitur, videmus in spiritu, quia tota est gaudiosa et devota, non solum hominibus in terris, sed et in Paradiso et limbo ac caelesti regno. Nam primo discipuli, qui erant tunc in terris, visa gloria transfigurationis tantum delectati sunt, ut vellent perpetuo in ea ibi manere. Propterea Petrus dixit: *Domine, bonum est nos hic esse*, scilicet perpetuo. *Faciamus tria tabernacula* etc. 2 Sicut hunc sensum expositionis sequitur Remigius et Lyra et doctores. Secundo Elias, qui erat in Paradiso cum voluntate divina adductus, tunc adesset. Similiter et Moyses de limbo adveniens non dubium, quod tunc visa gloria Christi magnum gaudium habuerunt, ac cum rediissent, gaudium nunciaverunt collegis, videlicet Elias Enoch in Paradiso existenti, et Moyses sanctis patribus in limbo, prout infra prosequemur. Tertio quoque praeterea in caelo magnum gaudium fuisse monstratum est, cum tota Sancta Trinitas in ea apparuit, et testimonium Iesu Dei Filio a Patre et Spiritu Sancto sollempniter factum est. Non enim dubium, quod omnes sancti angeli tunc gaudium habuerunt pro salute humani generis, de qua super omnia gaudent, Lucae XV. 3 Ut ergo nos, carissimi, devote contemplemur Iesum transfiguratum, pro themate assumuntur verba praemissa dicentia: *Levantes oculos suos neminem* etc. Iuxta quae verba tria mysteria contemplanda notemus: · Primum de huius festi celebritate · Secundum de huius facti gloriositate · Tertium de historiali qualitate (B) Circa primum inquirendum est: Cur Sancta Ecclesia Dominicae transfigurationis festum instituit celebrandum. Ad quod

secundum doctores plures colliguntur rationes: · Prima ratio nostrae instructionis · Secunda ratio miraculosae revelationis · Tertia ratio victoriosae triumphationis Prima ratio nostrae instructionis, ut scilicet doceamus cogitare et amare ac desiderare gloriam caelestem in Iesu clarissima visione et deitatis eius cognitione ac nostra glorificatione, quatenus eius gloriae desiderio contemnamus terrena, caveamus vitia et tendamus ad caelestia summa bona, et ideo in hoc officio recitat Ecclesia illud dictum Apostoli ad Phil. III. dicentis: *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae* etc. 4 Et deinde in collecta orat, ut *ipsius regis gloriae, scilicet Christi nos coheredes efficiat Deus, et eiusdem gloriae tribuat esse consortes*. Nimirum nos ad desiderandum caelestem gloriam Iesu suadet ipsa mentis natura et corporis statura atque omnis creatura. Primo inquam mentis nostrae natura, quia Boethius III. De consolatione Philosophiae probat, quod *mentibus omnium hominum naturaliter inserta est veri boni cupiditas*. Sed caeleste bonum est verum et maximum bonum, ergo etc. Item I. Ethicorum: *Omnia bonum appetunt* etc. Secundo quoque nostri corporis statura. Nam Basilius dicit in Hexaameron, et videmus, quod *inter omnia animalia solus homo erecta incedit statura versus caelum, et sola planta pedis terram tangit*. Unde et Ovidius: *Pronaque cum spectent animalia cetera terram, Os homini sublime dedit caelumque videre Iussit et erectos ad sidera tollere vultus*. Sed quare sic conditus est homo, Ambrosius in Hexaameron dicit: *ad docendum, quod homo factus est ad caelestem beatitudinem, ut illam aspiciat per desiderium, non terrena, et ad illam tendat*. Unde Col. III.: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextra Dei sedens, non quae super terram* etc. 5 Tertio denique docet omnis creatura, et adiuvat, quia Glossa Iosue III. dicit: *Peccatori omnis creatura hostis est, sicut Aegypto fluvius, terra et caelum. Iusto autem serviunt omnia, scilicet ad consequendam beatitudinem*. Item Hugo De arca li. II. c. III. dicit, quod *omnis creatura tribus vocibus nobis loquitur: accipe, redde, fuge. Accipe beneficium. Redde debitum. Fuge supplicium*. Ad id et Ps.: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita anima mea ad te, Deus*. 6 Glossa: *Cervus senio gravatus accrescentibus pilis et cornibus serpentem naribus haurit, quo hausto veneno aestuat, et unde fontem ad bibendum ardentissime desiderat, quo hausto cornua et pilos deponit. Ita fidelis serpente, id est diabolo perempto et consumptis in se peccatis fontem contemplationis supernae desiderare debet, ubi reficiatur*. Haec Glossa. (C) Quaeri potest, utrum desiderare caelestem gloriam propter proprium hominis commodum sit Deo gratum. Respondetur, quod sic desiderare non est verae charitatis divinae, et ideo non est Deo gratum, nec a Spiritu Sancto tale desiderium. Sed si homo desiderat caelestem gloriam propter Deum et eius amorem, ut ipsum perpetuo laudet, hoc est a Spiritu Sancto, et Deo gratum. Nam in III. dist. XXVII. c. II. Magister diffinit charitatem sic: *Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum vel in Deo*. Item c. IV. dicit sic: *Haec regula, ut ait Augustinus, dilectionis divinitus constituta est, ut Deum propter se toto corde diligas, et proximum propter Deum, sicut teipsum. In bono enim – ait – et propter Deum teipsum diligere debes, ergo habetur propositum*. Secunda ratio miraculosae revelationis. Nam pro salute nostra facta sunt magna miracula in Christi transfiguratione. Primo quidem, quia ibi Christus suam gloriam resurrectionis praemonstravit, et se verum Deum fore manifestavit. Secundum quoque miraculum, quia Eliam de Paradiso adduxit. Tertium, quia Moysen de limbo adduxit, illum, scilicet Eliam vivum, et hunc, scilicet Moysen mortuum, in signum, quod viventium et mortuorum sit Dominus, et omnium vita vel mors ex ipsius voluntate pendet. Quartum miraculum, quod tota Sancta Trinitas ibi miraculose apparuit, Pater in voce dicens: *Hic est Filius meus dilectus*. 7 Spiritus Sanctus in lucida nube, ut dicit Beda et doctores. Et Dei Filius in claritatis decore glorioso in carne. Et sic Pater et Spiritus Sanctus Christo, Dei Filio testimonium reddiderunt, quod non nisi per ipsum salvari possunt homines. (D) Sed quaeritur hic: Quare festum transfigurationis celebratur isto die, videlicet VIII. Idus Augusti. Numquid isto die facta fuit Christi transfiguratio? Ad quod respondetur secundum Ludolphum Carthusiensem li. De meditatione vitae Christi, quod *ista transfiguratio fuit circa veris principium. Nam et evangelium de transfiguratione Ecclesia legit Sabbato ante Dominicam secundam et in ipsa Dominica secunda Quadragesimae. Sed quoniam Dominus prohibuerat, ut visionem hanc nemini dicerent, donec Filius hominis a mortuis resurgeret, ideo discipuli tacuerant usque ad diem istam, ex tunc scilicet die ista VIII. Idus Augusti fuit ab apostolis transfiguratio Domini publicata et praedicata. Unde et dicitur, quod in descensu montis Thabor contra occidentem est una capella, ubi Dominus dixerat: Nemini dixeritis visionem etc. Propter hoc ergo isto die celebratur, quando fuit publicata*. Sed quoniam in plerisque ecclesiis solet hodie missa celebrari de vino novo, id est musto expresso de uva huius anni, hoc forte propter significandam novitatem resurrectionis, quam Christus in transfiguratione praemonstravit. Unde et de consecratione dist. I. c. „Didicimus” Glossa dicit, quod solet uva benedici hodie. (E) Quaeri ergo potest, utrum Eucharistia possit confici in musto. Respondetur secundum Thomam et Petrum in IV. dist. XI., quod potest, quia completam habet speciem vini, non tamen est faciendum de multum recenti propter impuritatem, nisi necessitas imminet, ut in Summa confessionum eodem tit. q. XCVIII. Unde ubi sic fit, ista sunt observanda: Unum, quod uva ipsa sit matura, quia de aegresta non conficitur, cum vini nondum attigerit speciem completam, quae esse habet in termino generationis secundum Albertum, Thomam et Richardum. Secundum est, quod extra uvam prius exprimatur et expressum conficiatur, quia in eo, quod non est expressum, sed adhuc continetur in uva matura, non conficitur Eucharistia, ar. de consecratione dist. I. c. „Didicimus” et c. sequenti, quia sic non est sub specie potabili, sed potius edibili. Sic tenendum est secundum Richardum. Tertium est, ut pro tanto tempore antea fiat expressio, quatenus dum conficit, iam sit depuratum, saltem aliquantulum, hoc de congruo. Tertia ratio, scilicet institutionis huius festi est victoriosae triumphationis, quia licet et antea hoc festum celebrabatur, tamen minus sollemniter. Sed postea anno Domini MCCCCLVI., cum foetidissimus Thurcus obsidisset exercitu validissimo castrum Nandor Alba dictum, ut exinde totam demoliretur Hungariam ac consequenter Christianitatem totam, cruciferis ex adverso resistentibus, Deus dedit victoriam Christianis, Thurcos turpiter effugato isto die transfigurationis. Audivi autem a plurimis referentibus, quod in conflictu illius belli cum Christiani cruce signati exclamarent Iesu nomen, videbatur Thurcis, quod de caelo ignea spicula contra ipsos dirigerentur, quibus terga vertere cogebantur. Cum autem isto die ad fugiendum cum toto exercitu suo se praeparassent, in illa fuga videbatur eis, quod innumerabiles acies armatorum eos



insequerentur, cum tamen homines illos non insequerentur, sed illi fuisse angeli Dei creduntur, qui illos fugere compellebant. Anno ergo praedicto praesidente papa Callixto haec festivitas (pro victoria caelitus data) est instituta celeberrima indulgentiis datis omnibus, qui interessent in ecclesia, in qua institutum officium celebrabitur, pro vespere et matutino ac missa pro qualibet centum, pro primae aut tertiae, sextae, nonae et completorii officiiis pro singulis quadraginta dierum, ut patet in bulla, quae de hoc legitur festo in matutinali officio. Et sic hoc festum sollemnius coepit in ecclesiis celebrari ad honorem Dei et memoriam praedictorum. (F) Circa secundum de gloriositate transfigurationis Christi quaeritur: Qualis fuit illa claritas transfigurationis, utrum fuit vere gloriosa? Respondetur secundum Alexandrum de Hales III. parte q. XXI., concorditer Thomam in III. parte q. XLV. per conclusionem, quod *claritas in transfiguratione ostensa fuit vere gloriosa, licet ad tempus assumpta*. Unde Luc. IX. scribitur, quod *visus est in gloria magna*. 8 Sed in hoc potest esse obiectio et difficultas, quia cum de ratione gloriosae dotis sit impassibilitas, sicut et claritas et agilitas ac subtilitas. Nam sancti resurgentes in corporibus istas dotes habebunt, ut communiter omnes tenent doctores, et tamen ista claritas Christi tunc non reddidit corpus Christi impassibile, nec subtile aut agile, quod fieri debuisset videtur, quia dotes sunt indistinctae. Quomodo ergo ista claritas dicitur vere gloriae caelestis claritas? Ad quod respondetur secundum eundem Alexandrum ubi supra, quod hoc non obstat, quia Deus bene potest dare unam dotem sine alia pro tempore, licet dotes sint indistinctae in patria. Et sic Deus voluit dare claritatem istam ad tempus in via sine aliis dotibus. Quae quidem claritas proprie non fuit dos gloriae, sed eius similitudo, ut patebit. Quod autem ista claritas transfigurationis fuerit gloriosa, triplici signo ostenditur vel ratione secundum doctores: · Primo ex ratione originis · Secundo ex ratione conditionis · Tertio ex ratione repraesentationis Primo ex signo originis. Nam unde processit haec claritas? Respondet Lyra et concorditer doctores: *Haec claritas processit a divinitate Christi in animam et deitatis clara visione ac fruitione, quam habuit anima Christi ab instanti conceptionis aequali beatitudine, sicut nunc in caelo propter unionem ad ipsam*. Unde Augustinus dicit, quod *Christus ab instanti conceptionis fuit viator et comprehensor, tamen ex divina dispensatione fiebat, ne illa gloria vel beatitudo ab anima redundaret in corpus, ut esset passibile et mortale ad implendum humanae redemptionis mysterium. Sed in transfiguratione eadem divina ordinatione illa gloria ab anima in corpus Christi redundavit*. Secundo ex ratione conditionis. Fuit enim eiusdem rationis cum gloria futurae resurrectionis. Nam Chrysostomus et Remigius dicunt, quod *tunc Christus visus est in gloria futurae postea resurrectionis, in qua post iudicium apparebit electis*. Sic ergo patet secundum Lyram et concordantem Thomam ubi supra, quod *haec claritas fuit eadem in essentia, sicut claritas gloriae, sed differebat in modo, quia illa est permanens, haec autem fuit transiens, veluti visio Pauli, propter quod haec visio non dicitur gloriae dos propriae. Ratio, quia dos de sua ratione importat qualitatem permanentem, sed haec fuit per modum passionis transeuntis*. Unde secundum Ludolphum *Christus in transfiguratione non assumpsit claritatis dotem, scilicet propriae, sed dotes similitudinem*. Nimirum secundum quod Beda dicit et Hugo, *Christus in hac vita in se ostendit quattuor dotes, scilicet quadam similitudine. Nam usus est subtilitate, quando clauso virginis utero exivit in nativitate. Agilitate autem, quando super aquas siccis pedibus ambulavit. Impassibilitate, quando in cena corpus suum dedit manducandum in sacramento. Nam dedit tale corpus, quale habuit, scilicet mortale, sed impassibili modo in sacramento, quia manducabatur, nec ex hoc patiebatur. Claritate autem usus est in transfiguratione*. Et sic patet. (G) Tertio ex ratione repraesentationis. Nam secundum Ludolphum *claritas faciei Christi repraesentabat futuram claritatem capitis, id est Christi. Fulgor autem vestium, ut Beda ait, significabat chorum sanctorum, suorum membrorum, qui in terris despectus videtur, sed in caelis cum Iesu videbitur gloriosissimus, ubi habebimus socios omnes Veteris et Novi Testamenti sanctos Beati Veteris Testamenti distinguuntur in duobus ordinibus, scilicet patriarcharum, qui significantur per Moysen, et prophetarum, qui per Eliam intelliguntur. Sancti autem Novi Testamenti distinguuntur praecipue in tres ordines, scilicet martyrum, confessorum, virginum. Per Iacobum martyres, per Petrum, qui interpretatur 'agnoscens', significantur confessores, qui se et Deum cognoscunt, et per Iohannem virgines significantur*. Haec Ludolphus. Unde canit Ecclesia: *O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes sancti amicti stolis albis*, id est claritate gloriae. Item Beda: *O quanta felicitas visioni divinitatis inter angelos adesse perpetuo, si tantum transformata Christi humanitas duorumque sanctorum societas ad punctum visa delectavit, ut eis, ne discederent, Petrus velit praestare obsequium*. Haec ille. (H) Circa tertium de historia devota. Ex quo secundum sacrum evangelium pro conclusione habetur verissima, quod in ista transfiguratione Moyses et Elias loquebantur cum Christo de excessu passionis et mysterio humanae redemptionis. Idcirco pro simpliciorum devotione secundum humanae imaginationis modum solet a devotis describi de hoc historia devota. Nec hoc reprehensibile censeatur, quoniam legimus magnos sanctos doctores historiali modo texuisse consilia et altriciones inter misericordiam et veritatem, iustitiam et pacem, quomodo scilicet genus humanum deberet redimi, ut claret de Bernardo in sermone „Ut inhabitet“, et de Innocentio in sermone de passione, et aliis plurimis. Ad propositum ergo imaginari possumus secundum modum humanum, quod Deus Pater volens redimere hominem, cum iam miserat Filium in mundum, appropinquante eius passione voluit tractare de hoc cum Filio suo et Spiritu Sancto ac quibusdam electis suis, et hoc in monte Thabor, quia praedixerat Ps. dicens: *Thabor et Hermon in nomine – inquit – exultabunt*, 9 scilicet pro gloria Christi, quae ibi praemonstrata est. Die ergo statuta adduxit Deus Moysen legislatorem de limbo, et Eliam de Paradiso, qui fuit eximius prophetarum, et de terris tres a Christo voluit assumi. Petrum pro matrimonialibus, Iohannem pro virginibus et Iacobum pro continentibus viduis, ut omnium salutem velle se ostenderet. De caelis autem licet Scriptura non dicat, tamen veri simile est affuisse angelos in adductione Eliae et Moysi ministrantes, et Sanctae Trinitati assistentes, et praecipue Gabrielem, qui a principio fuit minister incarnationis, ergo in monte illo constitutis his pie contemplari possumus, quomodo Deus Pater proposuit Filio dicens: „Carissime fili, en pro charitate nimia misi te in carnem mortalem ad redimendum hominem, esto ergo paratus pati omnia, quae scripserunt prophetae.“ At Iesus: „Mi pater, non sicut ego volo, sed sicut tu.“ Matth. XXVI. 10 „Verumtamen conqueri possum contra mundum, quia me negant Filium Dei, nec recipiunt miraculorum testimonia Iudaei, sed daemonio attribuunt, infirmos curo, mortuos suscito, daemoniacos

libero, poenas aeternas malis propono, et vitam aeternam bonis promitto, et tamen in duritia cordis perseverant.” Tunc Moyses et Elias coram omnibus adorantes Christum et gratias agentes de adventu eius, ut dicit Ludolphus, dicunt: „*O Fili Dei Iesu, compatimur quidem tibi, quod debes flagellari, crucifigi et mortem pati, sed tu misericors Deus, memento nostri in beneplacito tuo. Recordare Abraham, Isaac et Israel, servorum tuorum, David, et omnium prophetarum, quibus iureiurando redemptionem promisisti, ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.*” Tunc Iesus ait: „*Clarifica me, Pater, claritate, quam habui, antequam mundus fieret. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. En ego, quae tibi placita sunt, facio semper, scilicet offerens me paratum mori ex charitate pro animarum redemptione.*” Mox ergo resplendit facies eius. Quod Petrus videns inebriatus spiritu dixit ad Iesum: „*Domine, bonum est nos hic esse, 11 scilicet perpetuo. Adhuc loquente Petro ecce nubes lucida obumbravit eos, in qua apparuit Spiritus Sanctus. Et ecce vox Dei Patris de nube sonitu quasi tonitruum dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* 12 Lyra: *id est in quo beneplacitum Dei complebitur de redemptione mundi, ipsum audite, scilicet oboediendo fidei. Haec audientes discipuli et non potentes sufferre maiestatem divinae vocis ceciderunt in faciem. Interim Moyses et Elias recesserunt ad loca sua, et gaudia nuncios Elias ad Enoch dixit: „Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum etc.”* 13 Moyses in limbo ait patribus: „*In convertendo Dominus captivitatem etc.*” 14 Gabriel in caelo dixit: „*Ecce nunc benedicite Dominum.*” 15 Tandem Iesus tetigit discipulos dicens: „*Surgite, nolite timere.*” Et levantes oculos viderunt solum Iesum, qui descendentibus illis tunc praecepit dicens: „*Nemini dixeritis visionem etc.*” 16, subiungens genus, quod passurus esset, quod dicit: „*O carissimi discipuli, ecce vidistis meam faciem gloriosam, sed in proximo videbitis alapizatam, consputam, cruentatam*”, et cetera dilata. Rogemus ergo Christum, ut per suam passionem salvet nos.

---

1 Mt 17,8 2 Mt 17,4 3 Cf. Lc 15,7; 15,10 4 Phil 3,20-21 5 Col 3,1-2 6 Ps 41,2 7 Mt 17,5 8 Cf. Lc 9,30; 9,32 9 Ps 88,13 10 Mt 26,39 11 Mt 17,4 12 Mt 17,5 13 Ps 121,1 14 Ps 125,1 15 Ps 133,1 16 Mt 17,9

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XLVI.] De sancto Laurentio Sermo I. cum legenda *In igne non combureris, quia ego Dominus Deum tuus, Salvator tuus.* Isa. XLIII. 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Ista verba possunt accipi quasi a Domino Iesu dicta ipsi beato Laurentio in poena ignis ad martyrium confortando. Nam de eo Maximus in sermone dicit sic: *Beatus Laurentius transiit per ignem, arsit, ne arderet, et ne ureretur, exustus est. Arsit, inquam, et exustus est secundum corpus in praesenti, ne arderet vel ureretur in futuro.* Unde etiam Ambrosius in sermone dicit: *Fortissimum martyrem saevissima persecutoris flamma superare non potuit, quia longe ardentius veritatis radiis accensa mens eius fervebat.* Sic ergo Christus per suam gratiam confortando beatum Laurentium, ut epulas reputaret ignis exustionem, bene illi potuit dicere haec verba: *In igne, scilicet praesentis poenae non combureris, id est non superaberis, sed tu vinces, quia ego Dominus Deus etc.* Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone, secundum quod de his tribus beatus Laurentius commendatur in eisdem. · Primo quidem de ignis superatione, ibi: *In igne non combureris* · Secundo de amoris inflammatione, quo vicit ignem, ibi: *quia ego Deus etc.* · Tertio de passionis toleratione, quod habetur ex praemissis (B) Circa primum de superatione ignis, ex quo Sancta Ecclesia orat hodie sic dicens: *Da nobis, quaesumus, omnipotens Deus, vitiorum flammam extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum incendia superare etc.* Idcirco inquirendum nobis occurrit, qualem ignem vel qualia incendia debeat Christianus superare vel extinguere exemplo beati Laurentii. Ad quod respondetur, quod in Scripturis plures describuntur ignes, ad quos vario modo se debent habere homines, ut salventur: · Primus ignis est superandus · Secundus est ignis supportandus · Tertius est ignis extinguendus · Quartus est ignis nutriendus Primus ignis est, quem debet Christianus superare et vincere, ut est ignis malae affectionis, de quo Ps.: *Exarserunt, sicut ignis in spinis.* 2 Exarserunt, scilicet nimia ira vel concupiscentia, sicut in spinis, quas velociter ignis comburit. Idem: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* 3 Glossa: *Ignis irae, invidiae, avaritiae vel luxuriae non sinit videre solem iustitiae, Christum.* Nam sicut ignis ea, quae ambit, deformat, consumit et devorat, sic ignis pravae concupiscentiae si consentitur, animam deformat similitudinem divinam removens et diabolicam inducens per peccati delectationem, et omnia merita consumit et devorat mortificans. Unde Ioel. I.: *Ignis comedit speciosa deserti.* 4 Sed iste ignis est superandus per refrenationem et mortificationem passionum et motuum sensualitatis. Nam Eccl. XVIII.: *Si praestes animae tuae concupiscentias eius, scilicet sensuales, faciet te in gaudium inimicis,* 5 id est daemonibus. Unde Ps. hortatur: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, scilicet ad refrenandum appetitum, sed in campo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* 6 Lyra: id est sicut equo indomito poenae frena et labores, sic adhibendi sunt sensuali appetitui. Nam multa flagella peccatoris, scilicet in Inferno. Istam flammam vitiorum superavit sanctus Laurentius. De isto igne superando Helinandus in historiali speculo per quattuor docet, dicens: *Vis extinguere libidinis ignem, amoveas ligna ab igne. Ista quippe sunt libidinis ligna: otia, segnitias, somnus, deliciae, femina, vinum, iocus, carmina, forma. His sarmentis succenditur fornax Babylonis, id est diaboli.* Haec ille. Secundus est ignis supportandus, scilicet mundanae tribulationis, de quo Eccl. XXVII.: *Vasa figuli probat ignis.* 7 Sic homines iustos temptatio tribulationis. Istum enim ignem tribulationis praesentis non debemus subterfugere, sed supportare, ut Augustinus sermone de martyribus docet dicens: *Nos – inquit – volumus gaudere cum sanctis, et tribulationes mundi nolumus sustinere cum illis.* Qui enim sanctos martyres vel in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non potuerit pervenire. Sic et apostolus Paulus praedicat dicens: *Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum.* 8 Et Dominus in evangelio: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* 9 Recusat esse in corpore, scilicet Christi, qui odium non vult sustinere cum capite, id est Christo. Haec ille. (C) Quaeritur hic: Quare persuadent Christus et alii sancti hominibus tribulationes pati et eas acceptari?

Respondetur, quia tribulationes non malae, sed bonae sunt, licet sint amarae. Quod probatur: tum quia tribulationes sunt a summo bono, tum quia ducunt ad summum bonum, propter haec ergo cum gratiarumactione sunt acceptandae. Et declaratur sic: Primo quidem dixi, quod tribulationes sunt a summo bono, scilicet Deo, a quo certum est, quod non potest esse nisi bonum, ergo sunt bonae. Unde Dionysius de hierarchia angelica c. IV. dicit: *Proprium est divinae bonitatis omnia creata a se ad omnem revocare participationem bonitatis suae, quantum unumquodque secundum ordinem et modum conditionis suae capax esse potest participationis eius.* Idem: *Optimi est optima facere.* Ad hoc exemplum: nam medicina licet sit amara in se, tamen a bono medico est confecta ac propinata, ut sanetur aegrotus. Sic poenae mundi a Deo bono. Nam secundum etiam Philosophum *poenae sunt quaedam medicinae.* Item cum pater verberat filium, ut in melius emendetur, sunt a bono et pio patre ipsa verbera. Sic in proposito. Heb. XII.: *Flagellat Deus omnem filium, quem diligit.* 10 Secundo quia tribulationes fuerunt in summo bono, hoc est Christo Deo, I. Pet. II.: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* 11 Unde VII. q. I. „Adversitas” dicit Gregorius, quod *adversitas iustorum non est signum reprobationis, sed exercitium virtutis,* ergo etc. Tertio quia tribulationes ducunt ad summum bonum. Gregorius: *Mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Idem: *Maioris est meriti adversa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare.* O ergo homo, disce pati patienter pro Christo. Tertius ignis est homini extinguendus et fugiendus, scilicet ignis futurae punitionis, de quo Matth. XXV.: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo* etc. 12 Ille quippe infernalis ignis inexstinguibilis est homini post mortem, sicut scribitur Isaias LXVI. ca.: *Ignis eorum non exstinguetur* etc. 13, tamen homo in praesenti vita potest facere tamquam sibi extinctum, ut in illo non ardeat. (D) Quaeritur ergo, qualiter homo possit sibi in praesenti infernalem ignem extinguere, ut tandem in eo non habeat ardere. Respondetur secundum Scripturas, quod triplex describitur aqua valens extinguere illum ignem infernalem homini, quamdiu est in vita praesenti. Prima est aqua verae contritionis et poenitentiae, scilicet aqua lacrimarum. De qua Ps.: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam, Domine.* 14 Unde Augustinus super Ps. XCIV. dicit: *O homo, si ardes in conscientia delicti, lacrimis exstingue flammam criminis.* Item Bernardus: *O quanta vis est in lacrimis poenitentis, abluunt culpam, exstinguunt gehennam, ascendunt ad caelos, descendunt ad abyssos, ignem infernalem exstinguunt, caelos pulsant, animam lavant, Deo peccatorem reconciliant.* Haec Bernardus. Secunda aqua est elemosynae, Ecc. III.: *Ignem ardentem exstinguit aqua, sic elemosyna peccatum.* 15 Unde elemosyna dicitur ab 'eli', quod est Deus, et 'mois', quod est aqua, quasi aqua Dei. Tertia est aqua gratiae divinae, praecipue qua profluent verae lacrimae amoris in Christi compassione, de qua Isa. XII.: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus,* 16 id est vulneribus Salvatoris. Et Ioh. IV.: *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* 17 Bernardus: *Quicumque ex toto corde recordatur, scilicet collacrimans de Christi passione, purgatur ab omnibus peccatis et reatu poenae eis debita.* O homo, disce haec. Quartus ignis est nutriendus, scilicet ignis divinae dilectionis et devotionis, de quo Luc. XII. Salvator ait: *Ignem veni mittere in terram,* id est in hominem de terra factum, *et quid volo, nisi ut accendatur,* 18 id est augmentetur, quia ut ait Augustinus, *charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Qualiter autem iste ignis divinus sit nutriendus, secundo articulo dicemus. Ad propositum: Beatus Laurentius superavit ignem concupiscentiae, quia virgo mundus creditur fuisse, et thesauros non concupivit, sed pauperibus distribuit. Item ignem tribulationis diligenter sustulit pro Christi amore usque ad acerbissimam mortem, et sic exstinxit ignem infernalem. Ignem divinum autem semper nutrit, quo laetificatus tormenta epulas reputavit. O tu homo, quantum potes imitare. (E) Circa secundum principale de inflammatione amoris Christi quaeritur, unde causantur in homine frigiditas cordis et ariditas devotionis sive remissio fervoris divini amoris. Ad quod respondetur secundum doctores, praecipue Bonaventuram li. de profectu religionis, quod praecipue ex quattuor causis: · Primo quandoque a diabolo temptante · Secundo quandoque a Deo permittente · Tertio quandoque ex peccato impediante · Quarto quandoque ex animo negligente Primo fit hoc quandoque a diabolo temptante, qui conatur semper ad illud, quod est contrarium Deo et nostrae salutis. Sicut ergo Christus vult, ut semper in nobis *accendatur charitatis ignis,* ut Lucae XII. praescriptum est, sic per contrarium vult diabolus, ut exstinguatur. Gregorius dicit: *Diabolus non curat, ut rapiat rem temporalem, sed ut feriat charitatem.* Secundo fit quandoque a Deo permittente, ut scilicet homo humilietur, ne ex continua gratia devotionis inflatus perdat eam. Iaco. IV.: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 19 Tertio fit quandoque ex peccato impediante. Nam per omne peccatum mortale tollitur Dei gratia, praecipue autem cupiditas contrariatur charitati. Augustinus LXXXIII Quaestionum: *Venenum, scilicet infrigidativum charitatis est cupiditas.* Quarto fit ex animo negligente, seu voluntate a bono torpente. Chrysostomus: *Qui non habet illum ignem, de quo dicit Dominus: Ignem veni mittere in terram, in hieme est, etiam si fuerit in media aestate.* Haec ille. Unde Prover. XX.: *Propter frigus, id est defectum fervoris piger, id est negligentia torpens animus arare noluit, scilicet operando bona.* Sequitur: *Mendicabit ergo egestate. Et non dabitur ei,* 20 hoc est: quandoque orat sibi a Deo infundi gratiam dulcoris divini, sed non dabitur propter eius torporem. (F) Quia si quaeratur, qualiter homo in se conservare et nutrire valeat ignem divini amoris vel devotionis, ad hoc Bonaventura li. quo supra docet septem considerationes utiles, quibus tamquam lignis nutritur ignis devotionis. Nam Levi. VI. in figura praeceperat Dominus dicens: *Ignis in altari meo,* id est in corde humano, ubi habitat Deus semper, inquit: *ardebit, quem nutrit sacerdos,* id est sancta anima, *subiciens ligna per singulos dies.* 21 Haec ligna subicienda sunt istae septem considerationes. Prima dicitur offensionis cognitio, scilicet quotidie vel crebrius fienda et timenda de cetero cogitando, quanta poenae sunt in Inferno praeparatae peccatoribus. Secunda dicitur doloris compunctio, Ps.: *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* 22 Tertia dicitur orationis desiderium et suspiratio, scilicet pro gratia ampliori. Bernardus: *Oportet, ut ardor desiderii praeveniat omnem animam, ad quam Deus est venturus.* Quarta dicitur recordatio, scilicet beneficiorum Dei et miserationum eius cum gratiarumactione. Bernardus: *Nil sic allicit Deum ad dandum vel plus dandum suam gratiam, sicut gratiarumactio.* Quinta dicitur adspiratio, scilicet bonitatis, maiestatis, sapientiae et clementiae Dei, ut homo dicat cum Ps.: *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis.* 23 Sexta meditatio, scilicet passionis Christi compatiendo. Bernardus: *Super*



omnia te mihi amabilem reddit, Iesu bone, calix passionis, quem bibisti pro me in cruce, hoc est, quod affectum meum artius stringit, suavius reficit et iustius exigit. Septima exsultatio spei de electorum numero, cum scilicet homo in spe gratiae confidens gaudet se salvandum. Lu. X.: *Gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in caelis.* 24 Ad propositum: Beatus Laurentius his considerationibus in Christi amore fuit adeo inflammatus, ut omnia genera tormentorum nedum patienter, sed desideranter et amanter ac gaudenter sufferret, ut patet ex legenda. O ergo homo, noli torpere ignavia, sed eius exemplo incalesce amore. O quam suavis amor Iesu, utinam saperes, ut felicem vitam duceres. (G) Circa tertium de passione beati Laurentii sit pro conclusione verbum Maximi, vel secundum quosdam Ambrosii in sermone dicentis sic: *Tanta gloria martyrii praeclarus existit in sua passione beatus Laurentius, quod mundum illuminaverit universum.* Haec ibi. Patet ex legenda: Beatus quippe Laurentius genere fuit Hispanus et Levita, ipsum Sixtus papa Romae archidiaconum ordinavit, qui secundum chronicas floruerunt et passi sunt circa annum Domini ducentesimum quinquagesimum septimum. Ante haec tempora autem nullus imperator fidem Christi receperat, sed eodem tempore Philippus imperator primus una cum filio suo, nomine Philippo fidem Christi receperunt. Regnavit autem anno millesimo ab urbe condita, quamvis Deo volente annus ille millesimus Romae Christo potius, quam idolis dedicaretur. Erat autem imperatori Philippo miles quidam Decius, strenuus et famosus in bellicis, quem contra Galliam rebellantem tunc misit, ut subiugaret imperio, qui cuncta prospere gessit, et potitus victoria rediit, cui pro honore imperator obviam ivit a Roma usque ad Veronam. Tunc Decius inflatus imperium coepit ambire, et imperatorem sub papilione suo quiescentem latenter intrans iugulavit, et totum eius exercitum prece et pretio, muneribus et promissis attraxit, et ad urbem properavit. Senatus autem obviam ei procedens in imperium confirmavit. Interim Philippus, filius imperatoris timens totum thesaurum patris et suum beatis Sixto et Laurentio commendavit, ut si ipsum mori contingeret, thesaurum ecclesiis et pauperibus Christi erogarent, et aufugiens a facie Decii se occultavit. Tunc Decius, ne videretur proditorie, sed zelo idolatriae dominum suum occidisse, Christianos coepit trucidare, et multa fecit martyrum milia, inter quos et Philippus iunior martyrio coronatus est. (H) Post hoc Decius de thesauro inquirens beatum Sixtum iussit ad carcerem duci, ut per tormenta Christum negaret, et thesauros proderet. Beatus autem Laurentius post eum clamabat dicens: „Quo progredieris sine filio, pater, quo, sacerdos sancte, sine diacono properas?” Cui beatus Sixtus: „Non ego te desero, fili, sed maiora tibi pro fide Christi debentur certamina, post triduum me sequeris.” Et praecepit ei, ut interim omnes thesauros ecclesiis et pauperibus erogaret. Tunc Laurentius die ac nocte Christianos quaerens et eisdem, ut opus erat, distribuens, venit ad domum cuiusdam viduae, ubi multi Christiani erant absconditi, quam longus dolor capitis detinebat. Cui manus imponens a dolore sanavit, et Christianis elemosynam dedit. Quendam etiam caecum signo crucis illuminavit. Cumque Sixtus firmus in Christi confessione ad decollandum duceretur, accurrens post ipsum beatus Laurentius clamavit dicens: „Noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros iam expendi, quod tradidisti mihi.” Tunc milites audientes 'thesauros' tenuerunt sanctum Laurentium, quem Decius Valeriano praefecto, et ille eum Hippolyto in custodiam tradidit, ubi quidam 25 Lucillus gentilis in carcere erat, qui plorando lumen oculorum amiserat, quem Laurentius ad Christum convertit et baptizavit, ac lumen eidem restituit. Quod audientes multi caeci veniebant, et ab eo per signum crucis illuminabantur. Haec videns Hippolytus per beatum Laurentium in Christum credidit, et cum familia baptismum suscepit. Tandem Valerianus sibi praesentari fecit Laurentium, et de thesauro inquisivit. Laurentius autem triduo inducias petiit, quas ille sub Hippolyti pollicitatione concessit. In hoc triduo Laurentius omnia pauperibus distribuens eos coram Decio praesentavit dicens: „Ecce horum pauperum manus thesauros in caelum deportarunt.” Decius iratus iussit sacrificare, qui renuens scorpionibus caeditur, et omne genus tormentorum ante ipsum defertur. Tunc Laurentius respondit: „Tu infelix, has epulas semper ego optavi.” Ex quo patet, quod fuerit divina charitate plenus, qua desideravit semper mori pro Christo, ideo dixit: „Infelix, has epulas semper optavi.” Tunc nudus fustibus caeditur, et ardentes laminae ad latera apponuntur. Dixitque Laurentius: „Domine Iesu Christe, miserere mei, servi tui.” Tandem iussit eum Decius plumbatis diutissime caedi. Laurentius autem oravit dicens: „Domine Iesu, accipe spiritum meum.” Et ecce vox de caelo insonuit dicens: „Adhuc tibi multa certamina debentur.” Hanc vocem audiens Decius furore repletus est, iussitque eum iterum scorpionibus caedi, eadem hora miles quidam Romanus credens Laurentio dixit: „Video ante te iuvenem pulcherrimum membra tua cum linteo extergentem. Adiuro te per Deum, festina me baptizare.” Dixit quoque Decius Valeriano: „Puto, quod iam victi sumus.” Et iussit Laurentium in carcerem recludi, ubi adveniens Romanus baptismum suscepit, quod audiens Decius fustibus caesum Romanum decollavit. Et eadem nocte iussit Laurentium coram se adduci, cui dixit: „Aut sacrificia diis, aut nox ista in te cum suppliciis expendetur.” Cui Laurentius: „Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.” Decius iussit adduci ferream cratem, et prunis suppositis Laurentium exutum superextenderunt, et cum furcis ferreis compresserunt. Cumque assaretur Laurentius, ait ad Valerianum: „Disce, miser, quia carbonem tui sunt mihi refrigerium, tibi autem aeternum supplicium praestant.” Et hilari vultu dixit ad Decium: „Ecce, miser, assasti unam partem, gira ad aliam, et manduca.” Tandem dixit: „Gratias tibi ago, Domine, quia ianuam tuam ingredi merui.” Et sic emisit spiritum 26. Tandem mane Hippolytus cum presbytero Iustino rapuit eius corpus, et conditum aromatibus sepelivit. Christiani autem triduo ieiunantes vigilias celebrarunt mugitus dantes et lacrimas fundentes. Et nos ergo, carissimi, oremus Dominum Iesum, ut beati martyris meritis et intercessione det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Is 43,2-3 2 Ps 117,12 3 Ps 57,9 4 Ioel 1,19 5 Sir 18,31 6 Ps 31,9 7 Sir 27,6 8 II Cor 1,7 9 Ioh 15,18 10 Hbr 12,6 11 I Pt 2,21 12 Mt 25,41 13 Is 66,24 14 Ps 118,136 15 Sir 3,33 16 Is 12,3 17 Ioh 4,14 18 Lc 12,49 19 Iac 4,6 20 Prv 20,4 21 Lv 6,12 22 Ps 93,19 23 Ps 144,3 24 Lc 10,20 25 Editio: *quidem* 26 Editio: *peccatum*

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XLVII.] De sancto Laurentio Sermo II., videlicet de ipsius probata sanctitate et martyrio *Probavit me Dominus, quasi aurum, quod per ignem transit.* Iob XXIII. 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Ista verba optime potest dicere beatus Laurentius martyr. Tum quia ipse fuit aurum propter perfectionem charitatis et sanctitatis, tum quia ipsum Dominus per ignem probavit verum martyrem, et per ignem fecit transire in patriam caelestem. Nimirum charitas auro comparatur in Scriptura, Apocal. III., ubi Dominus dicit: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum et probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris.* 2 Sed beatus Laurentius fuit plenus charitate, et ut aurum in caelestem thesaurum recondendum fuit per ignem transiens et probatum. Unde Maximus in sermone dicit sic: *Ecce beatus Laurentius transiit per ignem, non quo adustus inhorruit, sed illuminatus effulsit,* scilicet sicut aurum bonum in igne candescit. Merito ergo haec verba accipiuntur ad eius gloriam, ut dicat: *Probavit me Dominus quasi aurum.* In quibus verbis de tribus commendatur, et sic tria mysteria notemus pro sermone. · Primo de Christi perfecta charitate, ibi: *quasi aurum* · Secundo de probata sanctitate, ibi: *probavit me* etc. · Tertio de praeclara martyrii arduitate, ibi: *per ignem transiens* (B) Circa primum de Christi charitate perfecta in comparatione auri sit pro conclusione sententia Gregorii li. Moralium XXX. dicens, quod *charitas Christi Iesu et dilectio merito in Scriptura comparatur auro.* Sed quia charitas in sanctis comparetur auro, hoc declaratur ex pluribus proprietatibus auri, scilicet: · Prima dicitur pretiositatis · Secunda raritatis · Tertia incorruptibilitatis · Quarta medicinalis virtutis · Quinta infrangibilitatis Prima proprietas dicitur pretiositatis, quia aurum praecellit omnia alia metalla valore pondereque, quia ut dicitur li. de natura rerum: inter cetera metalla aurum est ponderosius et etiam fulgorosius decore. Nam alia decorantur per aurum, et non econverso. Sic dilectio Christi et charitas excellit alias virtutes, I. Cor. XIII.: *Maior horum est charitas.* 3 Isidorus De summo bono: *Charitas omnium virtutum obtinet principatum et omnes alias virtutes decorat, quia aliae sine ea sunt diffformes.* Augustinus: *Charitas est virtus, quae valet ad omnia, sine qua nihil valent omnia.* Ideo Col. III.: *Super omnia charitatem habete.* 4 Secunda dicitur raritas, quia aurum est rarum, et ideo pretiosum. Versus: *Omne rarum carum vilescit quotidianum.* Ideo Hieronymus dicit: *Omne, quod magis rarum est, magis appetiatur. Nam pulegium apud Indos pretiosius est, quam piper, XCIII. dist. c. „Legimus”.* Item audivi in quodam regno grana iuniperi inter regias gazas recondi propter raritatem. Sic charitas tamquam aurum rara est, quia pauci sunt, qui veraciter Christum diligant, sicut conqueritur Apostolus Phil. II.: *Omnes quae sua sunt, quaerunt, non quae Iesu Christi.* 5 Nam videmus, quod superbi plus diligunt honores, quam Christum, avari plus pecuniam vel aurum diligunt, quam Christum, ut Ambrosius dicit XLVII. dist. „Sicut hi”. Luxuriosi ad modum porcorum plus diligunt carnis voluptates. Iracundi plus vindictam. Et fere omnes mundani homines plus sua desideria volunt, quam Christum. Nam Gregorius in homilia ait: *Qui per illicita desideria defluunt, profecto Deum non diligunt.* Unde sicut multus est numerus ferri et plumbi, sed paucis auri, sic verae charitatis. Propterea rari sunt sancti, sed *stultorum infinitus est numerus,* Eccs. I. 6 Tertia proprietas dicitur incorruptibilitatis, quia *aurum verum nec rubigine consumitur, nec igne comburitur, sed retinet in igne suam integritatem, et quo saepius arserit, melior, purior et clarior efficitur* secundum Plinium li. XXXV. Sic vera Christi charitas debet semper integritatem fidei conservare ab omni haeresis et infidelitatis rubigine vel defectu et puritatem a peccatis, ac proficere etiam adversis claritate gratiae et puritate. Unde I. Thim. I.: *Charitas est de corde puro, conscientia bona et fide non ficta.* 7 Vide ergo, o homo, si haec habes. (C) Quarta dicitur medicinalis virtutis. Nam ut dicitur li. de natura rerum, *aurum in pulverem redactum et antidotis mixtum lepram ac scabiem curat.* Item Avicenna II. canone medicinae dicit, quod *aurum confert doloribus cordis ac tremori eius, confortat oculum, et retentio eius in ore foetorem oris removet.* Haec ille. Sic ipsa charitas omnem lepram peccati habet depellere tam in corpore, quam in corde, et etiam ore, et oculos illuminat ad cavendum omne mortale peccatum. Nam pro regula est tenendum secundum Thomam II. II. q. LIX., quod omne peccatum, quod contrariatur charitati, est peccatum mortale. Et idcirco expellit omne illud ut contrarium. Unde Hieronymus Contra Iovinianum, de poenitentia dist. II. „Si enim” inquit: *Tamdiu sciatis vos in Deo permanere, quamdiu non peccaveritis, quoniam sicut dies et nox misceri non possunt, sic peccatum, scilicet mortale et bona opera, scilicet charitatis. Si per peccatum ingressus fuerit diabolus in hospitium peccatoris, protinus Christus recedit.* Haec ille. Quinta proprietas dicitur infrangibilitatis. Nam li. de natura rerum dicitur, quod aurum cum sit pretiosissimum super omnia metalla, est magis ductile, nec resistit malleo, ut ferrum durum, nec frangitur, ut vitrum, nec resonat, ut aes sonorum. Unde vitrum quamvis sit pulchrum, non tamen reputatur pretiosum, eo quod non potest martellari, sed statim frangitur. Sic charitas auro comparatur, quia homo existens in charitate positus sub tribulationis malleo est ductilis, id est: oboediens Deo per omnia et gratias agens, nec resistit per indurationem cordis, ut ferreum cor peccatoris, quod non vult molliri, nec frangitur per desperationem aut a bono opere resiliendo, nec murmurat per impatientiam. Sed ut Gregorius in Moralibus ait: *Mens, quae fortiter Deum diligit, dulcia extimat, quae amara sunt.* Et Bernardus: *Fortis amator et verus diligit in adversis, sicut in prosperis.* Exemplum horum habemus in beato Laurentio, qui in charitate Christi fuit tam perfectus, ut omnia pro Christo contempserit, et mundus mente et carne vixerit, omne peccatum devitaverit, et tribulationem, poenas et mortem gaudenter et cum gratiarumactione sustinuerit, immo tamquam epulas amavit. Unde verum aurum fuit coram Deo perpetuo recondendum. O ergo homo Christiane, stude et tu fieri aurum, ut dignus sis recondi in caelum. Nam ut ait Ps.: *Astitit regina, id est: anima sancta a dextris Dei in vestitu deaurato,* 8 scilicet charitatis. Imitare ergo sanctos etc. (D) Circa secundum de probata sanctitate, scilicet per passiones pro Christi nomine susceptas quaeritur, utrum Deus hominibus in hac vita immittat poenas vel tormenta sine eorum culpa. Ratio quaestionis est, quia novimus multos sanctos Dei, qui sine eorum culpis, immo cum essent in maximis meritis, maximas passiones sustinuisse, ut patet de sancto Laurentio et de sanctis martyribus, immo omnibus iustis iuxta Scripturas, adversitates et persecutiones in hac vita instant. Unde II. Timo. III.: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur, mali autem homines et*

*seductores proficient.* 9 Lyra: quia ut plurimum mali florent prosperitate mundana, licet ad damnationem aeternam. Ideo additur: *in poenis* 10 – inquit, etc. Cum ergo sancti et boni homines sint servi Dei, mali autem sunt servi diaboli. Mirum videtur, quod illos, qui non demerentur, puniri Deus vult in hac vita, et agitari multis malis, scilicet sanctos. Ad haec respondetur secundum Richardum super II. dist. XXXVI. et Bonaventuram ac alios concorditer per tres veritates ex eorum dictis acceptas. Prima veritas, quod in homine nulla esset poena, nisi praecessisset aliqua culpa. Patet, quia Augustinus III. li. De libero arbitrio longe post medium dicit, quod *omnis poena iusta est, et pro aliquo peccato, scilicet vel proprio, vel alieno impenditur.* Idem etiam li. LXXXIII Quaestionum q. XXIV. dicit: *Deus nullam poenam scivit cuique immerito infligi, meritum quippe poenae peccatum est* etc. Et sic patet, quod omnis poena aliquo modo respicit culpam secundum Bonaventuram. Sed quaedam ut praesentem in se, utpote poena infernalis, quaedam ut praeteritam in se, sed praesentem in reatu et sequela, ut est poena purgatoria. Quaedam vero solum ut praeteritam in eo, qui punitur, et contractam, sicut est omnis poena iustorum hominum. Quaedam vero respicit culpam non in se, sed tantum in aliis, ut poena Christi, qui voluntarie pati voluit pro hominibus, qui tamen nullum peccatum habuit, nec Aadae peccatum contraxit. Secunda veritas, quod Deus bonus nullum punit sine culpa vel propria vel aliena. Unde Iob XXXIV.: *Absit a Deo impietas, et ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et iusta vias singulorum restituet.* 11 Ratio, quia iustitia divina nobilior est impropotionabiliter, quam humana, sed homini secundum iustitiam humanam reputatur iniquum et iniustum punire sine culpa, ergo impossibile est a Deo aliquem puniri sine culpa praecedente propria vel aliena. Hinc Hugo De sacramentis li. I. parte VIII.: *Deus iuste facit, quidquid facit.* Nam teste Ps.: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* 12 Et sic patet, quod ut Hieronymus dicit: *Quidquid patimur, peccata nostra demeruerunt, scilicet vel propria, vel aliunde contracta, scilicet per peccatum originale.* (E) Sed obici potest de Lazaro per Christum resuscitato, qui bis fuit mortuus, sed pro peccato originali non meretur quis nisi semel mori, ergo videtur, quod mors aut prima, aut secunda fuerit eidem absque merito peccati inflictis. Ad hoc respondetur, quod Lazarus habuit culpam praecedentem et contractam, unde eum mori oportuit. Dicitur tamen a doctoribus, quod mors secunda fuit ad meritum sibi, et quod illa fuit sine dolore, et consimiliter in aliis resuscitatis putatur fore, quia ut dicit Origenes super Levit. lectione IX.: *Apud iustum iudicem Deum non iudicatur quis bis in idipsum.* Ideoque mors, quae poenae nomine infertur pro peccato, absolvit hominem a poena illius peccati. Haec ibi sententialiter. Tertia veritas, quod Deus punit iustos in praesenti vita sine culpa propria, sed non ad nocumentum, quinpotius ad profectum. Unde Gregorius in collecta dicit: *Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas.* Hinc Ro. VIII.: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* 13 Et sic iustorum et martyrum, sicut et beati Laurentii poena et mortificatio non est ex Dei ira, sed potius ex Dei misericordia ad illorum profectum. Sed quid dicemus de peccatoribus induratis, qui quandoque hic flagellantur? Ipsi audiunt bene sententiam Gregorii in Registro dicentis sic: *Poenam praesens si hominis afflicti animam convertit, finis culpa praecedentis est. Si autem non convertit, initium est poena sequentis. Curandum ergo nobis est, ne de tormento ad tormenta transeamus.* Haec ille. Nam ut etiam Haymo super Apoc. dicit: *Peccatores in hoc mundo quandoque flagellantur a Deo, ut duplici contritione conerantur, et hic incipiant poenam in futuro sustinendam perpetuo, si ad Deum non vere convertantur.* Exemplum de Antiocho, Herode, Pharaone etc., qui si dicant intra se cogitantes: „Fruamur ergo saltem ad praesens pro libito voluptatis” – audiant Iohannem Apoc. XVII.: *Quoniam quanto in deliciis fuerunt, tantum eis dabitur tormentum acerbius et luctus.* 14 Ideo Glossa super Ps. LXXIII. dicit, quod non debent gaudere mali, cum in praesenti non flagellantur, quia aeternum eis supplicium praeparatur. Vae ergo et vae peccatoribus. (F) Sed quaeritur propter praedicta de iustis, qualia bona facit Deus ad profectum iustorum provenire ex eorundem temporali tribulatione seu punitione. Ad hoc respondetur colligendo a Richardo ubi supra simulque aliis, quod praecipue quinque. Primum est fidei meritum. Nam Anselmus li. De concordia praescientiae et libero arbitrio dicit, quod *si in baptismo statim mutarentur fideles in incorruptionem fidei, periret meritum, propter quod in baptizatis remanent poenalitates multae, quae iustis infliguntur propter fidei meritum.* Secundum est offensae purgamentum, quare per talia adversa purgantur peccata, et satisfactio fit de eis, patet de David. Unde Gregorius: *Quod facit lima ferro, fornax auro, flagellum grano, hoc facit tribulatio homini iusto, scilicet quia purgat.* Tertium est meriti et praemii augmentum, ut patet de Iob et de sanctis martyribus. Unde II. Cor. IV.: *Id, quod est momentaneae et laevae tribulationis nostrae in praesenti, supra modum in sublimitatem aeternum gloriae pondus operatur.* 15 Hinc Isaac abbas Montis Syriae dicit in Collationibus, quod tribulatio parva pro Christo suscepta melior est magno opere, quod sine tribulatione perficitur. Quartum est virtutis et gratiae tutamentum, ut patet in Paulo, qui dicit II. Cor. XII.: *Ne magnitudo revelationum extollat me, scilicet ad cadendum per superbiam.* Sequitur: *datus est mihi stimulus carnis* etc. 16 Quintum est acceptationis divinae indicium. Unde Dominus dicit Apoc. III.: *Ego quos amo, arguo et castigo.* 17 Et Heb. XII.: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.* 18 O ergo quam pius, quam bonus Deus noster. Ecce ergo carissimi, agnoscere possumus in beati Laurentii exemplo et aliorum martyrum, quod cum tribulamur, probamur et proficimus, si patienter sufferamus. Debemus ergo diligere inimicos nostros, quia utiles sunt nobis ad salutem. Debemus et Deo gratias agere in tribulatione. (G) Circa tertium principale de praeclaro martyrio beati Laurentii accipiamus pro conclusione, quod beati Laurentii martyrium inter passiones martyrum commendatur valde praeclarum. Et hoc patet recolligendo ex dictis sanctorum Ambrosii et Augustini ac Maximi in sermonibus praecipue ex quinque considerationibus in eius passione: · Primo ex sanctitate · Secundo ex amoresitate · Tertio ex famositate · Quarto ex acerbitate · Quinto ex suffragii claritate Primo ex sanctitate. Unde Augustinus: *Beatum virum Laurentium tota debemus devotione suscipere. Primo quia pretiosum sanguinem propter Deum tradidit. Deinde quia praerogativam apud Deum nostrum non minimam contulit, ostendens, qualis esse debeat Christiani fides, de cuius consortio martyres esse meruerunt. Tertio quia idem tantae et tam sanctae conversationis exstitit, ut coronam martyrii tempore pacis inveniret.* Haec ille. Secundo ex amoresitate, quia in passione dulcedine amoris Christi plenus fuit adeo, ut omnes cruciatus epulas dulcissimas reputaret prae amoris Christi suavitate. Unde Ambrosius vel Maximus: *Dum Christi praecepta cogitat, scilicet Laurentius, frigidum est illi omne, quod patitur.*



Idem: *Amore veritatis accensus appositam extrinsecus sibi flammam aut non sensit, aut vicit.* Tertio ex famositate, unde Ambrosius vel secundum alios Maximus dicit in sermone: *Sanctum ac Deo placitum est, ut natale sancti Laurentii praecipua devotione veneremur, cuius radiantibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Christi coruscat Ecclesia.* Haec ille. Nimirum toto orbe eius festum celebratur, et in omnibus missis eius nomen nominatur in canone. Quarto ex acerbitate, unde Ambrosius vel Maximus dicit: *Non enim, fratres, beatus Laurentius brevi vel simplici passione patitur. Nam qui gladio percutitur, semel moritur, qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur, hic autem longa et multiplici poena cruciatur.* Haec ille. Item Innocentius in sermone dicit, quod Laurentius decem tormenta sustinuit, quae nota per alphabetum, videlicet: Adustionem laminarum ignitarum. Boias, hoc est: catenas, quibus vinctus fuit. Carceris inclusionem. Durorum lapidum 19 contusionem. Extensionem in catasta. Fustigationem. Gravem plumbatorum mactionem. Horrendam caesionem scorpionum. In craticula cum furcis ferreis compressionem, et craticula eadem super ignem assationem. Et sic patet acerbitas. Quinto ex suffragii claritate. Nam omnes homines debent invocare devote sancti Laurentii suffragia. Primo quidem de dolore oculorum et caecitate, quia canit Ecclesia de ipso dicens: *Levita Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis caecos illuminavit.* Secundo deficientes pane et patientes necessitatis defectum prae egestate. Nam Gregorius li. Dialogorum refert, quod quidam presbyter nomine Sanctulus sancti Laurentii ecclesiam incensam a Longobardis dum vellet reformare, artifices multos conduxit. Quadam autem die, dum quid apponeret eis ad manducandum, non haberet, praemissa oratione in clibanum respiciens vidit candidissimum panem. Sed cum vix ad unum prandium tribus personis sufficere videretur, Laurentius nolens artifices suos deficere, sic praedictum panem multiplicari fecit, quod in alimentum decem dierum operariis cunctis suffecit. Tertio in extremis laborantes. Nam legitur, quod quendam iudicem Romae nomine Stephanum, qui propter munera pervertebat iudicia, et aliena iniuste possidebat, dum moreretur, et damnari deberet, sanctus Laurentius cum sanctis Maria, Agneta et proiecto impetrarunt ad corpus redire, et triginta diebus poenitentiam agere, et restituere ablata, et sic salvari. Item Henricus imperator per beatum Laurentium obtinuit in morte, ut salvaretur. De hoc vide sermone IV. „I”. Oremus ergo Deum, carissimi, ut beati Laurentii meritis det nobis gratiam et gloriam.

---

1 Iob 23,10 2 Apc 3,18 3 I Cor 12,13 4 Col 3,14 5 Phil 2,21 6 Ecl 1,15 7 I Tim 1,5 8 Ps 44,10 9 II Tim 3,12-13 10 Recte: *in peius* 11 Iob 34,10 12 Ps 144,17 13 Rm 8,28 14 Apc 18,7 15 II Cor 4,17 16 II Cor 12,7 17 Apc 3,19 18 Hbr 12,6 19 Editio: *laminarum*. Aliae editiones: *lapidum*.

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XLVIII.] De sancto Laurentio Sermo tertius ad idem *Ignem me examinasti*, scilicet tu, Domine Deus, *et non est inventa in me iniquitas.* Ps. XVI. 1 (A) Sancta Ecclesia canit haec verba ad beati Laurentii gloriam, quia ipse fuit in passione igne examinatus, in quo non est inventa iniquitas, sed omnis sanctitas, et ideo nobis hodie proponitur in exemplum tripliciter vel in tribus. Unde Ambrosius vel secundum alios libros Maximus in sermone dicit: *Beati Laurentii exemplo provocamur ad martyrium, accendimur ad fidem, incalescimus ad devotionem.* Haec ille. Primo ergo proponitur in exemplum martyrii, scilicet ut nos non recusemus pati pro Christo saltem parvam adversitatem vel poenitentiae asperitatem, cum audimus ipsum passum libenter tam acerba. Secundo in exemplum fidei, scilicet formatae charitate. Unde Ambrosius ubi supra: *Dum in fide sua persecutoris flammam vicit*, scilicet Laurentius, *ostendit nobis per ignem fidei gehennae incendia superare*, scilicet peccatis resistendo. Tertio proponitur in exemplum devotionis, ut sicut ipse tanta ad Christum devotione flagravit, ut omnia amara pro eo sustinendo dulcia reputaret. Sic et nos incalescamus devotionis fervore, ut omnia amara mundi sufferre velimus, antequam peccato consentiamus, et Deum offendamus, quia Augustinus dicit, quod *melius est Deo dilecto mori, quam ipso offenso vivere.* Audiamus ergo, quid dicit Laurentius in praedictis verbis, ut et nos pro modo nostro dicere possimus singuli Deo: *Ignem, scilicet tribulationis me examinasti, sed non est inventa in me iniquitas.* Iuxta quae verba tria mysteria notemus pro hoc sermone. · Primum de divinali examine, quod notatur, cum dicitur: *Ignem examinasti* · Secundum de constanti fortitudine, ibi: *non est inventa in me iniquitas* · Tertium de felici celsitudine, quod sequitur ad praedicta (B) Circa primum de examine divinali quaestio occurrit, in quibus et qualiter Deus examinat homines, utrum sit in eis aliqua iniquitas, an non, et sic per consequens utrum sint apti aut idonei ad regnum caelorum an non. Ratio quaestionis potest dari talis, quia ut Ambrosius XXII. q. II. § „Quandoque” et Augustinus XXVI. q. V. c. ultimo dicunt, quod Deus temptat homines, utrum diligatur toto corde prae omnibus, et utrum Dei praecepta praeferantur, an non. Haec illi. Sed adverte secundum doctores, quod Deus cum sciat omnia lucide, non propterea temptat vel examinat aliquem, ut scilicet acciperet experimentum de aliquibus, quae ignoraret, sed ut aliis vel saltem ipsi homini scilicet sic temptato detur experientia, utrum Deum vere diligat et quam fortiter, ut patet in tribulationibus et temptationibus, quas Deus permittit homini ad probationem vel purgationem et humiliationem. Unde Sap. III. scribitur de iustis: *In paucis vexati in multis bene disponentur, quoniam Deus temptavit illos, et invenit eos dignos se.* 2 Lyra: Ideo – inquit – Deus temptat suos per afflictiones, ut virtus patientiae illorum clarescat etiam aliis ad exemplum imitationis, et propter augmentum retributionis, scilicet vel propter praemium dignum. Patet ergo, quod Deus examinat homines per temptationes, vel ab ipso Deo immisas, vel permissas aliunde. Utile est ergo scire, in quibus vel quot modis et qualiter Deus solet homines examinare, utrum sit iniquitas in eis, vel peccent an non. Ad quod secundum doctores vel Scripturas recolligendo respondetur, quod praecipue in quattuor vel quadrupliciter: · Primo in divinorum praeceptorum fidelitate · Secundo in temporalium bonorum prosperitate · Tertio in corporalium virium validitate · Quarto in tribulationum adversitate Primo in fidelitate, videlicet praeceptorum. Unde Deut. VIII. dixit Moyses ad populum: *Omne mandatum cave diligenter, ut facias et recordaberis, quod adduxit te Dominus XL annis per*

*desertum, ut affligeret te atque temptaret* (Lyra: tibi ad meritum et aliis in exemplum), *utrum custodires mandata illius an non.* 3 Item XIII. c. eiusdem: *Si surrexerit – inquit – propheta aut somniator* (intellige: vel sortilegus aut quicumque divinator vel incantator), sequitur: *non audies verba illius, quia temptat vos Dominus Deus vester, utrum diligatis eum an non in toto corde et tota anima* etc. 4 Ex quibus patet, quod cum homo temptatur vel a suggestione diabolica aut fallacia haereticorum vel malorum hominum persuasionem aut seductionem, ut faciat contra aliquod praeceptum Dei, statim debet recogitare, quod Deus examinat ipsum de praeceptis suis, et ideo debet Deo oboedire super omnia, ut probetur vere illum diligere. O ergo Christiane, observa mandata Dei. Unum crede Deum, non assumas eius nomen in vanum, et sic de aliis. Audi Christum Matt. XIX. dicens: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 5 Beatus Laurentius omnia perfecte servavit. (C) Secundo examinat Deus homines in temporalium prosperitate, videlicet divitiarum, honorum, praeliorum et dominiorum. In his autem praecipue tripliciter probatur vel examinatur homo. Primo si ista bona mundi iuste adquisivit vel possedit. Prover. XXI.: *Qui congregat thesauros, lingua mendacii impingetur ad laqueos mortis, scilicet culpae et gehennae, rapinae detrahent eos,* 6 scilicet ad Infernum. Secundo si insatiabiliter et nimis ea amavit, scilicet quod paratus foret praeceptum Dei aliquod transgredi, quam damnationem in eis pati. Ideo Eccs. V.: *Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis,* 7 scilicet ad salutem. Tertio si tam avare ea retinet, quod non largitur ea pauperibus vel pro salute animae ex illis. Nam Deus ideo dat hominibus bona temporalia, ut ex eis redimant animas, et aeternos thesauros in caelo adquirant. Prover. XIII.: *Redemptio animae viri divitiae suae, non alienae.* 8 Et Luc. XII.: *Facite vobis sacculos, qui non veterescunt thesaurum, non deficientem in caelis* etc. 9 Sed heu sunt multi, qui in paupertate largiores fuerunt, quam in divitiis et dominiis. Talibus ista bona pro signo sunt damnationis, hoc patet in divite epulone, qui non legitur iniuste adquisisse bona, sed tantummodo quod pauperi Lazaro non largiebatur ex eis, et idcirco damnatus est, Lucae XVI. Beatus Laurentius exemplum nobis in his praebuit, qui dispersit, dedit pauperibus omnes Ecclesiae thesauros, et sic probatus in temporalibus iustitia eius manet in saeculum, etc. (D) Tertio examinat Deus homines in corporalium virium validitate, scilicet fortitudine, iuventute, pulchritudine, sanctitate et similibus, utrum scilicet homo his per peccata diabolo deserviat, an per bona opera Deo, propter quod multos corripit Deus infirmitate corporali, ut ad Deum convertantur, iuxta illud Ps.: *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt,* 10 scilicet converti. Unde Hugo li. de claustris animae dicit: *Multos Deus atterit infirmitate, quos videt fortes et promptos peccare, ut attriti carnis debilitate nequeant tot et tanta mala perpetrare.* Queritur: Qualibus signis cognoscitur haec temptatio infirmitatis, ad quam partem cesserit, videlicet utrum cedat homini ad salutem aeternam an non? Respondetur secundum Scripturas et doctores, quod ad id unum signum est praeparationis. Nam infirmitas corporalis est quaedam citatio hominis ad comparandum coram Deo pro mortis iudicio. Et ideo debet se homo praeparare mox per confessionem, contritionem et satisfactionem ac orationem, et hoc est signum salutis. Sicut si homo componeret causam cum iudice, antequam sententia datur, sic causam bene evaderet. Hinc Eccs. XVII.: *Cognosce iustitias et iudicia Dei, id est recognoscere debes in infirmitate tamquam citatus ad iudicium, et sta in sorte propositionis, id est: propositi boni, et orationis Altissimi, in partes vade sanctorum, et ne demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere.* 11 Haec ibi. Item eiusdem XVIII.: *Ante iudicium interroga teipsum.* Lyra: scilicet per diligentem conscientiae discussionem, *et in conspectu Dei invenies propitiationem.* 12 Secundum signum est emendationis. Nam ut Gregorius in Registro ait: *Flagellis non emendari, sed indurari signum est aeternae damnationis, quos enim praesentia mala non corrigunt, ad sequentia mala perducunt.* Haec Gregorius. Exemplum de Pharaone. 13 Tertium signum gratiarumactionis, quando quis patienter tolerando infirmitatem gratias Deo agit. Unde Eccs. II.: *Vae his, qui perdidit iustitiam.* 14 Nam revera magnas debemus Deo gratias agere pro infirmitate corporali, quia multipliciter est utilis nobis ad salutem. Primo quia peccata purgat. Secundo quia futura peccata cavet. Tertio quia carnis concupiscentiam domat. Quarto spiritum humiliat, et in Dei amore roborat. Quinto ad misericordiam Dei praeparat. Sexto electionis signum et divini amoris monstrat. Septimo quia Christo dolenti et patienti conformatur. Unde II. Cor. XII.: *Virtus in infirmitate perficitur, libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Cum enim infirmor, tunc potens sum,* 15 scilicet spiritu. Hinc in Vitis patrum legitur, quod quidam sanctus pater cuidam petenti orationem, ut sanaretur, respondit: „Rem tibi necessariam petis amoveri, quia si ferrum es, per infirmitatem rubiginem amittis. Si aurum es, per ignem probatus ad meliora proveheris.” Patet de beato Laurentio, qui per corporis tormenta pervenit ad maxima praemia. Quarto examinat Deus in tribulationum adversitate, Iudith VIII.: *Omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.* 16 Unde omnes fideles debent hoc pro certo habere, quod postquam ceperint Deo servire, tribulationes et temptationes eos insequuntur. Ideo Eccs. II.: *Fili, accedens ad servitutum Dei, sta in timore Domini, et praepara animam tuam ad temptationem.* 17 Item II. ad Timo. III.: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* 18 Exemplum claret in sancto Laurentio et omnibus martyribus ac sanctis aliis. Bernardus: *O homo, disce pati, quia per hanc viam intravit caelum Christus et omnes sancti eius. Erras, erras, si aliam viam quaeris.* (E) Circa secundum principale de constantia fortitudinis quaeritur, utrum homo solo libero arbitrio sine gratia Dei possit stare in tribulatione vel temptationi resistere. Ratio quaestionis, quia pro et contra sunt auctoritates. Nam Eccs. XV. dicitur: *Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit, dabitur ei.* 19 Item Gregorius in Moralibus et etiam Hieronymus dicit: *Debilis est hostis, non potest vincere, nisi volentem.* In contrarium autem est, quia in Oratione Dominica petimus Deum dicentes: *Et ne nos inducas in temptationem.* Ubi Cyprianus dicit: *Nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est.* Ad hoc ergo respondet Bonaventura super II. dist. XXVIII., quod aliqui dixerunt, quod homo per liberum arbitrium absque munere gratiae Dei possit resistere omni temptationi propria virtute. Alii autem dixerunt, quod propria virtute nulli temptationi potest resistere. Sed primum est falsum et contra Scripturam, et pertinet ad errorem Pelagii. Nam Sap. VIII. scribitur: *Scio, quod aliter non possum esse continens, nisi Deus det,* 20 ergo temptationi luxuriae resistere homo non potest per continentiam, nisi gratiae Dei dono. Item secundum dictum est valde durum, cum liberum arbitrium naturale habeat iudicium quendam instinctum remurmurantem contra malum, nec etiam sit in malo confirmatum. Idcirco media via inter haec

tenenda est pro responsione, videlicet quod liberum arbitrium sine gratia Dei nec potest omni temptationi resistere, nec necesse habet omni temptationi succumbere, quod enim non potest sine gratia Dei temptationi resistere, hoc est propter suam instabilitatem et infirmitatem ex peccato proveniente, iuxta illud Thren. I.: *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* 21 Hinc etiam Glossa super Thren. III. dicit: Non potest homo diu durare contra insultus diaboli, nisi misericordia Dei adiuvetur. Unde si uni resistit temptationi, non tamen omnibus, nisi per divinum auxilium, sicut ponitur exemplum in foraminibus navis, per quae aqua ingreditur, et si unum obstruatur, aliunde influit, scilicet unde nec putatur. Unde quamvis propria virtute homo possit quandoque uni vel pluribus temptationibus resistere, numquam tamen potest evitare, quin in aliquam temptationem incidat, nisi adiuvetur gratia Dei, et hoc propter instabilitatem et infirmitatem suam, cum sit obtenebratus ignorantia et alligatus carnis concupiscentia. Haec secundum Bonaventuram, concordantem Richardum. (F) Notandum est autem, quod quattuor sunt praecipue considerationes, quae multum iuvant et valent ad stabiliendum in Deo animas in tribulatione vel quacumque temptatione, ut sint patientes, et non peccent: · Prima est consideratio infernalis supplicii · Secunda consideratio caelestis praemii · Tertia consideratio utilis commodi · Quarta consideratio passionis Christi Prima consideratio infernalis supplicii, quia omnis tribulatio et amaritudo praesentis saeculi est respectu futurae tribulationis et poenae infernalis transitoria et momentanea, illa autem sempiterna. Item ista est peccatorum purgativa, illa autem cruciata, sed in nullo expiativa. Item ista est meritoria vitae aeternae, illa autem detentiva in demerito poenae aeternae. Sed quoniam secundum Philosophum III. Topicorum: *Inter duo mala minus malum est eligendum*, ergo magis debet eligi et diligi praesens tribulatio, quam futura. Bernardus: *Melior – ait – est modica amaritudo in faucibus, quam aeternum tormentum in visceribus.* Secunda consideratio caelestis praemii. Gregorius: *Consideratio praemii minuit vim flagelli. Nam parvus labor, sed praemium ineffabile.* Tertia consideratio utilis boni. Nam praesens tribulatio si patienter sufferatur, maxima bona confert. Primum est assecuratio, scilicet in Dei iudicio. Nahum I.: *Non consurgit duplex tribulatio, nec punit Deus bis in idipsum.* 22 Secundum est beatificatio. Iac. I.: *Beatus vir, qui suffert temptationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.* 23 Item Matt. V.: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum etc.* 24 Tertium conformatio, scilicet ad Christum. Ioh. XV.: *Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* 25 Quartum divina dilectio. Apocal. III.: *Ego quos amo, arguo etc.* 26 Quintum expiatio, scilicet peccatorum. Sextum fructificatio, scilicet meritorum. Septimum glorificatio, scilicet praemiorum. Unde Gregorius: *Maioris est meriti (et sic praemii) adversa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare.* Item Haymo super Apoca.: *Opera et labores communia sunt bonis et malis. Patientia autem vera singulare munus est electorum.* Bernardus: *Sine patientia non sunt ponderanda merita.* Quarta consideratio passionis Christi. Bernardus: *Fidelis miles et servus non sentit propria, cum regis sui intuetur vulnera.* Gregorius: *Si passio Christi ad memoriam revocetur, nil tam durum, quod non aequo animo toleretur.* Haec consideravit beatus Laurentius, et sic dulcia sibi reddebantur in Christi amore omnia tormenta et mors ipsa. O ergo Christiane, in omni tribulatione et anxietate haec pensa animo, haec cogita, et dulcescit tibi omnis labor et tribulatio in Christo. (G) Circa tertium de felicitate praecelsa beati Laurentii pro conclusionis documento accipiamus, quod beatus Laurentius in regno caelesti inter caeteros martyres Christi praefulget felicitate quadruplici. Prima quia tenet martyrii primatum. Nam secundum quod dicit Iacobus de Voragine in Legenda: Beatus Laurentius post beatum Stephanum inter caeteros martyres primatum tenere dicitur ob certas causas. Primo propter passionis locum, eo quod Romae, quae est caput mundi, et ubi est sedes apostolica, passus est. Secundo propter praedicationis officium, quod diligenter implevit. Tertio propter laudabilem elemosynarum distributionem in pauperes. Has rationes ponit Wilhelmus Autissiodorensis. Quarto propter eius martyrii sollemnitatem in Ecclesia per totum orbem. Nam propter excellentiam martyrii eius Ecclesia inter omnes speciali sollemnitate celebrat, vigilia, octava quoque et versiculis antiphonarum, quod non facit aliis. Et multi sancti doctores in suis sermonibus eius passionem approbant et praecommendant. Secunda felicitas, quod ipse habet thronum Seraphicum, eo quod ardebat amore Seraphico, ut ardentissime desideraret mori pro Christo. Unde cum beatus Sixtus duceretur ad martyrium, ipse Laurentius anxius desiderio accurrens post illum clamavit dicens: „Nolo me derelinquere, pater sancte.” Et tanto amore arsit, ut flammarum non sentiret incendium, ut ait Ambrosius. Seraphim namque ardentes, scilicet in Dei amore, dicuntur secundum Dionysium de angelica hierarchia. Dicit autem Gregorius in homilia: *Accesserunt ad Iesum publicani etc., quod omnes in sortem angelorum per conversationis similitudinem deputantur, ergo sequitur, quod beatus Laurentius propter charitatis ardorem inter Seraphim sit inthronizatus.* Tertia felicitas, quia habet coronam aureolarum. Habet namque aureolam doctorum propter praedicationem, habet etiam aureolam virginum, quia virgo fuit, habet et martyrium. Et sic patet. Quarta quia habet gloriam Christiformem et triumphum. Primo quidem quoad animam, quia sicut Christus in passione sua acerbissima nihilominus in animae superiori parte habuit summam dulcedinem in Deo, sic Laurentius mira suavitate in sua passione consolabatur. Unde Ambrosius: *Beatus Laurentius sentire ignium tormenta non poterat, qui in sensibus refrigerium Paradisi possidebat.* Secundo quoad corpus, quia sicut Christus per omnes et singulos artus passus est acerbissimos dolores, sic Laurentius toto corpore laceratus, tortus et assatus est, et ideo post resurrectionem toto corpore miro decore per omnes cicatrices refulgebit, ut dicit Augustinus De civitate Dei, scilicet quod *martyrum cicatrices remanebunt post resurrectionem ad maiorem gloriae decorem et fulgorem.* O ergo quanta ibi est et erit gloria beati Laurentii, quis explicare vel mente cogitare sufficit? O carissimi, imitemur martyres Christi, ut parati simus pati omnia mala, antequam peccato consentiamus, ut sic tandem cum Christo et sanctis eius regnare valeamus, quod nobis praestet meritis beati Laurentii martyris ipse Christus, qui vivit et regnat in saecula. Amen.

---

1 Ps 16,3 2 Sap 3,5 3 Dt 8,1-2 4 Dt 13,3 5 Mt 19,17 6 Prv 21,6-7 7 Ecl 5,9 8 Prv 13,8 9 Lc 12,33 10 Ps 15,4 11 Sir 17,24-27 12 Sir 18,20 13 Ex 7-12 14 Sir 2,16 15 II Cor 12,9-10 16 Idt 8,23 17 Sir 2,1 18 II Tim 3,12 19 Sir 15,18 20 Sap 8,21 21 Lam 1,8 22 Na 1,9; 1,12 23 Iac 1,12 24 Mt 5,11 25 Ioh 15,20 26 Apc 3,19





[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XLIX.] De sancto Laurentio Sermo quartus videlicet de privilegiis sanctitatis eius *Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis caecos illuminavit.* (A) Haec sunt verba Ecclesiae in officio ad laudem huius festivitatis, secundum quod Bernardus dicit: *Ecclesiae verba magis sunt authentica, quam verba Pauli vel Iacobi apostolorumque aliorum, eo quod Ecclesia sponsa Christi est.* Nam et Augustinus li. XI. Contra Faustum dicit: *Ego evangelio non crederem – inquit –, nisi me catholicae Ecclesiae auctoritas admoneret.* Haec ille. Idcirco Ecclesiae verba assumimus pro sermone isto, quibus beatus Laurentius commendatur tam ex nomine, cum a lauro Laurentius dicitur, quam ex sanctitatis opere, quia dicitur, quod *bonum opus operatus est.* Vere bonum opus operatus est, cum omnem thesaurum Ecclesiae sibi commissum in pauperes erogavit, bonum opus operatus est etiam cum Christum ferventer praedicavit. Item cum omnibus virtutum exercitiis, scilicet humilitatis, castitatis, sobrietatis, charitatis et patientiae se perfecte exercitavit ieiunando, vigilando, orando, proximi salutem quaerendo et omnia bona opera faciendo. Unde et tertio commendatur a meritorum magnitudine miraculorumque gratia, cum dicitur, quod meruit per signum crucis caecos illuminare etc. Unde de ipso canuntur convenienter haec verba: *Laurentius bonum* etc. Iuxta quae tria mysteria notabimus pro sermone isto, secundum quod de his tribus commendatur in ipsis verbis. · Primum de praerogativa victoriosi nominis, cum dicitur: *Laurentius* · Secundum de excellentia gratiosi operis, ibi: *bonum opus operatus* · Tertium de potentia miraculosi valoris, ibi: *caecos illuminavit* (B) Circa primum de nomine victorioso sit pro documento nostro haec conclusio, quod beatus martyr Laurentius convenientissime Deo volente a lauro est denominatus. Declaratur secundum Iacobum de Voragine in Legenda et alios, quod Laurentius dicitur quasi lauream tenens, quae est corona de lauro facta. Haec autem arbor inter ceteras arbores sex habet praerogativas convenientes beato Laurentio, propter quas merito ab ea est vocatus: · Prima quia est viriditate continua amoena · Secunda quia est odore grata · Tertia quia est calculi fractiva · Quarta quia est auditui suffragativa · Quinta quia est tutativa contra fulmina · Sexta quia est victoriae ostensiva Primo inquam laurus est viriditate continua valde amoena, sic beatus Laurentius continuum tenuit viriditatem in cordis munditia et puritate ac virginali castitate, ut creditur, nam a pueritia incepit Deo servire. Et de eo legitur in missa vigiliae epistola de virginibus, scilicet *Confitebor tibi, Domine rex* etc. 1, quo videtur significari, quod fuit virgo a virore continuae puritatis, et hoc est valde gratum Deo, multo magis, quam grata possit esse viriditas cuiuscumque arboris vel floris hominibus. Sed heu multi homines volunt flores iuventutis diabolo offerre, et faecem senectutis Christo. Contra quos Augustinus: *Maledictus – inquit –, qui offert florem iuventutis diabolo, et faecem senectutis Christo.* Sunt etiam plurimi homines virentes, sed non continue, ut arbores marcescentes a virore, et tales ut minus amoeni, minus sunt grati Deo, quia pro tunc tantum, cum virent in gratia, cum autem aruerunt per peccatum, detestabiles sunt. Eccli. XII.: *Altissimus odio habet peccatores, et misertus est poenitentibus.* 2 Beatus Laurentius continua viriditate gratiae vigit, et ideo Deo gratissimus fuit. (C) Gratia huius quaeritur: In qua virtute magis complacet Deo delectari velut in amoenissima arbore, videlicet utrum in humilitate poenitentis, an in puritate virginis? Ad hoc respondetur per verba Augustini De spiritu c. XXI. dicentis sic: *Humilitas Deo subicit, puritas iungit, sed charitas unit,* scilicet Deo prae omnibus. Unde patet, quod ubi maior charitas, ibi magis dilectatur Deus. Si ergo poenitens humilis est, in maiori charitate Dei magis diligitur. Sicut Magdalena et Petrus praeferebantur virginibus multis, scilicet quoad essentiale praemium, licet in aureola illi praecellant. Sic et per contrarium superbia diabolo subicit, impuritas autem et peccatum ligat igni perpetuo cruciandum cum diabolo. Secundo laurus est arbor odore grata, sic Laurentius habet odorem sanctae famae et exemplaritatis, qua attrahit ad imitandum sanctas animas per totum mundum, scilicet in ardore fidei et devotionis ac pietatis exercendi in pauperes. Unde Augustinus: *Beati Laurentii exemplo provocamur ad martyrium, accendimur ad fidem, incalescimus ad devotionem.* De hoc odore II. Cor. II.: *Christi bonus odor sumus* etc. 3 Sed videmus, carissimi, quod est arbor quaedam, quae licet in se sit foetida, tamen in foliis est viridis, et floribus est odorifera, ut est sambucus, de qua versus: *Sambuci flores sambuco sunt meliores.* Sic sunt multi in se mali et foetidi per peccatum, sed florentes per exemplum in hypocrisi. Non sic fuit Laurentius. Tertio laurus habet virtutem frangendi calculum, sic Laurentius per virtuosam praedicationem corda dura fregit, quando Lucillum, Hippolytum, Romanum et plures gentiles convertit. Quarto laurus auditui suffragatur et subvenit surditati. Sic Laurentius spiritualem reddit auditum, adeo ut multa milia gentium ad Christum convertit, qui martyrio sunt coronati sub Decio. Quinto laurus fulmen non metuit, sed ab eo protegit, sic Laurentius protegit devotos meritis et exemplis a fulmine sententiae damnationis reprobatorum. Unde Maximus in sermone vel Ambrosius dicit, quod Laurentius fide et amore Christi vincens incendia ostendit nobis scilicet ipsum imitando diem iudicii non timere, scilicet sicut nec ipse pertimuit in tormentis. Ps.: *In memoria aeterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.* 4 Sexto laurus est victoriae ostensiva. Nam olim de huiusmodi ramis capita victorum coronabantur cum laudibus, et inde laura dicitur corona victoriae de lauro secundum Catholicon, et baccalaureus a bacca, id est fructu lauri denominatur. Sic Laurentius super omnes vires et passiones animae, et insuper super omnia tormenta victoriam gloriosissimam habuit, necnon omnibus nobis exemplum vincendi praebuit. Unde Ambrosius vel secundum alios Maximus dicit in sermone: *Dum Laurentius in fide sua persecutoris flammam vicat, ostendit nobis per ignem, id est ardorem fidei gehennae incendia superare, videlicet carnis concupiscentiam, mundi blanditiam et peccati omnem malitiam.* O ergo carissimi, veneremur et imitemur hunc gloriosum martyrem, ut eius gloriae et victoriae in caelo participes conregnare valeamus. Et sic patet de primo. (D) Circa secundum principale de sublimitate gratiae beati Laurentii, ex qua vel in qua opera ipsius fuerunt Deo placita, ut notatur in themate, accipiamus ergo pro conclusione, quod Christus beatum Laurentium magnis gratiarum privilegiis sublimavit, quibus illius sancta opera imitanda nobis in exemplum commendavit. Et declaratur per sex privilegia gratiarum. Primum est gratuitae originis, quia ex speciali Dei dono et gratia fuit generatus. Nam quidam homines ortum habent ex sola natura, sed aliqui simul ex speciali Dei dono, et tales Deus elegit ad magna facta per ipsos fienda

vel perficienda. Sicut legimus de Isaac, qui natus est per Dei repromissionem, Gen. XVIII. Et per ipsius semen voluit Deus venire in carnem. Item de Samson, Iudicum XII., per quem contrivit Deus hostes Israel, Philisteos. Item de Samuele, qui fuit propheta magnus, et iudicavit totam gentem Israel. Item de Iohanne Baptista, qui fuit maximus sanctorum et praecursor Christi. Isti quattuor praedicti leguntur in Scripturis Dei dono et gratia nati ex parentibus. Sic et de beato Laurentio legitur in historiis vel chronicis, quod Dei dono fuit natus, qui et ad maximam gloriam martyrii fuit praeordinatus. Quidam enim nobilis dux in Hispania cum non haberet filium, et a suis diis impetrare non valisset, quendam Christianum sanctissimum consuluit, qui illi persuasit, ut perfidiam adiuraret et Christianus fieret, et sic a Christo dono filium obtineret. Quod cum fecisset, ab uxore propria filium elegantem suscepit, scilicet hunc beatum Laurentium. Baptizatur ergo tota curia illius. Quod diabolus invidens et credens hunc puerum fore futurum aliquid magnum, tribus cautelis usus est contra eum. Primo quia nocte quadam puerum de cuna accipiens longe asportavit, sed ab angelo Dei prohibitus illum deposuit sub quadam lauro, ut ibi fame periret, sed Deus ipsum interim praeservavit. Et quidam dominus inde transitum faciens et vagitum pueri audiens illum suscepit, et in filium adoptavit, ac a lauro Laurentium nominavit. Secundo quod interim diabolus in ipsius pueri persona in cuna se posuit, et tam onerosum ac vagitibus infestum se exhibuit, ut parentibus maximam tristitiam inferret. Tertio quod videns, quia ille puer per aetatem temporis non cresceret, nec proficeret, sed tantummodo vagiret et aleretur, adeo parentes molestati et instiganti diabolo turbati sunt, ut fidem abnegarent et Christianos persequerentur. Tandem Laurentius adolescens factus cum scholas frequentaret, a consociis exprobat, quod non de legitimo toro natus foret, sed sub lauro expositus. Ad quod perturbatus animo cogitavit inquirere de suis parentibus, et clam recessit. Cumque post aliquot dies per silvam quandam transiret et iugiter Deum orasset, ut sibi daret scire parentes suos. Advesperascente die se ad pernoscendum sub quadam arbore deposuit, ubi in tenebrosa nocte audivit magnum strepitum daemonum super arborem convenientium, inter quos cum unus et alius eorum diceret gloriando, quid mali fecerit in mundo, ecce unus ait: „Ego maius feci omnibus, quia filium istius ducis Hispaniae tuli, et sub lauro deposui, et ego in eius persona delicate nutrior, parentes quoque illius fidem negare feci, et multos Christianos occidi.” Audiens haec Laurentius Spiritu Sancto plenus Hispaniam properavit, et ad illum ducem pervenit, et haec omnia enarravit, adducique iussit illum diabolum in cuna iacentem. Cui in nomine Iesu coram omnibus praecepit, ut veritatem diceret, et quis verus illorum filius esset, indicaret. At ille exclamans omnia enarravit ex invidia fecisse, et tandem compulsus dixit, quod iste Laurentius foret verus eorum filius, sicque grandi ululatu foetido cadavere relicto disparuit. Dux ergo et uxor eius admirantes in amplexus Laurentii ruunt, et poenitentiam agentes idola destruunt, et ad fidem Christi convertuntur, et tandem in pace quieverunt. Laurentius autem de illorum hereditate pauperes coepit quotidie alere. Et tandem Sixtus papa veniens Hispaniam Laurentium ad se recepit et Romam duxit, ubi archidiaconum instituit. Patet ergo, quod Laurentius Dei dono fuit natus. (E) Secundum privilegium amoris Christi multum ardentis. Nam totis visceribus optabat mori pro Christo, adeo quod cum Sixtus papa ad mortem duceretur, ipse post illum clamaret dicens: „Noli me derelinquere, pater sancte, sed tecum pergam ad mortem pro Christo.” Quaeritur hic: Qualiter vel quibus signis fore probatur in homine ardens et igne divino fervens Christi amor? Ad quod respondetur, quod ex quo scilicet Cantic. VIII. scribitur: *Fortis est ut mors charitas ipsa, aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam* etc. 5 Sicut ergo ignis fortiter ardens consumit aquam, et non exstinguitur ab ea, sic charitas vel amor Christi probatur ardentissimus fore, quando exstinguit in homine quadruplicem amorem: · Primo amorem carnalem · Secundo amorem terrenum · Tertio amorem domesticum · Quarto amorem proprium vel privatum Dixi primo, quod charitas Christi exstinguit primo in homine amorem carnalem. Unde Gregorius: *Gustato spiritu desipit omnis caro*. Secundo amorem terrenum. Chrysostomus: *Vere non habet super terram, quod amet, qui donum caeleste gustavit in veritate*. Tertio amorem domesticum, id est parentum et cognatorum. Hieronymus: *Non agnosco matrem meo Domino displicentem*. Quarto amorem proprium vel privatum. Matt. XVI.: *Qui vult animam suam salvam facere, perdet eam*. 6 Ambrosius de Isaac: *Fortis est ut mors charitas, quia sicut mors finis est peccatorum, ita et charitas, quae habet alas igneas, quibus exurit, quidquid carnale atque terrenum est*. Exemplum in beato Laurentio, in quo amor Christi exstinxit et exussit amorem carnalem, nam virgo fuit. Amorem terrenum, quia thesaurus non retinuit, sed distribuit pauperibus. Item amorem domesticum, quia patriam et cognatos deseruit, et Romae peregrinari voluit. Et denique amorem proprium, quia morti se tradidit. Tertium privilegium vel gratia copiosae elemosinae et miserationis erga pauperes. Nam illos per domos quaerebat, et eorum pedes lavabat et osculabatur exemplo Salvatoris, et illis totum thesaurum distribuit. Unde de eo canitur illud Ps.: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum* etc. 7 Dicit: *dispersit*, quia non uni tantum, sicut avari, qui etiam vix uni dant vel paucis, sed pluribus divisit et dispersit. Dicit: *dedit*, non dandum post mortem ordinavit, sicut multi faciunt, et parum tales merentur, sed qui dant in vita, impropotionabiliter plus merentur. Dicit: *pauperibus*, non amicis vel parentibus aut cognatis, et ideo *iustitia eius manet in saeculum* saeculi. (F) Sed avarus homo obicit dicens: „Filius et filias habeo, illis potius do, quam pauperibus.” Ad quod Petrus Ravennas: *Manus – inquit – pauperis est Christi gazophylacium, quia quidquid accipit pauper, Christus accipit*. Nam dicit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Matt. XXV. 8 Sicut ergo Christus maior est omnibus, ita melius est illi dare. Item adhuc avarus dicit: „Numquid filios deserere debeo?” Respondet liber De doctrina Christiana Augustini dicens, quod non. *Sed connumera – inquit – Christum inter filios tuos unum habes, sit ille secundus? Quam magna iustitia, ut habeat – inquit –, unde luxurietur filius tuus, et egeat Dominus tuus*. Haec ille. Numquid, o homo, dares de hereditate filioirum tuorum regi egenti, quem scires, quod tibi centuplo in castris ac civitatibus postea retribueret? Augustinus: *Da tectum, et accipe caelum, da nummum, et accipe regnum, miser homo, qui veneraris homini, fenerare Deo, et centuplum accipies ac vitam aeternam possidebis*. Item adhuc dicit avarus: „Et ego vivere debeo, quid mihi servo, si pauperibus dederam?” Ad hoc Petrus Ravennas: *Da – inquit – pauperi, ut des tibi, quia quidquid pauperi dederis, tu habebis, et quod a te non accipit pauper, habebit alter*. Haec ille. Sed adhuc dicit: „Nonne melius est nunc pro me tenere, et postea post mortem dare?” Respondetur secundum doctores, quod in infinitum melius est dare in vita propter praemium essentiale, quam post mortem. Et quia

melius est multo carcerem ante redimere, ne in illum claudaris, quam postea exinde liberari. Quartum est illustrissimi martyrii et passionis, quia inter omnes sanctos martyres illustrissimus est per totum orbem famosus et tanto miraculo clarus, quod scilicet in acerbissima passione et morte fuit plenus consolatione. (G) Quintum ergo est affectuosissimi dulcoris. Sed quaeritur: Unde oritur in homine talis dulcedo, ut in omni tribulatione et etiam in mortis tempore consolationem habeat in animo? Respondetur secundum doctores, quod sicut in beato Laurentio, sic et in aliis causatur hoc praecipue ex tribus. Primo ex amoris Christi dulcedine. Unde Hugo li. solil. dicit: *Tua dulcedo, o bone Iesu, lapides torrentis Stephano dulcoravit, Laurentio craticulam dulcem fecit, et tua dulcedine ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati.* Secundo ex serenitate conscientiae. Bernardus: *Nulla maior laetitia et verior, quam ex bona conscientia.* Tertio ex securitate gratiae et tandem gloriae, hanc Laurentius habuit, ideo dixit: „Gratias tibi ago, Domine, quia ianuas tuas ingredi merui.” Sextum privilegium reverendissimi cultus et venerationis. Nam per totum orbem ab Ecclesia venerabiliter colitur Laurentius inter omnes martyres quadrupliciter. Primo ieiunio vigiliae, quod solus inter martyres habet. Et secundum Innocentium rubrica de obser. iei. est sub praecepto ieiunium hoc ex universali consuetudine Ecclesiae. (H) Sed circa hoc ponatur casus talis: quidam vovit, quod omni sexta feria in pane et aqua tantum ieiunabit, idem vovit etiam, quod vigiliam sancti Laurentii ieiunabit sic, quod nil assum comedet, sed tantum fructus, ut multi solent. Cum ergo vigilia sancti Laurentii ceciderit, feria sexta quid comedet, quia panem comedere non potest propter votum secundum, cum sit quid assum, nec etiam fructus comedere potest propter votum primum, quo vovit nil praeter panem comedere. Respondetur secundum fratrem Angelum de Clavasio ac Thomam in IV. dist. XXXVIII., quod cum quis fecit duo vota diversa, sicut est in proposito, si utrumque potest, servare tenetur, si non potest, ex quo haec vota sunt aequalia, impleat, quod prius promisit. Et tutius est, quod de secundo voto satisficiat elemosynis et orationibus secundum arbitrium praelati. Quaeritur: Quare ieiunium consuevit Ecclesia facere beato Laurentio, cum nulli martyrum alteri faciat? Respondetur, quod ideo, quia hoc ipse specialius meruit, qui specialiter etiam nobis in exemplum datur in hoc, quod ieiunavit, pauperes pavit et oravit in vita existens, quae multum competunt bonis Christianis. Augustinus in sermone: *Dicant Christiani: ieiunemus et oremus et donemus, cras enim moriemur, aut si duas res tantum dicere volunt, eligant magis: oremus et donemus, quam ieiunemus et non donemus.* Haec ille. Secundo beatum Laurentium colit Ecclesia octavis, et hoc ipse solus cum Stephano habet ad significandum, quod *illi merentur maiori gloria in octava resurrectionis resurgere, qui tribulationem sustinuerunt in corpore* secundum Augustinum De civitate Dei. Tertio versiculorum circa antiphonas applicatione, quod solus cum Paulo habet propter excellentiam passionis et privilegiatum praedicationis officium. Quarto missae celebratione, quia in omni missa per mundum nominatur in canone. Et insuper triplex officium missae habet specialiter, scilicet in vigilia, in die, in octava. Et hoc quia fuit virgo. Item quia praedicator, et quia martyr. O ergo sancte Laurenti, gaude in Christo Iesu et cum Christo, quem dilexisti, et nobis ipsum placa. (I) Circa tertium principale de valore potestatis beati Laurentii causa brevitas sufficiat pro conclusione, quod beati Laurentii merita valent homines salvare etiam in extrema hora, nedum temporalis, sed et salute aeterna. Et hoc claret in legenda, ut de aliis pertranseamus, in Henrici imperatoris vita. Legitur enim, quod sanctus Henricus imperator ac uxor illius, Cunigundis virgines insimul permanebant. Diabolo autem instigante suspectam habuit de quodam milite uxorem, et eam super candentes vomeres nudis pedibus incedere fecit, qua ascendente dixit: „Sicut me ab Henrico et ab omnibus intactam novisti, Christe, ita adiuva me.” Cui vox dixit: „Virgo Maria te virginem liberavit.” Et sic illaesa candentia ferra percucurrit. Sed tunc caesar verecundia ductus illam in maxillam percussit. Cum autem caesar obiisset, ecce multi daemones praeteribant ante cellam cuiusdam eremita sancti, qui unum eorum interrogavit, quid intenderent. Et respondit: „Legio daemonum sumus, et ad mortem caesaris properamus.” Illeque adiuravit eum, ut redire tandem ad se deberet. Qui rediens dixit: „Nihil profecimus, quia dum falsa uxoris suspicio et alia illius mala posita fuissent in statera, et ex opposito eius bona facta minus ponderarent, tunc assatus Laurentius ollam auream immensae ponderis attulit, et sic praeponderavit, tunc ego iratus unam aurem ollae illius praeurupi.” Ollam calicem vocabat, quem dictus caesar ad honorem sancti Laurentii fieri fecerat ecclesiae Aichstetensi, quem speciali devotione colebat, cui propter magnitudinem duae aures inerant, tunc repertum est et imperatorem protunc obiisse et unam aurem calicis fractam fuisse. Accedamus ergo, carissimi, et oremus, ut meritis beati Laurentii det nobis Christus gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Sir 51,1 2 Sir 12,3 3 II Cor 2,15 4 Ps 112,6-7 5 Ct 8,6-7 6 Mt 16,25 7 Ps 111,9 8 Mt 25,40

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo L.] De sancta Clara virgine sermo cum legenda *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis enim est memoria illius.* Sap. IV. 1 (A) In quibus verbis miratur Sapiens de puchritudine castitatis, quoniam est cum claritate, scilicet sapientiae verae coniuncta. Haec autem verba optime conveniunt beatae virgini Clarae. Primo quidem ratione nominis, quia ipsa nominata est Clara. Clarum autem dicitur a *caelo, eo quod splendeat*, ut ait Catholicon. Sic haec beata virgo fuit clara, id est splendens caelesti conversatione et vitae sanctitate, ut dicere possit illud Phili. III.: *Nostra conversatio est in caelis.* 2 Secundo conveniunt sibi haec verba ratione virtutis, quia ipsa fuit virgo mente et corpore castissima, cum claritate sapientiae verae in cognitione Christi et dilectione plene illuminata, multas etiam virgines, tamquam filias in Christo ad sui scilicet imitationem in munditia et sanctitate verbo et exemplo genuit. Tertio denique ipsa fuit immortalis pulchritudine animae decorata, quam esse habet in Dei gratia in praesenti et gloria in futuro. Unde Franciscus de Mayronis docet, quod *summa et omnis pulchritudo animae est a Dei gratia, quae tandem perficietur in gloria.* Hanc autem habet beata Clara. Unde de ea potest dici illud Apoc. XXI.: *Claritas Dei illuminabit eam, et lucerna eius est Agnus,* 3 id est Christus pro nobis in cruce immolatus, quem toto corde



est imitata. Et hoc potest esse aliud thema pro sermone. Merito ergo de sancta Clara accipiuntur praedicta verba: *O quam pulchra est casta generatio*, id est virginum multitudo *cum claritate*. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus, secundum quod de tribus commendatur: · Primum de miro decore castitatis ibi: *O quam pulchra est casta generatio* · Secundum de merito praeclarae sanctitatis ibi: *Cum claritate* · Tertium de praemio aeternae felicitatis ibi: *immortalis est enim* et cetera (B) Circa primum de mirabili decore castitatis, scilicet virginalis quaeritur, cur in Sacra Scriptura mirabilis reputatur pulchritudo castitatis. Ratio quaestionis, quia communis est castitas pueris rationis usum non habentibus et paganis, immo et brutis, ut patet de elephante, de turture et de multis, quae sine commixtione generantur, ut sunt apes secundum Ambrosium in Hexaemeron. Phoenix quoque et carbas avis de arbore hiberna nascens secundum Albertum Magnum XXIII. De animalibus. Anguilla, quae mare non habet secundum Philosophum, et sic de aliis. Cur ergo castitas mirabilis et pro tam magno reputetur? Ad quod respondetur per conclusionem, quod sancta castitas, praecipue virginalis est virtus in hominibus mirabilis. Declaratur triplici ratione. Nam videmus, quod homines solent admirari praecipue tria, scilicet: quod rarum, quod magnum et quod pulchrum est. Et his modis virginitas est mirabilis. · Primo ratione raritatis · Secundo ratione magnitudinis · Tertio ratione pulchritudinis Primo ratione raritatis, quia valde rara est in hominibus virtus virginalis castitatis secundum gradum debitum. Pro quo notandum, quod triplex est gradus virginitatis secundum doctores. Primus et infimus est solius carnis integritas, scilicet ab omni experimento venereae delectationis. Et haec se sola non est virtus meritoria, quia est naturalis dispositio corporis, quae invenitur etiam in pueris usu rationis carentibus et brutis, ut dictum est supra, immo est donum naturae, cum quo omnes nascuntur. Secundus gradus est integritas carnis, cum proposito servandi eam ad tempus, et postea nubendi in sancto matrimonio. Et tales licet sint virgines corpore, non tamen mente perpetuae intentionis. Et ideo si interim, antequam nubant, decedant, aureolam virginitatis non habebunt, quia illa debetur proprie virginibus. Verumtamen tales habebunt quoddam gaudium accidentale de incorruptione carnis, sicut de quodam vestitu immaculato, sed non aureolam secundum Petrum Aureoli. Tertius gradus est integritas carnis cum proposito scilicet perpetuae servandi incorruptionem carnis et mentis, quam prius numquam voluntarie amisit. Et haec dicitur proprie virginitas, cui debetur aureola in caelo. Unde Augustinus De bono virginali diffiniens dicit: *Virginitas est in carne corruptibili perpetuae incorruptionis meditatio*, id est propositum firmum. Sed quoniam talis virginitas est valde rara in hominibus, propter concupiscentiam carnalem, unde Gregorius dist. L. „Quia sanctitas tua” dicit, quod pauci inveniuntur sine carnali dilecto vel luxuria, ideo castitas est mirabilis propter raritatem. (C) Secunda ratio magnitudinis, quia virginitas est donum magnum, et ideo virtus mirabilis. Unde dicit Cassianus libro Collationum: *Maior virtus est castitatem tenere, quam daemones expellere*. Nonne magnum foret, si ex homine fieret angelus, et sic virgines sunt homines et angeli terrestres. Hinc Augustinus: *Quae maior gloria super terram, quam in carne corruptibili ducere vitam angelicam, et nunc in valle miseriae in carne sua tenere, quod alii non possunt, nisi post hanc vitam habere?* De quo Matthaues XXII.: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed sicut angeli Dei in caelo.* 4 Ad idem Hieronymus sermone de assumptione: *Profecto in carne praeter carnem vivere non terrena vita est, sed caelestis. Unde in carne angelicam gloriam acquirere maioris est meriti, quam habere. Esse enim angelum felicitatis est, esse vero virginem virtutis, dum hoc homo obtinere nititur viribus cum gratia, quod habet angelus ex natura. Utrumque tamen: et esse virginem et angelum divini muneris est officium, non humanum.* Haec Hieronymus. Et sic propter magnitudinem mirabilis est. Tertia ratio pulchritudinis. Mirantur namque homines rem pulcherrimam, sed virginitas et castitas reddit animam pulcherrimam in Christi gratia, et ipsi Deo ac angelis acceptissimam. Unde Ambrosius De virginibus dicit: *Pulchritudinem maiorem quis potest extimare virginitatis decore, quae amatur a rege, scilicet Christo, probatur a iudice?* Hinc etiam Augustinus dicit: *O fulgida virginitas, gemma virtutum, germana angelorum, lux animarum, lampas ecclesiarum!* Sicut enim lampas illuminat habitaculum, et facit iucunda claritate luminosum, sic virginitas et castitas pro suo modo animam reddit claram, et iucundum facit Deo habitaculum. Ps.: *Tu autem in sancto*, id est mundo *habitas, laus Israel*, etc. 5 Sed quid dicemus de carnalibus et luxuriosis hominibus, utique tales sunt deformes in anima, ut brutales, tenebrosi, ut daemones, foetidi et horrendi, tamquam stercore et luto foedati, in quibus non habitat Deus? Sap. I.: *In malivolam animam non introibit spiritus sapientiae, nec habitat in corpore subdito peccatis*, 6 sed ibi habitat diabolus delectabiliter, tamquam serpens in sua foetida caverna. Unde super illud Iob XI.: „Fortitudo eius in lumbis eius stringit caudam suam” 7 Lyra dicit, quod per ista significatur, quod *diabolus in peccato luxuriae maxime delectatur, et eos, quos in luxuria irretit, ita fortiter tenet, quod non possunt faciliter evadere*. Haec ille. Augustinus De conflictu vitiorum dicit: *O quam parva luxuriae hora, per quam perditur vita aeterna, quia scilicet fugatur Christus ab anima, et incurritur poena sempiterna*. Ad propositum beata Clara bene pensavit in animo castitatis mirabilem decorem coram Deo, et ideo eam praelegit. (D) Circa secundum de praeclaris meritis beatae Clarae sit pro documento conclusionis, quod beatae Clarae merita praeclara comprobantur ex sublimi eius sanctitatis gratia. Et ostenditur ex novem praerogativis gratiarum, quibus fulget. Prima gratia oraculi divini et revelationis. Nam cum esset de genere nobili, et progenie tota militari, et civitate Assisii: mater eius, nomine Ortulana magnae devotionis et pietatis mulier partui iam vicina ante crucifixi imaginem orabat devote, ut eam de partus periculo salubriter expediret. Et ecce vocem audivit, dicentem sibi: „Ne paveas, mulier, quia quoddam lumen salva parturires, quod ipsum mundum clarius illustrabit.” Natam ergo infantulam in baptismo Claram vocavit. Secunda gratia probatae conversationis scilicet in domo paterna. Nam tempestive coepit in tenera aetate clarere morum probitate. Extendebat enim manum ad pauperes, et proprio corpori delicata subtrahebat pro Christo cibaria, et pupillis mittebat, sanctae orationis studium habebat amicum, sub vestibus pretiosis et mollibus cilicium gerebat absconditum, et sic caelibem vitam actitabat. (E) Sed quare debeat homo et maxime puella carnem aspere tractare ab adolescentia, ratio patet per illud Proverb. XXIX. c.: *Qui delicate a pueritia sua nutrit servum*, id est carnem, *postea sentiet eum contumacem*, 8 id est rebellantem spiritui. Bernardus: *Periclitatur castitas in deliciis. Quae enim in deliciis est vivens, mortua est*, scilicet spiritualiter, I. Timotheus V. 9 Ideo Gal. V. omnibus consulit Apostolus dicens: *Mortificate membra – inquit – vestra, quae sunt super terram.* 10 Dicit: super terram,

non sub terra, vel in terra, nam sub terra sunt membra hominis in morte, et ideo tunc non mortificantur, sed manent mortua. Item in terra est homo in senectute sua. Unde senex homo solet dicere: „Ego iam sum in terra”, eo quod a senectute modicum distat mori et sepeliri in terram, ut autem dicit Philosophus II. Physicorum, quod „modicum distat” nihil distare videtur. Non dicit ergo Apostolus „in terra”, quia in senectute non tam utile est membra mortificare, sed dicit „super terram”, id est in iuvenili aetate, quando homo credit se plurimum distare a terrae sepultura propter vivacitatem iuvenilem. Tunc ergo mortificare membra est multum salubre et meritorium, ac ad castitatem servandam opportunum et utile. Unde Threni III.: *Bonum est viro, cum portaverit iugum Domini ab adolescentia sua.* 11 Ad hoc exemplum videmus, quod prudens homo habens vinum, vel bladum, quod diu durare non potest, expendit, dum valet, ne postea totaliter corruptum nil valeat. Sic corpus nostrum exponi debet in Dei servitio, et poenitentiae operibus, antequam corrumpatur in senectute vel morte, et tunc nil valeat. Tertia gratia votivae virginitalis, quia cum sui consanguinei vellent Claram nobiliter maritare, nullatenus adquevit, sed virginitalatem voto sacrificavit Christo. (F) Quaeritur, qualiter debeat quis castitatem suam Christo sacrificare, ut illi placeat, et mereatur coronam. Ad hoc nota tres regulas secundum doctores. Prima regula dicitur verae dilectionis, scilicet Dei, qua debet homo cavere omne peccatum mortale et bonis operibus occupari. Nam Gregorius dicit: *Nec castitas est magna sine bono opere.* Item Bernardus in epistola dicit: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo. Tolle oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas Deo non placet.* Secunda regula dicitur propositum perpetuae observationis, quod est formale in virginitalate. Nam corrupta virginitalate carnis ex proposito corona virginitalis numquam recuperatur. Hieronymus XXII. q. V. „Si Paulus”: *Cum omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam, quia hoc implicat contradictionem.* Secus autem est, si sine voluntate, invita corrumpitur, quia si postea in perpetuo manet proposito, coronam meretur. Similiter, si sola voluntate perdidit, sed non carne, potest talis recuperare per poenitentiam secundum Thomam. Tertia regula est sanctae intentionis, scilicet quod sit propter Deum et divinorum vacationem. I. Cor. VII.: *Virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta mente et corpore.* 12 Unde si quis facit hoc propter libertatem, ne subsit marito, aut verecundiam, aut sanitatem, vel ob quaecumque temporalia, non est virtus virginitalis. Item quaeritur, utrum prodest parentibus, quod filii servent virginitalatem. Respondet Hieronymus XXXIII. q. V. c. [„Tunc salvabitur”]: *Tunc salvabitur (id est salvari merebitur) mulier, si illos genuerit filios, qui virgines permansuri sunt, si quod ipsa perdidit, adquirat in liberis, et damnum radicis et carnis (glossa: id est corruptionem suae carnis) flore compenset et pomis.* Haec ibi, et sic patet. Quarta gratia saeculi contemptus et ingressus religionis. Nam audita fama beati Francisci, et ad eius salubria hortamenta Christi amore accensa saeculum contempsit, et omnia ut stercus arbitrata religionis habitum suscepit relicta domo et consanguineis. Quam beatus Franciscus coram altari Beatae Virginis Mariae de Portiuncula tonsam et habitu indutam sanctae religionis, scilicet ordinis sanctae Clarae tandem ad ecclesiam sancti Damiani moraturam misit. Haec est illa ecclesia, ubi beatus Franciscus orans audierat vocem Crucifixi, dicens: „Francisce, vade, repara domum meam!” Cumque eius consanguinei temptarent eam ab ordine revocare et extrahere, nullatenus adquevit, nec a servitio Christi avelli potuit. Quinta gratia: aedificationis. Nam ad eius sanctitatis exemplum multae virgines et viduae nobiles, illustres ducum ac regum filiae, spreto saeculo per totum mundum in variis coenobiis Christo servire coeperunt in sancta castitate, paupertate et omni sanctimonia religionis. Sexta gratia: orationis et magnae devotionis, adeo, quod continue orans, et Christi passionem cogitans videbatur sibi semper suum Iesum tenere manibus, in cuius pedes osculantis lacrimae fluebant terram infundentes. Nocte autem quadam lacrimanti astitit in forma pueri nigri diabolus dicens: „Ne tantum plores, quoniam caeca fies!” Cui illa: „Caecus non erit, qui Deum videbit.” Ab oratione autem cum iucunditate redibat facie solito clarior, et verbis calidi pectoris sorores dulci ardore succendebantur. Mos erat ad matutinum omnes praevenire, et alias excitare pulsando campanas, et lampades accendere. (G) Unde virtute orationis multa fiebant per eam miracula, e quibus aliqua narremus. Unum est de daemone incensione. Nam mulier quaedam quinque daemones habens per eius orationem est liberata. Fatebantur autem in sui expulsionem daemones, quod orationes sanctae Clarae eos incenderent, et exire de vasculo possessio deturbarent. Aliud est, quod Gregorius papa, eius sanctitatis famam audiens, ipsi per epistolam supplex factus saepe, quotiens emergebat aliqua difficultas, poscebat suffragium, et sentiebat auxilium. Tertium est, quod civitatem Assisii sua liberavit oratione. Cum enim exercitus imperialis obsideret civitatem, Vitali capitaneo iurante verbis minacibus, quod non discederet, donec civitatem obtineret. Cumque terra vicina vastata et arboribus nudata iam periculum civitati immineret in proximo, sancta Clara cum sororibus, cinere aspersae et cilicio exorarunt Deum, et totus dissolutus est exercitus. Quartum est, quod sub Friderico imperatore depopulantes Saraceni ecclesiam, velut examen apum, Assisium invaserunt, et ipsum claustrum virginum, scilicet sancti Damiani influxerunt. Tunc Clara, cum esset infirma, ad ostium se poni iubet, et Eucharistam in casa argentea ante se locari, oransque cum lacrimis ait: „Custodi, Domine, precor, has famulas tuas, quas tuis amoribus innutrivim!” Ecce mox de Sacramento vox insonuit: „Ego vos semper custodiam.” At Clara: „Mi Domine, si placet, et hanc protege civitatem, quae nos pro tuo amore sustentat!” Et Dominus ad eam: „Gravamina sustinebit, sed meo munere defendetur.” Nec mora statim gens illa pessima per muros, quos ascenderant, celeriter deturbati sunt, et exierunt, et sic liberati sunt. Septima gratia rigidae observationis. Nam hoc stupendum est, quod calciamentorum penitus usum ignorabat, simplicique tunica et vili mantello de rudi panno tecta. Omni tempore ieiunia continuabat, lecto sine pluma utebatur, cilicium de corio porci versa saetarum tonsura ad carnem secreto sub tunica ferebat. Nuda humus erat pro lecto, et durum lignum pro cervicali. Quadagesimam maiorem et etiam aliam, scilicet sancti Martini iucunde in pane et aqua tantum ieiuniabat, et tribus diebus in hebdomada, scilicet secunda, quarta et sexta feriis nil in illis quadagesimis sumebat in cibum. In quibus claret, quod virtus divina ipsam sustentabat, ut vivere posset tam paucis. Unde beatus Franciscus tandem prohibuit illud trium dierum exitiale, scilicet ieiunium mandans, ut nullum diem pertranseat sine pastu panis. (H) Octava gratia virtuosae perfectionis. Fuit etiam in fundamento sanctae humilitatis tam firmata, ut servire libentius vellet, quam serviri. Unde officium abbatissae declinavit, sed coacta tandem per beatum Franciscum suscipiens, tanto erat obsequio promptior, cultu despectior, quo praelationis specie videbatur altior. Nam plerumque sororum manibus aquam ipsa infundebat, et ad mensam

sedentibus assistebat, et ipsa ministrabat. Infirmarum sedilia et sordida quaeque lavabat, pedes famularum de foris revertentium ipsa abluebat et osculabatur. Item paupertatem adeo amavit, ut nil praeter Christum vellet, neque filias suas possidere quidquam permetteret, quas saepius hortabatur pauperi Christo et eius matri pauperulae conformari. Unde et religionem suam titulo paupertatis voluit intitulari. Cum autem papa Gregorius suaderet, ut propter eventus temporum et pericula saeculorum aliquas possessiones assentiret habere, quas et ipse papa offerebat, nullatenus adquevit. Ad quam papa: „Si votum – ait – formidas, nos te a voto absolvimus.” Respondit: „Pater sancte, a peccatis absolvi volo, non a Christi sequela.” Item pietas ab infantia secum crevit. Nam hereditatem paternam, quae ad eam pervenit, distrahi fecit, et nil sibi de pretio reservans totum pauperibus erogavit. Item erat et patientissima in infirmitatibus, quibus iacuit annis multis, adeo, quod prae vultus hilaritate non sentire vel deridere videretur angustias corporales, seque erigi faciens in grabato filabat, et faciebat delicatissimas telas pro corporalibus, quae variis ecclesiis mittebat. Denique corpus Domini susceputura calidis primo lacrimis irrigabat, et accedens cum tremore non minus formidabat in Sacramento latentem, quam caelum terramque regentem. Exemplum tibi in his. Nona gratia miraculosae coruscationis, ut aliqua referamus brevius. Unicus erat panis in claustro, et hora comedendi instante iussit illius dimidium fratribus mitti, aliud autem dimidium iuxta numerum quinquaginta dominarum dividi. Cumque dispensatrix diceret, quod tam modicum panis tot sectiones non reciperet, respondit: „Fac, filia, secure, quod dico!” Ecce autem illa incidente crevit divino miraculo inter manus frangentis parva illa materia, cuilibet de conventu sua portio copiosa. Item cum defecisset oleum, ipsa magistra lavat, et parat vasculum, quod mox oleo plenum e caelo datur. (I) Circa tertium principale de praemio aeterno sit pro conclusione, quod benignissimus Dominus Iesus et pia eius mater, Maria revelatione mira ostendit in Clara amasse castitatis collegia. Et sufficiat ostendere ex legenda. Primo ex hoc, quod Clara, cum esset infirma in die nativitate Domini, aliis ad matutinum euntibus suspirantem de hoc, quod ipsa non posset interesse divinis, mox visitavit Christus. Secundo claret ex hoc, quod cum iam quadraginta annis Christo servierat, beata Clara adeo infirmitate crescente, ut appropinquaret ad exitum, nulloque per decemseptem dies alimento suscepto fuit, a Christo tanta fortitudine vigorata, ut omnes ad se venientes in Christi servitio, scilicet casto confortaret. Ecce autem, quasi nocte media in vestibus albis turba virginum caelestium ingreditur,serta aurea in suis capitibus deferentes, inter quas una prae omnibus elegantior erat, et tanti splendoris, ut noctem in lucem diei converteret. Haec erat Mater Domini, Virgo Maria, quae procedens ad lectum Clarae amantissimeque super eam se inclinans, amplexum dulcissimum praestitit. Et ecce profertur a virginibus mirae pulchritudinis pallium, et Clarae corpus tegitur, et thalamus adornatur. Sicque anima illa sanctissima ad Christi Iesu caelestia feliciter migravit palatia, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio. Tertio denique ex hoc, quod amarus Iesus statim a die transitus beatae Clarae coepit admirandis et multis virtutum operibus eam illustrare, caecis visum, claudis gressum, mortuis vitam dans, ac innumera miracula per illius merita faciens, quae longum foret enarrare. Rogemus ergo ipsum Dominum Iesum, ut beatae Clarae meritis det nobis gratiam in praesenti, et gloriam in futuro. Amen. De assumptione gloriosae Virginis Mariae sermones plures habes in Stellario.

---

1 Sap 4,1 2 Phil 3,20 3 Apc 21,23 4 Mt 22,30 5 Ps 21,4 6 Sap 1,4 7 Iob 40,11-12 8 Prv 29,21 9 I Tim 5,6  
10 Col 3,5 11 Lam 3,27 12 I Cor 6,34

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LI.] Item de sancto Ludovico ordinis minorum Sermo cum legenda *Rex mutavit habitum suum, et ingressus est proelium.* III. Reg. XXII. 1 (A) Quamvis haec verba sint scripta de rege Israel, nomine Achab ad litteram, sed quoniam legimus beatum Ludovicum fuisse regis Siciliae filium, cui iure primogeniturae debebatur regnum, ipse autem amore Christi mundum contemnens et regum commutavit habitum, ingrediens ordinem minorum, ut ibi proliaretur contra mundum, carnem et diabolum, ideo de ipso beato Ludovico possunt accipi haec verba pro sermone, ex quibus accipere possumus pro nobis hoc documentum, quod si volumus hostes spirituales vincere, oportet exemplo Christi et sanctorum eius humiliari. Unde Augustinus li. Confessionum dicit, quod *numquam facilius ab inimico devincimur, quam cum superbimus, nec vehementius eum, scilicet diabolum prosternimus, quam cum in humilitate Dominum Iesum sequimur, nec acerbiore dolores eidem infligimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo et poenitendo sanamus.* Haec Augustinus. Haec itaque cogitans bene ipse sanctus Ludovicus studuit mutare habitum regum et mundialem, ut ingrederetur proelium spirituale in habitu fratrum minorum, ut patuit. In quibus verbis hic sanctus de tribus commendatur, et in exemplum nobis proponitur: · Primo de Christiformi humiliatione, quia in Christo Iesu mutavit habitum · Secundo de perfecta Christi dilectione, qua ingressus est tale proelium, scilicet in ordine minorum · Tertio de supernali exaltatione, quae est humilitatis praemium (B) Circa primum de imitanda Christi humilitate exemplo beati Ludovici sit pro conclusione sententia Bernardi dicentis: *Nemo potest pervenire ad gloriam Christi caelestem, nisi imitatus fuerit Christi humilitatem.* Et hoc claret primo per auctoritatem Matth. XI., ubi Christus ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* 2 Unde Augustinus XIV. De civitate Dei dicit: *In hoc saeculo peregrinanti maxime commendatur humilitas, quando in rege omnium, qui est Christus, maxime praedicatur, contrariumque vitium, videlicet superbia in eius adversario, diabolo maxime dominatur.* Secundo patet per rationem, quia nullus potest salvari vel ad caelestem gloriam pervenire, nisi per gratiam Christi. Unde Augustinus dicit, quod *gratia est excellentissimum donum Dei, quod solum dividit inter filios regni et filios perditionis.* Sed ut scribitur Iac. IV.: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* 3 ergo etc. Hinc Augustinus de verbo Domini sermone LIV. dicit: *Evidentissimum reproborum signum est superbia, econtra humilitas electorum.* Tertio patet per exempla. Nam videmus, quod terrenus dominus non vult habere servum rebellem, et qui se extollat supra dominum, vel



aequari velit suo domino, quia hoc est usurpare sibi dominium sui domini, sicut fecit Lucifer dicens: „*Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo.*” Isa. XIV. 4 Sic in proposito. Item legitur in Gestis Romanorum, quod haec lex Romae fuit condita, quod quicumque non per portam civitatis, sed per murum scandendo vellet urbem intrare, decapitaretur. Sic spiritualiter porta caelestis civitatis Christi humilitas est. Ioh. X.: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. Si quis autem aliunde intrare voluerit, morietur aeterna morte.* 5 Haec bene pensavit beatus iste Ludovicus. Et ideo licet esset filius regis, tamen praelegit Christi humilitatem imitari, qui cum esset rex omnium et dominus dominantium, voluit habitum nostrae carnis suscipere, et usque ad crucis mortem se humiliare. Maxime ergo commendatur in beato Ludovico humilitas, quia ut Gregorius in *Moralium* li. XXVI. dicit: *Mira virtus est, cum in cordibus sublimium regnat humilitas morum, unde potentes hac virtute quanto magis Deo placant, quia illud ei sacrificium potentes offerunt, quod potentes invenire vix possunt.* Haec Gregorius. (C) Sed quaeritur: Qualiter debet homo addiscere humilitatem Christi ad conformandum? Nam ipse hortatur: *Discite – inquit – a me, quia humilis sum corde.* 6 Ad quod respondetur, quod in Christo Domino septem humilitates debemus considerare et addiscere ad imitandum. Prima fuit in incarnatione, quia cum esset in forma Dei, *exinanivit se formam servi accipiens*, Phil. II. 7 In quo docuit nos, ut de nobilitate generis et naturalium bonorum non superbiamus, sed tanto magis nos humiliemus, quia talis humilitas magis est meritoria et Christo placita. Unde Bernardus super „*Missus est*”: *Non magnum est esse humilem in abiectioe, sed magna prorsus et rara virtus est humilitas honorata.* Augustinus: *Erubescat superbire humana infirmitas, cum se depressit divina maiestas.* Secunda fuit in nativitate, quia pauperrime voluit nasci, ut doceret nos non superbire de divitiis et mundi prosperitate, sed potius humiliari, quia rationem sumus de illis reddituri. Eccli. III.: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur* etc. 8 Tertia Christi humilitas fuit in circumcisione, quando voluit ut peccator reputari, quo docuit, ut nos peccatores multo fortius nos humiliemus in poenitentia, Ps.: *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.* 9 Quarta fuit in baptisate. Tunc enim voluit minor reputari Iohanne, quia ab illo voluit baptizari, quo docuit, quod homo se aliis indigniorem reputet. Chrysostomus: *Qui vere humilis est, semper indigniorem se aliis reputat.* (D) Quaeritur, quomodo possit quilibet homo aliis, etiam manifestis peccatoribus se indigniorem reputare. Respondetur secundum Thomam et alios doctores, quod primo cum videris in alio aliquid bonum, quod scis te non habere, tunc debes et iustum est te inferiorem in hoc reputare, alioquin superbires. Secundo cum cognoscis aliquem defectum in te, quem in alio non cognoscis esse, tunc iterum debes te humiliter subicere. Tertio si manifeste scias te praefulgere alteri, tunc debes cogitare, quod aliquod bonum potest latere in illo, quod tu non percipis, vel quod si ipse haberet istam gratiam vel hoc bonum, quod tu habes, gratior esset vel melius serviret Deo, quam tu, vel saltem cogita, quia forsitan ille, qui modo est vilior te et peccator, ipse est praedestinatus et convertetur ac salvabitur, tu vero potes damnabiliter cadere, et sic potes te quibuscumque viliori reputare. Quinta humilitas Christi in servitute et ministracione, quando scilicet subditus fuit parentibus, et discipulorum pedes lavit, quibus docuit sic humilitatem sectari debere, ut superiores revereamur, et inferiores non contemnamus. Matth. XVIII.: *Videte – ait –, ne contemnatis unum ex pusillis his, qui in me credunt.* 10 Sexta humilitas fuit in asini sessione et oblatis honoris recusacione, quia in illa laude, quam sibi exhibebant, flevit, cum eum regem proclamabant. Similiter cum regem eum facere volebant, fugit, Ioh. VI. Quibus docuit honores mundi contemnere, nec eis oblatis inflari, sed timere, quia scribitur I. q. I.: *Vilissimus computandus est, nisi praecellat scientia et sanctitate, qui est praestantior honore.* Septima humilitas Christi fuit in crucis passione, quo docuit patienter ferre contemptum et omnia adversa. Eccli. II.: *In dolore sustine, et in humilitate patientiam habe.* 11 Augustinus: *Plures sunt, qui volunt humiles videri, pauci vero contemni.* Gregorius: *Qui gloriam non quaerit, nec contumeliam sentit.* Ad propositum beatus Ludovicus his omnibus modis Christo studuit conformari, ut patet ex eius legenda, ergo Christiformem humilitatem tenuit. O tu Christiane, stude humiliari exemplo Christi et sanctorum, ut glorificeris. (E) Circa secundum principale de amore Christi perfecto in beato Ludovico accipiamus pro conclusionem, quod beatus Ludovicus fuisse amore Christi plenus et perfectissimus comprobatur ex pluribus eius virtutibus, quibus lucide claruit. Prima virtus est contemptus omnium, et sic Christi charitas, nam Bernardus in epistola de charitate dicit: *Solus est Christi amor, qui arridentis fortunae formam semper spernit sapore dulcoris delectatus.* Item Ambrosius XII. q. I.: *Cui Deus – inquit – portio est, nil debet curare, nisi Deum, ut suis se abneget, qui servire Deo elegerit.* Beatus Ludovicus Christum adeo amavit, quod cum esset ex regali prosapia patre Carolo rege Siciliae, matre vero Siciliae regina, nomine Maria, filia regis Hungariae, alta sui generis pro Christo contempsit. Hic sanctus erat corpore pulcherrimo adeo, ut dicerent viri et mulieres faciem pulchriorem numquam vidisse. Unde quando exibat de domo, ibant homines utriusque sexus de vico in vicum ad videndum eum. Et cum iure primogeniturae sibi deberet regnum succedere, omnia contempsit amore Christi stimulatus. Secunda virtus virginalis puritas, qua perfecte Christum et eius matrem est imitatus. Gregorius super Ezechielem: *Gustato spiritu desipit omnis caro.* Nimirum hic sanctus cum esset in deliciis, purpura et bysso educatus, amor castitatis a pueritia adeo affectu mentem, ut mulierum consortia, immo et aspectus vitaverit, ac verba carnalia horruerit, fratres quoque suos acerrime reprehendebat, cum se dabant aspectibus puellarum vel mulierum, nec audebant propter eius reverentiam agere aliquid inhonestum. Testimonium de eius angelica puritate perhibuerunt fratres minores, qui ipsum nutrierunt et in camera sua iacebant, necnon alii viri nobiles, quod ex quo natus est, usque ad tempus mortis numquam ab eius ore exivit verbum lasciviosum aut importans aliquam inhonestatem, nec iocose, nec seriose. (F) Quaedam namque soror sua, regina Aragoniae quadam vice visitans petivit eum, ut faciem aspiceret. Respondit: „*Fatua est haec petitio.*” Et nullo modo adquevit. Alia etiam cognata eius, regina Franciae rogabat, ut more nobilium eam amplexaretur, et nullatenus adquevit. Item quaedam domina Tolosae cum haec et talia commendaticia de beato Ludovico audisset, dixit: „*Vere ego eum probabo.*” Et ivit ad eum in ecclesia existentem, ac diligentissime consideravit, reversaque ad domum dixit vicinis: „*Vere iste sanctus est, numquam vidi sic dominantem oculis, ut istum.*” Tertia virtus misericordiae pietas, dicit enim Salvator Mat. V.: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* 12 Hic autem sanctus habuit tam ex gratia, quam ex pietate

naturali, ut esset pius et misericors in pauperes, visitabat enim leprosus, et tangens eorum ulcera educebat saniem propria manu, lavabatque et in oscula ruebat devotissime. Quadam vice in die Cena Domini vocari fecit omnes leprosus in civitate ad suum hospitium Barchimoniae, ubi tenebatur obses, ut pro Christo, qui in cruce fuit tamquam leprosus, pedes eorum lavaret et cibaria ministraret eis. Cumque convenissent, affuit inter eos unus statura permaximus, horrenda lepra plenus, quem alii servitores omnes extimuerunt. Ipse vero vir sanctus hunc diligentius et devotius lavit, et eidem in mensa studiosius servivit. Altero die requisitus nusquam comparuit, et omnes leprosi interrogati de illo dixerunt numquam talem inter eos vidisse. Unde creditur ille fuisse aut Christus, aut angelus in tali effigie, ut probaretur Ludovici pietas simul et humilitas. Cum autem factus est episcopus Tolosanus, omnem redditum episcopatus pauperibus et monasteriis ac indigentibus distribuebat, quotidie pauperibus in domo sua scilicet aquam manibus infundebat, fercula opponebat, et poplite flexo eis serviebat, nullum quantumcumque despectum dedignabatur. (G) Quadam vice dum ipse beatus episcopus transiret cum familia per plateam, iuxta quandam domum vetustam et despectam perveniens audit ibidem mulierem quandam iacentem clamare: „Confessionem! Confessionem!” Mox episcopus descendit de equo, et licet plures tunc presbyteri essent cum eo, qui vellent eam audire, tamen ipsemet intravit dicens: „Ad me spectat hoc.” Et audivit eam in confessione, ac consolatoriis verbis monuit, et elemosynam eidem impendit, ubi et multi pediculi adhaeserunt episcopo, quos cum servi post egressum de domo vidissent et amoverent, ipse cum gaudio intuitus ait sic: „Pediculi gemmae sunt pauperum. Sinite ergo portare.” Quarta virtus peccati mortalis immunitas. Nam Augustinus XXI. De civitate Dei dicit, quod *paucissimi sunt tantae felicitatis, ut ab ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata commiserint*. Sed beatus Ludovicus talis felicitatis est, quia de eo viri fidedigni, qui cum noverant ab infantia, postquam mortuus est, tactis sacrosanctis testimonium perhibuerunt se numquam vidisse aut audisse tale in Ludovico, unde potuisset notari de peccato mortali aliquo. Quinta est religiositas. Nam cum talis ac tantus esset, vovit se intraturum religionem minorum, quod et implevit. O qualis haec gratia, o quantus mundi contemptus, o quam ardens Christi amor, pro quo regnum Siciliae et Ierusalem omniaque talis maiestatis insignia abdicaverit, ut Christum lucrifaceret, omnia contempsit. Cum autem pater et consanguinei ipsius venientes Romam coram papa Bonifacio sibi dissuaderent introitum ordinis, sed ut acceptaret episcopatum ecclesiae Tolosanae, respondit, quod nullatenus assentiret, nisi voto prius satisfaceret de intrando ordinem minorum. Sicque annuente papa fratres minores eum receperunt, et sic perfecte implevit illud dictum Christi Matth. XIX.: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et sequere me*. 13 Cumque iam esset frater minor, volebat usque ad mortem inter eos vivere ut minimus fratrum. Sed praecepto apostolico coactus (cui oboediendum est) invite suscepit iugum episcopatus. Sexta virtus est orationis devotae sedulitas. Nam cum adhuc esset parvulus et tenellus, postquam sui servitores dormitum recessissent, ipse surgebat de lecto, et in oratione ac lacrimis usque ad mediam noctem quotidie persistebat. Factus autem frater minor in terra saepius cubabat, et dormientibus sociis de nocte ipse pervigil in oratione manebat. Praecipuum autem devotionem habebat ad Christi passionem, et idcirco officium passionis manibus extensis ad modum crucis omni die perorabat. Factus autem sacerdos omni die missam praemissa confessione sacramentali celebrabat, et assiduus in oratione permanens provocabatur saepius ad lacrimas. Septima est bassa et profundissima humilitas, quam semper dilexit et tenuit. Nam semper humili veste indutus saepe disciplina ferrea per se vel per socios verberans carnem cogebat humiliter servire spiritui. Unde semel cum ipse iam episcopus venisset ad fratres, et cellam sibi fratres coaptassent et ornassent pannis exquisitis, indignatus omnia amoveri fecit, et in terra per totam noctem iacuit. Item cum quidam frater sibi dixisset: „o pater, multum honorem praestitistis nostro ordini, quod eum intrastis”, ipse super hoc dicto respondit indignatus: „Frater (ait), male dicis, immo ordo me multum honoravit dando mihi habitum suum.” Ecce humilitas. Item quando praedicabat, sicut et solitus erat multotiens tam clero, quam populo. Nam et Romae in consistorio praedicavit. Item Parisius, Tolosae et monte Pessulano et locis aliis, tamen numquam patiebatur ornare pulpitem, et si quando fuisset ornatum, amovebat, ne tunc suae dignitatis episcopalis cappam volebat habere super se, sed in solo habitu minorum fratrum praedicabat. Unde eius praedicatio fuit tam fructuosa, quod multi Iudaei ad fidem Christi per ipsius praedicationem sunt conversi, quos ipsemet per humilitate et devotione baptizabat. Haec sufficiant. O ergo homo, accipe tot virtutum exempla, et imitari stude. (H) Circa tertium de supernali exaltatione quaestionem proponamus. Utrum humilitas sit virtus praecellentissima, aut cur Deo tam cara, quod sit exaltatione dignissima. Ad quod secundum dictamina doctorum, praecipue Lyrae in Postilla super Mat. XVIII. et Francisci de Mayronis notemus praecipuas tres veritates. Prima est, quod humilitas, licet sit virtus magna et Deo cara, sunt tamen theologicae virtutes praecellentes, quam ipsa. Ratio, quia humilitas est virtus moralis, sed virtutes theologicae sunt praecellentes et Deo magis gratiae, quam sint omnes morales, quia per illas theologicas virtutes homo magis coniungitur Deo, scilicet per fidem, spem et charitatem, ergo etc. Unde Auctor de spiritu c. XXII. dicit: *Humilitas Deo subicit, puritas iungit, charitas unit*. Et sic patet, quod humilitas non est simpliciter maxima virtutum. Secunda veritas, quod inter virtutes etiam morales sunt aliquae virtutes humilitatem praecellentes. Nam prudentia, quae dirigere habet alias virtutes morales, et ponit in eis medium, maior est aliis virtutibus moralibus, et per consequens etiam humilitatem praecellit. Iustitia etiam, quae importat rectum ordinem ad alterum, est maior, quam humilitas, quae facit hominem bene subditum huic ordini. Tertia est, quod humilitas non simpliciter, sed secundum quod est excellentissima propter eius privilegia. Quorum primum est foundationis. Est enim aliarum virtutum fundamentum conservativum. Augustinus: *Cogitas de altitudine sanctitatis? Cogita de fundamento humilitatis*. Et Gregorius in Moralibus: *Humilitas est mater et origo omnium virtutum*. Nimirum secundum Lyram ex quo virtutes sunt connexae, quantum ergo crescit humilitas in homine, tanto et aliae virtutes proportionabiliter crescunt secundum illud, quod est formale in virtute, sicut digiti manus aequaliter crescunt, licet in se non sint aequales, et ideo humiles sunt maiores in merito et praemio exaltandi non propter humilitatem tantummodo, sed propter alias virtutes connexas. Secundum privilegium pulcherrimae nobilitatis, quia est virtus angelica. Nam communiter aliae virtutes morales non sunt in angelis, ut fortitudo, temperantia, sed humilitas est in eis, et propter suam pulchritudinem Deus libenter eam respicit. Haec secundum Franciscum de Mayronis, unde

Bernardus super Cantica dicit, quod decor animae humilitas est et munditia, hunc geminum decorem concupiscit rex Christus. Tertium privilegium dignitatis caelestis, quia omnium est prima, sicut superbia primum vitium in caelo, quo angeli ceciderunt. Et sicut angeli boni, sic Christus et mater eius per eam exaltari meruerunt in gloria, et omnes sancti, quia humilitati correspondet in caelo maioritas exaltationis, iuxta illud Lucae XVIII.: *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur.* 14 Hinc et Gregorius in *Moralibus: Tanto anima est coram Deo acceptabilior, quanto in oculis propriis fuerit despectabilior.* Haec privilegia Mayronis sermone de humilitate. Ad propositum: Ex quo beatus Ludovicus fuit multum humilis, meruit ergo multum exaltari apud Deum, quod manifestum est pluribus miraculis. E quibus aliqua narremus. (I) Cum enim esset adhuc in vita, coepit miraculis clarere. Ad tactum quippe solius fimbriae mulier XIV annis fatigata fluxu sanguinis est mox sanata. Et ad signum crucis positum frater quidam a continua febre est liberatus. Denique cum ex humilitatis affectu iret Romam, ut scilicet in manus papae resignaret episcopatum, in itinere infirmatus sensit se a Deo evocari ex carnis ergastulo, tunc devotissime confessus Eucharistiae in occursum (licet valde debilis) transiens, illam devotissime suscepit, et crucem sibi datam a quodam a sociis genuflexo suscepit. Cunctisque mysteriis circa eum expletis diutius oravit, et sic feliciter spiritum emisit. Corpus autem suum in Marsiliam ducentibus cunctis illis apparebant quasi lanceae radiosae de caelo descendere super corpus. Et omnes cerei caelesti lumine sunt subito accensi. Cumque tumularetur in ecclesia fratrum apparuit ecce cunctis super altare stans ipse beatus Ludovicus, indutus pontificalibus cum mitra et baculo pastoralis populum benedicens, et facto signo crucis disparuit. Denique post eius transitum multis coepit radiare miraculis, quorum pauca narremus. In civitate Marsiliae duo fratres carnales contra se mutuo commoti unus alterum occidit, propter quod iustitiae lege dictante alter, scilicet fraticida est decapitatus. Sed cum amborum corpora mater eorum maestissima fecisset duci ad sepulchrum beati Ludovici, et ipsum invocaret, ut sui misereri dignaretur, mirabile dictu, caput illius amputatum se corpori iungens surrexit, et alter oculos aperiendo sanus resurrexit. Item in civitate Aretii puer mortuus natus ad invocationem sancti huius suscitatus est, et Ludovicus nominatus post frater minor effectus. Quidam etiam puer ab equo calcatus et mortuus facto voto est resuscitatus. Nam et in bulla papae sex mortui narrantur per eius merita suscitati et infirmi plures. Item cuidam Pisano naufraganti apparuit beatus Ludovicus dicens: „Quicumque dixerit III Pater noster ad laudem Sanctae Trinitatis et honorem beati Ludovici, quidquid petierit, impetrabit.” Cumque ille haec perorasset, statim est a periculo mortis liberatus. Haec sufficiant. O ergo gloriosissime Christi confessor Ludovice, ora pro nobis Christum.

---

1 III Rg 22,30 2 Mt 11,29 3 Iac 4,6 4 Is 14,13-14 5 Ioh 10,9 6 Mt 11,29 7 Phil 2,7 8 Sir 3,20-21 9 Ps 50,19  
10 Mt 18,10 11 Sir 2,4 12 Mt 5,7 13 Mt 19,21 14 Lc 18,14

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LII.] De sancto Stephano rege Sermo primus cum legenda *Laetamini in Domino Deo, quia dedit nobis doctorem iustitiae.* Ioel. II. 1, et ad laudem huius festivitatis. (A) Haec verba convenienter assumuntur ad honorem beati Stephani, regis nostri, quem Deus dedit nobis, scilicet Hungaris omnibus doctorem iustitiae et fidei Christianae. Et ideo merito hortatur omnis populus Hungarorum, ut laetetur in Domino Deo gratias agendo pro tali dono. Primo quia per ipsum beatum Stephanum venit gens ista ad fidem Christi, *sine qua scilicet fide impossibile est Deo placere,* Hebr. XI. 2 Magnas ergo Deo gratias debemus agere pro sancto Stephano hodie, quia nisi conversi per ipsum fuisset, omnes filii irae et damnationis fuisset. Secundo quia ipse exemplum sanctitatis et iustitiae nobis praebuit. Tertio quia spem salutis specialius per eius intercessionem habemus, cum sit patronus noster. Nam ut ait Hieronymus Contra Vigilantium: *Sancti Dei in hac vita oraverunt pro aliis, etiam inimicis, quanto magis post coronas et triumphos, quia in patria non minuitur, sed augetur charitas.* Unde beatus Stephanus sicut in hac vita nos specialius dilexit, quos in Christi fide genuit, ita et in caelesti patria specialius pro nobis intercedit. Hinc in eius officio canitur sic: *Ave beate rex Stephane, incluta spes gentis tuae, ave doctor et apostole credulitatis nostrae, ave speculum sanctitatis et iustitiae, per te Christo credidimus, per te in Christo salvemur, ora pro populo, interveni pro clero, ut nullus de tuis praeda fiat hostis.* Haec ibi. Dicam ergo cum Ioele praemissa verba omnibus de gente Hungarorum: *Laetamini in Domino Deo etc.* Iuxta quae verba tria mysteria notemus pro sermone, secundum quod de tribus commendatur in eis, sed ordine alio. · Primo de salvifica iustitia, quia iustitiae doctor datur a Deo · Secundo de dignifica praesidentia. Nam Deus dedit eum doctorem et regem · Tertio de glorifica excellentia, quae sequitur ad praemissa (B) Circa primum de iustitia salvifica notandum est pro conclusione, quod omnis Christianus sub necessitate salutis tenetur esse iustus, quod probatur: · Primo auctoritate · Secundo ratione · Tertio declaratione Primo auctoritate. Eccl. IV.: *Pro iustitia agoniare 3 pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* 4 Secundum Lyram notanter dicitur *usque ad mortem,* quia melior est mors bona, quam transgressio iustitiae. Item Matth. V.: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.* 5 Secundo ratione, quia iniustitia secundum suum genus mortale peccatum est, eo quod contrariatur charitati, et ideo visione beata privat. Ps.: *Non permanebunt iniusti ante oculos tuos.* 6 Unde Prover. XII.: *In semita iustitiae vita, iter autem devium ducit ad mortem.* 7 Haec ratio ponitur per Thomam II. II. q. LXX. Et pro brevitate sufficiat. Tertio probatur declaratione. Quoniam ut Lyra dictat et videmus, iustitia est adeo necessaria hominibus, ut etiam mali et raptores ac quaelibet societas hominum sine iustitia stare non possit. Nam si inter illos, scilicet latrones fiat divisio iniusta, statim oritur seditio inter eos, et sic dissipantur etc., sic et inter bonos. Quaeritur hic: Quid est iustitia Christiana, ad quam omnes obligantur? Respondetur ex dictis Richardi in III. dist. XXXIII. ar. V. q. III., quod communissime loquendo iuxta Anselmum li. De veritate c. XII. et Augustinum li. LXXXIII Quaestionum simul: *Iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata,* scilicet secundum ordinem debitum charitatis Dei et proximi. Item



secundum Bernardum et secundum Macrobius: *Iustitia est reddere unicuique, quod suum est.* Nam ff. de iusti. et iur. L. iustitia diffinitur, quod *iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum unicuique tribuens.* (C) Notandum ergo, quod quilibet Christianus obligatur generaliter reddere quadruplex ius, et sic observatis istis iudicatur iustus Christianus, et non aliter. · Primum ipsi Deo · Secundum praelato suo · Tertio pari proximo · Quarto inferiori vel subdito Primo ipsi Deo debet reddere ius suum, cui tribus obligatur de iure, scilicet timore, amore et honore. Unde Malachiae I.: *Si ego pater, ubi honor meus? Et si dominus, ubi est timor meus? – dicit Dominus exercituum.* 8 Debet ergo Christianus Deum timere ut Dominum super omnia, ne offendat per peccatum. Debet amare ut patrem omni diligentia servando eius praecepta et operando bona. Debet et honorare laudando, benedicendo et adorando. Ps.: *Sacrificium laudis honorificabit me, illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* 9 Qui haec iura Deo reddit, iustus Christianus est, et Deo carus. Secundo praelatis sive spiritualibus, sive temporalibus ius debemus reddere in tribus, scilicet proventus et decimas solvendo. Item reverendo et oboediendo in licitis. Hebr. XIII.: *Oboedite praepositis vestris, ipsi pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* 10 Hinc secundum quod dicit Scotus super IV. dist. XV.: *Quicumque non implet poenitentiam iniunctam a confessori suo rationabilem et debitam, cum posset, talis mortaliter peccat. Similiter qui nolunt oboedire praelatis Ecclesiasticis in institutione festivitatum colendarum vel ieiuniorum, vel impositione interdicti Ecclesiastici et similium, peccant mortaliter, et non sunt iusti Christiani.* Unde Dominus ait Matth. XVIII.: *Qui Ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* 11 Unde Callixtus papa dist. XII.: *Non decet (inquit) a capite membra discedere, scilicet per inoboedientiam, sed omnia membra caput sequantur. Nulli vero dubium est, quod apostolica Ecclesia mater sit omnium, a cuius regulis non convenit deviare. Et sicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris, sic et vos implete voluntatem matris vestrae, quae est Ecclesia, cuius caput est Romana Ecclesia.* Haec ibi. (D) Hic quaeritur: Utrum teneatur quis in omnibus oboedire suis maioribus vel superioribus? Respondet frater Angelus de Clavasio secundum Alexandrum de Hales in III. parte Summae in praecepto III., quod *oboedientia limitatur secundum gradum superioritatis. Nam est superioritas prima in spiritualibus, et illi superiori oboediendum est in spiritualibus necessariis ad salutem vel ad hoc pertinentibus ab his, qui subiciuntur eorum iurisdictioni. Secunda est superioritas in temporalibus, quoad regimen rei publicae et talibus, scilicet dominis et principibus oboediendum est ab eorum subditis in licitis praeceptis, quantum ad ea, quae pertinent ad tale officium. Sed excipitur, dummodo potestas esset usurpata ab eis secundum Richardum in II. dist. ultimo, quia sic ad oboediendum non tenentur nisi propter scandalum. Item si praeciperent Ecclesiasticis, non tenentur, quia Ecclesiastici non sunt subditi dominorum temporalium, et non possunt eis aliquid praecipere, de consti. ca. Ecclesia. Item etiam excipitur, quando potestas temporalis praeciperet vel legem conderet talem, quae non esset ad communem utilitatem, sed propter utilitatem propriam princeps hoc edidit vel praecipit, quia tunc in foro conscientiae non obligaretur transgrediens ad mortale, facit dist. IV. c. Erit autem lex, et tunc lex dicitur iniusta ex fine, secundum Panormitanum c. Canonum de consti. Tertia est superioritas in temporalibus, quoad regimen propriae familiae, sicut praeest pater carnalis vel mater. Et tunc debetur oboedientia a filiis et famulis in his, quae pertinent ad dispositionem rei familiaris. Unde in praefatis non oboedientes scienter et sine rationabili causa et in re alicuius importantiae aut ex contemptu peccant mortaliter, nisi foret illud, quod praecipitur contra salutem vel contra praeceptum alicuius superioris. In aliis autem, quae ad eorum superioritatem non pertinent, non est necessarium oboedire.* Haec frater Angelus. Tertio compari debemus reddere ius suum, scilicet fraternam charitatem. Matth. XXII.: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* 12 Qui ergo fratrem odit vel contra eum iram tenet, non est iustus Christianus. Unde I. Ioh. IV.: *Si quis dixerit, diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est, et veritas in eo non est.* 13 Quarto subditis tenetur Christianus ex iustitiae lege scilicet reddere iura sua, quoad corporalia, ut pro servitiis et labore satisfactionem impendat. Levitici XIX.: *Non morabitur opus mercenarii tui usque mane apud te.* 14 Item quoad spiritualia, ut a vitiis coerceat et corripit, alioquin particeps erit culpae et poenae, LXXXVI. dist. „Facientes”. Item quoad iudicialia, ut in omnibus iuste iudicet. Sap. I.: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* 15 Gregorius: *Tu, qui praees hominibus in terra, memento, quod et tibi praees iudex in caelo, qui tibi eadem mensura remetietur, qua mensus fueris.* Pro huius exemplo legitur, quod apud philosophos antiquos Iustitia depingebatur sic, quod facie versus caelum erat elevata, et erat caeca, ac stateram tenebat manu, et erat manca, ad significandum, quod in iudicando debet iudex aspicere mente Deum caeli, qui ipsum est iudicaturus, et sic caecus, quoad homines, ut non respiciat consanguinitatem vel amicitiam aut personam vel odium. Item libram iustitiae temperatam cum misericordia teneat manu in exsequendo sententiam. Et sit mancus, scilicet ne munera accipiat ad pervertendum iudicia. Sic per omnia fecit beatus rex Stephanus, et his modis iustitiam tenere nos docuit, ergo ipsum ut regem et doctorem iustitiae imitemur ad consequendum regnum caelorum. (E) Circa secundum principale de dignitate praesidentiae. Ex quo dicitur in themate, quod *Deus dedit ipsum doctorem* etc., quaestio occurrit, utrum omnis praesidentia vel potestas dominandi in homines sit a Deo. Ratio quaestionis est, quia quilibet homo aequae ad imaginem Dei creatus est, ut dominus, sic et servus. Quomodo ergo unus iuste alteri dominatur, maxime cum Deus dixit, ut *homo dominetur brutis* et huiusmodi, non autem hominibus, ut patet Gen. I. 16 Respondetur ad haec breviter secundum doctores. Primo quod si homines non peccassent in Paradiso, fuisset quidem aliqua praesidentia, puta viri super uxorem et parvulos filios secundum Scotum, sed non fuisset tale dominium, sicut nunc post peccatum est. Secundo dicendum, quod ex quo *homo per peccatum factus est similis iumentis insipientibus*, ut dicit Ps. 17 Ideo dominium in homines angariale introductum est iusto Dei iudicio, ut brutalis homo regatur et corrigatur per virtuosum. Ad haec tertio secundum Richardum simulque Bonaventuram super II. dist. ultima ar. II. q. I. nota, quod in praesidentia quattuor possunt considerari. Primo quidem essentia potestatis, hoc est ordo, quo reguntur inferiora a superioribus, et est a Deo ordinatus ac semper bonus, sicut videmus in corpore humano et in toto mundo inferiora a superioribus regi. De hoc accipiendum est illud Ro. XIII.: *Non est potestas, quantum scilicet ad essentia, nisi a Deo.* 18 Qui ergo potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt Deo, damnationem sibi ipsis adquirunt. Sic etiam Christus dixit Pilato, quod *data est potestas desuper.* 19 quia Augustinus XXIII. q. I. „Quid culpatur” dicit sic: *Non habet quisquam potestatem nisi desuper*

*datam, non enim est potestas nisi a Deo, sive iubente, sive sinente, id est permittente.* Haec ille. Secundo in potestate considerari potest excellentia virtutis, per quam unus praevaleret alteri. Nam I. Politicorum dicit Philosophus, quod *homines intellectu et ratione vigentes sunt naturaliter aliorum rectores et domini.* Sic etiam virtuosus, unde ibidem dicitur, quod *nil nisi virtus et vitia determinant servum et liberum.* Haec etiam absque dubio a Deo est. Unde Gregorius: *Omnes homines natura aequales fecit, scilicet in quantum ad Dei imaginem sunt facti. Sed pro variis – inquit – meritis, scilicet virtutum alios aliis occulta Dei dispensatio iuste praecepit.* Tertio considerari potest modus acquisitionis vel consecutionis talis, scilicet praesidentiae, quia aliqui obtinent potestatem iusto modo et titulo, et hoc etiam est a Deo simpliciter. Aliqui autem obtinent iniuste vel per violentiam vel per astutiam, et hoc non est a Deo, nisi permissive propter peccata, Iob XXXIV.: *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* 20 Quarto considerari potest usus regiminis. Et quia bonus usus est a Deo simpliciter, abusus autem non, nisi permissive propter peccata. Sicut et diaboli potestas in hominem vel abusus iuste permittitur a Deo propter peccata, per quae homo factus est servus vitiorum et daemonum iuxta dicta Christi Ioh. VIII.: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* 21 Ad haec Hieronymus VIII. q. I.: *Audacter – inquit – dicimus non semper princeps populo et iudex ecclesiae per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt.* Et ex Scriptura ponit ibidem exemplum de Saule. Ad propositum: Beatus Stephanus praevisus a Deo, quod fieret virtuosissimus et sanctissimus, et ideo antequam nasceretur, per angelum est praenunciatum, quod a Deo electus fuit rex futurus. (F) Circa tertium principale de gloriae excellentia sit pro conclusione, quod beatus rex Stephanus prae aliis regibus et principibus magnis privilegiis apud Deum clare foret 22 gloriosissimus. Et ostenditur ex pluribus. Primum privilegium gloriosum est angelicae annunciationis. Nam in hoc quodammodo assimilatus est Christo et sanctae matri eius, Mariae ac Iohanni Baptistae et aliis magnis ab angelis praenunciatis sanctis, quia beatus rex Stephanus ab angelo est annunciat. Legenda Legitur enim, quod post egressum Hungarorum de Scythia ea tempestate, qua ipsa gens persequebatur Ecclesiam Dei et vastabat, erat quartus ab illo primo in Pannonia dux nomine Gyesi paganismi ritu obvolutus. Sed Dei gratia operante tandem coepit de pace cum omnibus provinciis vicinis tractare, et statuit praeceptum hospitalitatis et securitatis cunctis Christianis ducatum suum intrare volentibus, et suam praesentiam adire clericis et monachis, quibus libenter auditum praebens. Ecce die caelitus disposita credit in Christum ipse et domus eius tota, pollicens omnes suae ditioni subditos Christiano nomini se mancipaturum. Cumque iam in Christo baptizatus et spiritu fervens nimis sollicitus esset de ritibus sacrilegis destruendis et rebellibus domandis, ac episcopatibus et ecclesiis construendis, ecce quadam nocte astitit angelus Domini in specie iuvenis, aspectu delectabilis, dicens: „Pax tibi, Christi electe, iubeo te de sollicitudine tua fore securum. Non tamen tibi concessum est, quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine habes, sed de te filius nasciturus est, cui haec omnia disponenda commendavit Deus. Hic erit unus ex electis regibus a Domino coronam vitae saecularis commutaturus aeterna. Verum en ad te venit vir missus a Deo, quem honorabiliter suscipe, et eius consiliis assensum praebe.” Expergefactus dux visionem stupidus cum fidelibus pertractans, gratias prostratus in terram egit Deo cum lacrimis. Nunciatur interim sanctum Adalbertum Pragensem episcopum advenire, cui obviam honorabiliter procedit, suscepit, et oboedientiae filium se eidem monstravit, ut fuerat commonitus. Tandem iubente duce populo congregato ad praedicationes sancti episcopi continuas, coepitque lux fidei in Hungaria enitere, et coeperunt baptizari multi. Et sic patet privilegium. Secundum privilegium beatae praenominationis. Nam interim cum ipsa ducis uxor iam sancta propinqua foret partui, apparuit illi beatus Stephanus protomartyr habitu Levitico ornatus, qui dixit illi: „Confide, mulier, in Domino, et esto certa, quia filium paries, cui primo in hac gente corona debetur et regnum, nomenque meum – inquit – illi imponas.” Admirans mulier ait: „Quis es, domine?” „Ego sum – inquit – protomartyr Stephanus pro Christo passus.” Et disparuit. Nascitur interea praedictus a Deo revelatus filius, quem sanctus Adalbertus natum Strigonii baptizavit et Stephanum nominavit. (G) Quod autem hoc privilegium sit magnae sanctitatis, patet primo, quia paucis est concessum. Nam secundum Lyram super Gen. XVI.: *In Veteri Testamento duo leguntur praenominati, antequam nascerentur, scilicet Isaac et Iosias, et hoc propter specialia miracula.* In Novo etiam Testamento duo leguntur, scilicet Iohannes Baptista et Christus, sed de Beata Virgine creditur praesupponendo et ex historiis, et sic beatus Stephanus istis in hoc assimilatur. Secundo magnum est ratione mysterii, quia Stephanus 'corona' interpretatur, ut significetur eius coronatio tam in terris, quam in caelis. Tertium ergo sequitur privilegium certitudinis securae salvationis, quia ut ex praehabitis revelationibus et sequentibus claret, ipse beatus Stephanus fuit certus de aeternae salutis praedestinatione, quod paucis et raris sanctis legitur concessum. Quartum dignificationis, quia ipsum Deus sublimavit in magnas dignitates. Prima est dignitas regia. Secunda apostolica. Tertia doctorica. Fuit enim rex, apostolus et doctor videlicet Hungarorum. Cum enim crevisset et litteris imbutus adolescens factus fuisset, convocatis primatibus Hungariae praeficitur in regem, et tunc pater eius anno Domini nongentesimo nonagesimo septimo feliciter migravit ad Christum. Sanctus vero Adalbertus eodem anno in Prusiam praedicationis causa transiens martyrio est coronatus ibidem. Beatus autem Stephanus coepit in omnibus mandatis Dei fideliter incedere et cogitare, qualiter populum sibi subiectum ad fidem Christi posset convertere. Ecce autem diabolus commovit intestina bella contra eundem, ut a sancto proposito disturbaret. Coeperunt enim plurimi principes nolentes fidei Christi colla submittere ipsi beato Stephano insultare et Dei servos caedere ac eorum bona vastare. Ipse autem confidens in Domino collecto exercitu decertavit cum eis, quibus victis de eorum possessionibus ecclesias Christi dotavit, et omnia erogavit. Post haec episcopatus decem in provincia ordinans Strigoniensem ecclesiam metropolim et magistram ceterarum fore constituit. Et anno quarto post patris obitum, cum iam sua prudentia per Dei gratiam totam fere Hungariam converti fecisset ad Christum, misit Romam praesulem Anastasium ad sanctissimam, papam petens, ut paternam benedictionem conferret, episcopatus, secundum quod iam ordinaverat, confirmaret, et regio diademate ipsum roboraret, quatenus per Dei gratiam coepta posset solidius stabilire. (H) Eodem tempore dux Polonorum cum suis fidem Christi amplexus miserat iam antea ad papam pro consimili causa. Cui papa coronam egregii operis parari iam fecerat et mittere decreverat. Ecce autem nocte praecedente papae astitit per visum angelus Domini, dicens: „Crastina die ignotae gentis nuncii ad te venient, qui suo duci regiam coronam postulabunt. Hanc ergo

coronam praeparatam illorum duci largiaris, quia sibi pro suae vitae sanctae meritis debetur cum regni gloria.” Cumque die illa praesul Anastasius ad conspectum papae intrasset, auditis cunctis bonis, quae Deus per beatum Stephanum in conversione tantae multitudinis operatus fuerat, papa gavisus cuncta postulata concessit, et illam coronam, iuxta quod angelus praemonuerat, donavit. Insuper crucem ante regem ferendam velut in signum apostolatus misit, dicens: „Ego sum – ait – apostolicus, ille vero Christi apostolus, per quem tantum populum Christus ad se convertit.” Et ob hoc de ecclesiis ordinandis ipsius regis providentiae commisit. Tandem regressis nunciis beatus Stephanus cum magna praesulum sollemnitate ungitur et feliciter coronatur. Et sic patet. Quantum privilegium excellentis meriti et perfectionis, de qua non capit tempus ad plenum omnia describere, sufficiant ergo aliqua eorum narrari. Primo quidem legitur fuisse circa ecclesias construendas et dotandas ac circa monasteria aedificanda liberalissimus et largissimus, adeo, ut omnia, quae habebat, et acquirere poterat, illis et ad illa pertinentia erogaret. Non enim solum in terris sibi subiectis, sed in longe positis etiam aedificavit. Nam in Ierusalem monachorum coenobium construxit, et praediis et vineis sufficientibus ad victum dotavit. Item in Roma sub titulo sancti Stephani protomartyris cunctis pertinentiis pro congregatione XII canonicorum statuit. Item in Constantinopoli ecclesiam fecit mirifici operis et dotavit etc. Secundo circa pauperes et egenos fuit tam misericors et pius, quod etiam nocturnas vigilias in elemosynis erogandis et pedibus illorum lavandis hilariter transigere volebat. Quadam autem nocte dum solito more nullo sciente pauperibus tulisset sacculum plenum pecuniis ad erogandum, illi pro diripienda pecunia in ipsum, nescientes, quis esset, manus iniciunt, et barbas ac capillos evellunt. Et quorum manibus tandem dimissus ecce gaudio perfusus ait: „O regina caeli, Maria, en quia tui sunt hi, qui me sic tractaverunt, patienter sufferam, sciens, quia Christo dicente *Capillus de capite non peribit*, etc. 23” Numquam autem ab elemosynis distribuendis per se et per alios destitit. Tertio in iudicandis causis erat iustissimus et aequitate plenus, sciens, quia ante tribunal Christi deberet et ipse astare. Unde et omnibus decretum statuit subditis, ut nullus alium hostiliter invaderet, nullus viduas vel orphanos opprimeret, nullus alterum laederet. Quarto quoad suorum morum sanctitatem tantam maturitatem et discretionem tenuit, quod a iuventute usque ad vitae finem vix unquam labia ad risum movit, diem enim ultimum semper ante oculos cordis habuit, ac si iam tunc ante tribunal Christi staret. Cunctis quoque virtutum operibus adornatus in omni sanctitate et iustitia coram Christo conversabatur. (I) Sextum privilegium fulgidae mirificationis. Nam ut eius sanctitas fulgeret manifestis miraculis, Deus clarificavit etiam in vita. Quotiens enim alicuius hominis infirmitas auribus suis diffamabatur, mox aliquam particulam panis, pomi vel herbae pro medicina illi mittens mandabat, ut sanus surgeret, et Deo propitio sanabatur. Item spiritu prophetico praevidebat quandoque et praedicebat hostes superventuros Hungaris Christianis et depraedaturos eorum possessiones, quod illi observabant, et implebatur. Item noctis silentio solitus erat orare, lacrimas fundere et contemplationi divinae vacare. Quadam autem vice descendens cum magno suo comitatu in campo fixis tentoriis ceteris somno depressis, ipse diutius deprecationi insistebat. Et ecce quidam vir magnae simplicitatis et innocentiae tunc consimiliter orans vidit angelos ad beatum Stephanum descendentes, et papilionem super eum extensum a terra levari et tandem in aere pendere, donec a contemplatione et oratione spiritum relaxavit. Rex autem per Spiritum Sanctum cognovit, quod vir ille haec circa se viderit, et ad se vocatum, ne patefaceret (quamdiu scilicet viveret), interminando rogavit. Septimum privilegium gloriosae illustrationis, scilicet per miraculosa suffragia hominibus praestita eius meritis. Cum enim sibi diem transitus imminere iam novisset, convocatis praelatis et principibus omnes paterne admonuit fidem catholicam servare, iustitiam tenere, Deum amare, ac super novellam plantam Christianitatis custodiam habere. Manus tandem levans et oculos ait: „O regina caeli, virgo gloriosissima Maria, tuo patrocinio regnum hoc cum primatibus et omni populo ac clero committo, et in manus tuas animam meam commendo.” Sumptaque Eucharistia et unctione sacra feliciter in Domino obdormivit anno Domini MXXXVIII., sepultusque est in Alba Regali, ubi Dominus per ipsius merita innumera praestat beneficia. Saepe etiam ibi per noctem melodia cantus angelici audita est, et frequenter odor suavissimus per totum templum fragravit, ibi multi variis languoribus detenti sanitati sunt redditi. Et plures illuc properantes in itinere ad eius invocationem sunt liberati, et quod maius est, mortui suscitati, dextraque manus beati regis Stephani usque modo ossibus, cute et nervis adhaerentibus manet integra, quasi elemosynam porrigere videretur, quod a Deo factum credimus pro pietatis operibus commendandis. O ergo gloriosissime rex Stephane, te rogamus, ora pro nobis Christum in caelis.

---

1 Ioe 2,23 2 Hbr 11,6 3 Editio: *agonizare* 4 Sir 4,33 5 Mt 5,20 6 Ps 5,6 7 Prv 12,28 8 Mal 1,6 9 Ps 49,23 10 Hbr 13,17 11 Mt 18,17 12 Mt 22,39 13 I Io 4,20 14 Lv 19,13 15 Sap 1,1 16 Cf. Gn 1,28 17 Ps 48,13; 48,21 18 Rm 13,1 19 Apc 6,8 20 Iob 34,30 21 Ioh 8,34 22 Editiones: *fore* 23 Lc 21,18

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LIII.] De sancto Stephano rege Sermo secundus *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*. Matt. XXIV. 1 (A) Verba ista inter ceteros confessores solent cantari, et possunt convenienter dici etiam de beato Stephano rege, quem Dominus fidelem constituit in regem populi Christiani regni Hungariae et doctorem fidei ac apostolum credulitatis illorum in Christum. Maxime ergo convenit illis hunc sanctum venerari et eius festum celebrare, quia ut Philosophus VIII. Ethicorum dicit: *Diis, magistris et parentibus non potest homo reddere aequivalens ad condignum*, scilicet quantum teneretur. Ipse autem beatus rex Stephanus peperit nos in Christi fide, et magister ac doctor exstitit salutis aeternae. Et idcirco debemus ipsum honorare et tenemur, si non in tantum, quantum esset condignum, saltem quantum possumus pro modulo nostro. Nam ipse fidelis servus Christi et prudens fuit, quem Dominus constituit nobis non solum in terris, sed et in caelis patronum, ut salvemur per eius merita, ideo de illo accipimus haec verba. Iuxta quae tria mysteria notabimus pro hodierno sermone, secundum quod de his commendatur: · Primo de prudentia in Christi obsequio · Secundo de diligentia in fideli servitio · Tertio de complacentia,



scilicet Dei pro debito ministerio Haec satis clare eliciuntur ex themate. (B) Circa primum de prudentia in obsequio Christi quaeritur, qualis Christianus dicitur vere prudens Christi servus. Ad quod respondetur per conclusionem, quam dicit Augustinus De libero arbitrio c. XX. dicens sic: *Prudentia est appetendarum rerum vitandarumque scientia*. Unde secundum eundem super Ps. LXXXIII.: *Prudens dicitur quasi porro videns*. Porro enim, id est a longo praevidere oportet, quid agere vel eligere debeamus, ne postea egisse poeniteat. Unde *prudencia dicitur quasi porro videntia*, ut dicit Prosper. *Porro* autem secundum Catholicon dicitur *quasi valde vel longe, quasi a porrigendo in longum*. Ex quibus pro documento accipiamus tres praecipuas veritates. Prima veritas, quod per totum mundum nullus reputatur vere prudens Christianus, qui non vult cavere a peccatis mortalibus. Nam Augustinus De beata vita dicit, quod *nolle vitare mortem, scilicet animae, manifestum est stultitiae signum*. Iob XXVIII.: *Postquam investigatum est multis sermonibus, ubi sit sapientia, conclusum est, quod timere Deum et recedere a malo*. 2 Ad id etiam facit visionis figura Apoc. XII., ubi Iohannes dicit vidisse, quod *draco magnus, qui proiectus est in terram, et vocatur diabolus, trahebat cauda sua tertiam partem stellarum caeli, et misit in terram*. 3 Nam per caelum accipitur praesens Ecclesia, in qua sunt tres status Christianorum, tamquam stellarum fide Christi radiantium et illuminatorum. Prima ergo parte sunt iusti a peccatis prudenter per Dei gratiam se caventes. Secunda parte sunt Christiani post peccatum commissum Dei timore et amore poenitentes, hos non potest trahere diaboli cauda in Infernum. Sed tertia parte sunt peccatores in culpa manentes, quos trahit in Infernum diabolus tamquam stultos et deceptos a diabolo. Et ratio: Nam quomodo potest dici prudens, qui non vitat ignem, scilicet aeternum, sed appetit aeternam poenam opere et effectualiter ad illam tendendo. Sicut est de peccatoribus, et patet ex praedicta diffinitione prudentiae. (C) Secunda veritas, quod nil stultius, quam servire carni, mundo et diabolo. Et ostenditur tam ratione, quam similitudine. Primo quidem ratione hoc claret, quia stultitia magna est eis servire, qui te pro tua servitute volunt perdere et malis retribuere, pro servitio nec possunt diligere te, sed sic est de istis, quia sunt inimici hominis perpetuo. Unde Gregorius dicit: *Stultum est servire diabolo, qui nullo placatur obsequio. Nam quis incensores habuimus in culpis, tortores habebimus in poenis*. Secundo quoque similitudine patet hoc tali: Nam dicit Sapiens Eccli. XXII. ca.: *Tres species odovit anima mea – inquit –, videlicet pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum*. 4 Nimirum his in talibus servire non est ad profectum, sed potius ad detrimentum, quia superbus pauper non habet, unde servo satisfaciat, et dives mendax quae promittit, non implet, senex quoque fatuus servitia non compensat, et sine causa servum verberat. Sic spiritualiter carni serviens pauperi superbo servit. Nam caro cum sit pauper adeo, quod oportet eam aliunde mendicare omnia pro suo victu et vestitu, scilicet panem et vinum a terra, vestes ab ovis, calciamenta a brutis. Et tamen superbit, quia pretiosius indui vult, quam sua domina, scilicet anima, scilicet de scarleto, de purpura, cum anima misera manens non induitur virtutum ornatu. Item caro lautius vivere vult et epulari, et non curat de anima pascenda verbo Dei, et sic est superba, cum sit pauperrima. Item qui servit mundo, servit diviti mendaci, quia mundus abundans divitiis, scilicet temporalibus, mendacio decipit, cum in morte omnia aufert, et nil nobiscum ducere sinit, beatitudinem promittit, et tamen fallaces divitias dat, quibus ad damnationem illaqueat. I. Tim. VI.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli*. 5 Unde mundus fallax dominus est, quia sub specie bonorum temporalium illaqueando decipit, sicut hamus latens sub esca piscem. Denique qui servit diabolo, servit seni fatuo. Nam diabolus senex reputatur, in quantum a principio mundi est factus, et est fatuus per malitiam, qua voluntarie et obstinata mente odit summum bonum, scilicet Deum. Ps.: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, 6 et sic accumulatur sibi et suis servis poenam aeternam. Unde in fine saeculi Dominus est dicturus reprobis: *Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo* etc. Matt. XXV. 7 Ecce ex his claret praedicta veritas, quoniam stultissimum est servire carni, mundo et diabolo. O peccator, pensa haec, etc. (D) Tertia veritas, quod vera et summa prudentia est spreto mundo, carne et diabolo servire Christo. Et patet ex verbis Bernardi dicentis: *Quattuor sunt – inquit –, quorum in hac vita obsequiis servimus: caro, mundus, diabolus et Deus. Et paulo post habent et singuli principes donativa propria, caro largitur suis servitoribus momentaneam voluptatem, mundus transitoriam sublimitatem, diabolus perpetuam captivitatem, sed Deus interminabilem felicitatem*. Haec Bernardus. Unde patet, quod ille prudentissimus Christianus est, qui eligit servire Christo, cui servire feliciter regnare est. Talis enim prudens est quasi porro videns et considerans retributionem finalem ditorum. Unde fertur, quod in porta gymnasii Atheniensis scriptum fuerat sic: *Servus es, o homo, quem ergo dominum tibi praefeceris, prudenter attende*. Beatus Stephanus prudentissime Christum elegit, ergo etc. (E) Circa secundum de diligentia fidelis servitii accipiamus pro conclusionis documento verba Hilarii super Iohannem dicentis sic: *Frustra erit omnis operatio, scilicet in Dei servitio, nisi assit vera dilectio*. Ex quo patet, quod quicumque vult fideliter et debite servire Deo, debet esse in charitate, ut sit sine peccato mortali, vel omni diligentia emundet peccata per poenitentiam. Et patet primo auctoritate, I. Cor. XIII.: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habuero, etc.* 8 Quam auctoritatem Bernardus exponit dicens: *Charitas est bonum, cum quo nec opus minimum despicitur, sine quo nec maximum acceptatur. Non praedicatio. Si linguis etiam hominum loquar et angelorum, etc. Non fides, etiam si montes transferam. Non elemosyna, etiam si omnes facultates in cibos pauperum distribuero. Non corporis afflictio vel martyrium, si etiam tradam corpus meum ita, ut ardeam. Denique non missarum sollempnia. Non quaeque bona aut servitia*. Hinc et Augustinus: *Charitas est, quae valet ad omnia, sine qua nil valent omnia*. Et sic patet. Secundo probatur ratione, quia Augustinus dicit, quod *nil est bonum, scilicet meritorie ad vitam aeternam, nisi ex teipso bono*. Sicut exempli gratia si quis sit actu infidelis et inimicus regis, quem rex scit, quod sibi machinatur in mortem, etiam si serviat in aliquibus regi, non est gratum regi eius servitium, nec remuneratione dignum, nisi veniat in gratiam regis. Sic homo in peccato mortali iacens est infidelis et inimicus regis Christi. Nam dicit Apostolus ad Heb. VI., quod tales *crucifigunt Christum in seipsis*. 9 Ergo eius servitia non sunt digna remuneratione aeternae beatitudinis, nisi prius veniat in gratiam. Sed Chrysostomus de consecratione dist. IV. c. [„Non potest quis”]: *Non potest – inquit – quis gratiam vitae caelestis accipere, nisi purgatus fuerit ab omni sorde peccati per poenitentiam*, ergo etc. Tertio patet exemplificatione. Nimirum Abel munera legimus placuisse Deo, munera autem Cain non. Quare hoc? Quia Abel erat iustus et bonus, Cain malus. Gregorius: *Non placuit Abel ex munere,*

*sed munus ex Abel.* Ideo dicitur Gen. IV.: *Respexit Dominus ad Abel primum, et deinde ad munera eius.* 10 Idem Gregorius: *Nulla bona acceptantur, quae malorum admixtione maculantur.* Quid enim prodest sua, scilicet obsequia dare Deo, et seipsum diabolo, scilicet per peccatum mortale. Item ad idem videmus, quod nullus actus vitalis procedit a mortuo, nec enim movetur, nec spirat, nec comedit, nec loquitur. Sic qui est mortuus peccato, nullum vitalem actum vel servitium meritorium vitae aeternae potest Deo facere. O ergo homo, cave peccata! (F) Sed gratia huius quaeritur: Quare dicitur peccatum mortale, cum homo faciens illud non statim moritur, ut videmus de superbia, avaritia, luxuria et sic de aliis, quae faciens homo actus habet vitales? Ad quod respondetur secundum doctores, quod licet homo per peccatum non statim videatur mori corporali morte, tamen bene dicitur peccatum mortale. Primo quia talis statim, ut vult peccare, vel consentit, moritur in anima. Unde Augustinus de poenitentia dist. I. § „Item si” dicit: *Vita animae Deus est, et qui recedit a Deo, mortuus est.* Iacobi I.: *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* 11 Secundo quia peccatum obligat ad mortem, scilicet gehennae. Rom. VI.: *Stipendia peccati mors.* 12 Sic enim data sententia mortis in aliquem ille dicitur mox filius mortis, sic in proposito. Hinc Magister in II. dist. XLII.: *Mortale peccatum est, quod obligat nos poenae aeternae.* Tertio quia per peccatum mortale mortificantur omnia bona et merita hominis, quaecumque fecit serviendo Deo ab infantia sua die et nocte, immo et ipsa baptismalis gratia exstinguitur, et sic omnia moriuntur. Ezech. XVIII.: *Si averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem, numquid vivet, ipse in iniquitate sua morietur, et omnes iustitiae eius,* 13 id est operationes, quas fecerat, non recordabuntur. Et sic patet. O ergo maledictum peccatum mortale, utinam te homines et tuam damnositatem ac periculositatem cognoscerent et caverent. Beatus Stephanus bene advertens haec omnia peccata cavere summopere studuit, et fideliter Christo servivit, et ideo nunc gaudet in caelo. (G) Circa tertium de complacentia ministerii, scilicet in conspectu Dei quaeritur: Qualibus ex signis possit confidere quis, quod scilicet ex suis servitiis sit Deo acceptabilis et dignus caelestibus praemiis. Ad quod recolligendo ex dictis doctorum nota plura signa, quae debent concurrere in servitio Dei debite faciendo. Vide secundum alphabetum. Primum signum dicitur amoris, si videlicet ex amore servit principaliter ipsi Deo, et non ex solo timore vel coactione. Unde Bernardus De diligendo Deum dicit: *Qui timet, scilicet poenam, et qui cupit, scilicet remunerationem aliquam, uterque pro se agit. Sola quae in Filio est charitas, placita est Deo.* Haec ille. Item Beda super Lucam: *Servus est, qui adhuc – inquit – metu gehennae seu punientium legum a vitiis se temperat. Mercenarius autem spe et expectatione solius caelestis regni, scilicet non intuitu Dei. Filius autem affectu bonitatis ipsius Dei et amore virtutum a malis abstinet.* Haec ille. Pro exemplo hoc accipe: Sunt quidam Christiani, qui dicunt: „Ego numquam vellem ab offensa Dei cavere, si scirem, quod pro offensa non punirer.” Talis non placet Christo, sicut si quis diceret: „Ego occiderem regem, si possem evadere poenam illius occisionis” – non placeret talis regi. Item alii sunt, qui dicunt: „Quid mihi de Deo et eius gloria, si scirem, quod mihi non daret aliquid boni, numquam eum amarem, nec benefacerem.” Tales etiam non sunt grati Christo, sicut regi is, qui solum propter hoc diligit eum, ut possit habere pecuniam eius vel aliquid. Sed qui dicunt, quod Deum diligunt, et a peccatis pro eius amore cavere volunt, etiam si castigantur ab eo, hi placent Deo. Unde beatus Fortunatus meruit per hanc maximam gratiam, quod dicebat vero corde: „Si – inquit – damnare deberem, magis volo, ut damnarer pro servitute Dei, quam pro servitute diaboli.” Secundum signum bonae intentionis, scilicet quod homo in omnibus semper intendat gloriam Dei et sui salutem aut proximi utilitatem. Unde I. Cor. X.: *Omnia, quaecumque facitis, ad gloriam Dei facite.* 14 Bernardus: *Fidelis famulus est, qui non suam, sed Domini quaerit gloriam.* Idem: *Intentio est eo suavior et melior, quo divinius concupiscatur. Intende in Deum, secundum Deum et propter Deum.* Haec ille. Sed heu multi intendunt vanam gloriam ut hypocritae in servitio Dei. Multi alii intendunt propter Deum, sed non in Deum, ut qui furantur vel rapiunt, et ex illis praebent elemosynam vel construunt ecclesiam. Unde Gregorius I. q. I.: *Non est – inquit – elemosyna putanda, si pauperibus dispenset, quod ex illicitis rebus acquiritur, gravatur talis potius, quam iuvetur, et Dei iram non placat, sed irritat, quia dicitur Ecc. XXXIV., qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi victimat filium in conspectu patris sui.* 15 Haec Gregorius. Tertium signum cautionis, scilicet a criminum contagiis. Et de hoc multipliciter claruit II. articulus huius sermonis per totum. (H) Quartum signum devotionis. Nimirum Richardus de mystico somno quaerit: *Quid est devotio?* Respondet: *Non aliud, quam fervida mentis in Deum directio.* Item quaeritur, utrum plus placeat Deo devotio in opere bono, quo servitur Deo, quam ipsum opus. Ad hoc respondent doctores plures. Unus est Hieronymus de consecratione dist. V. „Non mediocriter” dicens: *Melior est quinque psalmodum decantatio cum cordis hilaritate, quam totius psalterii modulatio cum anxietate.* Haec ibi. Secundus est Augustinus dicens: *Non diuturnitas temporum, non numerositas operum, sed maior dilectio et devotio auget hominis meritum et praemium.* Tertius est Bernardus super Cantica dicens: *Sicut mel in cera, sic devotio in anima, ergo etc.* Quartus est Cassiodorus dicens: *Melius est devotum in minoribus, quam indevotum in maioribus operibus inveniri.* Unde est signum complacentiae ipsa devotio. Quintum signum extimationis humilis. Bernardus: *Qui placere Deo desiderat, necesse est, ut sibi displiceat.* Unde Luc. XVII. dixit Christus: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt, vobis dicite: servi inutiles sumus,* etc. 16 Augustinus: *Ubi tibi placuisti, ibi defecisti.* Sextum finalis perseverationis, scilicet in servitio Dei. Math. XXIV.: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* 17 Chrysostomus: *Tolle perseverantiam, nullum obsequium habet meritum.* Haec signa fuerunt in beato Stephano rege per omnia, ut claret ex ipsius legenda, immo quod maximum est, ipse ex divina revelatione habuit confidentiam certissimam, quod fuerit Dei electus et acceptissimus servus constitutus in regem Hungarorum, ut patuit in legenda. O ergo carissimi, accedamus humiliter et Deum exoremus, quatenus ipsius beati regis meritis det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro.

---

1 Mt 24,45 2 Cf. Iob 28,27-28 3 Apc 12,9; 12,4 4 Sir 25,3-4 5 I Tim 6,9 6 Ps 73,23 7 Mt 25,41 8 I Cor 12,1 9 Hbr 6,6 10 Gn 4,4 11 Iac 1,15 12 Rm 6,23 13 Ez 18,24 14 Cf. I Cor 10,31 15 Sir 34,24 16 Lc 17,10 17 Mt 24,13



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LIV.] De sancto Stephano rege Sermo tertius *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roborabitur clementia thronus eius*. Proverb. XX. 1, et ad gloriam huius festivitatis. (A) Haec verba optime possumus dicere de beato Stephano rege nostro, quia ipse claruit in vita maxima misericordia et clementia et maxima iustitia ac omni sanctitate, in quibus in exemplum imitandi nobis proponitur. Quia autem hodie eius festum colitur, multum convenit, ut ipsum honoremus. Et hoc pluribus rationibus. Primo ratione theologica. Nam Dionysius dicit, quod *Ecclesia militans debet conformari Ecclesiae triumphantis. Cum ergo in caelo beati et angeli honorant se, congaudentes mutuo pro uniuscuiusque gloria, sicut per propria*, ut dicit Gregorius et Richardus. Debemus ergo et nos, si volumus futuri eorum concives fieri, congratulari et singulos saltem pro suis festis honorare. Secundo ratione iuridica, quia II. q. VII. „Qualis” per Clementem papam dicitur, quod *digni sunt damnatione, qui patribus spiritualibus fulgentibus contumeliam inferunt*. Beatus Stephanus est patronus noster, ergo est honorandus. Tertio ratione philosophica, quia *virtuti perfectae non fit condignus honor. Est quippe honor praemium virtutis, propterea pravus non est honore dignus, sed solus virtuosus*, haec IV. Ethicorum. Sed beatus Stephanus fuit virtuosissimus et sanctissimus, ergo honore dignissimus. Unde de eius sanctissimis virtutibus loquentes accipimus ad eius honorem haec verba Scripturae: *Misericordia et veritas – Lyra: id est iustitia – custodiunt regem*. Nam ut ait Gregorius: *Misericordia sine iustitia est pusillanimitas, et iustitia sine misericordia est crudelitas, quae destruunt regem et regnum, sed temperata insimul vel mutuo custodiunt regem et regnum, et sic roborabitur clementia, scilicet temperata cum iustitia thronus regis*. Et haec claruerunt in beato Stephano, ut patet in legenda ipsius. Iuxta haec ergo verba tria mysteria notabimus pro sermone, secundum quod de his tribus commendatur hic sanctus et in exemplum ponitur. · Primo de aequitate iustitiae · Secundo de sanctitate eius observantiae · Tertio de pietate clementiae Haec clarent ex themate. (B) Circa primum de iustitia accipiamus pro conclusione sententiam beati Gregorii papae XII. q. II. c. „Cum devotissimam” post medium dicentis: *Summum in rebus bonum est iustitiam colere ac sua cuique iura servare, quam diligere debent boni, et qui eam violant, sunt membra diaboli*. Haec ibi. Et declaratur conclusio ac probatur: · Primo ex Christi Iesu commendatione · Secundo ex legum obligatione · Tertio ex philosophorum approbatione · Quarto ex eius fructuum valore Primo ex Christi Iesu commendatione. Nam ipse adeo commendavit iustitiam, ut omnes eam desiderantes beatos diceret. *Beati – inquit –, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Matth. V. 2 Ubi secundum Chrysostomum *iustitia accipitur, prout est universalis virtus, quam qui esuriunt, beati*. Adverte ergo, quod non dicit beati, qui cupiunt pecuniam, ut avari sunt, nec qui saecularem potentiam cupiunt, ut superbi, nec qui carnis voluptatem, ut luxuriosi, quia omnes tales non sunt beati, sed miseri, nec saturabuntur, sed aeterna fame et siti ac omni malo cruciabuntur. Sed beati, qui desiderant iustitiam. Unde Hugo super ecclesiastica hierarchia dicit: *Iustitia altior caelo est, et non solum caelo, sed et his, qui sunt in caelo, id est angelis, quia angeli supra id, in quo sancti fuerunt, per iustitiam ascenderunt. Iniquitas autem profundior est Inferno. Quantum ergo ascendit, qui de Inferno ad caelum ascendit, tantum ascendit, qui de iniquitate ad iustitiam redit, scilicet per veram poenitentiam. Quantum vero descendit, qui de caelo ad Infernum cadit, tantum descendit, qui de iustitia ad iniquitatem ruit*. Haec Hugo. Et sic patet, quod iustitia est multum amanda. Secundo ex legum obligatione, quia omnis lex iustitiam clamat et ad eam obligat. Unde Augustinus li. I. De libero arbitrio dicit: *Non videtur esse lex, quae iusta non fuerit*. Unde in quantum habet de iustitia, intantum habet de veritate legis. Hinc et Isidorus li. Etymologiarum – et habetur in Decretis dist. I. „Ius generale” – dicit: *Lex iuris est species. Ius autem est dictum, quia iustum est*. Idem: *Iudex dictum est, quia ius dictat populo iuste iudicando. Non enim est iudex, si non est iustitia in eo*, XXIII. q. II. „Iustum”. Unde patet, quod *omnis lex ad iustitiam obligat, scilicet tam lex divina, quam humana, etiam ipsa lex naturae, quae dictat aliis facere, quod quisque sibi vult fieri, et non inferre alii, quod sibi nolit fieri*, dist. I. c. I. (C) Proinde si quaeritur: Quid est lex? Respondet Franciscus de Mayronis in II. Sententiarum: *Est ars honeste vivendi, ligans hominem ad sui observantiam*. Sed heu modo verificatur in hominibus illud dictum philosophi Anaxagorae, qui de ipsa lege (ut fertur) quale quid foret, dixit, quod *lex est tela quaedam araneae, quae minora capit animalia, maiora autem ipsam pertranseunt. Nam eam magna musca intrans lacerat et pertransit, parva autem in ea capitur*. Sic magnates et principes transgrediuntur legem, nec capiuntur aut puniuntur, homines autem minores per legem puniuntur. Sed videant omnes divinum iudicium, quia iniustitia est peccatum mortale et damnabile, eo quod contrariatur charitati. Unde et Ps.: *Non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos*. 3 Et sic patet, quod iustitiam omnes homines debent amplecti, sine qua non est salus. Tertio patet ex philosophorum approbatione. Nam Aristoteles V. Ethicorum dicit: *Praeclarissima virtutum moralium videtur esse iustitia, et nec Hesperus, nec Lucifer ita mirabiliter lucet*. Item Tullius De officiis dicit: *Iustitia virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur*. Item Valerius li. VI. refert, quod *Zalentius 4 princeps statuerat legem, quod deprehensus in adulterio utroque privaretur oculo. Cumque ipsius filius unicus fuisset deprehensus, nullo modo illi pepercit, etiam rogatu omnium suorum, quin iustitiam legis datae impleret. Sed ne omnino ille filius eius caecus et regno ineptus efficeretur, unum oculum sibimet, et alium filio erui fecit, et sic legi satisfecit*. Ecce quantum amaverunt iustitiam pagani, quomodo ergo excusantur Christiani? (D) Quarto patet ex fructuum iustitiae valore. Quaeritur namque, quomodo vel in quibus reputatur iustitia praevalere ceteris virtutibus moralibus. Ad quod respondendo secundum doctores plures colliguntur rationes. *Prima ratio dicitur generalis necessitatis, quia iustitia est tantae necessitatis ac virtutis, quod sine ea nulla virtus habet rationem virtutis. Et sic quantum ad hoc iustitia est nobilior ceteris*, secundum Thomam II. II. q. LVIII. ar. XII. Secunda ratio nobilitatis. *Bonum enim quanto est communius, tanto nobilius et divinius*, I. Ethicorum, sicut nobilius est esse bonum in se et ad aliud, quam in se solum. Verbi gratia: Nobilius est lucere et illuminare simul alia, quam lucere solum in se, et melius est esse divitem in se et aliis distribuere simul, quam sibi soli divitias servare. Item melius est esse sapientem in se et simul alios docere et sapientes



facere, quam in se solum sapientem esse, iuxta illud Eccli. XX.: *Sapientia abscondita et thesaurus invisus – quae utilitas in utrisque?* 5 Sed quia aliae virtutes, ut temperantia, fortitudo et prudentia ordinantur ad bonum particulare unius hominis, iustitia autem ad bonum commune, ergo sequitur, quod sit nobilior iustitia ceteris virtutibus particularibus, scilicet ieiunio vel abstinentia, castitate, paupertate. Tertia ratio fructuositatis. Nam dicit Ambrosius in Hexaameron, quod *nulla virtus abundantiores fructus videtur habere, quam iustitia*. Et hoc ostenditur ex pluribus fructibus eius. Primo quia iustitia habet fructum amoris divini. Nam Deus amat iustos adeo, quod dicit Ps.: *Non vidi – inquit – iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem*. 6 At econtra dicit de impiis: *Vidi impium superexaltatum, transivi, et non est inventus locus eius*. 7 (E) Secundo habet fructum benedictionis, scilicet in prole et multiplicatione. Nam videmus, quod lupus licet plures fetus generat simul, scilicet quam ovis, et insuper oves devoret, sed et homines oves ipsas mactent et comedant, et tamen adhuc plures sunt oves, quam lupi in mundo. Sed quare hoc? Respondetur dimittendo rationes naturales, quod ideo, quia Deus sic vult, unde Sap. IV. dicitur de impiis, quod *non dabunt radices altas et stabiles*, 8 ad quod significandum videmus sic ordinatum a Deo, scilicet quia non multiplicantur animalia, quae sunt rapacia, et sic iniustos homines videmus non habere proles, aut si habent, parum, vel raro supervivunt. Sed de iustis dicit Salomon Prover. XII.: *Domus iustorum permanebunt, radix enim iustorum proficiet*. 9 Haec ibi. Tertio iustitia habet fructum conservationis. Ambrosius De officiis dicit: *Aequitas imperia confirmat, et iniustitia dissolvit*. Nam scribitur Eccli. X.: *Regnum a gente in gentem transfertur propter iniustitias et contumelias et dolos*. 10 Quarto habet fructum ditationis. Ambrosius De officiis: *Sapienti et iusto totus – ait – mundus divitiarum est, sed de rebus male quaesitis non gaudebit tertius heres*. Item si etiam impius habeat multa, quomodo dives est, si se ipse non habet, sed a diabolo possidetur per peccatum. Quinto fructum habet exsuperationis. Unde Origenes super li. Iudicum lectione VI. dicit: *Iustitia etiam si viribus infirma sit, vincit, iniustitia vero si multos validos propugnatores habeat, superatur*. Exemplum de filiis Israel paucis contra magnos reges. Sexto habet fructum famulatus creaturae omnis et nullius timoris. Unde Hieronymus super Iosue IV. dicit: *Peccatori omnis – inquit – creatura hostis est, nihil autem est, quod iustus metuat, omnis ei creatura famulatur. Unde per prophetam promittit ei Deus dicens: Si transieris per ignem, flamma non nocebit te*. 11 Haec ille. Septimo habet fructum glorificationis, scilicet post hanc vitam in beatitudine. Sap. V.: *Spes impii quasi lanugo est, id est flos vernalis, iusti autem in perpetuum vivent, et apud Deum est merces eorum, accipient regnum decoris de manu Domini*. 12 Et sic patet, quod scilicet iustitiam omnes boni debent diligere. Haec bene cogitavit beatus Stephanus, et idcirco iustitiam multum dilexit. O ergo Christiane, vide bonitatem iustitiae et malitiam iniquitatis, et recognoscens, quia non salvaberis, nisi per iustitiam, ergo amplectere eam. (F) Circa secundum de sancta observantia iustitiae occurrit gratia praemissorum quaestio, scilicet quae sunt praecepta iustitiae, sine quorum observantia non potest homo salvari. Ad quod secundum doctores theologos et iuristas respondetur, quod praecipua quinque sunt praecepta iustitiae, ad quae omnis homo secundum suum modum et statum obligatur sub necessitate salutis, et haec scire est utile, videlicet: Primum est honeste vivere, et hoc habetur expresse ff. de iust. et iure l. iustitia. *Honestas autem secundum Isidorum I. Etymologiarum dicitur quasi honoris status, et sic ille vivit honeste, qui nil turpe, id est nullum periculum in se admittit, sed virtuose vivit, quia virtuti in praemium debetur honor*, IV. Ethicorum. Hinc Ambrosius li. I. De officiis: *Quid aliud est honestum, nisi ut fugienda – id est vitia – fugiantur*. Proinde et Hieronymus in Epistola ad filiam Mauritii dicit sic: *Iustitia non aliud est, quam non peccare. Non peccare autem est praecepta omnia legis servare*. Haec ille. Secundum praeceptum est alterum non laedere, ut expresse habetur in ff. quo supra. Unde Anselmus de gratia et libero arbitrio: *Non omnibus – inquit – iustis promissa est vita perpetua, sed illis tantum, qui sunt iusti, scilicet in se et sine omni iniustitia, scilicet quoad proximum, quia sicut beatitudo est sine omni indigentia, ita nulli datur nisi iusto sine omni iniustitia*. Haec ille. Et sic patet de usurariis et raptoribus ac huiusmodi, qui damnantur. Tertium iustitiae praeceptum est *reddere suum ius unicuique*, ut ff. et l. supradictis. Notandum secundum Rainerium in Summa titulo de beatitudinibus, quod quilibet homo obligatur primo ipsi Deo reddere ius suum, tamquam pro tributo in tribus, videlicet honorando creatorem, amando redemptorem, timendo iudicem. Secundo obligatur superiori oboedientiam. Tertio compari concordiam. Quarto inferiori misericordiam. Quinto sibi ipsi vitae munditiam. Quartum est iuste iudicare et ius rectum dictare, nam *iustitia dicitur quasi iuris status* secundum Isidorum extra de verbo. sig. „Forus”. Ideo Isa. X.: *Vae qui condunt leges iniquas, scribentes iustitiam, ut opprimerent in iudicio pauperes, ut essent et pupilli praeda eorum*. 13 Quid facietis in die visitationis? Quintum est malos corripere. Unde Isidorus praedicto c. „Forus” dicit: *Iustitia non potest cum scelerato homine habere consortium*. Seneca: *Iustus ut sis, non solum non nocebis, sed et nocentes prohibebis*. Quoniam LXXXVI. dist. „Culpam” Chrysostomus dicit: *Facientis culpam habet, qui quod potest, negligit emendare*. Nam scriptum est Ro. I.: *Digni sunt morte non solum, qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. 14 Ad propositum beatus rex Stephanus haec omnia servavit. Unde et Hungaris decretum statuit, ut scilicet erga Deum fidem tenerent, nemo alium hostiliter invaderet, nemo vicinum sine iudicii examine laederet, viduas et orphanos nullus opprimeret, ecclesiam nemo devastaret, sed Ecclesiasticis honorem impenderet. O utinam domini Hungari haec observarent! Sed heu videmus multa contraria fieri. Sed omnes audiant illud Esa. V.: *Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis*, 15 scilicet in hora mortis, quando corpus habebunt vermes, animam daemones, substantiam temporalem mundani homines. O homo, adverte haec etc. (G) Circa tertium de pietate vel clementia accipiamus pro conclusione, quod omnes homines et praecipue reges et nobiles debent pietatem multum amare, ut sint scilicet Christo regi consimiles. Et declaratur per plures rationes. Prima ratio assimilationis scilicet divinalis et acceptationis, quia *similitudo est causa dilectionis* per Philosophum II. De anima. Et Eccli. XIII.: *Omne animal diligit sibi simile*. 16 Sed *pietas super omnia assimilat Deo et Christi Dei Filio, cuius proprium est misereri semper et parcere*, ut canit Ecclesia, unde et Christus inimicis non solum pepercit, sed et pro eis oravit, immo pro nobis inimicis mori voluit, et *tantam pietatem ostendit, quod cum una gutta sanguinis eius sufficeret pro toto mundo*, sicut dicit Bernardus, *voluit tamen ex charitate totum sanguinem pro nobis effundere*. Hinc Chrysostomus: *Nil ita nos Deo assimilat, sicut pietas, praecipue in iniuriarum remissione*. Secunda ratio benignitatis naturalis et miserationis. Nam dicit

Philosophus in Politicorum, quod *homo est animal naturaliter mansuetum et pium*. In cuius signum non dedit natura homini unguis acutos ad lacerandum, sicut videmus in avibus rapacibus, nec cornua ad ventilandum, sicut habent animalia ferocia, nec aliquid aliud, quo crudeliter laederet. Sicut ergo Christus, rex regum nobilissimus fuit naturaliter pius, sic debent esse omnes homines, praecipue reges et nobiles. Unde Seneca De clementia dicit: *Nulla in hominibus maior clementia, quam regem et principem decet*. Idcirco ut in physiognomia Aristotelis scribitur: *Nobiles habent naturaliter longiora brachia ad significandum largitatem et pietatem*. [(H) ] Tertia ratio conditionis laudabilis et magnanimitatis. Unde Seneca li. III. De clementia dicit: *Proprium est magnanimitatis non sentire offensionem*. Et Aristoteles IV. Ethicorum dicit: *Non est magnanimi recordare mala, sed despiceret, hinc et nobilis iudicatur ira leonis, quae novit parcere prostratis*, ut dicit Ambrosius in Hexaameron. Sed dicunt aliqui: „Si non vindicarem me de inimico, verecundia mihi foret et oppressio.” Ad quod responderetur, quod non, immo esset honorabilius parcere, quia Seneca dicit, quod *honestissimum genus vindictae est ignoscere*. Exemplum habemus in Deo, qui omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestat, ut canit Ecclesia in collecta. Item confert hoc ad exaltationem, ut patet in David. Legitur in epistolis Aristotelis ad Alexandrum regem, ubi *quaerit Aristoteles: O Alexander, quis est, qui praeest toti mundo? Respondit: Cor Alexandri. Ad quod rescripsit iterum dicens: Quis est, qui regit orbem? Ille respondit: Ego. Ad quem iterum rescribens dixit: Si vis facere, quod tibi dico, dominus eris duplo, quam es. Si cordi tuo dominaberis et inimico tuo indulseris, duplo dominus eris*. Haec ibi. Nam et Proverb. XVI. scribitur: *Melior est vir patiens viro forti, et qui dominatur animo expugnatore urbium*. 17 Quarta ratio dignitatis nobilis et virtutis. Nam Ambrosius LXXXVI. dist. „In singulis” dicit, quod *miseriordia est pulchritudo et perfecta forma virtutum, et ideo maxime condecet nobiles, sicut et condecebat Christum Dominum, nobilissimum regem*. (I) Nimirum quia solent principes ut communi in scutis suis portare pro clenodio aquilam vel leonem, nisi ut doceantur esse clementes, necnon et simul iustitiam diligentes. *Aquila enim secundum Plinium in speculo naturali pie largitatis est, quia numquam praedam captam totaliter comedit, sed ceteris comedendam partem relinquit*. Sic et de leone fertur. Et denique cum hoc aquila inimica est serpentum et leo rebellium ac superbiorum animalium, qui tamen parci prostratis. Sic principes debent esse misericordes et contra iustitiae oppressores defendere pauperes. Unde Hieronymus XXIII. q. V. „Regum” dicit: *Regum proprium est facere iudicium et iustitiam, et vi oppressos eripere, peregrinis, pupillis et viduis auxilium praebere*. Haec ille. (K) Quinta ratio eminentis fructificationis. Nam si quaeras: Quid est maioris meriti et praemii? Utrum ieiunium, vigiliae et huiusmodi corporales exercitationes, an pietas? Apostolus respondet I. Timo. IV. dicens: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas ad omnia valet*. 18 Item si quaeras: Utrum lacrimae contritionis praevaleant, quam devotionis? Bernardus super Cantica respondet dicens sic: *Bonum est unguentum contritionis, quod fit de recordatione peccatorum, melius est unguentum devotionis, quod fit de recordatione beneficiorum Dei. Utrumque vincit unctio pietatis*. Haec Bernardus sermone XII. super Cantica. Denique pietas valet ad vitam aeternam adeo, quod ipse Christus de hoc disceptabit in iudicio, et retribuet vitam aeternam pro operibus pietatis, Matthaei XXV.: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod etc. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, sitivi, et dedistis bibere etc*. 19 Hinc Hieronymus ad Nepotianum dicit: *Numquam legi aut vidi mala morte, id est damnabili, mortuum eum, qui libenter opera pietatis exercuit*. Ad propositum: Beatus rex Stephanus haec recognoscens pietatem multum amavit, et tota vita diligentissime exercuit, in cuius praemio iam perpetuo beatus laetatur in caelo cum Christo. O ergo carissimi, sequamur et nos pietatem, et rogemus Christum Dominum, ut beati Stephani meritis det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Quartum sermonem vide in communi sanctorum 20.

---

1 Prv 20,28 2 Mt 5,6 3 Ps 5,5-6 4 Recte: Zaleucus 5 Sir 41,17 6 Ps 36,25 7 Ps 36,35 8 Sap 4,3 9 Prv 12,7; 12,3 10 Sir 10,8 11 Cf. Is 43,2; Sir 28,26 12 Sap 5,15-17 13 Is 10,1-2 14 Rm 1,32 15 Is 33,1 16 Sir 13,19 17 Prv 16,32 18 I Tim 4,8 19 Mt 25,34-35 20 Vide PA 117: De quocumque confessore communis sermo vel PA 118: De quocumque confessore communis sermo.



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LV.] De sancto Bartholomaeo apostolo Sermo primus cum legenda *Percusserunt me et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum*. Can. V. 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Ista verba bene potuit dicere beatus Bartholomaeus, qui pro Christo percussus fuit, fustibus fuit etiam vulneratus et capite truncatus, et fuit excoriatus, propter quod dicere potest: *tulerunt pallium meum*, id est pellem, qua tergebar. Ex quibus claret, quod ipse dilexit Christum ardentissimo amore, pro quo tot et tam acerba pati voluit. Nam dicit Gregorius, quod *probatio dilectionis est exhibitio operis. Amor enim Dei non potest esse otiosus, operatur enim magna, si est, si autem operari renuit, amor non est*. Haec ille. Maxime ergo Christum amasse probatur tum quia omnia pro Christo contempsit, tum quia seipsum in mortem tam acerbam pro Christo tradidit. Ipse quippe Salvator ait Ioh. XV., quod *maior charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. 2 Fecit ergo beatus Bartholomaeus, sicut solent homines ex nimio calore deponere pallium vel vestimentum. Sic ipse ex fervore divini amoris deposuit carnis pellem in passione. Unde potest dicere haec verba praedicta, scilicet: *Percusserunt me et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum*. Ex quibus verbis eliciens videtur beatus Bartholomaeus commendari de tribus. · Primo de perfecta abrenunciatione temporalium, quod significatur per depositionem pallii · Secundo de propria abnegatione, quod significatur per sui expositionem · Tertio de acerba passione, quod patet per poenarum denotationem (B) Circa primum de temporalium renunciatione. Ex quo Christus dicit Luc. XIV.: *Qui non renunciaverit omnibus, quae possidet, non potest esse meus discipulus*. 3 Quod perfectissime implevit beatus Bartholomaeus. Occurrit hic quaestio: Cur Christus voluit suos discipulos et praecepit abrenunciare temporalibus? Ad quod responderetur per plures rationes recolligendo ex plurimorum dictis doctorum. Pro quibus vide: Prima ratio angustiae mortis et pertransitionis. Unde Bernardus:

*Angusto foramine mortis exeundum est, nil asportare nobis licet.* Ut nempe ait Apostolus I. Tim. VI.: *Nil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* 4 Hinc et Salvator ait Matth. VII.: *Angusta porta et arta via, quae ducit ad vitam.* 5 Et Matth. XIX.: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum caelorum.* 6 Lyra: non dicit: impossibile, sed *difficile*, quia difficile est divitias possidere et non teneri nimis amore earum, secundum quod dicit Augustinus in Epistola ad Paulinum: *Bona terrena diliguntur artius adepta, quam concupita, sicut membra incorporata difficiliter divelluntur, quam extranea repudiantur.* Et subdit Christus ibidem: *Facilius est camelum per voramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum.* Et hoc intellexit de divite confidente in divitiis et in ipsis finem constituente, ut expressius patet in textu Marc. X. 7 Nam tales impossibile est intrare in regnum caelorum ordinata Dei iustitia. Sed camelum non repugnat iustitiae divinae transire per foramen acus, ergo etc. Secunda ratio contrariationis, scilicet charitatis. Nam ut Augustinus ait li. LXXXIII Quaestionum: *Venenum charitatis est cupiditas, et quantum crescit charitas, tantum decrescit cupiditas, ac e converso: quantum crescit cupiditas, tantum decrescit charitas.* Cum ergo Christus venerit mittere ignem charitatis in terram, Lucae XII. 8, ergo debuit exstinguere prohibens cupiditatem. Nam secundum Avicennam et Philosophum in Problematum: *Numquam venenum in igne manet, nec simul se compatiuntur, sed aut exstinguit ignem, aut exsilit ab igne.* Proinde Augustinus dicit: *Vas es, o homo, sed plenum es, funde, quod habes, scilicet amorem saeculi, ut recipias, quod non habes, id est amorem Dei.* Tertia ratio ruinationis, nam cupiditas ruere facit in multa vitia et in laqueum diaboli ac perditionem. Unde I. Tim. VI.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in temptationem et in laqueum diaboli et desideria multa, quae mergunt in interitum.* 9 Radix enim omnium malorum est cupiditas. Lyra: quia sicut radix praestat fomentum omnibus partibus arboris, sic divitiae omnibus peccatis, scilicet superbiae, fastu, rapinae, usurae, luxuriae, fraudi, gulae, irae et bellis iniustis, otio, periurio, et sic de aliis. Proinde Gregorius dist. XLVII.: *Bonorum – inquit – auctori aliter inhaerere non valemus, nisi cupiditatem, quae omnium malorum radix est, a nobis abscindamus.* Haec ille. Quarta ratio infectionis. Nam divitiarum cupiditas adeo animam inficit per amorem, ut idolatria iudicetur, et ab hereditate Christi alienus. Eph. V.: *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei.* 10 (C) Sed quaeritur: Quare avarus dicitur idolatra, cum non videatur fidem Christi abnegare? Respondet Chrysostomus super Iohannem homilia LXV. dicens: *Tanto ceteris peior idolatra est avarus, quanto ipse non boves et oves immolat suo deo, id est divitiis, sed animam et corpus proprium ei sacrificat ad aeternam damnationem.* Et sic patet, quod non proprie, sed similitudinarie dicitur idolatria. Tum quia auro vel divitiis fidem servat, ne ipsas laedat minuendo, sed potius augeat offenso Christo. Tum quia in illis confidit, et praediligit eas, quam Deum verum. Et sic eas adorare videtur sacrificando se totum illis, et non Deo. Quinta ratio anxietatis inutilis cordis, quia Bernardus dicit et experientia docet: *Divitiae temporales adquiruntur cum magno labore, et custodiuntur vel servantur cum magno timore, atque amittuntur cum magno dolore.* Iuvenalis: *Ploratur lacrimis amissa pecunia veris.* Et sic cor infructuose semper sollicitat cum anxietate, et mentem lacerant curis. Item quod est peius, quia numquam animum satiant, sed quanto plus abundant, tanto ad plus acquirendum anhelant homines. Unde idem Iuvenalis poeta dicit: *Crescit amor nummi, quantum pecunia crescit.* Item Ecclesiastici V.: *Avarus numquam implebitur pecunia. Et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* 11 (D) Quaero namque: Quid est illud, quod quanto diligentius custoditum reservatur, tanto nil valet, sed quanto magis dispergitur, tanto est utilius et fructuosius? Respondetur, quod fimus et consimiliter divitiae. Propter quod Apostolus convenienter haec terrena stercoribus comparat, ad Phil. III. dicens: *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucri faciam.* 12 Sicut enim fimus vel stercus animalium si servatur, nil valet, sed foetore aerem corrumpit, si autem spargitur in campis, facit terram fructiferam, sic divitiae conservatae nil valent, sed potius animam corrumpunt et maculant peccato avaritiae. Sed si pauperibus dantur, fructum faciunt aeternum, Ps.: *Dispersit, dedit pauperibus* etc. 13 Item quid est illud, quod numquam potest satiari. Respondet Salomon 14 Prover. XXX.: *Tria sunt insatiabilia, et quartum numquam dicit: sufficit: Infernus.* Lyra: id est diabolus, qui semper plus et plus nititur trahere ad se peccatores. Item *os vulvae*, id est luxuria, quae etsi ad horam aliquo modo satiatur, tamen postmodum ad appetendum acrius inflammatur. Item *terra*, quae numquam satiatur aqua, cuiusmodi est terra sabulosa. *Ignis vero numquam dicit: sufficit*, 15 quia ex appositione combustibilium crescit virtus eius ad amplius comburendum. Nimirum cum praedicta sint insatiabilia, tamen Infernus quandoque dicit: *sufficit*, scilicet in iudicio completo numero reproborum. Carnis etiam concupiscentia in senectute et in infirmitate gravi, quando peccare non potest, dicit: *sufficit*. Terra quoque nimia pluvia inundante, quam non potest inbibere, dicit: *sufficit*. Sed ignis avaritiae numquam dicit: *sufficit*, ut iam supra dictum est. Si dicas: Nonne in senectute vel hora mortis dicit *'sufficit'* ipsa avaritia? Respondet Hieronymus: *Cum – inquit – omnia vitia in homine senescunt, sola avaritia iuvenescit, immo avarus etiam in ipsa hora mortis cuperet, si posset portare secum suas divitias.* Et patet, quia anhelat suspirans, quod velit-nolit oportet relinquere. O ergo pessimus vitium sic animas illaqueans, o quot animas perdidisti, o infelicissimus amor mundi, quot iam per te sustinent tormenta gehennae. Unde Augustinus li. de verbis Domini dicit sic: *Quae est ista aviditas concupiscentiae, cum et ipsae beluae habeant modum? Tunc rapiunt, quando esuriunt, parant praedae, cum fuerint satiatas. Insatiabilis est sola avaritia divitum, semper rapit, numquam satiatur, nec timet, nec honorem reveretur, nec patri parcat, nec amico fidem servat, viduam et pupillum invadit, falsum testimonium fert, res mortui occupantur quasi, et qui faciunt, non morerentur. Quae est ista insania: amittere vitam, appetere gehennam, acquirere aurum et perdere caelum?* Haec Augustinus. Propterea Christus praecepit contemptum mundi. Beatus Bartholomaeus amore Christi omnia reliquit, ergo etc. Sed adhuc restat quaestio ex praemissis de obligatione, quae subsequitur. (E) Circa secundum de propria abnegatione sit pro conclusione sententia beati Gregorii homilia de martyribus dicentis, quod Christus praecepit abnegare et relinquere discipulis sua et se. Non enim sufficit relinquere sua, nisi reliquerit et seipsum. Et addit: Fortasse non est laboriosum homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum, iuxta illud videlicet Christi praeceptum: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam* etc. 16 Ad id Auctor li. de interna conversatione iuxta Bernardum dicit: *Si quis distribuerit omnem substantiam suam propter Deum, adhuc nihil est, et si intraverit*



religionem et fecerit magnam poenitentiam, adhuc longe est, et si habuerit ardentem devotionem, adhuc sibi deest unum, quod summe necessarium est. Quid est illud? Respondet, ut videlicet relictis omnibus relinquat semetipsum, nil de privato amore retineat ad seipsum. Cumque omnia fecerit, quae facienda noverit, nil se fecisse arbitretur. Haec ibi. (F) Quaeruntur ergo hic pro informatione simplicium duo. Primum quaesitum est, utrum Christianus possidens terrena quaeque bona possit dici veraciter discipulus Christi. Haec quaestio oritur ex eo, quod primo articulo praemissum est, quia Christus praecepit dicens: *Qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Ad quod respondetur secundum Lyrum ibi et doctores notando, quod discipulatus Christi dupliciter potest intelligi. Uno modo generaliter secundum statum communem fidelium, et ad hoc sufficit fides catholica cum observatione mandatorum. Alio modo cum hoc per observantiam consiliorum, et hoc intellige vel omnium, ut potissime fuerunt apostoli, vel aliquorum consiliorum, secundum quod quis voto professionis se in aliqua religione vel observantia obligavit. Et in utroque statu ut vere dicatur quis discipulus Christi, requiritur repressio concupiscentiarum tam terrenarum rerum, quam carnalium voluptatum et deliciarum proprii corporis quantum ad hoc, quod nullus eorum mortale peccatum admittat, vel transgrediendo mandata, vel praetermittendo vota sua. Unde patet, quod omnis Christianus communiter servans praecepta Christi et fidem dicitur vere Christi discipulus, qui autem servat etiam consilia, dicitur perfectior Christi discipulus. Et sic patet, quod Christus non praecepit omnibus suis discipulis relinquere omnia quoad effectum realemque contemptum, sed quoad affectum, hoc est, ut prae omnibus terrenis Deum diligant. Illi autem, qui voto religionis professi sunt, tenentur etiam effectum omnia relinquere, quoniam paupertatem, oboedientiam et castitatem vovere habent. Proinde si quis Christianus divitias plurimas possidet, dummodo illas citra Deum amet, nec praecepta Dei transgrediatur, discipulus Christi comprobatur, unde dist. XXX. „Haec praescripsimus” Decretum dicit: *Et religionem Deo acceptissimam esse dicimus, et renuntiationes saecularium negotiorum atque actuum cum humilitate approbando laudamus, et nuptiarum vinculum, quod secundum castitatem perdurat, honoramus, et divites cum iustitia et operibus bonis, scilicet misericordiae, non abicimus.* Haec ibi. Et sic patet responsio ad quaesitum. (G) Secundum quaesitum, utrum amare seipsum vel propriae carnis commodum sit mortale et damnabile peccatum, hoc oritur ex eo, quod praecipitur: *abnegate seipsum.* Ad hoc respondetur secundum doctores, praecipue Hermannum de Schilditz, quod non est mortale, etiam si plus quis se amet, quam expedit, sed tantummodo si amor sui crescit in contemptum Dei vel transgressionem praecepti Ecclesiae vel gravem iniuriam aut nocumentum proximi, tunc est mortale, secus si iniuria esset modica. Exemplum de his: si quis, ne laedatur in corpore vel gravetur, mortale peccatum admitteret, vel si quis ex praecepto Ecclesiae obligatur ieiunare et bene posset, sed non vult corpus gravare, vel si quis vovisset aliquam carnis afflictionem vel religionis ingressum, et propter parcendum carni non impleret, tales mortaliter peccarent. Item si quis ex officio vel debito obligatur proximum defensare, et parcens labori ille grave damnum vel iniuriam incurrit, ex istius negligentia iste peccat. O ergo homo, exemplo beati Bartholomaei discite abnegare et te pro Christo. (H) Circa tertium de acerbitate passionis accipe pro conclusione, quod beatus Bartholomaeus claruit Christum Iesum permaxime amare in tolerantia acerbissimae poenae, quod patet prosequendo historiam. Legenda Apostolus quippe Bartholomaeus veniens in Indiam, quae est in fine orbis, intravit templum, in quo erat idolum nomine Astaroth, in hoc idolo daemon habitabat, qui se languentes curare dicebat, qui tamen non sanando, sed a laesione cessando subveniebat. Cum ergo templum plenum esset languentibus, et quotidie sacrificantibus nullum daemon daret responsum, perrexerunt viri ad aliam civitatem, ubi aliud idolum, nomine Berith colebatur, et interrogarunt illud, cur Astaroth non daret responsum. Ille respondit: „Deus vester catenis igneis constrictus est, nec loqui audet ex eo tempore, quo apostolus Bartholomaeus ingressus est.” At illi: „Quis est iste Bartholomaeus?” Et daemon: „Amicus – ait – est omnipotentis Dei, qui ideo venit, ut omnes deos ex provincia ista evacuet.” Tunc illi: „Dic nobis signa, quibus eum cognoscere valeamus.” Quibus daemon ait: „Capilli eius crispis et nigri, oculi grandes, nares directae, barba prolixa habens paucos canos, colobio albo clavato purpura vestitur per singulos angulos gemmis ornato, vigintisex anni sunt, ex quo vestes eius et sandalia nec veterascunt, nec sordidantur, centies flexis genibus per diem orat et centies per noctem, angeli Dei cum eo ambulant, qui numquam eum fatigari nec esuriri permittunt, omnium gentium linguas novit, et omnia praevidet, et quod vobiscum loquor, ipse iam novit. Sed cum eum inveneritis, rogetis, ne huc veniat, ne angeli sic me ligant, sicut socium meum.” Reversi quaesierunt duobus eum diebus, nec invenerunt. Sed quadam die daemionicus quidam exclamavit dicens: „Apostole Dei, Bartholomaeae, incendunt me orationes tuae.” Cui ille: „Obmutesce et exi ab eo!” Et statim liberatur. Quod audiens rex nomine Polemius misit ad apostolum rogans, ut ad se veniret, et filiam suam lunaticam sanaret. Et venit apostolus, ac eam statim a daemone liberavit. Tunc rex camelos oneratos auro et argenteo ac pretiosis lapidibus apostolo misit. Cui ille respondit: „Ista munera sunt necessaria his, qui terrena requirunt, ego autem nil terrenum, nil carnale desidero.” Tunc coepit multa de modo nostrae redemptionis docere. Et cum sacramenta fidei praedicasset, regi dixit, quod si baptizari vellet, deum suum catenis ligatum, id est daemonem in idolo latentem sibi ostenderet. Sequenti ergo die iuxta regis placitum dum pontifices idolo sacrificarent, coepit clamare daemon dicens: „Cessate, miseri, sacrificare mihi, ne peiora me patiamini, qui catenis igneis ab angelis Iesu Christi crucifixi sum religatus.” Tunc apostolus praecepit, ut daemon exiret, idolumque comminueret, et sic exivit. Deinde fusa oratione ab apostolo omnes infirmi sanati sunt protinus. Tunc apostolus templum Deo dedicavit, et ecce angelus Domini apparuit, et in quattuor angulis templi signum crucis suo digito sculpsit, et dixit: „Tale signum in vestris frontibus imprimatis, ne timeatis deum vestrum, quem ostendam vobis.” Et ecce ostendit diabolus in specie Aethiopsis nigrioris fulgine, oculis igneas scintillas ut ferrum ignitum emittentibus, facie horrendissima, flammam sulphuream ex ore spirantem, catenis igneis vinctum tergo manibus. Et dixit ei angelus: „Quoniam ad iussum apostoli idola confregisti, et exivisti de templo, solvam te, ut vadas in locum desertum, ubi nullus hominum moratur, et ibidem sis usque ad diem iudicii.” Ille ergo solutus cum magno strepitu et ululatu disparuit, et angelus Domini cunctis videntibus in caelum evolavit. Tunc rex cum uxore, filiis et populo cuncto baptismum suscepit. (I) Ad haec commoti pontifices templorum ad Astragem regem, fratrem Polemii convenerunt, et conquaesti sunt de his. Astrages ergo indignatus apostolum ad

se duci fecit, et ei ait: „Tu es ille, qui avertisti fratrem meum?” Cui apostolus: „Ego illum non averti, sed converti.” Ait rex: „Sicut tu fecisti illum relinquere deum suum et tuo Deo credere, sic ego faciam te Deo tuo relicto deo meo sacrificare.” Respondit apostolus: „Si tu poteris Deo meo sic facere, sicut ego feci deo illius, quem scilicet ligavi et coegi etc., poteris me ad simulacrum provocare. Sin autem ego deos tuos comminam, et tu crede Deo meo.” Haec illo dicente nunciatur regi, quod deus suus cecidisset, scilicet Baldach, et comminutus fuisset. Ad quod rex mox sua vestimenta scidit, et iussit, ut apostolus fustibus caederetur. Deinde ut beatus Dorotheus dicit, ipsum crucifixit capite verso, scilicet deorsum. Tandem antequam moreretur, ob maiorem cruciatum excoriavit vivum, postremo capite truncatus est. Cuius corpus Christiani honorifice sepelierunt. Rex vero Polemius in episcopum ordinatus viginti annis laudabiliter officium regens plenus virtutibus in pace quievit. Haec de legenda ob brevitate pro isto sermone sufficiant, alia in aliis sermonibus tractanda. O ergo beate Bartholomae, te rogamus, pro amore Christi ora pro nobis.

---

1 Ct 5,7 2 Ioh 15,13 3 Lc 14,33 4 I Tim 6,7 5 Mt 7,14 6 Mt 19,23 7 Mc 10,24-25 8 Lc 12,49 9 I Tim 6,9  
10 Eph 5,5 11 Sir 5,9 12 Phil 3,8 13 Ps 111,9 14 Editio: Salamon 15 Prv 30,15-16 16 Mt 16,24; Lc 9,23

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LVI.] De sancto Bartholomaeo Sermo secundus, scilicet de eius perfecta charitate et privilegiis *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.* Ioh. XIV. 1 (A) Magna et mira est Dei nostri erga nos charitas, quia cum nos Deum amare non possimus, nisi ipse dederit in nobis amorem suum, secundum quod dicit Apostolus Ro. V.: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* 2 Et tamen pro ista charitate dignatur nos reamare, et praemium caeleste donare, ac si ex nobis potuissemus ipsum diligere. Augustinus: *Ille Deum habet, qui Deum amat, qui et plus amando meretur, ut plus habeat, et plus diligat.* Et ideo Christus dicit ubi supra: *Qui diligit me, scilicet per Spiritum Sancti gratiam, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, quia unus est amor Patris et Filii, et manifestabo ei meipsum,* scilicet per apertam visionem deitatis in gloria caelesti. Sic fecit beato Bartholomaeo Deus. Ipse enim perfecte dilexit Christum, et reamatus est a Deo Patre et Filio ac glorificatus maxima gloria in caelo. Idcirco ista verba a Christo dicta sibi et aliis apostolis ac discipulis convenienter accipimus ad eius honorem pro sermone. Iuxta quae verba commendatur beatus apostolus Bartholomaeus de tribus: · Primo commendatur de vero et gratuito Christi amore: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo* · Secundo de ipsius Iesu Christi redamatione: *Et ego diligam eum* · Tertio commendatur de eius caelesti glorificatione, ibi: *Manifestabo ei meipsum* (B) Circa primum de amore vero Christi et gratuito accipiamus pro conclusione, quod beatus Bartholomaeus probatur Christum Iesum amasse vero et perfecto amore. Et declaratur, quia ipsum amavit: · Primo vero corde · Secundo vero ore · Tertio vero opere Primo vero corde, sicut praecepit Dominus Matth. XXII.: *Diliges Deum tuum toto corde tuo* etc. 3 Christus in eo, quod dicit *totum*, non recipit sectionem. Si ergo sic Deum diligis, ut nil nisi propter Deum diligas, vero corde Deum diligere probaris, quia dicit li. Confessionum Augustinus: *Minus te, Domine, amat, qui tecum aliquid amat, videlicet quod non propter te amat.* Proinde Cyprianus de XII abusionibus dicit sic: *Mundi amor et Dei pariter in uno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter caelum et terram nequaquam conspiciunt.* Ex quibus claret, quod homo, qui peccatum facit, vel quodcumque mundanum aut carnale amat contra Dei praeceptum, non vere Deum amat. Sed si tale sine peccato citra et praeter Deum amaret, puta divitias, honores et huiusmodi in Deum ordinans, sic vere amat. Beatus Bartholomaeus contempsit omnia propter Christum, ergo vere amavit. Secundo vero ore amavit Christum, et sic debet omnis Christianus. Nimirum Gregorius in Moralibus dicit: *Quos valde mens amat, hoc ore vel sermone replicat. Nam ex abundantia cordis os loquitur,* Mat. XII. 4 Ex quo patet, quod vero ore Deum amat, qui mala non loquitur, sed de eo saepe relicat in collocutione, in confessione peccatorum, in Dei laude et oratione. Sic fecit beatus Bartholomaeus, qui Christum Iesum praedicare non destitit usque ad mortem, ipsum laudavit et exoravit quotidie centies in die et centies in nocte genibus flexis, et sic omnes actus tam diurnos, quam nocturnos orationibus praeveniebat, sic faciendum est Christiano, unde Augustinus in quadam epistola dicit: *Omne quodcumque inchoaveris facere, primo invoca Deum, et gratias ei age, et cum consummaveris, illud similiter fac.* Item Hieronymus ad Eustochium: *Egredientes hospitium armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat. Nec cibi ante sumantur, nisi oratione praemissa, nec recedatur a mensa, nisi gratiae referantur Creatori, nec prius corpusculum requiescat in lecto, quam anima pascatur.* Tertio amavit opere. Unde I. Ioh. III.: *Filioli mei, non diligamus verbo, scilicet tantum, neque lingua, sed opere et veritate.* 5 Unde Gregorius homilia XXIII.: *Probatio dilectionis exhibitio est operis. Ecce – inquit – si unusquisque vestrum requiritur, an diligat Deum, tota fiducia respondet: diligo.* Et infra: *Ad vosmetipsos, fratres carissimi, redite, si Deum vere amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quidquid animus sine operis attestatione responderit, de dilectione Conditoris lingua, mens, manus et vita requiratur, numquam enim est amor Dei otiosus, operatur enim magna, si autem operari renuit, amor non est.* Haec ille. Ad id etiam Prosper, ut habetur de poenitentia dist. II. „Charitas est”, dicit, quod *charitas Dei facit peccato resistere, bonis operibus abundare, saeculi blandimenta contemnere, et omnia difficilia et aspera perficere.* Beatus Bartholomaeus sic Christum amavit, pro cuius amore seipsum morti exposuit, ergo etc. (C) Quaeritur hic, utrum qualiscumque dilectio Dei et quantumcumque parva sufficiat homini pro salute aeterna. Ratio quaestionis est, quia etiamsi in infimo gradu charitatis sit quis, in statu est salutis. Nam secundum Franciscum super I. dist. XVII.: *Impossibile est existentem in charitate non esse gratum Deo et acceptum ad vitam aeternam, quia implicat contradictionem esse in charitate et non esse carum Deo, ergo in charitate impossibile est damnari.* Sed in contrarium facit, quia non omnis amans Deum gratuite amat, ergo non omnis amor est vitae aeternae meritorius, ut etiam docet

Bernardus super Cantica sermone VII.: *Sed illa – inquit – anima amat Deum gratuite, quae amat caste et sancte in puritate spiritus et propter se.* Respondetur ad haec secundum doctores, praecipue Aureolum in Compendio, qui distinguunt triplicem Dei dilectionem. Prima dicitur innata vel naturalis, quae est bonorum et malorum, etiam infidelium et damnatorum. Quamvis enim culpa mortalis gratiam exstinguat, et damnatio aeternalis excludat misericordiam, tamen naturaliter homini insita sunt haec tria de Deo, quae scilicet nec peccatum excludit, nec desperatio aut damnatio exstinguit. Unum est cognitio Dei, quae secundum Damascenum naturaliter est hominibus insita et etiam daemonibus, unde Dionysius De divinis nominibus c. I.: *Summum bonum omnia desiderant intellectualia quidem et rationalia cognitione.* Hinc I. Ethicorum: *Ratio semper deprecatur ad optima.* Aliud est synderesis, quae est lex rationis naturaliter remurmurans contra malum, et affecta ac stimulans ad bonum in universali. Unde et erubescit homo pro malo opere, cum delaudatur, et delectatur in bono laudabili opere ac gloriatur. Haec synderesis nec in damnatis exstinguitur in respectu, quoad poenam peccati, licet exstinguatur, quoad obstinationem voluntatis malae. Tertium est dilectio naturalis Dei, quia ut dicit Boethius De consolatione: *Unicuique menti naturaliter inserta est veri boni cupiditas.* Augustinus: *Deus quem amat sciens et nesciens.* Sed in damnatis haec dilectio est ita obfusa, ut nullum bonum morale bene velint in particulari, haec non est sufficiens ad salutem. Secunda dilectio dicitur mercennaria vel servilis, qua quis diligit Deum propter beneficia vel quaeque commoda propria etc. De tali Ps.: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* 6 Et talis amor Dei est vitiosus, quia si diligitur Deus propter aliquod aliud, iam illud aliud magis diligitur, quam Deus, iuxta illud I. Posteriorum: *Propter quod unumquodque tale et ipsum magis tale.* Verbi gratia: Tu amas divitem propter pecuniam, ergo pecuniam praeamas. Sic dicente Seneca: *Mel muscae sequuntur, formicae frumentum, cadavera lupi* etc. Tertia est dilectio casta vel filialis, et haec sola est gratuita et sancta, sicut supra dictum est per Bernardum. Ad quaestionem ergo respondetur, quod si in homine fuerit vera et gratuita haec dilectio Dei, quantumcumque parva et in infimo statu charitatis gratuita, sufficit ad salutem, quia ut dicit Franciscus de Mayronis ubi supra: *Esse carum Deo est effectus formalis charitatis, sicut esse gratum est effectus formalis gratiae, ergo impossibile est in aliquo esse charitatem vel gratiam Dei quantumcumque parvam vel infimi gradus, quin illud sit carum et gratum Deo ad vitam, nam implicaret contradictionem.* Verumtamen si dicitur parva charitas pro eo, quod deficit a ratione gratuita dilectionis, iam talis non sufficit ad salutem, ut de naturali et mercennaria patuit. (D) Sed quaestio restat: In quo consistit ista gratuita Dei dilectio essentialiter vel qualibus signis verificatur? Ad hoc respondetur, quod primum est signum nil contra Deum velle, et sic nullum peccatum mortale admittere vel facere. Unde Gregorius homilia XXIII.: *Vere etenim diligimus Deum, si mandata eius custodimus, si nos a nostris voluptatibus, scilicet vitiosis coartamus.* Unde et Ioh. XIV.: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit etc.* 7 Secundum signum Dei mandata implendo ipsum diligere pure propter se, id est propter suam bonitatem et propter nil aliud, ut patuit. Nam licet ut Augustinus dicit, *in Deo est omne bonum, quodcumque desiderari potest, scilicet vita, salus, victus, copia, honor, gloria et pax et omnia bona.* Haec ille. Tamen pure propter seipsum Deum debemus diligere, et non propter aliquod nostrum commodum habendum. Non ergo debet Deus amari etiam propter regnum caelorum, ita quod si videlicet scires, quod Deus tibi non daret regnum caelorum, ipsum amare nolles, immo si nec caelum, nec victum, et omnino nil daret, Deum amares praecepta servans propter seipsum. Unde Magister in III. dist. XXVII. diffiniendo dicit: *Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum vel in Deum.* Unde Augustinus li. Soliloquiorum dicit: *Malo te, Deus meus, habere, quam quidquid praeter te donares mihi sine te.* Tertium signum firmum habere propositum numquam a Dei amore separari, sed usque ad mortem perseverare. Unde Prosper li. de vita contemplativa, de poenitentia dist. II.: *Charitas – inquit – est recta voluntas, iuncta Deo inseparabiliter, nulli vitio obnoxia* etc. Proinde Bernardus super Cantica sermone LXXXIII.: *Amor sufficit per se et propter se, ipse meritum, ipse praemium.* Et infra: *Si mihi – inquit – Deus irascitur, non utique ego illi irascar, sed pavebo, si me arguat, non redarguetur a me, sed potius iustificabitur ex me.* Haec ille. Et Hugo: *Domine, hoc desidero, quod si etiam debeo damnari, hoc tantum da, ut possim diligere te in Inferno.* Beatus Bartholomaeus his omnibus modis dilexit Christum, ergo nunc cum Christo regnat in caelo. O homo, discite Deum tuum diligere etc. (E) Circa secundum de dilectione beati Bartholomaei a Christo, simulque et circa tertium de glorificatione sit pro conclusione, quod Christus beatum Bartholomaeum dilexit in terris et in caelis dignitatibus praemaximis. Et patet in sex, quas prosequamur. Prima dignitas generis regii. Fertur enim de eo scripta historia libro de ortu apostolorum, licet apocrypho, tamen veritati non videtur contrariari historiarum, sed potius consonare, videlicet quod in Syria, ubi plures provinciae et reges sunt, quidam rex habuit filiam, quae rationis dictamine recognovit, quod idola non essent colenda, sed unus Deus. Et puto, quod ob hoc indignatus ille diabolus in idolo, quem ille rex colebat, tale dedit responsum, non semel, sed pluries, praecipiens, quod scilicet si rex sibi et suis ac toti regno cavere vellet excidium, quamtotius ipsam suam filiam occidi faceret, et cor ac ambas manus illius ipsi idolo offerret in sacrificium. Rex ergo consilio omnium principum suorum coactus tradidit filiam, ne motus incurreret deorum, et quibusdam secretariis praecepit, ut illam in silvam remotius ducerent, ne si videret eam se occidi, paterno commoveretur affectu, et sic eam in silva occiderent, cor et manus afferrent ad sacrificandum idolo. Quaeeducta Deum summum orabat et eiulans flebat. Unde divino nutu factum est, quod illi secretarii misericordia moti sunt, et consilio inito inter se decreverunt manus eius ambas praescindere et dimittere accepto iuramento ab ea, quod tam longe discurreret, quod numquam de ea rex ipse audire posset, quod viva foret, et quod nulli rem hanc aut genus panderet, et sic dimiserunt eam. Pro corde autem eius canem, qui insecutus eos fuerat, occiderunt, et cor illius cum manibus puellae attulerunt, ac idolo sacrificaverunt. Illa ergo truncatis manibus per silvas flens discurrebat quanta remotius a patria, et tandem devenit ad quoddam coenobium dominarum, ubi ob cultum de veste monasticae manebant. Quam illae videntes more regio vestitam et delicatam, sed manibus truncatam interrogantes, unde esset aut venisset, illa nil aliud, nisi flens hoc dicebat, quod: „Deus ipse novit, quod innocens sum.” Illae ergo susceperunt eam. Post aliquod tempus accidit, ut rex illius provinciae, ubi erat coenobium dominarum praedictarum, causa visitandi cum filio advenisset. Ubi filius regis videns inter alias virginem istam regiam, concupivit sibi desponsari. Et patri super hoc supplicare coepit. Cumque pater non



annueret eo, quod genus illius nesciret, et truncata foret, adolescens languore corripitur. Et ne spiritum exhalaret, rex coactus est filio suo illam copulare celebratis nuptiis more regio. Tandem evolutis annis rex moritur, et iste regis filius in solium patris exaltatur. Interea regina a rege concepit. Cumque rex cum exercitu processisset longius contra hostes invadentes sui regni fines, ecce regina in domo regia adveniente tempore partus peperit filium elegantem. Fit laetitia cunctis, et nuncius ad regem cum litteris super hoc mittitur. Is autem nuncius quadam die in itinere hospitatus apud quendam nobilem, qui a rege iustitia exigente fuerat multa damna in possessionibus suis peressus, auditis istis novis, ecce a diabolo instigatus nuncium illum inebriat et dormire facit, litteras de pera illius excipit, et sigillo illius integre detracto aliam chartam scribit, cui illud sigillum innectit, et in peram nuncii reponit sic continens: „Notum sit regi, quod de uxore manca natum est monstrum daemone simile, cuius caput maximum, collo retorto, manibus et pedibus ineptum, aures quasi asinae, oculi terribiles, unus superior altero”, et multa talia derogativa. Subiunxit, quod non est fas propter honorem regium tale vivere. Mane surgens nuncius huius facti nesciens iter prosequitur. Et tandem ad regem perveniens gaudiosa nova nunciat, et litteram praesentat. Quam rex perlegens tristis efficitur de tali filio, et mandavit illi, ne cuique super hac re loquatur, et misit per eundem litteras, ut filium sibi natum reservarent videndum etc. In reditu nuncius apud eundem hospitem hospitatur, qui curiosius eum de rebus gestis inquit, et similiter inebrians eum litteras regis exquirat, et ut prius detracto sigillo aliam chartam subscribit mandans sub poena capitis duobus principalibus illis senescallis, ut quantotius una nocte reginam cum filio ducerent in silvam, in secreto ambos occiderent. Quid plura? Allatis istis litteris contristati sunt senescalli, interrogant nuncium, quid rex mandaverit ore tenus, et quid dixerit. Respondit: „Aliud nescio, nisi quod perlectis litteris mox comminatus est mihi, et mandavit, ne cuiquam de hoc loquerer.” Tandem mirantes isti consilio inito inter se decreverunt, quod scriptum fuerat in litteris perficere. Et reginam cum filio duxerunt noctu in silvam ad occidendum. Quod illa intelligens coepit Deum invocare et fuis lacrimis invocare, ut saltem parcerent puerulo innocenti. Et quoniam non est sapientia, non est consilium contra Dominum, divino nutu commoti sunt pietate, et iuramento exacto ab ea, quod discederet ad remota, ubi nullus eam nosset vel de hoc scire posset, dimiserunt. At illa per silvas vagans et flens die illucescente sitim magnam sustinens pervenit ad quendam puteum altum, et introspicens nec habens, quo hauriret, angustians, cum se inclinasset, ecce puerum, quem manibus habebat, de ulnis dilapsum continere non potuit, eo quod esset manca, sed infans ille in puteum cecidit. O quot tunc clamorosis fletibus mater maestissima exclamaverit, quis narrare poterit. Et quoniam nullum hominem videbat adesse, qui iuaret, ad Deum caeli clamabat dicens: „O Deus meus, quomodo perii una cum filio, quae tamen totam spem a principio in te habui.” Ecce autem Deus misericors cum temptatione fecit proventum. Mox enim angelus Domini in specie viri astitit, et aqua pueri sublevata puerum vivum supernatantem, quasi nullius esset ponderis, sustulit. Ad quem cum mater manus extendisset, ecce angelus tangens eas integre restituit, et disparuit. Ingenti ergo gaudio repleta puerum ob hoc vocavit Bartholomaeum, quod interpretatur 'filius suspendentis aquas', et est nomen Syrum, et non Hebraeum. Tunc Deo gratias agens inspiratum est sibi, ut remotius non discederet, sed ad antedictum coenobium diverteret. Ibiq; suscepta cum rex tandem victor rediret, praemissis cognitis consternatus animo coepit requirere uxorem, ubi esset cum filio. Quid plura? Venit plorans ad coenobium, ubi amaritudinem cordis indicavit dominabus. Quibus prodentibus ibi eam sanam cum filio reperiens ingenti gaudio est repletus, et ad palatium reduxit. Postmodum rege mortuo Bartholomaeus iam adultus in regem eligitur illius provinciae, qui unius Dei fidem amplexus est, et proselytus in fide Iudaeorum effectus. Et sic patet, quod ipse fuerit ex regali origine et dignitate. Et huic concordat, quod dicit legenda ipsum in purpura et colobio regio per singulos angulos gemmis ornato etc. sequendo Christum mansisse. Est autem colobium, ut in li. Catholicon dicitur, virginale pallium, usque ad talos dependens. (F) Secunda dignitas electionis Christi: Nam ipse solus Bartholomaeus inter apostolos ex gentibus extraneis, id est non Hebraeis electus est in apostolatam. Apostolatus autem est summae dignitatis in Ecclesia, ut dicit Dionysius, prae omnibus gradibus sanctitatis. Et in hoc ipse etiam inter apostolos claret privilegio, videlicet quod alii omnes apostoli ad Christi vocem vocantis sunt eum secuti. Ipse sola fama Christi audita ipsum secutus est. Item quia alii pauciora pro Christo reliquerunt, ipse regiam dignitatem etc. O vere magnum reputaretur hodie, si aliquis rex vel tantum baro omnia relinqueret, et religionem intraret. Sic in proposito. (G) Tertia dignitas decoris virginei. Non enim legitur uxorem habuisse. Quod autem virgo fuerit, pluribus ex signis colligitur. Nam quaero: Quae sunt signa sanctitatis virginalis, quibus verisimiliter cognoscitur aut putatur inesse homini? Ad quod secundum doctores respondetur, quod unum est angelorum visitatio et associatio. Unde Hieronymus ad Paulam et Eustochium de assumptione dicit: *Bene angelus ad virginem mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas.* Sed de beato Bartholomaeo apostolo legitur, quod angeli cum eo semper ambulabant et ministrabant ei. Secundum signum est munditiae exterioris dilectio. Exterior enim munditia in omnibus, scilicet in loquela, in habitu, in conversatione et ceteris signum est interioris. Unde Philosophus IV. Ethicorum dicit: *Qualis unusquisque est intus, talia dicit et operatur et taliter vivit.* Haec ille. Sed ipse beatus Bartholomaeus tam munde se servavit ab omnibus peccatis, et vixit, ut semper laetus et hilaris perseveraret, scilicet pro serenitate conscientiae, ut legitur de eo. Item semper portasse legitur colobium, quod est virginale pallium. Tertium signum est carnis incorruptio et eius per miraculum declaratio, quia carnis integritas est pro signo virginitatis secundum Augustinum et omnes doctores. Sed beatus Bartholomaeus apostolus legitur carnem candidam habuisse, ut etiam vestes et sandalia non sordidarentur, nec veterascerent divino miraculo, ergo sequitur etc. Quarta est amoris fervidi. Nam erat in oratione tam fervens, quod daemon clamaret dicens: „O apostole, incendunt me orationes tuae”, et centies in die et centies in nocte genibus flexis oravit. Quinta est martyrii praeclari, quia acerbissimas passiones pro Christo sustinuit, scilicet crucifixionem, fustium caesionem, excoriationem, decapitationem. Sexta dignitas advocationis pro peccatis populi. Legitur enim, quod anno Domini tricentesimo tricesimo primo Saraceni insulam Liparim vastaverunt, ubi corpus sancti Bartholomaei quiescebat, ac eius sepulchrum confringentes ossa disperserunt. Illis recedentibus apparuit apostolus cuidam monacho dicens: „Collige ossa mea, nam per multum tempus populo huic meis meritis et intercessione Dominus pepercit, et usque nunc eos conservavit in pace. Sed iam eorum peccatis nimis invalescentibus et usque ad caelum

clamantibus divino iudicio perierunt.” Et cum monachus sibi diceret: „Quomodo inter multa aliorum ossa possim discernere tua?” – respondit: „Nocte ad ea colligenda ibis, et ea, quae ut ignem splendentia videris, protinus levabis.” Et sic ille ossa eius collegit, et conscendens navem Beneventum, quae est metropolis Neapuliae 8, transtulit. O ergo carissimi, accedamus ad beatum interpellandum Bartholomaeum, ut suis meritis impetret nobis a Christo gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Ioh 14,21 2 Rm 5,5 3 Mt 22,37 4 Mt 12,34 5 I Io 3,18 6 Ps 48,19 7 Ioh 14,21 8 Recte: Apuliae

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LVII.] De sancto Bartholomaeo Sermo tertius, scilicet de dilectione Dei et proximi *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Ioh. XV. 1 (A) Sicut dicit Augustinus: *Unusquisque hominum hoc effundit in sermone, quo plenus est in corde*, quia dicente Salvatore Mat. XII.: *Ex abundantia cordis os loquitur.* 2 Sicut vas quodcumque illud et non aliud effundit, quo plenum est, sic in proposito. Quia autem Christus plenus erat charitate, qua adeo nos amavit, ut de caelis in uterum descenderet virginis, et nostram carnem assumens suo sanguine et morte nos redimeret, unde Apoc I.: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris.* 3 Et I. Ioh. III.: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* 4 Ex quo ergo plenus erat Christus charitate, immo ipsa charitas fuit, quia *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo,* I. Ioh. IV. 5 Idcirco hoc nobis praedicavit, hoc mandavit, scilicet praeceptum charitatis dicens: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem* etc. Et quia haec verba dixit apostolus, et de illis canit Ecclesia, ideo inter eos de sancto Bartholomaeo convenienter accipiuntur haec verba. Iuxta quae tria mysteria notabimus pro sermone isto: · Primum de charitatis praecepto, ibi: *hoc est praeceptum* etc. · Secundum de eius regularitatis modo debito, quo diligamus etc. · Tertium de Christiformitatis exemplo, *sicut – inquit – dilexi vos* etc. (B) Circa primum de charitatis praecepto tres praecipuae quaestiones hic occurrunt declarandae: · Prima de eius singularitate · Secunda de eius formali qualitate · Tertia de eius novitate Prima quaestio est, quam proponit Gregorius in homilia de apostolis dicens sic: *Cum cuncta sacra eloquia plena sint Dominicis praeceptis, quid est, quod de sola dilectione quasi de singulari mandato Dominus dicit: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem. Et respondens dicit, quod ideo, quia Dominica praecepta licet sint multa per diversitatem operis, sunt tamen unum in radice charitatis. Omne ergo mandatum de sola dilectione est, quia quidquid praecipitur, in sola charitate radicatur. Exemplum ponit dicens: Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multae virtutes ex una charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.* Haec ille. Ratio autem horum est, quia omnia praecepta et eorum observantia a charitate procedunt, sicut a fonte vel principio, et omnia ad charitatem ordinantur vel reducuntur ut ad finem. I. Timo. I.: *Finis praecepti est charitas.* 6 Nam quare praecepit Deus *unum credere Deum*, nisi ut illum verum Deum diligas, quem credis. Item quare praecepit: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Et iterum: *Sabbata sanctifices*, nisi ut ex amore Dei nomen honores, et ipsum Deum in charitate colas speciali cultu in die festo, scilicet missae auditione, ad quod quilibet tenetur sub praecepto, de consecratione dist. I. „Missas”. Item quare praecepit: *Honora patrem et matrem. Non occides. Non furtum facies. Non moechaberis. Non falsum iuraveris* etc. 7, nisi ut vere diligas proximum per omnia, sicut teipsum. Unde Chrysostomus super Mat.: *Qui proximum diligit, scilicet vere, non occidit illum, quem diligit, nec mentitur illi, quem diligit, nec falsum testimonium dicit de illo, nec concupiscit rem illius, nec mulierem eius invadit, quem diligit. Sicut enim odium suggerit facere omne malum, sic dilectio omne bonum.* Haec ille. Et sic patet, quod vita Christiani debet radicari in charitate, ut salvetur. Eph. III.: *In charitate radicati et fundati.* 8 (C) Secunda quaestio: Quare sub hac forma proposuit Christus praeceptum charitatis, ut diligamus proximum, nec addidit de Dei dilectione, cum tamen magis obligatur homo Deum diligere, quia supra quam omnem proximum et omnem creaturam? Mirum est ergo, quod omnia praecepta in dilectione proximi includens nominavit, nec mentionem fecit de dilectione Dei. Ad quod secundum doctores assignantur rationes plures. Una est ex parte finis, quia ut Augustinus dicit: *Proximus diligi debet propter Deum et in Deum, et non aliter.* Qui ergo diligit proximum propter Deum, necessario diligit Deum, quia *propter unumquodque tale et ipsum magis,* I. Posteriorum. Alia ratio coniunctionis vel inclusionis, quia ista duo, scilicet dilectio Dei et dilectio proximi sic se mutuo includunt et adeo sunt coniuncta, ut unum contineatur in alio. Quod sic patet, quia qui diligit vere Deum, omnia eius praecepta servat. Ioh. XIV.: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me.* 9 Sed Deus praecepit proximum diligere, ergo non potest homo Deum vere diligere, nisi diligat proximum, unde I. Ioh. IV.: *Si quis dicit, quod diligo Deum, et proximum odit, mendax est.* 10 Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum. Item qui diligit proximum, non nisi propter Deum debet diligere, unde Chrysostomus: *Vide Dei amorem amori nostro velut catena copulatum, non enim est possibile habentem unum mandatum non habere secundum.* Et ponit exemplum: *Sicut – inquit – rex in imagine sua honoratur vel contemnitur, sic Deus in homine vel diligitur, vel oditur.* Tertia ratio deductionis, quia dilectio Dei licet sit maior et perfectior dilectione proximi, tamen ipsa dilectio proximi est via quaedam ad dilectionem Dei, sicut pueritia est via ad statum virilem, qui est perfectior. Gregorius autem homilia XXXVII. dicit: *Ex his, quae animus novit, surgit ad incognita, quae non novit, ut per hoc, quod scit, notum diligere discat et incognita amare.* Haec ille. Et sic per dilectionem proximi deducitur quasi per viam homo ad diligendum Deum, ut haec notat Lyra super I. Ioh. IV. Voluit ergo Christus solum de dilectione proximi praeceptum proponere, quia in eo continentur omnia, et per illud ducitur homo ad Dei dilectionem. Hinc Ro. XIII.: *Qui proximum diligit, legem implevit.* 11 (D) Tertia quaestio additur: Cur hoc mandatum dicitur novum. *Mandatum – inquit – novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos,* 12 cum tamen ab olim sancti patres dilexerunt se invicem, et ipsis datum fuit hoc mandatum, ut in Veteri Lege. Respondetur secundum Ludolphum li. De meditatione vitae Christi, quod hoc mandatum non

dicitur novum quantum ad substantiam, quia fuit datum in Veteri Lege, quae etiam praecepit Deum super omnia et proximos sicut se diligere, sed dicitur novum quantum ad mandati formam, quam subiungit: *Sicut dilexi vos* – inquit, quia Christus intantum dilexit nos, ut mori dignaretur pro nostra salute ipse Deus noster, quod a saeculo fuit novum et invisum. Item dicitur etiam novum quantum ad effectum, quia vetustatem peccati auferit, et animam in Christo renovat, et renasci denuo facit per Spiritus Sancti gratiam. Et ibidem ponit exemplum tale, quia modus unus renovandi vinum vetus, quando scilicet amisit colorem et saporem, est iste, quod ponitur cum vino novo et forti super faeces novas, et ibi recipit colorem et saporem ex fervore vini novi, et sic renovatur. Sic mandatum de dilectione fuit valde antiquatum, ut non saperet. Sed apposita est novitas charitatis in passione Christi, ubi ferventissima fuit dilectio. Et sic fecit novum. O ergo homo Christiane, stude Deum diligere et proximum amore Christi exemplo beati Bartholomaei. (E) Circa secundum de modo debito charitatis et eius regulis. Quoniam quaeri potest, quomodo debeat homo diligere Deum, et quomodo proximum. Idcirco tres potissimae regulae de hoc sunt notandae: · Prima regula de dilectione Dei · Secunda de dilectione proximi · Tertia de dilectione inimici

Prima regula de dilectione Dei est, scilicet quod Deus est ab omnibus hominibus diligendus propter se et super omnia. Haec regula patet per Magistrum et doctores in III. dist. XXVII. Nam et Bernardus De diligendo Deo dicit: *Causa diligendi Deum Deus est, quod est dicere, quod debemus Deum diligere pure propter suam bonitatem, quia totus est bonus et desiderabilis ac amabilis.* Nam quidquid est in Deo, est summum bonum et summe desiderabile super omnia bona mundi. Anselmus li. Monologion: *Deus est summum bonum, quo nil maius cogitari potest.* Et ideo Deus debet diligere super omnia et propter se, quia si diligeretur propter aliquid aliud, iam illud praeferretur Deo et praeeligeretur. Sed impossibile est aliquid melius esse vel eligibilius Deo. Non debet ergo diligere homo Deum propter proprium commodum, sed pure propter Deum, et super omnia, id est super omnes res temporales, super propinquos et super omnia creata, ac etiam super nosmetipsos. Hinc Luc. XIV.: *Si quis venit ad me, et non odit patrem aut matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* 13 (F) Secunda regula est de dilectione proximi, videlicet quod omnis homo tenetur diligere proximum in Deum et propter Deum. Et patet haec regula in III. dist., qua supra. Unde Augustinus li. L. homiliarum inquirens, quae sit ista dilectio proximi, de qua praecipitur: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum,* distinguit quadruplicem dilectionem. Prima est carnalis, quae est inter virum et uxorem. Et ut dicit, ista dilectio licet sit licita, non tamen est virtuosa vel meritoria vitae aeternae. Sed si vis, ut sit meritoria, non debes uxorem diligere tantummodo propter carnalem affectum, quia hoc etiam est in brutis animalibus, sed debes diligere in Deum et propter Deum, id est quia uxor est mulier bona et iusta, vel ut bona et iusta sit. Qui enim sic diligit uxorem, scilicet in Deum et propter Deum, sicut seipsum, id est ad id, ad quod seipsum, hoc est ad gratiam in praesenti et gloriam in futuro, iam talis meretur, quia non diligit uxorem ut uxorem, sed Deum diligit in uxore. Et de hac meritoria dilectione dicit Apostolus Eph. V. ca.: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam* etc. 14 Secunda est dilectio naturalis, qua pater diligit filium vel econverso, et mater amat filium etc. Et ista etiam de se non est meritoria, quia communis est serpentibus et animalibus. Augustinus: *Serpentes, leones et lupi filios amant. Noli ergo pro magno reputare, quod amas filios tuos, si non amaveris, a serpentibus vinceris.* Haec ille. Et sic patet, quod non est meritoria haec dilectio, sed erit meritoria, si amaveris in Deum et propter Deum, ut scilicet sit bonus, vel quia est bonus. Ideo ad Eph. VI.: *Vos, patres, filios vestros educate in disciplina et correctione Domini,* 15 patet ergo etc. Tertia est dilectio socialis, qua amicus amat amicum vel cohabitantem proximum aut socium. Et ista etiam licet sit licita, non tamen est meritoria, quia communis est pecoribus. Sicut ponit exemplum Augustinus de duobus equis simul manducantibus, qui desiderant se videre, et sic de aliis. Sed potest esse meritoria, si quis amet amicum in Deum et propter Deum, sic enim Deum amat in amico, ut supra dictum est. Quarta est dilectio rationalis, qua (inquit Augustinus) diligimus hominem propter fidem, scilicet Christi, et mutuam benivolentiam, sicut nosmetipsos, id est ad id, ad quod nos, hoc est ad gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Ista dilectio, scilicet propter fidem et bonitatem non potest esse in brutis, quia non habent usum rationis, sed tantum in bonis hominibus, qui in Deum et propter Deum amant proximos, sicut seipsos, id est ut sint fideles et boni, vel quia sunt fideles et boni, et est meritoria. Et sic patet secunda regula. (G) Tertia regula est de dilectione inimici, scilicet quod omnis homo tenetur diligere inimicum in universali quantum ad naturam propter Deum. Unde praecipitur Matth. V.: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est.* 16 Unde Gregorius in homilia de apostolis dicit: *Ille charitatem veraciter habet, qui et amicum diligit in Deum, et inimicum diligit propter Deum.* Nam secundum sanctum Thomam II. II. q. XXV. et communiter doctores: Dilectio inimicorum quantum ad naturam in universali est de necessitate charitatis, et hoc quoad bona gratiae in praesenti et gloriae in futuro. Et de hoc alibi latius. Sed quaeri sufficiat hic, utrum inimici, qui sunt mali, sint ex charitate diligendi. Respondetur secundum sanctum Thomam ubi supra et doctores communiter, quod inimici in quantum sunt mali, considerando quantum ad culpam, sic sunt odiendi. Nam et ipse Deus odit malos in quantum sunt mali. Unde Ps.: *Iniquos odio habui* etc. 17 Sed inimicos malos considerans in quantum homines sunt ad imaginem Dei facti, sic sunt diligendi, quia adhuc sunt in via et potentia veniendi ad poenitentiam et gratiam ac gloriam. Et hoc optare sibi debeo propter Deum, ut sit bonus. Unde Augustinus: *Cum dico: homo malus, duo dico, scilicet homo et malus. In quantum homo, est diligendus, in quantum malus, est odiendus, hoc est malorum hominum malitia odienda est, sed natura possibilis beatificari est diligenda.* Hinc idem Augustinus: *Sic diligantur homines, ut eorum non diligantur errores.* Idem De doctrina Christiana dicit: *Omnis peccator in quantum peccator non est diligendus, et omnis homo in quantum homo est diligendus propter Deum, Deus vero propter seipsum.* Haec ille. Ad propositum: Beatus Bartholomaeus has regulas observavit, et ideo iam conregnat cum Christo in caelis. O ergo Christiane, fac similiter, ut vivas. (H) Circa tertium de Christiformis dilectionis exemplo, quia dicitur: *Sicut dilexi vos* etc., accipiamus pro conclusione sententiam sancti Bernardi dicentis: *Christus tripliciter dilexit nos, dulciter, sapienter et fortiter.* Sic nos exemplo eius nostros proximos diligere debemus. Primo namque Christus dilexit nos dulciter in eo, quod nostram humanam naturam induit, et ipse omnium Dominus et Deus nos in amicitiam sibi perpetuo coniunxit, et



in fratres adoptavit, ac dulcissime nos ad salutem monuit et attraxit. Sic nos debemus proximos diligere ut fratres dulciter conversantes, neminem turbantes, nulli malum pro malo reddentes, sed cum omnibus pacem habentes, et pietatis affectum veraciter exhibentes, I. ad Timo. II.: *Quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate, hoc enim bonum est et acceptum coram Deo et Salvatore nostro.* 18 Item I. Ioh. III.: *Si quis viderit fratrem suum necessitatem habentem, et clausurit viscera sua ab eo, quomodo manet charitas Patris in eo* etc. 19 Secundo dilexit nos Christus sapienter, quia culpam nostram cavit et redarguit. Sic nos diligamus proximos, ut eorum vitiis et peccatis nullatenus consentiamus, alioquin insipienter diligit, qui pro amore proximi Deum peccato offendit, quia dicitur Rom. XII.: *Dilectio malum non operatur.* 20 Si ergo operatur malum, non fuit vera dilectio, quia Christo et Deo contraria. Ideo Ambrosius V. q. V.: *Non osculatur (inquit) semper pater filium, sed aliquando castigat. Ergo quando castigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur, habet enim et amor plagas suas.* Haec ibi. Patet ergo, quod ex charitate mali sunt corrigendi. Tertio Christus dilexit nos fortiter. Nimirum fortius dilexit nos, quam possit diligere socius socium, quae tamen dilectio magna est inter homines. Sed eminentius diligere nos ostendit, cum ait Matt. ultimo: *Ecce ego vobiscum sum usque consummationem saeculi.* 21 Alii quippe socii, si usque ad mortem nobiscum perseverant, bonum est, sed ipse in perpetuum nobiscum est. Item fortis est dilectio inter virum et uxorem, sed fortius et magis dilexit nos Christus, qui dicit Iere. XII.: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem, numquid revertetur ad eum ultra? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere, et ego suscipiam te, dicit Dominus.* 22 Praeter haec fortior est dilectio matris ad filium, sed super hanc nos Christus dilexit, quia dicit Isa. XLIX. c.: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui. Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus descripsi te.* 23 Haec ibi. Nam vulnera in manibus a Christo suscepta pro nobis extensis in cruce manibus signum sunt amoris, quasi velit amplexari nos, ut dicit Bernardus. Insuper fortissima est dilectio, qua anima diligit corpus, a quo nullo modo vellet separari. Sed super hanc nos Christus dilexit, quando pro nobis animam e corpore emisit in cruce moriendo. Ioh. XV.: *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat* etc. 24 Sic et nos debemus proximum fortiter amare. Unde I. Io. III.: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit,* 25 id est vitam, et nos debemus pro fratribus animas ponere. Lyra: *id est vitam corporalem pro salute animae proximi. Non tamen ad hoc communiter tenentur homines, sed solum in casu necessitatis, ut si quis videat proximum periclitari in anima, et non potest sibi aliter subvenire, nisi per hoc, quod exponat se morti corporali pro illius salute, in tali casu tenetur, et non alias. Illi tamen, qui habent curam animarum, ut sacerdotes curati, episcopi et praelati, alii non, solum in hoc casu, sed etiam in aliis tenentur pro salute subditorum vitam exponere corporalem, puta si quando haereticus ut lupo latens intret gregem ad corrumpendum in fide vel moribus, alioquin non esset pastor, sed mercennarius.* Haec Lyra. Sed animam propriam ad peccandum vel per consequens damnationem obligandam nullus debet exponere pro toto mundo, etiam salvando ad beatitudinem, unde pro toto mundo salvando non debes facere unum peccatum mortale. Math. XVI.: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur.* 26 O ergo carissimi, o veri Christiani, hortor vos et me ipsum, ut exemplo beati Bartholomaei et prae omnibus exemplo Christi discamus diligere Deum super omnia, proximum sicut nos, et oremus, ut Christus beati Bartholomaei meritis det nobis gratiam et gloriam. Amen. De sancto Bartholomaeo sermonem quartum vide ex communi sanctorum, ubi scripsi, ut pluribus sanctis apostolis vel discipulis possit deservire pro placito.

---

1 Ioh 15,12 2 Mt 12,34 3 Apc 1,5 4 I Io 3,16 5 I Io 4,16 6 I Tim 1,5 7 Ex 20,12-16 8 Eph 3,17 9 Ioh 14,21  
 10 I Io 4,20 11 Rm 13,8 12 Ioh 13,34 13 Lc 14,26 14 Eph 5,25 15 Eph 6,4 16 Mt 5,44-45 17 Ps 118,113 18  
 I Tim 2,2 19 I Io 3,17 20 Rm 13,10 21 Mt 28,20 22 Ier 3,1 23 Is 49,15-16 24 Ioh 15,13 25 I Io 3,16 26 Mt  
 16,26



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Legenda sancti Augustini] De sancto Augustino vide sermonem in communi sanctorum doctorum<sup>1</sup> vel pontificum<sup>2</sup>, et applica legendam eius. Legenda Augustinus doctor egregius in Africa civitate Carthaginiensi ortus patre Patricio, matre Monica fuit summus philosophus et rhetor luculentissimus adeo, quod omnes libros Aristotelis et libros artium liberalium quoscumque legere potuit, per se didicit et intellexit, sicut ipse testatur li. Confessionum. Et cum esset adolescens, in errorem Manichaeorum cecidit, qui dicunt Christum non habuisse carnem veram, sed phantasticam, et negant resurrectionem carnis. In quo errore per novem annos mansit. Mater vero eius sancta plurimum flebat, et ipsum ad veritatem fidei reducere satagebat. Quadam vice tristis vidit astantem sibi iuvenem, id est angelum, qui causam tristitiae quaesivit. Quae respondit: „Perditionem filii mei deploro.” Ille dixit: „Esto segura, quia ubi tu, ibi ille.” Hoc cum Augustino rettulisset, ipse ait: „Falleris, mater, falleris, nec sic tibi dictum est, sed ubi ille, ibi tu.” Econtra illa dicebat: „Non, fili, mihi dictum est: ubi ille, ibi tu, sed: ubi tu, ibi ille.” Igitur mater sedula rogabat episcopum quendam cum lacrimis, ut pro filio suo intercederet. Qui prophetica voce respondit: „Vade segura, quia impossibile est, ut filius tantarum lacrimarum pereat.” Tandem nesciente matre Romam venit. Illaque quolibet die mane et vespere ad ecclesiam ibat, et pro filio exorabat. Postmodum ad preces Mediolanensium a praefecto Romano doctor in rhetorica Augustinus destinatur Mediolanum, ubi tunc praesulabatur vir Dei, sanctus Ambrosius. Mater autem eius quiescere non valens cum magna difficultate ad eum venit. Tunc coepit Augustinus beato Ambrosio adhaerere, et eius praedicationes audire frequenter. Una vice Ambrosius in praedicatione contra errorem Manichaeorum multa disputavit confutans auctoritatibus et rationibus, ita ut error ille a corde Augustini penitus pelleretur. Quid plura? Accidit inter haec, quod ab Africa quidam amicus Augustini nomine Pontianus supervenit, et vitam ac miracula Sancti Antonii Magni, qui nuper in Aegypto defunctus fuerat, recitavit. Ad quod Augustinus vehementer exardescens ait exclamando: „Quid

patimur, quid audimus, surgunt indocti, et caelum rapiunt, nos autem cum doctrinis nostris in Infernum demergimur.” Et in quendam hortum accurrens sub quadam ficu se proiecit, flens amarissime et postulans a Deo gratiam conversionis. Tunc audivit vocem dicentem sibi: „Tolle, lege, tolle, lege.” Aperuitque codicem apostolicum, et coniectis oculis ad primum capitulum legitur: *Induimini Dominum Iesum Christum*, 3 et statim ab eo omnis dubietatis tenebrae aufugerunt. Interim vehementissimo dolore dentium torqueri coepit, intantum quod etiam loquelam amisit. Quocirca scripsit, ut omnes pro eo orarent, ipseque cum aliis genua flexit, et subito sanum se sensit. Tandem adveniente Paschali tempore Augustinus cum esset annorum XXX, cum filio suo Adeodato puero valde ingenioso, quem Augustinus in sua adolescentia dum adhuc gentilis et philosophus esset, genuerat, meritis matris et praedicatione sancti Ambrosii sacrum baptismum suscepit. Et tunc, sicut fertur, Ambrosius *Te Deum laudamus* inquit, et Augustinus *Te Dominum confitemur* respondit. Et sic ipsi duo hunc hymnum alternatim composuerunt, et usque finem decantaverunt, sicut testatur Honorius libro, qui dicitur Speculum Ecclesiae, et protinus in fide confirmatus est mirabiliter, ut saeculum relinqueret. Et cum vellet ad Africam remeare cum matre, ecce in via illa apud Ostia Tiberina pia mater eius defuncta est. Post cuius mortem ipse ad agros proprios reversus cum his, qui sibi adhaerebant, ieiuniis et orationibus Deo vacabat, libros scribebat, et indoctos docebat. Fama eius ubique diffusa admirabilis habebatur. Audiens autem Valerius, Hipponensis episcopus famam eius, ipsum plurimum renitentem in ecclesia sua presbyterium ordinavit. Qui statim monasterium clericorum instituit, et coepit vivere secundum regulam a sanctis apostolis institutam. Tandem Valerius episcopus praedictus, quia minus erat doctus in lingua Latina, de licentia archiepiscopi cessit episcopatu, et Augustinum in episcopum Hipponensem promovit. Sed hoc Augustinus cum omnimode recusaret, compulsus succubuit, et coactus suscepit curam episcopalem. Vestimenta eius erant nec nimis nitida, nec abiecta plurimum. Mensa frugali et parca semper usus est, in qua magis lectionem, quam epulationem diligebat. Et contra pestem detractionis in ea scriptum habebat sic: *Quisquis amat dictis absentum rodere vitam, hanc mensam indignam noverit esse sibi*. Item legitur dixisse: *In nulla re mihi Dominum sentio sic iratum, sicut in hoc, quod cum non essem dignus poni ad remum, posuit me in aplustre, in apice regiminis Ecclesiae*. Tria a beato Ambrosio se didicisse aiebat. Primum, quod uxorem cuiquam numquam peteret. Secundum, quod militare volentem ad hoc non commendaret. Tertium, quod ad convivium invitatus non iret. Causa primi, ne inter se illi non convenientes sibi maledicant. Causa secundi, ne militando calumniam vel rapinam exercent, et in eum alii culpam refundant. Causa tertii, ne temperantiae modum perdat. Item tantae erat humilitatis et puritatis, ut etiam peccata minima confitebatur. Confessionum, et se accusabat, videlicet quod cum esset puer, ludebat ad pilam, quod fabulas poetarum libenter puer legebat, et de cellario parentum vel mensa aliquid furabatur, ut pueris ludentibus daret. Et fraudes in ludo puerorum, ut ipse vinceret, faciebat, quod pira de quadam arbore vicina vineae suae furatus fuerat in adolescentia, et huiusmodi. Item haereticos vir sanctus valdissime confutabat, unde illi voluerunt occidere Augustinum, et ei insidias pergenti aliquo posuerunt, sed Dei providentia itineris errore seducti eum invenire non potuerunt. Denique in pauperes fuit tam liberalis, ut etiam vasa Dominica quandoque frangeretur, et indigentibus dispensaret. Feminas vitabat, etiam sorores et cognatas vel consanguineas, quibus benefecit non ut divitias haberent, sed ut non egerent. Item contemplationi insistebat iugiter, verbum Domini in multis ecclesiis praedicavit, et multos ab errore convertit. Nec capit tempus omnia eius gesta et miracula, quae fecit, enarrari. Tandem anno Domini CCCXL., cum et Vandali multam necem hominum fecissent devastantes provincias, Augustinus amarissime lugens convocatis fratribus dixit: „Ecce rogavi Dominum, ut aut de his periculis eruat nos, aut patientiam tribuat, aut de hac vita me suscipiat. Et ecce tertium Deus fecit.” Appropinquante dissolutione docuit nullum hominem sine Eucharistia et confessione debere transire, quantumcumque excellentis foret meriti. Et sic coram fratribus orantibus migravit ad Dominum. Haec sufficiant. Rogemus ergo, carissimi, Dominum, ut meritis ipsius beati Augustini det nobis hic gratiam et in futuro gloriam.

---

1 Vide PA 115: De doctoribus sanctis communis sermo vel PA 116: De doctoribus sanctis communis sermo. 2 Vide PA 113: De confessoribus pontificibus communis sermo vel PA 114: De confessoribus pontificibus communis sermo. 3 Cf. Rm 13,14; Eph 4,24

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LVIII.] In decollatione sancti Iohannis Baptistae Sermo *Herodes misit ac tenuit Iohannem et vinxit eum in carcerem*. Marc. VI. 1 et in evangelio hodierno. (A) Scimus, carissimi, quia iuxta commune proverbium dicitur: *Qui veritatem loquitur, caput eius frangitur*. Et Chrysostomus in hodierno sermone dicit sic: *Incurrit odium, qui arguit criminosum*. Hoc in beato Iohanne Baptista pro hodierno spectaculo factum videmus, quia cum argueret Herodem dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* etc. 2 Idcirco eum Herodes voluit decollare. *Misit* ergo et *tenuit Iohannem et vinxit eum in carcerem*, scilicet per servos suos. Nam regula iuris est: *Qui facit per alium, per se facere videtur*. Itaque iuxta sacrum evangelium tria mysteria notemus pro hodierno sermone ad honorem sancti Iohannis: · Primum mysterium de impia Iohannis occisione · Secundum de divina huiusmodi permissione · Tertium de gloriosa eius morte et tumulatione (B) Circa primum de impia occisione Iohannis accipiamus pro conclusione, quod magnae impietates et plurimae sunt commissae in Iohannis occisione, ut claret ex evangelii serie. Prima fuit natalis sui celebratio, quod fieri non debuit, quia nativitas ad hanc vitam est plena miseria et peccatis. Sed melius est memoriam mortis habere, quam de nativitate gaudere. Eccl. VII.: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii*. 3 Nam in illa finis cunctorum admonetur hominum. Et vivens homo cogitat, quid factururus sit. Unde Gregorius: *Filii huius saeculi natalem celebrant, quia post mortem eis gaudia non restant*. Sancti autem pro natali mortem cogitant, ut nascantur ad vitam aeternam. Proinde Rabanus dicit: *Nullum legimus diem natalem observasse, nisi Herodem et Pharaonem, ut quorum erat par impietas, erat par sollemnitas, et*

*sollemnitatem sanguine foedabant, praecipue autem Herodes.* (C) Secunda fuit adulteratio, quae est maxima impietas et enorme peccatum ex pluribus rationibus. Primo quia adversatur sacramento, et sic peccat talis violando, scilicet matrimonii sacramentum. Matt. XIX.: *Quos Deus coniunxit, homo non separat.* 4 Secundo quia bonum proles offendit, quia reddit prolem inhabilem ad ecclesiasticas dignitates, et quia non potest succedere in bonis patris putativi, alias tenetur satisfacere. Tertio quia cruciatum maiorem demeretur in Inferno, Apoca. II.: *Qui moechantur, in maxima tribulatione erunt.* 5 Nam si quaeras, utrum furtum vel rapina aut latrocinium sit gravius peccatum, an adulterium. Ad hoc respondet Sapiens Salomon Prover. VI. 6 et ibidem Lyra, quod gravius est adulterium multo, quam furtum, quanto uxor est magis dilecta et cara, in qua adulter facit iniuriam proximo, quam res alia furata. Quarto quia Deus maledixit adulterantes, ut habetur Deut. XXVII.: *Maledictus, qui dormit cum uxore proximi sui* etc. 7 Quinto quia exterminatur temporaliter, et aeternaliter punitur. Unde II. Reg. XII. adulteranti David dictum est: *Non recedet gladius de domo tua.* 8 Item Deut. XXII.: *Uterque morietur, id est adulter et adultera, et auferes malum de Israel.* 9 Denique aeternaliter punitur, I. Cor. VI.: *Fornicatores et adulteri regnum Dei non possidebunt.* 10 Sexto quia fidem frangit, quam iuravit. Et sic patet gravitas huius peccati, scilicet adulterii, quia peccat contra Deum, contra se et contra proximum, quem admittit, et contra maritum et contra prolem. Herodes ergo graviter peccavit adulterando, et tanto gravius, quanto cum uxore fratris sui incestuose adulteravit, et sanctum Iohannem redarguentem occidit. (D) Nimirum ut habetur in Historia scholastica et communi Legenda, Herodes iste Antipas dictus, filius Magni Herodis, scilicet Ascalonitae, qui occiderat infantes, cum Romam pergeret per fines fratris sui Philippi, videns uxorem Philippi, fratris sui, nomine Herodiam, illam adamavit, et secreto cum ea pepigit, videlicet quod in reditu suo uxorem propriam repudiaret, et ipsam Herodiam acciperet coniugem. Hoc audito uxor Herodis, filia regis Damascenorum non exspectato viri reditu ad patrem festinavit. Herodes autem rediens Herodiam Philippo fraudulenter abstulit. Hoc erat illicitum, quod vivente fratre haberet uxorem eius. Ideo Iohannes de hoc ipsum arguebat. Et secundum Lyram Herodias timebat, ne Herodes ad praedicationem Iohannis poeniteret, et eam marito suo redderet. Et ideo volens occidere Iohannem persuasit Herodi, ut illum incarceraret. Herodes autem metuebat Iohannem, ut dicitur Marc. VI. 11, sciens ipsum virum iustum et sanctum, ergo solo metu tenebatur ab interfectione Iohannis, quia propter sanctitatem eius, quae erat nota toti populo, timebat, si Iohannem occideret, ne populus contra eum insurgeret. Nam quod dicit evangelium: *Audito – inquit – eo multa faciebat, et libenter audiebat,* 12 intelligendum est totum simulatorie, ut scilicet ex tali obtemperacione retineret populum a rebellionem contra ipsum. Unde et Christus illum nominavit vulpem, Luc. XIII., cum dicerent quidam, quod Herodes quaerit eum interficere. Respondit Iesus: *Dicite vulpi illi, quia etc.* 13 Item Chrysostomus: *Herodes libidinis facibus ardens perire maluit, quam ad poenitentiam redire.* Volens ergo placere uxori, Iohannem incarceravit, et sic obduratus peccatum auxit. (E) Tertia impietas fuit saltatio in chorea. Chrysostomus: *Ubi est saltatio, ibi est diabolus. Neque enim Deus dedit nobis pedes, ut lascive saltemus, sed ut cum angelis in caelo chorizemus.* Item Wilhelmus Lugdunensis dicit: *Chorea est circulus, cuius centrum est diabolus, quia diabolus est in medio eorum inflammans ignem concupiscentiae, et ideo est cavenda.* Quaeritur: Quare chorea vel saltatio reputatur grave peccatum, cum etiam sancti, ut David et Maria, soror Moysi legantur saltasse? Respondetur secundum doctores, praecipue Alexandrum II. II. tit. de ludo, quod si talia fiant ex spirituali iucunditate, sicut fecit David coram arca Domini saltando, et Maria, soror Moysi cum tympanis choros ducens post liberationem filiorum Israel in Mari Rubro, Aegyptis submersis, sic sunt meritoria. Si autem fiant talia pro recreatione vel ex causa alicuius honestae laetitiae a personis saecularibus et congruo tempore, et aliis debitis circumstantiis, sic possunt esse sine peccato. Si vero huiusmodi fiant ex dissolutione mentis lascivae ad provocandum libidinem, vel ad alium malum finem, ut fiunt communiter, est peccatum mortale. Unde Augustinus dicit, quod *omnis motus seu saltus petulantiae est saltus in profundum cloacae, id est Inferni.* Et patet huius peccati gravitas ex duplici ratione. Prima ratio multiplicis offensionis, quia multa ibi oriuntur peccata, scilicet superbia et vana gloria ad complacentiam hominum. Avaritia in affectando ornamenta vestium aliarum. Luxuria ex ornatu et saltu ac conversatione mulierum. Ira et invidia, si una plus honoratur, quam alia, et sic de aliis. Unde propter haec Augustinus de decem chordis dicit, quod *melius est die Dominica arare, quam chorizare, et lanam texere, quam impudice saltare.* Melius, id est minus malum est. Secunda ratio multiplicis iniquationis, scilicet ex aspectu eorum. Nam Hieronymus in quadam homilia dicit: *Non credo viro, si dicit se illaesum evasisse a spectaculis talium, cum David ex eo, quod vidit Bersabee lavantem se, ad libidinem provocatus sit.* (F) Si quaeritur ergo, utrum inspectio chorearum vel iocationum sit peccatum, respondet Alexander ubi supra, quod si inspectio est in transitu, non tendens ulterius ad delectationem peccati mortalis, sic est venialis. Si autem est studiosa inspectio, ita quod advertit de periculo cogitationis morosae, et tamen non avertit se, tunc fomentum dat peccato, et est mortale. Quarta impietas fuit iuratio, scilicet mala. Nam incarcerato Iohanne Herodias pariter et Herodes occasionem quaerentes, quomodo possent occidere illum, inter se secreto condixerunt, ut Herodes natalis sui diem celebraret principibus, et puella, filia ipsius Herodias intraret et saltaret, et illi rex iuraret se daturum, quidquid petierit, et sic illa praemonita a matre caput Iohannis peteret, atque propter iuramentum illi daret, et se contristari simularet. Et sic factum est, ut patet in evangelio. Et haec sic facta testatur Hieronymus in Glossa, ex quo patet, quod haec iuratio fuit impia. (G) Quaeritur namque: Quae requiruntur ad iuramentum, ut sit licitum et sine peccato? Respondetur secundum Thomam II. I. q. LXXXIX. ar. III., quod ad iuramentum requiruntur praecipue tria. Primum est necessitas, ut non fiat ex levi causa. Secundum est veritas. Tertium est honestas, id est, quod sit licitum id, quod iuratur, et non sit malum vel vitiosum. Si enim quis iurat, quod in se peccatum est, ut adulterium vel homicidium facere et huiusmodi, peccat et iurando, et etiam servando vel implendo iuramentum. Unde Isidorus XXII. q. III.: *In malis – inquit – promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti, ne facias, impia est promissio, quae scelere adimpletur.* Haec ille. Ad propositum in iuramento Herodis praedicto nulla fuit necessitas. Non fuit etiam honestas vel iustitia, quia occidere innocentem illicitum est. Ideo iniquum fuit illud eius iuramentum, et melius fuisset non implere, Simon de Cassia. O impie Herodes, unde tristarit, si male iurasti, muta decretum. O quot sunt modo in iuramento vitiosi. (H) Sed quid dicemus de his, qui licet seipsos a periurio cavent, tamen alium



iurare compellunt, etiam cum sciant illum falsum iuraturum. Audiant tales Augustini sententiam in sermone de decollatione Iohannis, et notatur XXII. q. V.: *Ille, qui hominem – inquit – provocat ad iurationem, et scit eum falsum iuraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, immo duas animas, scilicet illius periuri et suam.* Haec ibi. Ad id Augustinus in sermone narrat, quod *quidam cum negasset accomodatum illi, cui debebatur, ille iusiurandum extorsit, is iuravit, ille perdidit, qui raptus ad iudicium Dei de hoc obiurgatus est, dante sententiam iudice et dicente sic: „Melius erat, ut rem tuam perderes, quam ut animam pretiosam illius falsa iuratione perimeres”, et propterea graviter ille caesus est adeo, quod in dorso evigilantis plagarum illarum vestigia apparerent, donec poeniteret coram omnibus.* Haec Augustinus. Quinta impietas fuit postulatio, scilicet nefanda. Cum enim saltasset filia Herodiadis, placuit Herodi et recumbentibus. Simon de Cassia: *Placent mala malis, impudica impudicis, vana vanis.* Iuravit ergo rex dicens: „Pete, quod vis, quia quidquid petieris, dabo tibi”, licet dimidium regni secundum Hieronymum et doctores. Ex hoc videtur, quod Herodes fraudulenter iuravit, ut occasionem haberet occidendi Iohannem. Non enim verisimile est, quod propter unam saltationem promitteret dimidium regni dare. Et certe si illa patris vel matris interitum postulasset, Herodes non consensisset, itaque illa exiit, et dixit matri suae: „Quid petam?” At illa: „Caput Iohannis.” Ecce mala doctrina malae matris, quia cum deberet filiam docere salutifera, docuit nefaria. Remigius: *O quot sunt hodie mulieres docentes filias non orare, non sermonem visitare, sed chorizare. Tales digni sunt aeterna morte.* Tunc ergo illa intrans ad regem dixit: „Volo, ut protinus des mihi in disco caput Iohannis.” O inverecunda bestia! O nequitia mulieris, quae amputavit caput tam sanctissimi prophetae! (I) Circa secundum principale de tali permissione divina ex verbis Chrysostomi in sermone hodierno quaestio vertitur: Cur Deus permisit, ut talis et tantus sanctus in utero consecratus matris toto orbe celeberrimus, quo maior inter natos mulierum non surrexit, tradatur in manus meretricis, et addicitur saltatrici? Unde et Gregorius in Moralibus dicit sic: *Non sine gravissima admiratione perpendo, quod talis et tantus in utero matris consecratus pro puellae saltu capite truncatur. Quando in cibo vel potu peccaverat, qui locustas et mel silvestre edebat et aquam bibebat?* Et tamen caput tam sanctissimum in convivio ad mensam in disco affertur, virgo fuit mundissimus, et traditur incestuosae meretrici. O vera mirum Dei iudicium, ad quod, ut ait Chrysostomus, *merito confusa sunt viscera, corda tremuerunt, caligavit visus, hebuit intellectus, quando virtutum magnitudinem perdidit criminum magnitudo.* Haec ille. Sed ad hoc respondendo secundum doctores colliguntur plures rationes, quia Deus hoc permisit. Prima ratio ex parte Christi, quia Christus est caput omnium iustorum, convenit autem membra conformari capiti. Et ideo sicut Christus passus est ab impiis et sceleratis, ita et Iohannes, eius membrum debuit pati, ut conformaretur Christo. Unde Ambrosius super „Beati immaculati” dicit: *Cum diffinita sit sententia, quod omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur, II. Thim. III. 14, videtur is, qui persecutionem non patitur, abdicatus.* Secunda ratio ex parte Iohannis Baptistae, ut sic coronam mereret martyrii, ut sicut in terris fuit sanctissimus, sic et in caelo fieret gloriosissimus per martyrii aureolam. Tertia ratio ex parte nostri, ut in mysterio doceamus, quod Herodes et Herodias significant diabolum. Nam interpretantur ‘pellibus gloriantes’, et diabolus de decore suae gloriae superbivit. Iohannes autem quemlibet Christianum repraesentat, quia interpretatur: ‘in quo est gratia’, secundum Hieronymum. Sicut ergo Herodes et Herodias contra Iohannem, sic daemones contra Christianum haec solent facere. Primo mittunt satellites, id est septem peccatorum mortalium temptationes. Secundo tenent, id est capiunt per consensum et delectationem. Tertio vincunt, id est ligant per operis perpetrationem in peccato. Quarto incarcerant, scilicet ne egrediatur per assuefactionem. Quinto adiciunt meretrici, id est impietati decollando per desperationem, et gehennae mortem. O ergo peccator, cave tibi. Quarta ratio ex parte electorum. Unde Gregorius in Moralibus: *Ideo – inquit – Deus Iohannem et alios bonos fecit hic pati in infimis, ut remunerari sperent in summis.* Quinta ratio ex parte reproborum. Gregorius ibidem: *Si – inquit – hoc Deus permisit super illum, scilicet Iohannem, ex hoc colligat quis, quid illic passuri sint, quod Deus reprobat, si hic ita cruciat, quos amat.* Haec ille. Unde ad huius significationem omnes persecutores Iohannis iusto Dei iudicio male perierunt, et in praesenti, et in futuro. Nam Herodes, ut dicitur in Historia scholastica, apud Caium imperatorem accusatus est, quod rebellare voluerit, et sic in exilium relegatus vitam miserabiliter finivit. Herodias etiam secundum quosdam cum caput Iohannis in manu teneret, et ei insultaret, divino indicio et miraculo caput in eius faciem sufflavit, et illa subito mortua corruit. Secundum autem Historiam scholasticam licet tunc mortua non fuerit, tamen in exilio cum Herode miserabiliter vitam et ipsa finivit. Filia vero eius cum super glaciem ludendo discurreret, et subito sub pedibus eius glacies frangitur, et sic illa in aquis miserabiliter suffocatur. Denique Pharisei et Iudaei, qui consenserant Herodi de Iohannis incarceratione et morte, per Titum et Vespasianum capta civitate Ierusalem dispersi et occisi sunt. Ecce patet, quia mali male peribunt, iusti autem ibunt in vitam etc. (K) Circa tertium de morte Iohannis accipiamus pro conclusione, quod mors Iohannis claret multiplici gloria, et ideo digne veneratur in Ecclesia. Prima namque gloria, quia pro iustitia defendenda mortem sustinuit, unde invictus martyr exstitit, licet enim scivit, quod insidiarentur ei, tamen non fugit, nec timuit arguere Herodem. Chrysostomus: *Verum gaudium sanctorum est exire de mundo, scilicet ad caeleste regnum.* Secunda gloria, quia cum devotione multa mortem excepit. Nam cum spiculator missus fuisset ad eum, stabat Iohannes in medio carceris, et voce magna clamavit dicens: „Domine Deus, tibi commendo spiritum meum.” Et genuflexo ictum gladii suscepit. (L) Quaeri potest, utrum spiculatores vel tortores peccent mortaliter occidendo morti iudicatos, vel sint in statu salutis. Respondetur secundum Thomam II. II. q. LXIV. ar. VI. et doctores, quod si iudex fert sententiam mortis, quae manifestum errorem includit, non debet quis oboedire iudici hanc sententiam iniuste exsequendo, quia sic erit homicida, ut fuerunt carnifices, qui occiderunt martyres. Talis fuit etiam iste spiculator occidens Iohannem. Si vero iudex fert sententiam iustam, vel quae non continet manifestam iniustitiam, spiculator eam exsequens non peccat, et sic potest salvari, nisi abutatur officio, puta livore vindictae vel propter delectationem fundendi sanguinem, aut causa avaritiae hoc faciendo. Nam licet ille iuste occidi debeat, nihilominus peccat minister, cum non habet rectam intentionem, alias non peccat, ut patet XXIII. q. V. „Miles”. Tertia gloria, quia sanctis patribus in limbo Christum annunciavit. Quarta gloria, quia multis miraculis eius sepultura claruit. Nam discipuli Iohannis audito, quod esset decollatus, venerunt et tulerunt corpus et

posuerunt in monumento apud Sebasten civitatem, quae olim dicebatur Samaria, inter sepulchra Elisei et Abdiae prophetarum. Sed cum ad eius sepulchrum multa miracula fierent, iubente Iuliano Apostata gentiles ossa eius sparserunt. Et cum miracula non cessarent, post hoc collecta igne cremata sunt. E quibus fideles quidam monachi plura latenter colligerunt. Sed et digitus, quo indicaverat Christum, comburi non potuit. Et sic Iohannes secundum martyrium in ossium concrematione passus est. Quinta eius gloria, quia in caelesti patria Christus Iohannem maxime sublimavit, secundum quod dignissimus inter omnes sanctos exstitit, adeo quod teste Salvatore: *Inter natos mulierum maior non surrexit Iohanne Baptista*. 15 Rogemus ergo Dominum, ut eius meritis et precibus det nobis gratiam et gloriam. De nativitate Beatae Mariae Virginis habes in Stellario plurimos sermones.

---

1 Mc 6,17 2 Mc 6,18 3 Sir 7,3 4 Mt 19,6 5 Apc 2,22 6 Cf. Prv 6,29-32 7 Dt 27,20 8 II Sam 12,10 9 Cf. Dt 22,21 10 I Cor 5,9 11 12 Mc 6,20 12 Mc 6,20 13 Lc 13,32 14 II Tim 3,12 15 Mt 11,11

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LIX.] Item de exaltatione Sanctae Crucis Sermo primus cum legenda *Ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile*. Eze. XVI. 1 et ad laudem hodiernae festivitatis. (A) Haec verba Scripturae secundum Lyram et doctores exponuntur de crucis Christi fide, de qua Deus dicit: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime*. Lyra: id est Romanum imperium, et sic sub eo totum orbem humiliavi sub Christi servitute, *et exaltavi lignum humile*, id est Christum vel eius crucem, quia nimirum lignum crucis prius erat valde humile et despectum, utpote supplicium latronum, sed valde est exaltatum iam per Christum, quia Augustinus super Ioh. dicit, et experientia docet: *Crux – inquit – quae prius erat supplicium latronum, iam transit ad frontes imperatorum*. O ergo quam mirabilis Dei operatio! Et subdit Augustinus: *Si talem honorem Deus contulit supplicio suo, qualem conferet fideli servo*. Et quoniam hodie colitur festum exaltationis Sanctae Crucis, merito ergo ad eius laudem haec verba accipiuntur pro sermone, quibus dicit Deus: *Ego Dominus exaltavi lignum* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone, secundum quod ipse Dominus tripliciter exaltavit lignum crucis, propterea dicit: *Ego Dominus exaltavi lignum humile*. · Primo virtuosa operatione · Secundo dignitosa adoratione · Tertio miraculosa demonstratione Et de his tribus prosequemur. (B) Circa primum de exaltatione virtutis crucis Christi sit pro conclusione, quod iuxta Apostolicum dictum in triplici machina rerum, scilicet caelestium, terrestrium et infernorum lignum crucis claret exaltatum, propterea merito persuadet Apostolus omnibus dicens Phil. II.: *In nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum*. 2 Primo namque exaltata est crux Christi in caelo, quia Deum Patrem reconciliavit, et angelos pacificavit, et ianuam caeli homini reseravit. Unde Col. I.: *Pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in caelis, sive quae in terris sunt*, 3 id est Deum, angelos et homines. In huius figuram legitur Gen. III., quod Paradisi ianua triplici clausura fuit clausa. Scribitur enim ibi sic: *Eiecitque Dominus Adam, et collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae*. 4 Haec ibi. Nam angelica Cherubim significat custodiam, quae fores clausas servaret. Item flamma apposita, quae hominem ab ingressu arceret, et gladio versatili, id est bis acuto, qui hominem deterreret. Sed Christus in cruce Deus et caput omnium angelorum exsistens pependit, et satisfaciendo per suam passionem angelicam custodiam removet, quia iustitiae divinae satisfacit de iniuria, et sic ianuam aperuit. Unde dixit latroni poenitenti: *Hodie mecum eris in Paradiso*. 5 Item contra flammam aquam de latere emisit in cruce, qua habet extinguere flammam culpae et gehennae vel poenae, et contra gladium sanguinem fudit in pretium. Unde Apoc. I.: *Dilexit nos et lavat nos a peccatis nostris in sanguine*. 6 Hieronymus: *Sanguis Christi clavis est Paradisi*. Idem: *Flammea illa rhomphaea et foribus praesidentia Cherubim in Christi extincta et amota sunt sanguine*. Secundo crux Christi exaltata est in Inferno, quia ipsum exspoliavit et sanctos patres eduxit. Col. II.: *Exspolians principatus et potestates traduxit palam triumphans* etc. 7 Et quia diabolus superavit et contrivit. Ideo Chrysostomus: *Ubicunque daemones signum crucis viderint, territi fugiunt timentes baculum, quo plagam acceperunt*. Haec ille. Et sic patet. Tertio crux Christi exaltata est in hoc mundo. Primo quidem quia ponitur in locis eminentibus ecclesiarum, et hoc in memoriam crucifixi. Nam triplex memoriale Crucifixi habemus. Unum in visu, scilicet imaginum Crucifixi. Aliud in auditu, scilicet per praedicationem et Scripturas. Tertium in gustu, scilicet in sacramento Eucharistiae, ut semper recordemur et gratias agamus de tantae charitatis beneficio. Unde Bernardus: *Respice, o homo, quantum obligaris patienti Domino*. Quotidiana Christiani lectio debet esse Dominicae passionis recordatio. Idem Bernardus: *Memor ero, quamdiu vixero, laborum tuorum, bone Iesu* etc. Secundo exaltata est crux in hoc mundo per multa miracula, ut infra dicetur. Tertio denique exaltabitur in iudicio, ubi erit omnibus angelis et hominibus magnae admirationis signum, quia dicit Chrysostomus super Matt., quod *in iudicio tanta erit gloria crucis, quod solis lumen reddetur obscurum prae illius luciditate*. Item ibi exaltabitur in testimonium damnationis contra malos sanguinem Christi requirens. Unde Chrysostomus: *Dicit tunc Christus: „Ego – inquit – propter vos homo factus sum, propter vos alligatus, caesus, delusus et crucifixus sum. Ubi est tantarum iniuriarum mearum fructus? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi in redemptionem animarum vestrarum, ubi est servitus vestra, quam mihi pro pretio sanguinis mei dedistis? Ego super gloriam meam vos habui, cum essem Deus apparens homo, et vos viliores me omnibus rebus fecistis. Nam omnem rem vilissimam terrae amplius dilexistis, quam iustitiam meam et fidem.”* Denique erit ibi crux Christi bonis in salvationis gaudium. Unde Hieronymus dicit: *Tunc tu, rusticanus, exsultabis, et dices: Ecce crucifixus Deus meus, cerne, Iudaeae, manus, quas fixeras, cerne, Romane, latus, quod foderas*, etc. Et sic patet. (D) Circa secundum de adoratione crucis aliquae quaestiones occurrunt pertractandae pro informatione. Prima quaestio, utrum crux Christi sit adoranda adoratione latria. Ratio quaestionis est, quia Ecclesia videtur festum faciendo eam sic adorare, et quia dicit: *O crux, ave, spes unica, hoc passionis tempore auge piis iustitiam reisque dona*

veniam. Sed hoc, scilicet augere iustitiam et dare veniam est solius Dei, ergo etc. Sed contra est, quia soli Deo debetur latria tamquam proprius cultus, ut Augustinus dicit X. De civitate Dei. Iuxta illud Deut. VI.: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, 8 scilicet cultu latriae. Sed quia crux est pura creatura et ratione carens, ergo mirum videtur, quod debeat et quomodo adorari. Sed ad haec respondetur secundum doctores, praecipue Alexandrum de Hales III. parte Summae q. XVI. concorditerque Bonaventuram super III. dist. IX. et Thomam super eisdem, ac eos sequentes fratrem Angelicum de Clavasio in Summa dicentes, quod *honor sive reverentia non debetur nisi rationali creaturae, cum sit praemium virtutis*, III. Ethicorum, cuius capax non est creatura irrationalis. Insensibili ergo creaturae non debetur honor aut reverentia nisi ratione naturae rationalis. Et hoc dupliciter, vel inquantum repraesentat creaturam rationalem, ut est imago regis. Vel secundo inquantum eidem quocumque modo coniungitur, ut est vestis vel sella regis, utrumque autem venerantur homines, sicut et regem. Sic ergo loquimur de cruce illa, in qua Christus est crucifixus et pendit, de illa dicendum, quod utroque modo est veneranda. Primo quia repraesentat figuram Christi extensi in ea. Secundo ex contactu eius ad Christi membra, eo quod sanguine eius perfusa est, unde utroque modo adoratur adoratione eadem cum Christo, scilicet latriae. Et ideo Ecclesia crucem alloquitur et deprecatur, quasi ipsum Christum Deum, dicens: *O crux, ave, spes unica* etc. Hinc etiam festa crucis celebramus, de consecratione dist. III. c. „Crucis”. Verumtamen aliqui, ut Thomas in III. parte q. XXV. tenent, quod crux Christi, in qua pendit, non adoratur eadem adoratione, scilicet latriae, cum verbo, cum non pertineat ad personam eius quasi pars eius, sed adoratione hyperduliae, inquantum est quaedam res Christi, ratione cuius vestes similiter et alia, quae ad humanitatem eius referuntur, hyperdulia adorantur. Sed sanctus Bonaventura in III. dist. IX. dicit, quod illa crux Christi ut est res quaedam insensibilis, non debet adorari latria, nec dulia, sed debet venerari adoratione cuiusdam honoris et reverentiae, tamquam instrumentum nostrae salutis, sicut etiam reveremur sacramenta pro eo, quod sunt instrumenta salutis nostrae, honor autem adorationis, quem offerimus cruci Christi alloquendo tamquam rationalem dicendo: *O crux, ave, spes unica*, et huiusmodi, fit cruci Christi ratione crucifixi in ea, cui scilicet crucifixo Christo placere intendimus, et ab eo impetrare, et hoc modo cruci Christi debetur adoratio latriae, si autem loquimur de cruce Christi in alia materia, scilicet ligni, lapidis et huiusmodi, sic tantummodo veneramur eam ut Christi imaginem adoratione latriae. Unde Damascenus li. III. c. VIII. dicit: *Honor imaginis provenit ad prototypum*, id est imaginatum, unde post typi, id est figurae Christi dissolutionem illi lapides non sunt adorandi. Patet ergo, quod illa vera crux, in qua pendit Christus, veneratur, non solum inquantum est typus, sed etiam ratione materiae propter contactum membrorum Christi et sanguinis. In aliis autem crucibus veneranda est sola figura, non materia, ut etiam dicit Damascenus. (E) Secunda quaestio, utrum cetera passionis Christi instrumenta sunt aequali adoratione, sicut crux Christi, veneranda, puta lancea, clavi, corona spinea, sepulchrum, columna, praesepe et huiusmodi. Respondetur secundum Thomam in III. dist. IX. et Rainerium tit. de adoratione c. V., quod sicut Damascenus li. III. dicit: *Omnia, quae Deo adiacent, adoramus ipsi reverentiam afferentes*. Et praedicta ac alia quaeque ex Dominici corporis et sanguinis contactu decenter adoramus, non tamen adoratione latriae, nec intantum ut crucem Christi, quia illa non repraesentant imaginem Christi, sicut repraesentat crux Christi, quae dicitur *signum Filii hominis*, quod *apparebit in caelo*, Matth. XXIV. 9 Sed talia debent magis venerari hyperdulia, id est maiori honore, quam aliorum sanctorum reliquiae, propter contactum membrorum et sanguinis Christi. Sed quod videmus plerumque talia coli latriae honore a fidelibus festum celebrando pro spinea corona et alia instrumenta venerando et adorando in terris, specialius possumus dicere secundum Bonaventuram ubi supra, quod ratione Christi, veri Dei ad illum referendo intentionem, cuius contactu sunt sanctificata, possunt ut sic adorari latria, ita quod in illis adoretur Christus Deus, et propter illum haec venerentur, ut decet. (F) Tertia quaestio, utrum cruci Christi exhiberi debeat maior honor, quam matri Christi, an e converso. Respondetur secundum praedictos doctores, scilicet Thomam et Rainerium ubi supra, quod si consideratur crux ex parte suae materiae, inquantum est quaedam res, sic maior debetur honor matri Christi, quam cruci Christi, quia beata mater Christi cum sit rationalis, capax est honoris secundum seipsam, sed lignum crucis non secundum se. Item quia cum coniunctio ad Christum sit causa honoris, ubi ergo est maior coniunctio ad Christum, ibi debet esse maior honor, sed coniunctior est Christo sua mater, quam crux, ergo etc. Si autem consideratur crux, ut est imago Crucifixi, tunc debetur ei honor et adoratio latriae, et sic maior, quam matri Christi, quia mater Christi non adoratur latria, quae soli Deo debetur, sed hyperdulia. Unde notandum secundum Rainerium ubi supra, quod octo sunt, quae a nobis vario modo adorantur. Primo Deus. Secundo tres personae divinae, ut Pater, Filius et Spiritus Sanctus, haec adorantur latria. Tertio Christus, qui etiam latria adoratur, quia verus est Deus. Quarto humanitas Christi, ut caro et anima, et haec etiam inquantum est unita deitati debet adorari latria, secundum quod ait Damascenus. Quinto imago Christi, haec inquantum res quaedam, puta lignum vel lapis, non est adoranda, sed inquantum significat Christum, adoramus propter rem, id est Christum, cuius est imago, et quia idem est motus in imaginem et in rem, cuius est imago. Ideo cum Christus adoretur latria, etiam imago eius debet latria venerari, quia Christus adoratur in imagine, non illa res, etc. Sexto crux Christi adoratur, ut supra dictum est. Septimo Mater Dei adoratur hyperdulia. Octavo sancti et sanctorum reliquiae ac sanctorum imagines adorantur dulia. Et sic patet de secundo, etc. (G) Circa tertium de miraculosa crucis demonstratione sit pro conclusione, quod ipsa crux Christi multis et maximis miraculis per mundum claret exaltata. Et sufficiat ad praesens narrare hanc solam historiam hodiernae festivitatis de exaltatione crucis. Legenda Anno quippe Domini sexcentesimo quindecimo permittente Deo flagellari populum suum per saevitiam paganorum, Cosdroe, rex Persarum subiugavit suo imperio multa regna terrarum. Veniens autem Ierusalem a sepulchro Domini territus rediit, sed tamen partem Sanctae Crucis, quam sancta Helena ibidem reliquerat, asportavit. Volens autem ab hominibus coli ut deus, fecit turrim ex auro et argento interlucentibus gemmis, et ibidem Solis et Lunae et stellarum imagines locavit, per occultos etiam aquaeductus aquam desuper quasi deus pluebat, et in subterraneo specu equi quadrigas trahentes in circumitu ibant, ut quasi turrim moverent tonitruum simulando. Filio itaque suo regno tradito in tali fano profanus residebat, et iuxta se crucem Domini collocans appellari ab omnibus se deum iubet. Tunc Heraclius imperator exercitum collegit, et contra Cosdroe filium iuxta fluvium Danubium dimicaturus advenit. Tandem utrisque



principibus placuit, ut super pontem soli confligerent, et qui victor existeret, sine damno utriusque exercitus imperium usurparet. Decretum etiam exiit, ut quicumque principem suum iuvare praesumeret, cruribus et brachiis abscisis in flumen mergeretur. At Heraclius totum se Deo et Sanctae Crucis commendavit, et illi Dominus victoriam contulit, adeo, ut universus populus Cosdroe fidei Christianae se subderet, et baptisma reciperet. Ecce quale hoc miraculum factum est per Christi crucem. Cosdroe autem senior ignorabat belli exitum, quia cum ab omnibus odiretur, a nemine sibi est intimatum, Heraclius autem ad eum pervenit, et in throno aureo illum reperiens sedentem dicit ei: „Quia lignum Sanctae Crucis secundum modulum tuum honorasti, si fidem et baptisma Christi susceperis, vitam et regnum tibi dabo, si autem contempseris, gladio te feriam.” Cui ille non adquevit, et iste illum decollavit. Et quia rex erat, fecit sepeliri. Filium vero suum decem annorum, quem ibi reperit, baptizari fecit, et regnum paternum eidem dimisit. Item turrim illam destruens argentum in praedam exercitus distribuit, aurum vero et gemmas ad reparandum ecclesias, quas tyrannus destruxerat, reservavit. Sacram igitur Crucem suscipiens Hierosolymam reportavit. (H) Cum autem de Monte Oliveti descendens per portam, qua Dominus passurus intraverat, in equo regio et ornamento imperiali ingredi vellet, ecce repente lapides portae invicem descendentes quasi paries muri se clauserunt. Super quo cunctis stupentibus angelus Domini signum crucis in manibus tenens supra portam apparuit dicens: „Cum rex caelorum ad passionem per hanc portam intraret, non cultu regio, sed humili asello, humilitatis exemplum suis cultoribus dereliquit.” Et his dictis angelus abscessit. Tunc imperator lacrimis infusus seipsum discalciavit, et vestimenta usque ad camisiam exuit, crucemque Domini accipiens usque ad portam humiliter baiulavit, statimque porta liberum intrantibus patefecit ingressum. Odor autem suavissimus, qui eodem momento, quo de turri Cosdroe Sacra Crux fuit ablata, Hierosolymis de Persarum provincia per tam longa terrarum spatia fuerat illapsus (tunc rediit), omnesque mirabili suavitate refecit. Rex autem devotus in has laudes crucis prorupit: „O crux, splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, quae sola fuisti digna portare talentum mundi, dulce lignum, dulces clavi, dulcis mucro, dulcis hasta, dulcia ferens pondera, salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.” Sicque Sacra Crux in suo loco restituitur, et miracula fiunt. Nam eodem die unus mortuus vitae restituitur, paralytici quattuor curantur, leprosi decem mundantur, caeci quindecim illuminantur, daemones effugantur, et variis languoribus plurimi liberantur ad laudem Domini Iesu Christi, cui sit honor et gloria in saeculorum saecula. Amen.

---

1 Ez 17,24 2 Phil 2,10 3 Col 1,20 4 Gn 3,24 5 Lc 23,43 6 Apc 1,5 7 Col 2,15 8 Cf. Dt 6,13 9 Cf. Mt 24,30

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LX.] De exaltatione Sanctae Crucis Sermo II. *Ego si exaltatus fuero, a terra omnia traham ad meipsum.* Ioh. XII. 1 et in evangelio hodierno. (A) Haec verba Christus dicit, quibus designavit suam exaltationem per crucem et nostram salutem. Videmus nempe, carissimi, in rebus, quod gravitas trahit deorsum, ut patet de terra, levitas autem facit tendere sursum, ut patet de igne. Sic spiritualiter superbia, avaritia, luxuria etc., quia gravitatem terrenae carnis habent, animam ponderosam gravitate peccati detrahunt ad Infernum. Iob XXI.: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad Infernum descendunt.* 2 Sed charitas Dei, quae est ignis divinus, per levitatem caelestem efficit animam levem ad superna, et tendere facit ad Deum. Unde Augustinus: *Pondus meum amor meus, eo feror, quocumque feror.* Quia ergo per crucem Christi peccata et vitia in nobis exstinguuntur, unde Damascenus li. II. c. III. dicit: *Crux Christi est peccati interemptio, lignum vitae aeternae.* Item ex quo per crucem ignis divinae charitatis inflammatur, ut diligamus Deum, qui *dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo,* Apoc. I. 3 Idcirco per eam elevamur in Deum. Perinde Salvator dicit: *Ego si exaltatus fuero, scilicet in cruce, omnia traham ad me, Deum.* Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone. · Primum de Christi exaltatione in cruce, ibi: *Si exaltatus etc.* · Secundum de salubri attractione omnia inquit: *traham* · Tertium de praedulci dilectione, qua trahit nos Christus ad seipsum (B) Circa primum de exaltatione Christi in cruce quaestio occurrit: Cur Christus mortem suam in cruce vocat exaltationem? Nam exaltatio significat vel sonat honoris sublimitatem, Christus autem in cruce fuit multum humiliatus et turpissima morte occisus. Mirum ergo, quomodo vocavit talem mortem exaltationem suam, dicens: *Ego si exaltatus fuero, a terra omnia traham etc.* Ad haec secundum Lyram in Postilla, simulque alios doctores respondetur per conclusionem, quod Christus suam mortem et crucis passionem convenienter et merito vocavit exaltationem. Unde subdit ibidem evangelista: *hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus.* 4 Et ad id sunt quattuor rationes, propter quas etiam conveniebat Christum in alto ligno mori. · Prima ratio propter meritoriam sublimationem · Secunda propter orbis sanctificationem · Tertia propter restitutionem · Quarta propter invitationem Prima ratio propter meritoriam sublimationem, quia quamvis Christus in cruce fuit multum humiliatus, tamen per hoc meruit summa gloria exaltari, sicut dicit Apostolus Phil. II.: *Humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum etc.* 5 Exaltavit quidem in resurrectione et in gloriosa ascensione. Exaltavit etiam in gentium conversione, quia confitentur ubique divinitatem Christi, sicut praedixerat Ps.: *Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.* 6 Ut enim Augustinus dicit: *Inter omnia hoc unum maximum est miraculum ad Christi gloriam, quod per paucos simplices et illitteratos homines totum mundum iugo fidei subiugavit.* Denique exaltabitur Christus in finali iudicio et retributione, Matth. XXV.: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes angeli eius cum eo, tunc sedebitis super sedem maiestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, 7 id est bonos a malis. O quantus ibi erit cantus, ubi totus mundus resonabit confitendo Christum Deum, alii lamentando ut mali, alii exsultando ut boni. Secunda ratio propter orbis totius sanctificationem. Unde Chrysostomus super illud Iohannis „Oportet exaltari Filium hominis” 8 dicit: *Exaltari audiens suspensionem in altum intelligas, ut sanctificaret aera, qui sanctificaverat terram ambulando in ea.* Sanctificaverat et aquam*

baptismo, et super mare gradiendo, sanctificaturus erat ignem Spiritum Sanctum in specie ignis mittendo, restabat, ut sanctificaret aerem non sub tecto, sed in ligno excelso moriendo. Unde quia in alto mori voluit, ideo exaltationem suam mortem nominavit. Ex hoc perpende tu, homo, quantum odiat Deus peccatum, quia omnia elementa mundi ab infectione et foetore peccati voluit mundare. Vive ergo munde, ut placeas Christo, nam et ob hoc Christus crucifixus est. Augustinus: *Dum innocens, scilicet Christus, occiditur, peccatum in nobis crucifigitur.* (C) Tertia ratio propter restitutionem, quia Adam ad altum lignum vetitum manus extendens fructum decerpit. Ideo Christus, fructus uteri virginalis in altum lignum suspendi debuit ad restitutionem debitam. Ps.: *Quae non rapui, tunc exsolvebam.* 9 Et propterea exaltationem vocavit suam mortem convenienter. Sed quoniam Adam latrocinium commisit contra Dei voluntatem rapiendo fructum, idcirco Christus, Dei Filius pro restitutione vel satisfactione inter latrones in alto ligno suspendi debuit. Isa. LIII.: *Cum iniquis deputatus est.* 10 Quarta ratio propter invitationem. Unde Bernardus in Meditationibus dicit: *Christus in altum crucis ascendit, ut ab omnibus videretur, voce magna clamavit, ut ab omnibus audiretur, clamori lacrimas addidit, ut homo ei compateretur. Qui ad eius clamorem non excitatur, ad vocem eius non compungitur, gravior est terra, durior petra, foetidior sepulchro.* Haec ille. Ut ergo Christus invitaret nos sua passione et clamore ad poenitentiam salutiferam, voluit exaltari in cruce tamquam in cathedra praedicationis. O ergo Christiana anima, o sanguine Christi abluta, audi Christum in crucis patibulo alto ad te clamantem, sed quid clamantem, utique ipse in cruce clamavit: *Sitio,* 11 scilicet salutem animarum per veram poenitentiam. Et pro talibus, id est poenitentibus clamavit, et ad Patrem dixit: *Pater, ignosce illis,* etc. 12, et ad matrem dicens: *Ecce filius tuus,* 13 scilicet adoptivus, hic in Iohannis typo. Denique et ad talem poenitentem latronem clamavit dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso.* 14 Audi ergo, o anima, audi clamorem Christi, et noli te perdere, sed poenitere, ne pereas, sed ad Paradisum pervenias. (D) Circa secundum de salubri attractione animarum per Christi passionem quaeritur, quomodo Christus traxit omnia ad se per suam passionem. Ad quod respondetur secundum Lyram et doctores per conclusionem, quod Christus traxit ad se omnia creata angelica et humana per amorem ostensum in cruce sua sacratissima. Et declaratur, quia Ambrosius dicit et experientia docet, quod *nil tam impressum humanis affectibus, quam diligere se diligentem.* Sed Christus summum amorem exhibuit erga nos in cruce, ut animam suam pro nobis posuit. Ioh. XV.: *Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis.* 15 Ex amore ergo ostenso in cruce ad genus humanum habet causam attractivam mentium humanarum. Et quoniam in hoc ipso etiam angelis amorem exhibuit, quorum ruinam ex hominibus reparavit, ideo traxit et angelos. Rabanus: *In te, Crux Sancta, respiciunt angeli cumulata sua gaudia.* Ad haec exemplum ponit Augustinus homilia super Ioh. dicens: *Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam, nuces puero ostenduntur, et trahitur, et quo currit, trahitur, amando trahitur, sine laesione trahitur corporis, cordis vinculo trahitur. Unde verum est, quod poeta ait dicens: Trahit sua quemque voluptas.* Haec Augustinus. Sic ergo Christus dulciter per amorem voluit nos trahere in cruce monstratum, ut reamemus ipsum, qui sic tractus fuit. Beatus Bernardus super Cantica dicit: *Super omnia te mihi amabilem reddit, bone Iesu, calix passionis, quem bibisti pro me in cruce, hoc est, quod magis et affectum stringit, et devotione afficit, et mulcet, et iustius exigit.* Haec ille. De hoc clarius in sequentibus. (E) Circa tertium de praedulci amore Christi, quem monstravit in cruce ad attrahendum nos, accipiamus pro conclusione, quod Christus maximi amoris signa monstravit in cruce pendens ad attrahenda peccatorum hominum corda. Et hoc praecipue in quattuor declaratur. · Primo in manuum extensione · Secundo in pedum confixione · Tertio in lateris vulneratione · Quarto in capitis inclinatione Primo in manuum extensione, pro qua quaero: Cur Christus voluit extensis brachiis et manibus in cruce pro nostro amore pendere, et sic mori? Ad hoc respondetur, quod potissime ad monstrandum suum praedulcem amorem erga nos, quia sicut mater filios amans, ut ad se trahat et ad eam currant, solet extendere brachia ad suscipiendum eos, sic fecit Christus in cruce. Bernardus: *Extendit Christus in cruce brachia ad amplexandum.* Christus ergo Dominus in extensione brachiorum in cruce monstravit erga nos peccatores, ut attraheret ad se suum amorem tripliciter. Primo pro signo amplexationis peccatorum poenitentium, et ad veniam susceptionis. Bernardus: *Quis non rapiatur ad spem impetrandi veniam, quando considerat brachia extensa ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum.* Secundo extendere voluit brachia pro signo reconciliationis et pro foedere pacis inter Deum et poenitentem. Solent enim paciscentes homines extendere manus etiam ad evangelia vel crucem vel ad mancipandum se mutuo pro pacto servando. Sic fecit nobis Christus Deus. Olim enim Deus extendebat manum ad poenam inferendam pro peccatis, ut patet in diluvio et in Sodomitis et aliis. Ps.: *Extendit manus suas in retribuendo.* 16 Sed ecce Christus ambas manus extendit in cruce ad reconciliandum peccatores poenitentes, unde poenitenti Deus olim licet unam manum, scilicet misericordiae extenderet, non tamen aliam, scilicet qua daret gloriam caelestem, extendere volebat. Sed Christus in cruce ambas manus extendit, quia et misericordiam praestat, et gloriam. Mat. III.: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum.* 17 Tertio extendere voluit pro signo largae erogationis, propterea palmas perforatas voluit habere, quae non possunt retinere aquas. Sic Christus in hoc ostendit, quod nil velit retinere, quin nobis effluat et largiatur. I. Timoth. VI.: *Qui praestat nobis omnia abunde.* 18 O quam largus Christus, quia pro potu aquae frigidae dat regnum caeleste? Matth. X.: *Quicumque dederit potum aquae frigidae, non perdet mercedem suam.* 19 O quam liberalis fuit Christus in cruce, ut sibi nil retinuit! Nam Petro dedit Ecclesiam, Iohanni matrem, Patri animam, latroni Paradisum, crucifixoribus vestimenta, Iudae temporalia, Ioseph et Nicodemo corpus ad sepeliendum, nobis corpus et sanguinem ac animam in pretium redemptionis, et haec ac deitatem in cibum in Eucharistia. (F) Secundo in pedum confixione. Quaeritur etenim, cur Christus voluit pedibus confixis pendere in cruce. Respondetur, quod pro signo amoris maximi, scilicet ut ostendat, quod non vult a nobis fugere, utpote pedibus conclavatus, sed vult nobiscum manere semper, sicut promisit Matth. ultimo dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* 20 Bernardus: *Quis non rapiatur ad spem, quando considerat pedes perfossos ad nobiscum manendum.* Item conclavari voluit Christus pedes, ut ostendat, quod nos amat adeo, ut se compediri faceret nobiscum, sicut amicus visitans amicum compeditum in carcere magnum amorem ostenderet, si seipsum cum illo compediri faceret. Sic fecit nobis Christus, qui de caelis descendit ad visitandum nos in huius miseriae

et exsulatus carcere. Et mori volens pro nobis ferro nostro se compediri fecit ex charitate. Augustinus: *Nescivi, quomodo me Deus diligeret, nisi pro me, scilicet pati et mori eligeret.* O Christi Iesu mira charitas. (G) Tertio praedulcem amorem Christus ostendit ad attrahendum nos in lateris apertione et cordis vulneratione. Quaeritur namque: Cur Christus voluit vulnerato corde in cruce pendere? Respondetur: pro signo veri amoris. Unde Bernardus: *Clamat clavis, clamat lancea, clamat vulnus, quod nos vere dilexit Iesus.* Nimirum in hoc tripliciter Christus ostendit suum amorem, ut nos reamemus. Primo quidem in cordis vulnere, ubi est fons sanguinis et amoris, ut ostendat, quod nos cordialiter dilexit. Secundo in sanguinis effusione simul et aquae, quia totum sanguinem pro nobis in pretium fudit, nec illum modicum sanguinem, qui in corde latebat, retinere voluit, quin effunderet ex amore, aquam autem fudit in lavacrum peccatorum nostrorum. Bernardus: *Pectus illud, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei, lancea militis perforatum est, ut pectus tuum a pravus cogitationibus mundaretur, et sanctificaretur.* Tertio in magna lateris apertione, ubi fons deitatis in corde Christi habitavit, id est in anima per unionem, ostendit, quod introducere nos vult ad claram Dei visionem. Et sic patet, quod Christus dilexit nos plus, quam cor suum, cum voluit pro nobis in corde vulnerari. Sicut enim pia mater filio suo solet dicere: „Fili, plus diligo te, quam cor meum”, sicut fecit nobis Christus cor vulnerari pro nobis permittens, propter quod dicit per Ps.: *Similis factus sum pelicano solitudinis,* 21 qui cor vulnerat, ut pullos vivificet a serpente venenatos. Item patet, ad quid vel propter quid diligit nos Christus, quia ut ad visionem deitatis et aeternam beatitudinem pertingamus. Ideo Auctor libri de stimulo amoris, qui dicitur fore Bonaventura, dicit: *Ecce in Christo aperta sunt foramina, per quae ingredientibus videamus deitatem, semel ingressus sum, ibi semper manebo. O utinam millesies morerer, ut iterum ingredi valerem, et ibi manerem, ac in aeternum degustarem et viderem, quoniam suavis est Dominus.* Denique patet tertio, quod multum debemus diligere Deum, quia *ipse prior dilexit nos,* I. Ioh. IV. 22 Augustinus: *Nimis durus est, qui et si nolit dilectionem impendere, nolit rependere.* O ergo Christiane, ama Christum pro tanta eius charitate et bonitate! (H) Quarto in capitis inclinatione Christus amorem suum praedulcem ostendit ad attrahendum nos. Nam quaeritur, cur voluit Christus capite inclinato in cruce mori. Respondetur, quod ad monstrandum suum amorem per triplex signum. Primum signum deosculationis, ut dicit Bernardus in Meditationibus: *Christus – inquit – caput inclinatum habuit ad osculum nobis praestandum.* Sicut enim amicus amicum nutu capitis vocat, ut illum osculetur, sic fecit nobis Christus in signum amoris. Secundum signum exauditionis. Nam quos libenter audimus, illis inclinamus et aures. Sic Christus caput inclinavit, et unam aurem renuit versus nos, et aliam versus caelum ad Patrem, ut significet, quod quidquid petierimus pro salute nostra, exaudit. Et propter passionis merita Deus Pater dabit nobis, sicut ipsemet repromisit, Ioh.XVI.: *Amen dico, vos si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* 23 Tertium signum amorosi aspectus et salutationis. Nam Augustinus dicit: *Ubi amor, ibi oculus.* Et certe quos amamus, illis caput ad amanter salutandum inclinamus. Sic Christus de cruce fecit nobis, quia caput inclinavit, ut nos amore aspiceret, pro quibus moriebatur. (I) Sed quia Christus versus dexteram inclinavit in cruce caput. Huius una praecipua ratio est, quia a dextris stabat gloriosa mater eius, et ideo versus eam inclinavit caput, ut ipsi „Vale” ultimum in morte diceret. Et nos, quos oculo dextro, scilicet suae gratiae et misericordiae aspiciebat, ipsi matri suae per hoc ‘Vale’ commendaret, quasi dicens: „O piissima Mater Virgo, ecce iam ego morior et transeo hinc, tibi ergo sit ultima ‘Vale’, et homines, pro quibus morior, amore tibi commendo, ut pro eis intercedas, et sis advocata, ne pereant in peccatis suis, sed per te salventur in fide et charitate mea.” O ergo amoris immensi fons in Christo, o piissima et praedulcissima Christi charitas erga nos, o Iesu praeamantissime, per tuam crucem da nobis te reamare vere. O Beatissima Virgo Maria, recordare illius charitatis tui Filii Iesu, et pro eius amore ora pro nobis, ut det veniam et gratiam in praesenti ac gloriam in futuro. Amen.

---

1 Ioh 12,32 2 Iob 21,13 3 Apc 1,5 4 Ioh 12,33 5 Phil 2,8 6 Ps 45,11 7 Mt 25,31-32 8 Ioh 12,34 9 Ps 68,5  
10 Cf. Is 53,12 11 Ioh 19,28 12 Cf. Lc 23,34 13 Ioh 19,26 14 Lc 23,43 15 Ioh 15,13 16 Ps 54,21 17 Mt 3,2  
18 I Tim 6,17 19 Mt 10,42 20 Mt 28,20 21 Ps 101,7 22 I Io 4,19 23 Ioh 16,23

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXI.] De exaltatione Sanctae Crucis Sermo III., videlicet de fructibus Sanctae Crucis Christi *Benedictum est lignum, per quod fit iustitia.* Sap. XIV. 1 (A) Licet haec verba secundum Lyram dicantur ad litteram de arca Noe, ex signo facta, per quod facta est iustitia, quando impiis in diluvio pereuntibus iusti per eam arcam sunt salvati secundum divinam iustitiam et misericordiam. Tamen quia illa arca figuravit Sanctam Christi Crucem, ideo de ea merito haec verba dicuntur. Nimirum ante passionem Christi lignum crucis fuit multum ignominiosum et infructuosum, ac reputabatur maledictum, Deut. XXI.: *Maledictus pendet in ligno.* 2 Sed per Christi passionem in cruce iam adeo crux est exaltata, ut dicatur pretiosa, sancta, gloriosa et benedicta, utpote ex sanguine Christi consecrata et ornata. Unde pro ipsa Sancta Cruce benedicit Christum Ecclesia toto mundo diffusa dicens: *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum.* Merito ergo pro hac celebritate crucis Christi de eius exaltatione accipiuntur verba praemissa, quibus dicitur: *Benedictum lignum, scilicet crucis, per quod* etc. Iuxta quae verba ipsa Sancta Crux tripliciter commendatur. Et secundum haec tria mysteria notabimus pro hoc sermone. · Primo de divina benedictione, ibi: *Benedictum est lignum* · Secundo de iusta satisfactione, ibi: *per quod iustitia* · Tertio de sacra fructificatione, ibi: *per quod fit* Et sequitur ad haec. (B) Circa primum de benedictione divina crucis accipiamus pro conclusione, quod crux Christi merito dicitur benedicta, per quam omnis maledictio homini inflictata felicissime est abolita, et in benedictionem commutata. Declaratur, quia ut colligitur ex Scriptura secundum doctores humanum genus per peccatum plures maledictiones incurrit a Deo inflictas, quas per crucem Christus commutavit in benedictionem felicissime et gloriosissime, ut patet de singulis per ordinem. Prima maledictio culpae, quia homo factus est inoboediens divino mandato, per quod ipso facto



incurrit maledictionem, teste Ps.: *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis*. 3 O peccator, numquid tibi parvum videtur esse maledictum a Deo? Audi Apostolum Heb. X. dicentem: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*. 4 Sed haec maledictio per crucem Christi mutata est in benedictionem remissionis, scilicet omnis culpa, propter quod Christus in cruce oravit primo verbo pro remissione peccatorum, etiam suorum inimicorum, dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*, Lu. XXIII. 5 Unde Glossa super Isa. XXXV. dicit, quod cum Christus in cruce oraret „Pater, ignosce illis”, ad hanc vocem secundum Evangelium Nazarenorum multa milia Iudaeorum astantium circa crucem conversi sunt, moventes capita sua et percutientes pectora sua. Et tu ergo, peccator, audi Christum pro te orantem, et convertere a peccatis, ut consequaris remissionem ex benedictione crucis Christi. Unde Rabanus: *Tu, Sancta Crux, peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum*. Haec Rabanus De laude crucis. Secunda maledictio exsulatus huius miseriae, unde dixit Dominus Aadae: *Maledicta terra in opere tuo, id est in peccato tuo vel propter peccatum tuum, sterilis erit terra, ut sine labore et cultura non producat fructum convenientem homini, ideo subditur: In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, 6 et ceteris huius exsulatus miseriis, quas incurrimus propter peccatum. O utinam moderni homines adverterent, quot calamitates, quot miseriae et labores ac infirmitates et mortes incurrimus pro transgressione peccati, et resipiscerent a peccatis! Si enim pro uno peccato inoboedientiae sic Deus homines omnes punivit, quid erit pro multis peccatis actualibus? Sed haec maledictio per crucem Christi mutata est in benedictionem meritorum. Ro. VIII.: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, 7 et etiam in benedictionem levioris tolerantiae. Gregorius: *Quidquid afflictionis pateris in terris, leve erit, si inspiciatur, quid passus sit Christus in ligno crucis*. Idem: *Si passio Christi ad memoriam revocetur, nil tam durum, quod non aequo animo toleretur*. Haec ille. Hinc Christus in cruce dixit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, 8 scilicet in poenalitatibus, ut exemplum habeamus non murmurandi, sed patienter ferendi adversa pro cruce Christi. (C) Tertia maledictio mortis obligatoriae. Unde dixit Dominus ad Adam ubi supra: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea*. Et infra: *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*. Gen. III. 9 Sed haec per crucem mutata est in benedictionem resurrectionis gloriosae. Unde canit Ecclesia: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra* etc. Propter hoc Christus in cruce dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, 10 quo docet, quod nos in mortis hora commendemus Deo, ut ad gloriam resuscitet in die novissimo. Quarta est exclusionis a Dei facie. Unde Dominus eiecit Adam de Paradiso, nec admisit quemque filiorum eius ad Paradisum, nisi ex speciali gratia Enoch et Eliam. Sed per crucem haec maledictio mutata est in benedictionem, admittens ad deitatis visionem. Unde Christus in cruce dixit latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso*, 11 id est visione deitatis. Proinde Chrysostomus in homilia de cruce dicit: *Crux nobis Paradisum quinque et eo amplius annorum milibus praeclusum patefecit, hoc patet de patribus in limbo*. (D) Rabanus super Gen. dicit: *Dominus in meridie crucem ascendit, et promissa latroni habitatione Paradisi post meridiem, hora IX. spiritum tradidit, ut videlicet hora eadem, qua primus homo praevaricatoris tetigerat, secundus Adam lignum redemptionis ascenderet, et qua hora diei praevaricatorem Adam de Paradiso expulerit, ea hora latronem confitentem in Paradisum induceret*. Haec ille. O mira Dei sapientia, o homo, quando vides diei meridiem, recordare de hoc, et ora Deum, ut tibi det Paradisum! Nam legitur, quod Petrus et Iohannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, Act. III. Nam et Christus illa hora ascendit in caelum. Quinta est inimicitiae divinae, quam omnes filii incurrerunt ex peccato primi parentis, Eph. II.: *Eramus natura filii irae*, 12 et per consequens diaboli et sub maledictione, sed *Christus redemit nos per crucem de maledictione*, Gal. III. 13, et sic mutavit in benedictionem, quia Christus in cruce adoptavit nos in fratres. Commendavit enim matri Iohannem ad significandum, quod omnis fidelis Christianus est filius scilicet Dei, et filius Beatae Virginis Mariae, ac frater Christi adoptivus, iuxta illud Iohannis I.: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui* etc. 14 Hinc etiam Christus in cruce clamavit: *Sitio*, 15 scilicet salutem animarum, scilicet ex charitate tamquam frater fratrum bonum aeternum. Et adiecit tandem dicens: *Consummatum est*, scilicet opus redemptionis et salutis per crucem, et sic *inclinato capite emisit spiritum*, Ioh. XIX. 16 Patet ergo, quod omnis maledictio protoparentis et humani generis mutata est in benedictionem crucis, ergo benedicta crux, quia Eusebius dicit: *Tota salus humani generis provenit ex ligno crucis*. (E) Circa secundum de iusta satisfactione, scilicet in cruce Christi quaeritur, quomodo iudicatur iusta passio et mors Christi innocenter occisi. Et ratio, quia nulla lege invenitur iustum occidere innocentem, et ex quacumque causa tradere ipsum morti, sed Christus fuit innocentissimus, ergo etc. Dan. XIII.: *Innocentem et iustum non interficies, dicente Domino*. 17 Item dist. IV. „Factae sunt” dicit Isidorus, quod omnis lex facta est, ut mali coerceantur, et innocentia tuta servetur. Et XXIII. q. V. „Non vos” Pelagius papa ait, quod omnis lex divina et humana statuit iustitia suadente malis poenam et bonis praemia. Magnae ergo crudelitatis et perversitatis est innocentem damnare, ut absolvatur nocens. Quomodo ergo iustum fuit Christum innocentissimum occidi, ut nos nocentes liberemur. Ad haec et similia respondetur secundum Bonaventuram super III. dist. XX. q. V., et concorditer alios doctores per conclusionem, quod modus satisfaciendi per passionem Christi fuit Deo acceptissimus, nobilissimus et iustissimus inter omnes modos, qui possent esse vel excogitari pluribus rationibus, quas notavi recolligendo ex variis partibus. Prima ratio ex parte Dei, quia Anselmus „Cur Deus homo” c. XI. dicit: *Nil asperius et difficilius potest homo pati ad honorem Dei sponte, quam mortem, et nullatenus potest magis seipsum dare homo Deo, quam cum seipsum morti tradit ad honorem ipsius Dei*. Sic fecit Christus, Eph. IV.: *Tradidit seipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*. 18 Hoc autem iustissimum fuit, quod Christus innocens offerret Deo voluntarie vitam suam in obsequium Dei pro satisfactione mortem subiens, cuius debitor non erat, quia peccatum non habebat. Et per haec solvuntur praemissae obiectiones secundum Bonaventuram, quia magnae iniustitiae et crudelitatis est innocentem occidere. Verum hoc est, si quis praeciperet vel traderet eum nolentem morti, aut nolenti infligeret mortem, sic autem Deus non fecit Christo, quia non coegit eum invitum, sed quia ipse Christus ex pietate et charitate voluit sponte pro honore Dei et nostra salute tradere se in mortem. Isa. LIII.: *Oblatus est, quia ipse voluit*. 19 Et hanc voluntatem eius optimam et devotam Deus acceptavit, et occidi ab iniquis permisit, et hoc pium et iustum fuit. Ad id ergo, quod obicitur, quod perversitatis

est damnare innocentem, ut absolvatur nocens, dicendum secundum Bonaventuram, quod verum est, si innocens damnatur invitus. Sed si innocens velit se offerre et exponere pro salute nocentis, talis oblatio est acceptabilis Deo, sic fecit Christus voluntarie patiendo pro salute nostra. Secunda ratio ex parte Christi, quia iustum fuit, ut per humilitatis et oboedientiae meritum Christus exaltaretur, sicque contraria contrariis curarentur, quia homo ceciderat per superbiam et inoboedientiam, ergo etc. Phil. II.: *Humiliavit se factus oboediens usque ad mortem* etc. 20 (F) Tertia ratio ex parte generis humani, quia iustum fuit, ut homo cum sit liberi arbitrii, per suae voluntatis arbitrium et amorem traheretur ad amorem divinum et salutem, et non vi vel potentia. Unde et Philosophus II. Rhetoricorum dicit: *Generosus est animus humanus, non vult trahi, nisi amore*. Sic fecit Christus nobis suum amorem maximum in cruce ostendendo, ut traheret ad reamandum, Ioh. XII.: *Ego si exaltatus fuero a terra* etc. 21, scilicet per amorem. Unde Hugo de arrha sponsae dicit: *Ut Christus ostenderet tibi, quantum te diligeret, non nisi moriendo a morte te liberavit, ut non tantum pietatis impenderet beneficium, verum etiam charitatis monstraret affectum*. Quarta ratio ex parte adversarii, iustum enim fuit, ut Christus sua prudentia in ligno vinceret diabolum, sicut diabolum sua astutia deceperat per lignum hominem. Gregorius: *Qui salutem humani generis in ligno constituisti, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*. Quinta ratio additur ex modo satisfaciendi. Iustum enim est, quod secundum formam et quantitatem delicti fiat emendatio cum restitutione ablati. Homo autem fructum vetitum abstulit ab arbore, propter quod mortem incurrit, et ideo Christus iuste restituit arbori fructum vitae, cum in ea pependit. Item homo in omni sensu delectatus est illicite in ligno, et ideo Christum puniri decebat pro nobis in omni sensu suo in ligno satisfaciendo. Primo quoad visum plorando et videndo matrem collacrimantem. Secundo quoad auditum opprobria et blasphemias contra se audiens. Tertio quoad gustum felle et aceto potato. Quarto quoad odoratum sputorum et foetorem cadaverum Calvariae sustinendo. Quinto quoad tactum manus et totum corpus extendens. Unde patet, quod Christus iustissimam satisfactionem impendit. O ergo homo, gratias age Christo, ama sic te amantem, alioquin audi Bernardum dicentem: *Vae mihi, si ingratus fuero, quoniam requiretur super me ille sanguis iustus, scilicet Christi, qui effusus est pro me in terram*. (G) Circa tertium de sacris fructibus crucis Christi accipiamus pro conclusione verba Damasceni li. II. c. III. dicentis sic: *Omnibus mirabilibus mirabilior est crux Christi, quae est omnium malorum aversio, omnium bonorum datrix, salus animae et corporis, lignum vitae aeternae*. Haec et plura Damascenus. Sed ut clarius elucidemus fructus Sanctae Crucis, notandum, quod Apoc. ultimo 22 vidit Iohannes *lignum vitae in medio Paradisi afferens fructus XII per menses singulos*. Et quia ipsa crux Christi figuratur et vere est lignum vitae secundum Damascenum ubi supra, idcirco XII eius fructus breviter hic describimus pro simplicibus secundum alphabetum. Primus fructus est angelorum restauratio. Unde Apostolus Col. I.: *Complacuit in ipso reconciliari omnia pacificans per sanguinem crucis eius, quae in caelis sunt et quae in terris*. 23 Et hoc claret secundum Bonaventuram super III. dist. XVIII. ar. II. q. III., quia ante Christi passionem nullus potuit in caelo cum angelis locari. Secundus fructus beatitudinis restituito. Unde Chrysostomus in homilia de cruce dicit: *Crux nobis totius beatitudinis causa est. Haec nos a caecitate liberavit erroris, haec de tenebris reduxit ad lucem, haec alienatos Deo coniunxit, haec bonorum omnium largitio*. Tertius fructus criminum exstirpatio, unde Origenes super epistolam Rom. lectione VI. dicit sic: *Tanta est vis crucis et mortis Christi, ut si ante oculos ponatur ita, ut ipsam mortem Christi intentus oculus mentis aspiciat, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia, sed continuo totus peccati fugetur exercitus*. Quartus fructus Dei dilectio et eius inflammatio. Nam Deus in cruce ostendit nobis miram suam dilectionem, quam nec scivisset homo credere vel cogitasse. Unde Augustinus dicit: *Nescivi, quomodo Deus diligeret, nisi pro me mori eligeret*, et ideo in cruce inflammatur nostra dilectio. Unde Bernardus super Cantica: *Super omnia – inquit – te mihi amabilem reddit, bone Iesu, calix passionis, quem bibisti pro me in cruce, hoc est, quod magis et affectum stringit et devotionem mulcet et iustius exiget*. Haec ille. Quintus est erectio spei et securatio. Augustinus: *Si passionis beneficium abesset, nemo ad Deum spem habere posset, scilicet de regno caelesti*. Chrysostomus: *Tribularer nimium et desperarem, si non passione Christi animarer*. Bernardus: *Deficiente mihi iustitia et sanctitate, deficientibus meritis succurrat mihi passio tua, Iesu bone*. Sextus est fugatio daemonum et superatio. Chrysostomus: *Ubicumque daemones viderunt signum crucis, fugiunt timentes baculum (scilicet ut canes), quo plagam acceperunt*. (H) Ad id Ambrosius in Hexaemeron dicit, quod gallus albus suspensus ad modum crucis naturaliter leonem terret et fugat. Idem dicit et Philosophus X. Animalium. Per gallum album figuratur Christus. Tum quia sicut gallus nunciat diem noctemque, sic Christus nunciavit nobis diem, id est lucem gratiae credentibus. Ioh. XII.: *Dum lucem habetis, creditis in lucem*. 24 Nunciavit etiam noctem, id est peccatorum iudicium, ut caveremus. Tum etiam quia Christus albus est per innocentiam, qui suspensus in cruce fugavit et contrivit diabolum tamquam leonem ferocem. Origenes homilia IV.: *Per crucem Christi contra principes mundi triumphatur*. Septimus fructus gustatio suavitatis divinae et dulcoratio. Quid enim dulcoravit lapides Stephano, ignem Laurentio, mortem et tormenta martyribus, nonne crux Christi? Unde Augustinus li. de inspiratione animae ad Deum dicit: *Vulnera Iesu plena sunt misericordia, plena dulcedine et charitate, per has rimas licet mihi gustare, quam suavis est Deus meus, quoniam revera data est nobis in vulneribus Christi magna multitudo dulcedinis divinae*. Haec ille. Octavus est hereditatio, unde Damascenus ubi supra: *Per nullum aliud, quam per crucem Christi mors evacuata est, resurrectio donata est, portae Paradisi apertae sunt, natura nostra in dextra Dei sedet, filii Dei et heredes per eam facti sumus*. Haec ille. Nonus fructus infirmitatum sanatio, scilicet tam spiritualium, quam corporalium. Eusebius in sermone: *Tota – inquit – salus animae et corporis provenit virtute crucis Christi hominibus universis*. (I) Dicit namque Plinius et habetur in speculo naturali, quod carnes crudeae et calidae galli positae super morsum serpentis extrahunt venenum, sic passio Christi repellit venenum diaboli. Augustinus: *Fratres, ut sanemur, scilicet spiritualiter et corporaliter, Crucifixum intueamur, scilicet orando*. Decimus est charismatum Spiritus Sancti donatio, quia de consecratione dist. V. „Numquid” dicit papa Stephanus, quod omnia sacramenta et omnis benedictio crucis signaculo dantur et perficiuntur. Undecimus est liberatio, scilicet ab omni malo praesenti et futuro a morte aeterna et ab Inferno, ut dicit Damascenus ubi supra. Duodecimus est muneratio, scilicet omnis boni in terra et in caelo, ut patet per verba

Damasceni ubi supra. O ergo carissimi, amemus et laudemus crucem Christi et adoremus, ut Christus per eam det nobis haec omnia bona. Amen.

---

1 Sap 14,7 2 Dt 21,23 3 Ps 118,21 4 Hbr 10,31 5 Cf. Lc 23,34 6 Gn 3,17-19 7 Rm 8,28 8 Mt 27,46; Mc 15,34 9 Gn 3, 17-19 10 Lc 23,46 11 Lc 23,43 12 Eph 2,3 13 Gal 3,13 14 Ioh 1,11 15 Ioh 19,28 16 Ioh 19,30 17 Dn 13,53 18 Eph 5,2 19 Is 53,7 20 Phil 2,8 21 Ioh 12,32 22 Apc 22,2 23 Col 1,19-20 24 Ioh 12,36

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXII.] De exaltatione crucis Sermo IV. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est.* Gal. VI. 1 (A) Apostolus Paulus considerans dignitatem et nobilitatem crucis Christi, quam sortita est ex contactu membrorum sacratissimorum Christi et perfusione sacri sanguinis eius ac dedicatione mortis illius, quia noluit nisi in cruce mori. Et ex his advertens crucis Christi virtutem talem et tantam, quod ut dicit Chrysostomus homilia de cruce: *In cruce Christi est nostra salus, in cruce gloria et omne bonum.* Et iterum idem dicit: *Crux nobis totius beatitudinis causa est.* Ideo amplexus crucis amorositatem Apostolus in sola cruce Christi gloriari se statuit contemnens pro ea omnem aliam gloriam mundi, et dixit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quod dicit: Mundani homines sicut eis placet, gloriantur in mundanis et transitoriis, utpote in potentia, opulentia, scientia et huiusmodi. *Mihi autem,* Christi servo et sic cuilibet Christiano *absit gloriari, nisi in ipsa cruce Domini Iesu Christi, per quem* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone. · Primum de gloriatione in crucem Christi, ibi: *Mihi absit gloriari* etc. · Secundum de modificatione huius gloriae, *per quem mundus crucifixus* etc. · Tertium de devotione, scilicet crucis Christi, et amore, quod sequitur ad praedicta (B) Circa primum de gloriatione in cruce Christi accipiamus pro conclusione hoc, quod canit Ecclesia in introitu missae hodiernae dicens: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvi et liberati sumus.* In quibus verbis notatur quadruplex ratio, quia Christianum oportet gloriari non in alio, quam in cruce Christi, ut patet: · Prima ratio, quia in cruce Christi est nostra salus · Secunda, quia in cruce Christi est nostra vita · Tertia, quia in cruce Christi est nostra resurrectio · Quarta, quia in cruce Christi est nostra liberatio Prima ratio, quia in cruce Christi est, inquit, nostra salus. Ex quo accipitur tale argumentum rationis. In hoc solo debet Christianus gloriari, in quo est verae salutis et beatitudinis aeternae et per consequens verae gloriae ratio, alioquin falsa gloriatio et vana est, scilicet gloriari in eo, in quo est vera gloria vel salus. Sed hoc est in sola cruce Christi, videlicet vera salutis et gloriae ratio, ergo in sola cruce Christi est gloriandum homini salvando. Quid igitur, carissimi, quid dicemus de mundanis hominibus, quorum aliqui gloriantur de divitiis, de quibus Ps.: *Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* 2 Alii gloriantur in potentia, ut legitur de caesare Arphaxat et Holoferne, Iudith I.: *Qui gloriabatur – inquit – quasi potens in potentia exercitus sui* etc. 3 Alii in saeculari scientia, ut philosophi, alii in equis et armis vel vestimentis, alii in operibus sanctitatis simulatae, et ceteris. (C) De omnibus talibus et singulis hoc pro sententia tenendum est, quod vana et falsa gloria laborant, et sic decipiuntur, quod patet primo per auctoritates. Nam scribitur Eccl. I.: *Vanitatum vanitas, et omnia vanitas.* Subdit: *Quid habet homo amplius de universo labore suo, quo laborat sub sole.* 4 Lyr: quasi dicens: Quilibet potest experiri, quod non assequitur ex laboribus suis in praesenti vita, nisi caducum, vanum et amissibile bonum per mortem, quam nullus potest evadere. Unde divitiae sunt hominibus vanae, quia dicente Ps.: *Relinquent alienis divitias suas, et sepulchra eorum domus* etc. 5 Vana potentia, quia Eccl. X.: *Omnis potentatus vita brevis.* 6 Et Sap. VI.: *Potentes potenter tormenta sustinebunt.* 7 Vana scientia, quae inflat, sed charitas aedificat, I. Cor. VIII. 8 et ceteris. Hinc etiam Iere. IX. haec dicit Dominus: *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis, sed in hoc gloriatur, qui gloriatur scire et nosse me.* 9 Item secundo hoc idem patet per rationes et breviter, quia omnia ista mundana communia sunt bonis et malis, et ut communiter mali plus abundant in temporalibus, quam boni, unde Glossa super Iac. I. dicit: *Non est Christianae dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nil habent in caelo, sed totum in mundo. Boni vero nil in mundo, sed totum in caelo.* Haec Glossa. Sicut ergo mirum esset, quod aliquis gloriaretur de omnium suorum bonorum perditione et spoliatione, et quod prae ceteris altius pendet in patibulo latronum, et quod ipse sericeis chordis est suspensus, alii rudibus, sic mirum est, quod homo gloriatur de bonis istis malorum et reproborum latronum suspendendorum in Inferno et damnandorum. Unde Gregorius Moralium VI. dicit: *Qui praesentis saeculi prosperitatibus delectatur, quasi per amoena prata ad suspendium ducitur.* Item ad idem secunda ratio, quia haec mundana bona fraudulenter mentiendo decipiunt animas in eis delectantium, quia sub specie boni illaqueant ad aeternum tormentum. Unde I. Thimo. VI.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in temptationem et in laqueum diaboli et desideria nociva et inutilia, quae mergunt hominem in interitum et perditionem.* 10 Haec ibi. Sed quaero te, carissime, dic mihi, quae est avis, quae diligit laqueum, quem sciat sibi paratum ad capiendum? Certe nulla avis amat laqueum, nullus piscis hamum cognitum, nullum animal brutum foveam, quam praescire posset in suum interitum. Quid est ergo, quod miser homo diligit hos laqueos sibi praeparatos, hunc hamum, hanc foveam Inferni, scilicet temporalia bona, utique hoc facit hominum stultitia, quae non cogitat de finali periculo. Et sic fit, sicut Eccl. III. dicitur: *Qui amat periculum, peribit in illo.* 11 O ergo homo, cave tibi. Ex praemissis patet, quod in mundanis gloriari sicut in laqueum incidisse et de hoc gloriari non licet, sed in sola cruce Domini Iesu, in qua est salus nostra. Hinc Bernardus et liber de interna conversatione dicitur: *Erras, scilicet o homo, si aliud, quam crucem quaeras. Non est salus animae, nec spes vitae aeternae, nisi in cruce Christi et verae poenitentiae.* Haec ille. (D) Tertio hoc idem patet per documentum Ecclesiae, quod est ad propositum pro hoc festo. Quaestio namque proponitur de consecratione dist. III. c. „Crucis” in Glossa sic: Quare festum crucis celebramus, in qua Dominus fuit dehonestatus, et tamen asinam, in qua Dominus fuit honoratus, Ecclesia non



veneratur? Respondet: *Dicimus – ait –, quod laus exhibita Domino in asina fuit mundana, de qua non est curandum, sed in cruce facta fuit nostra redemptio.* Haec ibi Glossa. Ex his claret, quod Christianus non debet gloriari, nisi in cruce Domini Iesu, et alia contemnere, quia in sola cruce Christi consistit salus. Unde Eusebius in sermone: *Tota salus mentis et corporis provenit nobis ex crucis Christi virtute.* Secunda ratio principalis, quia in cruce Christi est nostra vita, ut testatur Ecclesia, ex quo accipitur talis ratio. Verae beatitudinis gloria non potest haberi, nisi assit vera vita et perpetua, alioquin aliquis non reputatur vere beatus et gloriosus, unde Augustinus XIII. De Trinitate c. VIII.: *Impossibile est aliquem esse beatum, nisi sit securus de suae beatitudinis perpetuatione, quia cum timeret illam amitti, iam miseriam pateretur in hoc ipso.* Unde et Philosophus I. Ethicorum dicit, quod *sicut una hirundo non facit ver, nec paucum tempus calidum facit aestatem, sic nec una dies vel tempus paucum facit hominem felicem.* Haec ille. Sed quoniam vera vita et perpetua non habetur, nisi per crucem Christi, ergo in sola cruce Christi est gloriandum. (E) Si quaeratur: quomodo in cruce Christi est vera vita, respondetur, quia Augustinus super Ps. LXII. et notatur de poenitentia dist. I. § „Item si antequam” dicit, quod *Deus est vita animae, anima vero vita corporis. Sicut corpus vivere non potest absente anima, ita non nisi Deo praesente per gratiam inhabitantem anima vivere valet.* Haec Augustinus. Sed quia gratiam inhabitationis divinae gratuitam habere homo non potest, nisi per fidem et charitatem Crucifixi, Eph. III.: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris in charitate radicati* etc. 12, ergo vitam veram, quae est Deus et Christus, eius Filius, non potest homo habere, nec in praesenti per gratiam, nec in futuro per gloriam perpetuam, nisi in cruce Christi. Ex hoc claret, quod omnis homo infidelis et etiam omnis Christianus in peccato mortali existens vere dicitur mortuus et infelix, quia sine vera vita est, et si videatur vivere in corpore, haec semivita est, immo talis magis potest dici vere mortuus, quam vivus, quia secundum partem principalem, scilicet in anima mortuus est, a qua homo habet esse rationale, vivit tantum secundum quod, id est secundum partem minus principalem, unde et Christus tales mortuos nominavit, Mat. VIII.: *Dimitte mortuos sepelire mortuos.* 13 Vae talibus mortuis, et vae, quia sicut mortui in terra, sic illi sepeliuntur in Inferno. Tertia ratio, quia in cruce est nostra resurrectio, et ideo per eam habebimus gloriam veram et sempiternam corporis et animae, ergo in ea est gloriandum. Unde Damascenus li. II. c. III.: *Per nullum aliud, quam per crucem mors evacuata est, primi parentis peccatum solutum est, Infernus spoliatus et resurrectio donata est.* Idem: *Crux est arbor resurrectionis, lignum vitae.* Hinc est, quod sicut dicit Chrysostomus: *In die resurrectionis et iudicii tanta erit crucis gloria, quod solis lumen reddetur obscurum, quam angelorum coetus velut vexillum regale humeris coram Christo praeuendo portabit.* Sed quia hoc, nisi ad manifestandum, quod non nisi per crucem adeptus est mundus gloriam resurrectionis. Unde Gregorius in Dialogis: *Numquam quis caelesti beatitudine dignus foret, nisi virtus felicissimae passionis Christi suppleret.* Et sic patet. Quarta ratio, quia in cruce Christi est nostra liberatio, scilicet a potestate diaboli et morte aeterna, quia per eam redempti sumus a Christo. O quanta est hoc gloriae Christiano. Bernardus: *Quid gloriosius, quam quod nos Christus tanti extimavit pretii, o quanta est misericordiae regem gloriae pro vili vermiculo crucifigi.* Haec Bernardus. Item Anselmus: *Quid misericordius dici potest peccatori aeternis suppliciis deputato, quam quod Pater dixit: Accipe Filium meum, et da pro te. Et Filius dixit: Praesto sum, accipe me, et redime te.* Haec ille. O immensa charitas Dei nostri. Bernardus: *O quanta charitas, Deus bibit mortem, ne mors biberet hominem, sed a morte liberaretur homo.* Innocentius: *Sustinuit Deus crucis passionem, ut emeret tuam dilectionem.* O ergo homo peccator, o Christiane, respice, quantum teneris amare Christum Deum tuum, hoc quotidie recordare, haec sit gloria tua, id est crux Christi, in quo est salus, vita et resurrectio et liberatio tua. (F) Circa secundum principale de modo, quia praedictum est, quod oportet Christianum gloriari in sola cruce Christi. Quaestio ergo restat declaranda, quomodo debeat Christianus in cruce Christi gloriari. Ad quod respondetur secundum doctores, quod Christus quattuor praecipua fecit in cruce pro gloria nostra, id est nobis in caelo promerenda, in quibus debemus Christum imitari, ut mereamur glorificari, quae Christianus faciens vere gloriatur in cruce Christi non lingua tantum, ut multi faciunt, sed opere et veritate: · Primo Christus in cruce poenam passus est · Secundo cruci confixus est · Tertio in cruce mortuus est · Quarto in cruce vulneratus est Primo Christus in cruce passus est poenam acerbissimam pro peccatis nostris. In hoc ergo imitari debet Christum Christianus verae poenitentiae crucem suscipiendo. Matth. XVI.: *Qui vult venire post me, scilicet ad caelestem gloriam, abneget se, id est sua vitia, tollat crucem suam, et sic sequatur me.* 14 Gregorius in homilia: *Crucem suam tollit, qui poenitentiae onus suscepit.* O ergo Christiane, considera, quia Christus in cruce patiens flevit pro peccatis tuis, ut dicit Apostolus Heb. V.: *Cum clamore valido et lacrimis offerens,* 15 scilicet se, ut tu debeas flere pro tuis peccatis in vera contritione. Item Christus in cruce nudus pependit coram omnibus, et sic verecundiam magnam sustinuit, ut et tu peccata tua non verearis confiteri coram sacerdote. Denique Christus acerbissimis doloribus satisfacit pro peccatis tuis, ut et tu discas satisfacere et aliena restituere, quia dicit Augustinus XIV. q. VI. „Si res”: *Peccatum non dimittitur, donec ablatum restituatur.* Secundo Christus in cruce confixus est, sic debet et Christianus spiritualiter, quod docet Glossa Gal. dicens: *In cruce semper pendere debet Christianus in hac vita, ut sit fixus clavis, id est praecipis iustitiae, ut Christus in cruce clavis confixus fuit.* Haec Glossa. Unde Apostolus ait Gal. II.: *Christo confixus sum cruci* etc. 16 Sicut ergo Christus tribus clavis fuit confixus cruci, sic Christianus tribus clavis iustitiae debet esse confixus Christo, de quibus Ps.: *Quis est homo, qui vult vitam, scilicet aeternam, diligit dies, vitam bonam.* Sequitur: *Declina a malo, ecce primus clavus, fac bonum, ecce secundus, quaere pacem, 17 ecce patientia pro tertio.* Tertio Christus in cruce mortuus est. Sic Christianus debet mori carnalibus desideriis et mundialibus concupiscentiis. Unde I. Pet. III.: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu,* 18 quod dicit: in hoc dedit nobis exemplum imitandi. Hinc etiam Apostolus in themate dicit: *Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* 19 (G) Quaero namque, quomodo dicitur mundus crucifixus Christiano homini, et ipse mundo. Respondetur, quod crucifigi erat tormentum, erat et maledictum, erat et mori. Sic bono Christiano et viro sancto mundana delectabilia, ut honores, divitiae, deliciae, dignitates et huiusmodi, quamvis ad usum necessitatis possideantur, tamen reputanda sunt ut tormentum, maledictum et mors, quia quantum in eis plus delectatur quis, tanto plus de tormento habebit in futuro. Apoc. XVIII.: *Quantum*

*glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* 20 Item reputanda sunt ut maledicta, iuxta illud Salvatoris dictum Lu. VI.: *Vae vobis divitibus, qui hic habetis consolationem vestram. Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* 21 Denique ista mundana in quantum sunt ad peccatum mortale illicita, sic ut mors amara sunt fugienda. Bernardus in sermone: *Duo quidem fuge, voluptatem et delectamenta, quia mors posita est secus introitum delectationis.* Haec ille. Qui ergo seipsum sic observat et tenet circa mundum, mundus ei crucifixus est, id est mundi concupiscentia in eo mortua est nullam virtutem in illo habens. Praeterea ipse homo crucifixus est mundo et etiam carni mortuus, in quantum nil mundanum aut carnale concupiscit vitiose. Unde ad hoc tenetur Christianus, iuxta illud Gal. V.: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiiis et concupiscentiis.* 22 Lyra: ita, quod concupiscentia et vitia mortua sunt in eis. Nam Christianus debet praeeligere mori, quam peccato mortali consentire. Quarto Christus in cruce vulneratus est. Sic Christianus debet vulnerari per amorem, ut Deum diligat super omnia, et proximum sicut seipsum, iuxta praeceptum Dominicum Mat. XXII. 23 De hoc vulnere loquens Gregorius dicit: *Mala est salus cordis, quae nescit dolorem huius vulneris, id est amoris.* Ecce ergo patet, quomodo Christianus gloriatur in cruce Christi veraciter, scilicet poenitendo, praecepta servando, peccata cavendo, et Deum ac proximum diligendo. O Christiane, vide, si haec observas, alioquin non es in cruce Christi. (H) Circa tertium de devotione crucis Christi, quam debet habere Christianus, accipiamus pro conclusionis documento et exemplo verba Bernardi dicentis: *Haec mihi (et sic cuilibet Christiano) summa philosophia: meditatio passionis Christi assidua. Suavissimum crinale sit mihi, Iesu bone, spinea tui capitis corona, dulcis lectulus crucis lignum, in hoc vivo, in hoc moriar.* Ex quibus patet, quod bonus et devotus Christianus sicut apis sugit mel de flore, sic omnem dulcedinem animae sugere debet ex vulneribus Christi in cruce, et assidue usque ad mortem quantum potest frequentare. Sic faciebat Augustinus li. supplicationum parte IV. dicens sic: *O Iesu crucifixe, passio tua est mihi favo dulcior, lacte sapidior, balsamo praestantior, gemmis et auro pretiosior, cunctis terrarum divitiis et honoribus clarior. Scribe in tabulis cordis mei sanguine tuo dulcissima vulnera tua, ut te immensae dulcedinis Dominum habeam in corde et ore, perficiamque documenta passionis tuae opere.* Haec ille. O itaque Christiane, stude et tu sic Dominicam passionem recordari, quia ut Augustinus dicit super prima canonica Iohannis: *Homo fidelis, qui ita recordatur Dominicam passionem, non solum patienter moritur, sed et delectabiliter vivit et moritur.* Haec sufficiant. Sed pro devotione simplicium applicemus exemplum unum, quod refertur in Legenda communi huius festi. (I) Apud Syriam in civitate Berith quidam Christianus sub annua pensione hospitium habens imaginem Domini crucifixi in pariete affixerat contra lectuli faciem, et ibi orabat, et suas devotiones faciebat, post annum aliam domum locavit et imaginem ibidem ex oblivione reliquit. Quidam autem Iudaeus domum praedictam conduxit, et quadam die quendam de contribulibus suis ad convivium invitavit. Inter epulas iste invitatus casu circumspiciens vidit imaginem parieti infixam, et invitanti fremens comminatus est. Ille se hoc non scivisse sacramentis affirmat. Tandem placatum se simulans invitatus valefecit, et ad principem gentis suae accedens Iudaeum de hoc, quod Crucifixi imaginem tenuerit, accusavit. Iudaei ergo congregati ad domum eius conveniunt, et visa imagine illum contumeliis et diris verberibus afficientes semivivum extra synagogam prociunt, imaginem vero pedibus conculcantes cuncta in ea Dominicae passionis opprobria renovarunt. Cum vero lancea latus perforassent, protinus sanguis ubertim exivit. Stupefacti Iudaei vas illi supposuerunt, quod impletum est, et deferentes ad varia loca et synagogas suas ecce omnes infirmi ex illo inuncti protinus curabantur. Tunc Iudaei episcopo terrae illius omnia narrauerunt, et fidem ac baptismum Christi unanimiter susceperunt. Factum est autem hoc anno Domini septingentesimo quinquagesimo. Tunc omnes Iudaei synagogas in ecclesias consecrarunt, et ex tunc hic mos inolevit, ut ecclesiae consecrarentur, quia antea tantum altaria consecrabantur. Propter istud miraculum ordinavit Ecclesia V. Idus Novembris festum sollempne Romae agi, quo die consecrata est Basilica in honore Salvatoris, ubi ampulla cum illo sanguine reservatur. Haec legenda. O ergo homo Christiane, recordare passionis Christi, et adora Sanctam eius Crucem, ut det tibi gratiam, veniam et gloriam. Amen. De stigmatibus beati Francisci vide inter sermones de sancto Francisco.

---

1 Gal 6,14 2 Ps 48,7 3 Idt 1,4 4 Ecl 1,2-3 5 Ps 48,11-12 6 Sir 10,11 7 Sap 6,7 8 I Cor 7,1 9 Ier 9,23-24 10 I Tim 6,9 11 Sir 3,27 12 Eph 3,17 13 Mt 8, 22 14 Mt 16,24 15 Hbr 5,7 16 Gal 2,19 17 Ps 33,13-15 18 I Pt 3,18 19 Gal 6,14 20 Apc 18,7 21 Lc 6,24-25 22 Gal 5,24 23 Cf. Mt 22,37-39

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXIII.] Item de sancto Matthaeo evangelista Sermo primus cum legenda *Cum transiret Iesus, vidit hominem sedentem in teloneo, Matthaeum nomine, et ait illi: Sequere me.* Matt. IX. 1 et in evangelio hodiernae festivitatis. (A) In quibus verbis maxime pietatis et misericordiae Christi exemplum peccatoribus proponitur, quia Iesus Matthaeum lucris temporalibus inhiantem et publicanum necdum a quaestu malo pro tunc desistentem voluit tamen ex immensa pietate ipsum convertere ad poenitentiam et vocare ad sui sequelam ac in apostolatus dignitatem promovere. Unde Beda in homilia hodierna: *Vidit Iesus Matthaeum non tam corporeo intuitu, quam internae miserationis aspectu, quo et Petrum negantem, ut reatum suum agnoscere et deflare posset, respicere dignatus est.* Haec ille. Ex quo patet, quod Deus poenitentes ad misericordiam libenter suscipit, quantumcumque in magnis antea fuerint peccatis. Tu ergo, o homo, cum sentis tibi infundi compunctionem, scito quia Dominus te respicit, et libenti animo sequere hanc gratiam, ut agas poenitentiam. Unde ut spem habeant peccatores, ecce hodie nobis proponitur exemplum in Matthaei conversione, de quo dicit thema: *Cum transierit Iesus, vidit hominem sedentem in teloneo.* Iuxta quae verba tria mysteria notabimus, secundum quod commendatur de his: · Primum mysterium de divinali respectione, ibi: *Vidit Iesus* · Secundum de poenitenti perfectione, ibi: *hominem sedentem*, sed conversum per Christum et poenitentem · Tertium de Christi imitatione, ibi: *sequere me* (B) Circa primum de divinali

respectione, ex quo dicitur, quod Iesus vidit aspiciendo Matthaeum, Chrysostomus quaestionem proponit: *Cur Iesus hoc modo voluit Matthaeum vocare visitando et respiciendo.* Nam transivit ad ipsum, et aspexit, ac sic vocavit, ut notat evangelium. Hoc autem non legitur Christus fecisse aliis apostolis aliquibus, puta Bartholomaeo, Thomae, Simoni, Thaddaeo etc. Et ad id respondet Chrysostomus, quod ex quo nil deterius officio telonearii est inter quaestus, qui liciti reputantur apud homines, secus de illicitis, ut usura, furto, rapina, alea et huiusmodi, quae sunt illicita et ideo deteriora, sed inter quaestus licitos teloneum est vilius et deterius, propter quod publicani dicebantur, qui publicis teloneis vel vectigalibus insistebant, quae vix sine peccato exerceri possunt. Itaque per hoc, quod Iesus talem in tali officio residentem visitavit, respexit et vocavit, ostendere voluit suam pietatem immensam, adeo quod nullus est tam malus aut miser in mundo, quem Deus non vocet ad poenitentiam, sed vult omnes salvos fieri, I. Timo. II.: *Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* 2 Hinc Bernardus super Cantica dicit: *Omnino propter mansuetudinem, quae in te praedicatur, currimus post te, Iesu bone, audientes, quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas, non horruisti confitentem latronem, non lacrimantem peccatricem, non supplicanem Chananeam, non deprehensam in adulterio, non sedentem in teloneo, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum tuorum, id est Paulum, denique non ipsos crucifixoos tuos.* Haec ille. Nam Christus oravit pro crucifigentibus. Alia ratio ad idem est, ut monstretur, quia Christus Deus variis modis et respectibus aspicit homines in mundo. (C) Pro quo notandum, quod Deus omnes homines et alia creatura cuncta videt generaliter et aspicit semper. Iuxta illud Ps.: *De caelo respexit Dominus super omnes filios hominum.* 3 Et Proverb. XV.: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* 4 Ac Heb. IV.: *Omnia nuda et aperta sunt oculis eius.* 5 Propterea ubique die et nocte debemus esse circumspecti et disciplinati in actibus nostris. Unde Boethius De consolatione philosophiae: *Magna est nobis indita necessitas probitatis, cum omnia agamus ante oculos iudicis cuncta cernentis.* Haec ille. Verumtamen secundum quod colligitur ex Scripturis, Deus respicit homines quintupliciter: · Primo aliquos amabiliter · Secundo quosdam inimicabiliter · Tertio quosdam execrabiliter · Quarto quosdam feliciter · Quinto quosdam misericorditer Primo Deus respicit quosdam amabiliter, scilicet amore praeveniendo et in amore conservando. Ps.: *Oculi Domini super iustos, et auris eius ad preces eorum.* 6 Hinc exemplum Gen. IV.: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius etc.* 7 Augustinus: *Nil bonum ex te coram Deo sine te bono.* Secundo quosdam Deus respicit inimicabiliter, ut peccatores in peccatis iacentes. Ps.: *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* 8 Item Abacuc I.: *Mundi sunt oculi tui, Domine, ne videas malum,* scilicet amabiliter vel approbando, *et respicere ad iniquitatem poteris.* 9 Exemplum Gen. VI.: *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, poenituit eum hominem fecisse.* 10 Augustinus: *Scio omnem criminis inimicum esse Deo.* Tertio quosdam Deus videt execrabiliter, id est excommunicando, maledicendo et extra sacrum eiciendo, scilicet a sacra visione faciei divinae, ut animas in peccatis decedentium, et omnes daemones ac damnatos. Ps.: *Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* 11 Item Isa. ultimo: *Vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* 12 Lyras: id est *omni homini beato.* A fortiori Deo erunt ad satietatem, id est repletionem et perfectam iucundationem visionis in illorum, scilicet punitione inimicorum Dei. (D) Iuxta quae verba quaestio hic occurrit pertractanda, utrum Deus et beati in caelo habeant aliquam delectationem vel complacentiam ac laetitiam in poenis visis damnatorum. Ratio quaestionis, quia Ps. dicit: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam,* scilicet punitionis aeternae, *manus suas lavabit in sanguine peccatorum.* 13 Ex quibus habetur, quod delectabuntur iusti in poenis malorum. Sed in contrarium est, quia in Deo et beatis est excellentissima et perfectissima charitas, quae habet diligere etiam inimicos, videtur ergo, quod non placet eis poena damnatorum. Ad haec ergo respondetur secundum Lyras super Isa. ubi supra ac communiter doctores super IV. dist. ultimam, praecipue Richardum, quod beati non delectantur de per se in poenis damnatorum, et a fortiori nec ipse Deus, cuius misericordiae non est numerus. Sed beati videntes poenas damnatorum habebunt gaudium et complacentiam triplici modo de per accidens. Uno modo, in quantum vident in hoc divinae iustitiae exercitium. Alio modo in quantum vident ex hoc in seipsis divinae misericordiae beneficium, quo poenas illas tales et tantas evaserunt. Tertio in quantum gloria beatorum ex quo habet augmentum, eo quod *opposita iuxta se posita magis elucescunt,* I. Elenchorum. Et sic intelligitur illud psalmus secundum Lyras: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam* – ecce primum. *Manus scilicet lavabit in sanguine peccatorum,* id est propter opera munda sua gaudebit evasisse illas poenas ex Dei misericordia. Nam manus opera significant – ecce secundum. Et dicit homo, id est quilibet rationabiliter loquens: Si utique est fructus iusto, si pro quia [sic] fructus est iusto in augmentum gloriae. Ex istis, o homo, animadvertite, quoniam si poenitentiam non egeris, maxima tibi erit confusio in Inferno, ubi beati omnes videbunt tuas poenas in aeternum, et tu lamentabis, quod beatitudinem amisisti, nec videre Deum aut sanctorum gloriam meruisti, quam unius horae poenitentia vera mereri potuisses. Augustinus in quodam sermone: *Nulla maior insania, quam pro delectatione momentanea perdere indicibilia gaudia et se obligare ad aeterna tormenta.* Quarto videt Deus quosdam feliciter, videlicet animas hominum in caelum deducendas et beatos. Sap. IV.: *Gratia et misericordia Dei in sanctos et respectus in electos illius.* 14 Ideo Christus Ioh. XVI. dicit: *Iterum videbo vos et gaudebit cor vestrum, nemo tollet.* 15 O beata visio haec! Quinto videt quosdam misericorditer, scilicet peccatores, quos convertit a peccatis, unde de Ninivitis Ionae III.: *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt a via sua mala, et misertus est super malitia eorum.* 16 Hanc visionem deprecari debemus cum Ps. dicente: *Respice in me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego.* 17 *Unicus* – inquam –, id est unicam animam habens, qua perdita omnia simul pereunt. Sequitur: *Vide humilitatem meam et laborem,* scilicet poenitentiae, *et dimitte universa delicta.* 18 (E) Quaeritur hic, qualibus signis et effectibus percipere vel sentire poterit homo, quod scilicet Deus ipsum aspexerit oculo suae misericordiae. Respondetur, quod secundum Scripturas aspectus misericordiae divinae praecipue facit effectus quattuor, per quos tamquam per signa cognoscitur. Primus effectus timoris (scilicet de peccato) immissio. Ps.: *Qui aspicit terram* – id est terrenum peccatorem –, *et facit eum tremere,* 19 sic reus timet ad aspectum iudicis. Et hoc facit divinae misericordiae intuitus, ut scribitur Prover. XV.: *Per timorem declinet omnis homo a malo.* 20 Secundus



est voluntatis bonae inspiratio. Lu. XV.: *Vidit eum* (scilicet filium prodigum) *pater, cum adhuc longe esset.* 21 Augustinus: *Bonum propositum redeundi ad patrem non habuisset, si aspectu misericordiae caruisset.* Chrysostomus super Matt.: *Bonae voluntates sic suaves sunt apud Deum, sicut odoriferi flores, et per consequens libenter aspiciuntur.* Tertius est cordis compunctio. Lu. XXIII.: *Respexit Dominus Petrum, et egressus flevit amare.* 22 Nam oculi Domini ut flamma ignis dissolvit ceram, sic dissolvit cor peccatoris. Ps.: *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* 23 Quartus est oratio humilis tribulorum vel exauditio, Eccli. XXXV.: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et non discedit donec aspiciat Altissimus.* 24 Ps.: *Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.* 25 His signis effectualiter homo cognoscit misericordiam Dei adesse. In beato Matthaео claruerunt duo horum, scilicet inspiratio voluntatis bonae et contritio verae poenitentiae in conversione, et potuerunt alia ibi fore. (F) Circa secundum de poenitentiae perfectione sit pro conclusione sententia Remigii et Bedae dicentium scilicet, quod publicani Matthaеi conversio cunctis perfectae poenitentiae exemplum tribuit, qui ad iussum Christi cuncta pericula salutis abdicavit, et propria reliquit, qui ante aliena rapuit. Quaestio ergo occurrit, quae vel qualia sunt pericula salutis verae poenitentiae impeditiva, in quibus scilicet Matthaеus tenebatur, sed per Christum est liberatus. Ad quod respondetur, quod sicut ex ipso evangelii passu potest colligi, Matthaеus fuit quinque periculis irretitus. Et haec sunt pericula quinque, quibus multi implicantur et impediuntur a vera poenitentia, ne possunt salvari. Primum est amor terrenorum et aestuans avaritia, quia teste Salvatore Matt. XIX.: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum.* 26 Talis fuit Matthaеus, unde dicitur in evangelio: *Vidit Iesus hominem.* Non dicitur: „virum”, sed hominem, ab humo, id est terra, quia ut Gregorius ait, *Matthaеus diligendo terrena factus erat totus terrenus*, sic est omnis avarus. Quaero namque te, o homo, an terra ista infima elevetur aliquando intantum, ut attingere possit solem vel caelum. Dices, quod non. Quare? Quia est gravissima inter elementa. Sic avaritia, quae est amor terrenorum, adeo gravat animam, ut sit terrena, nec possit levare ad caelestia. Sed quomodo anima avari gravari possit, ut sit terrena, cum sit spiritus? Respondetur, quod hoc fit primo amore, quia Augustinus super Ioh. dicit: *Talis est unusquisque, qualia amat, et qualis est dilectio sua. Si terrenam amas, terra es.* Haec ille. Nam *amor habet transformare amantem in amatum*, ut dicit Hugo. Secundo hoc fit propter infrigidationem, quia sicut terra est frigida, ita et avaritia cordis frigefactiva a divini amoris calore. Augustinus li. LXXXIII Quaestionum: *Venenum charitatis est cupiditas.* Tertio propter veneni inclusionem. Sicut enim terra licet ab extra sit pulchre ornata floribus, herbis et plantis, tamen intra se claudit animalia venenosa, et in medio centro habet Infernum, ut dicit Hieronymus super Ionam. Sic avarus licet ornetur exterius vestibus et divitiarum gloria, tamen intra habet clausa venena mortalium peccatorum, I. Tim. VI.: *Radix omnium malorum est cupiditas.* 27 Habet etiam Inferni cruciatum, tam in praesenti per curas, timores et varias anxietates, et habebit in futuro, ut patet de epulone. Secundo est boni operis desidia. Unde Matthaеus in evangelio dicitur sedisse, in quo otium significatur, quod est periculosum. Bernardus in Epistola ad fratres de monte: *Omnium temptationum et malorum sentina est otium.* Tria quippe sunt loca: caelum, Infernus et terra. Caelum est ad quiete regnandum, Infernus ad iacendum in tormentis. Isa. XIV.: *Subter te sternetur tineae etc.* 28 Sed terra ista est ad laborandum, scilicet in bonis operibus poenitentiae. Job V.: *Sicut avis ad volandum, sic homo nascitur ad laborandum.* 29 Unde Bernardus super Cantica sermone XXXIII. dicit sic: *Qui in labore hominum non sunt, in labore daemonum profecto erunt.* Tertium est conquisitio implicans ad crimina. Unde Magister in IV. dist. XVI. dicit, quod *quicumque deditus est alicui officio, quod sine peccato exerceri non potest, veram poenitentiam agere non potest, nisi id officium deserat.* Matthaеus autem sedisse dicitur ad teloneum, quo est vitiosum, ut dicit Gregorius. (G) Quaeritur, utrum telonea exigere sit damnabile peccatum. Respondetur secundum Raimundum et fratrem Angelum de Clavasio aliosque: Circa hoc sunt quattuor praecipua consideranda. Primo, quod si est impositum ab antiquo a regibus vel principibus auctoritatem imponendi habentibus, potest esse licitum. Nam si nescitur, a quibus fuit impositum, tamen putatur, quod ab illis, qui poterant, sic ex longa consuetudine, cuius initii non exstat memoria in contrarium, excusatur. Alias secus et dummodo fiant moderatae exactiones, ne pauperes nimium graventur, patet extra de verbo. signifi. c. „Super quibusdam”. Si autem pedagium est novum sine auctoritate legitima impositum, tales imponentes vel etiam aggravantes antiqua pedagia vel telonea et omnes exigentes iniusta raptores sunt, et tenentur ad restitutionem illis, a quibus receperunt, vel saltem pauperibus, si illos ignorant, et hoc de necessitate praecepti XIV. q. VI. „Si res” concor. ultim. Inno., et addit frater Angelus de Clavasio in Summa, quod hodie per processum curiae tales sunt excommunicati excommunicatione papali, vide ibi. Secundo, si impositum est ex iusta causa, quae est defensio viatorum vel navigantium vel patriae, vel pace tuenda vel pro via reparanda et huiusmodi. Et si recipiens facit id, pro quo est impositum, recipere potest sine scrupulo conscientiae, alias rapina est, et tenetur restituere, ut dictum est concordanti Hostiense. Tertio, si non exiguntur a clericis et personis ecclesiasticis, nisi ipsi causa negotiationis deferant, quia si quis ab istis exigit per se vel per interpositam personam, excommunicationem incurrit ipso facto, extra de censibus c. „Quamquam” li. VI. Item non debent etiam exigi a Romipetis et peregrinis visitantibus oratoria sanctorum, XXIV. q. III. „Si quis Romipetas”. Quarto, si exiguntur tantummodo de his, quae causa negotiationis vel mercimonii deferuntur, unde de his quae quis facit portare pro necessitate ad usum suae vitae et familiae, non potest exigi pedagium, nec valet etiam consuetudo in contrarium secundum Hostiensem. Haec frater Angelus. Ex istis patet, quod telonearii sunt in magno periculo, quia rarissime exigunt secundum praedictam formam per omnia, et insuper quia non fit hoc officium sine peccato mendacii, fraudis, periuriae, rixae et huiusmodi. Quartum periculum salutis vel impedimentum verae poenitentiae est delectationis consuetudo et complacentia, quia Glossa super Ioh. dicit: *Difficile surgit, quem moles malae consuetudinis premit. Nam qui facit peccatum, servus est peccati.* Ioh. VIII. 30 Talis fuit Matthaеus, qui dicitur publicanus, Luc. V. 31, quia assuetus fuit huiusmodi vitiosis publicis negotiis. Quintum est exemplum societatis in malicia. Unde Chrysostomus super Matth.: *Periculum est habitare cum malis, nam corrumpunt bonos mores colloquia prava,* I. Cor. XV. 32 Hieronymus XXIII. q. III. „Resecandae”: *Sicut scabiosa ovis pecora corrumpit, sic malus bonum.* Matthaеus multorum consimilium publicanorum exempla et societates habuit. Unde cum

fecisset convivium Christo in domo sua, advenit turba multa, scilicet publicanorum et aliorum, qui cum illis erant discumbentes cum Iesu, Lu. V. 33 Simon de Cassia: *Ecce Christus unum convertit et multos attraxit*. Ex his patet, quod Matthaeus perfecte fuit conversus, quia omnia pericula abdicavit, scilicet avaritiae affectum, otium, malum quaestum, consuetudinem et pravam societatem. O ergo et tu, homo, si vis vere poenitere et salvari, fuge pericula! (H) Circa tertium de Christi imitatione sufficiat pro conclusione, quod beatus Matthaeus imitatus est Christum per gloriosum et perfectissimum martyrium, cuius hic passionis seriem prosequamur ex Legenda communi. Legenda Matthaeus apostolus in Aethiopia praedicans in civitate, quae dicitur Nadaber, duos magos reperit, nomine Zaroen et Arphaxat, qui se quasi deos adorari faciebant. Matthaeus autem in praedicta civitate apud eunuchum Candacis reginae, quem Philippus baptizaverat, hospitatus, contra illos praedicabat Iesum et in eo salutem hominum. Quadam die eunucho interrogante sanctum Matthaeum, quomodo tot linguas loqueretur, exposuit ei, quod Spiritu Sancto descendente omnium linguarum scientiam cum ceteris apostolis receperisset, ut fides Christi per orbem praedicaretur. Tunc venit quidam dicens magos illos cum duobus advenisse draconibus, qui flatu sulphureo cunctos occiderent. Apostolus autem signo crucis se muniens exivit, quem mox ut dracones viderunt, ante pedes eius prostrati protinus dormierunt. Dixitque magis: „Ubi est ars vestra? Excitate eos, si potestis, ego autem nisi Dominum rogassem, quod in me cogitaveratis inferre, in vos retorsissent.” Cum autem populus convenisset, praecepit in nomine Iesu draconibus, ut abirent, et nullum laedentes protinus abierunt. Coepitque populo praedicare, quomodo homo eiectus est de Paradiso, sed per Christum in caelestem Paradisum est revocatus. Ecce autem subito tumultus exortus est plangentium regis filium mortuum, quem cum magi suscitare non possent, suadebant regi, quod in deorum consortium raptus fuisset, et ideo templum et simulacrum sibi construi oporteret. Praedictus autem eunuchus apostolum advocavit, qui oratione fusa illum protinus suscitavit. Hoc viso rex Egippus per universas suas provincias mandavit dicens: „Venite et videte Deum in effigie hominis latentem!” Venerunt ergo cum coronis aureis et variis sacrificiis volentes ei sacrificare, quos apostolus compescuit dicens: „Ego non sum deus, sed servus Domini Iesu Christi.” Illi ergo de auro et argento, quod sibi attulerant, ipso iubente ecclesiam magnam fabricarunt, in qua apostolus XXXIII annis sedit, et totam Aegyptum ad fidem Christi convertit. Rex autem cum uxore et omni populo baptizatus est. Ephigeniam quoque, regis filiam apostolus Deo dicatam plus quam CC virginibus praefecit. Post hoc Hyrtacus regi successit, et Ephigeniam concupiscens dimidium regni apostolo promittebat, si eam in coniugium suum faceret consentire. Cui apostolus ait, ut iuxta morem praedecessoris sui die Dominica ad ecclesiam conveniret, et praesente Ephigenia cum virginibus audiret, quam bona essent iusta coniugia. Quo rex advenit, et apostolus de bono matrimonii praedicavit. Tandem ait: „Cum bonum sit matrimonium, si salvo foedere teneatur. Tamen scitis, quod si regis sponsam aliquis servorum usurpare praesumeret, mortem demereretur. Ita et tu, rex, sciens Ephigeniam aeterni regis sponsam effectam, quomodo poteris tibi copulare?” Tunc iratus rex abscessit, apostolus autem intrepidus Ephigeniam cum ceteris virginibus benedixit, et omnes ad constantiam confortavit. Post missarum autem sollempnia rex misit spiculatorem, qui iuxta altarem Matthaeum orantem gladio interfecit. Tandem cum Ephigeniam nec per matronas directas posset aliquatenus ad consensum inclinare, totam eius domum igne vallavit, ut ipsam cum virginibus ceteris concremaret. Apostolus autem eisdem apparens omnem ignem a domo excussit, qui erumpens regis palatium invasit, et solo rege vix evadente cum unico filio cuncta consumpsit. Statim autem daemon filium eius invasit, qui ad sepulchrum apostoli properavit patris crimina confitens, pater vero turpissimus leprosus effectus cum curari non posset, propria manu se peremit gladio. Populus autem fratrem Ephigeniae ab apostolo baptizatum regem constituit, qui cultum Christianum magnifice ampliavit. Rogemus ergo Dominum, ut per beati Matthaevi merita det nobis gratiam et tandem gloriam. Amen.

---

1 Mt 9,9 2 I Tim 2,4 3 Ps 32,13 4 Prv 15,3 5 Hbr 4,13 6 Ps 33,16 7 Gn 4,4 8 Ps 33,17 9 Hab 1,13 10 Gn 6,5-6 11 Ps 58,6 12 Is 66,24 13 Ps 57,11 14 Sap 4,15 15 Ioh 16,22 16 Ion 3,10 17 Ps 24,16 18 Ps 24,18 19 Ps 103,32 20 Cf. Prv 15,24 21 Lc 15,20 22 Lc 22,62 23 Ps 67,3 24 Sir 35,21 25 Ps 101,18 26 Mt 19,24 27 I Tim 6,10 28 Is 14,11 29 Iob 5,7 30 Ioh 8,34 31 Lc 5,27 32 I Cor 14,33 33 Lc 5,29

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXIV.] De sancto Matthaео evangelista Sermo II., videlicet de attractione ad Christum sequendum, eiusque privilegiis *Ait illi*, id est Matthaео *Iesus: Sequere me. Et surgens secutus est eum*. Matt. IX. 1 et in evangelio hodierno. (A) Sicut dicit Gregorius super Ezechielem: *Quanto terrenis mens hominis plus occupatur, tanto caelestia minus videt, et tanto a superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur*. Sicut exemplum habemus in profundo puteo terrae, quem homo intrat quanto profundius, tanto erit a solis visione et calore remotior. Sed ut solis calore ille incalescat, debet solis radios sequi. Beatus itaque Matthaeus quia totus erat terrenis lucris implicatus, non poterat divini amoris igne et radiis calefieri, nisi sequendo Christum, verum solem iustitiae. Idcirco Christus ipsum misericorditer invitavit et attraxit, ut ipsum sequeretur et in amore Dei caleceret. *Ait ergo illi: Sequere me*. Et quod est mirum, *surgens statim secutus est eum*, omnia relinquendo pro amore Christi. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone, secundum quod de his tribus beatus Matthaeus commendatur. · Primo de attractione divina, ibi: *Ait illi Iesus*, attrahendo · Secundo de perfectione in Christi sequela, ibi: *surgens secutus est eum* · Tertio de honore privilegii et gloria, quod sequitur ad praemissa (B) Circa primum de attractione divina quaestio vertitur apud theologos doctores: Unde hoc fuit, quod apostoli et praecipue Matthaeus ad unam vocem Christi continuo relictis omnibus secuti sunt Christum? Unde ut recitat Hieronymus in Originali super Matt.: Ex hoc arguit Porphyrius et Iulianus augustus praecipue stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti omnibus relictis. Ratio quia scribitur Ecc. XIX.: *Qui credit cito*, scilicet omni verbo, *levis est corde*, 2 id est instabilis in bono et labilis in malum. Cum ergo apostoli et praecipue Matthaeus

absque ullo argumento, absque visis miraculis sufficientibus statim credentes relictis omnibus secuti sunt unum hominem vocantem, scilicet Christum, mirum videtur, quomodo fuerunt sapientes, et non leves corde. Sed ad haec respondetur secundum Hieronymum ubi supra, Bedam et doctores, quod ista tam velox credulitas et sequela Christi in apostolis et Matthaео non processit ex levitate cordis, sed ex virtute Christi miraculose ad se illos trahentis et ex bonitate divinae virtutis. Nam ipse Christus dixit Ioh. X.: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* 3 Ipse ergo Christus Deus traxit eos virtute divina, qui exterius vocavit eos per verba. Vox quippe Christi vocantis habuit virtutem non solum inductivam, sed etiam attractivam, quia erat instrumentum deitatis. Unde Ps.: *Ipse dabit voci suae vocem virtutis,* 4 scilicet divinae. (C) Pro quo notandum est, quod peccatorem hominem quemquam trahit quandoque diabolus ad se, quandoque attrahit Deus, suis uterque funiculis ligando et trahendo, teste Scriptura. De diabolo patet Prover. V.: *Quare – inquit – deduceres, fili mi, id est traheris ad peccata.* Subdit: *Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur, ipse morietur, et in multitudine stultitiae suae decipietur.* 5 Et iterum ca. VII. dicitur: *Quasi bos ductus ad victimam stultus trahitur,* 6 scilicet ad damnationem. Item de Deo et Christo Iesu scribitur Osee XI.: *In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis.* 7 Haec dicit Dominus. Si quaeratur, qualibus funibus potest trahere diabolus peccatores, ex quo per Christum contrita est diaboli potestas, respondetur secundum Augustinum li. Confessionum dicentem: *Suspirabam ad te, Domine, vinctus non catena ferrea (scilicet coactionis), sed mea ferrea voluntate, quae ex his anulis conglutinatur: Primus est mala cogitatio, quae parit delectationem. Secundus est consensus in delectationem. Tertius est operatio. Quartus consuetudo, quae parit necessitatem, quam sequitur desperatio et damnatio.* (D) Item qualibus funibus Christus ad se trahit peccatores, hoc edocuit in Matthaео, quem traxit funiculo quadruplici. Et suo modo facit spiritualiter aliis, ut dicit Bernardus: · Primo funiculo amorosae visionis · Secundo funiculo virtuosae vocis · Tertio funiculo divinae inspirationis · Quarto funiculo mirificae operationis Primo attraxit Matthaеum Christus funiculo amorosae visionis. Nam Hieronymus in Originali super Matt. dicit, quod *fulgor et maiestas divinitatis occulta, quae etiam in humana relucebat facie, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu, quos volebat.* Haec ille. Et sic non mirum, quod Matthaеus et apostoli velociter Christum secuti sunt, quia sic voluntate divina trahebantur per amorosum splendorem in visu faciei Christi lucentem. Ad id accipiamus exempla. Nam legitur in figura huius III. Regum XIX. 8, quod Elias propheta venit ad Eliseum in campis arantem, et misit super illum pallium suum. Et statim ipse Eliseus relictis bobus, quibus arabat, post Eliam cucurrit dicens: „Osculer, oro te, patrem et matrem meam, et sic sequar te.” Et sic secutus est eum, et ministrabat ei. Si hoc potuit pallium Eliae facere Eliseo, multo magis Christi divinitas palliata in humanitate trahere potuit et traxit Matthaеum. Item aliud exemplum naturale. Nam Aristoteles li. De animalibus dicit, quod caladrius est avis colore totaliter albo, quae si ducatur ad domum vel alibi ad aegrum, si faciem convertitur ad aegrum visum porrigens, indubitanter sanabitur aeger ille, quod si non aspexerit aegrum, morietur in illa infirmitate. Sic Christus Deus totus albus per puritatem si aspicit aegrum, id est peccatorem, sicut aspexit Matthaеum oculo gratiae et misericordiae, sanabitur, quia maximae virtutis sanativae est Christi aspectus talis in anima impropotionabiliter, quam sit virtus aspectus avis praefatae ad sanandum aegrum corporalem. Si autem Christus avertit hunc aspectum a peccatore, indubitanter peccator mori habet in peccato. Ideo orabat Ps.: *Respice in me, Domine, et miserere mei.* 9 Nimirum Christus hoc modo trahit peccatores multos per amorosum aspectum, scilicet beneficiorum divinorum, dicens illud Iere. XXXI.: *In charitate perpetua dilexi te, scilicet o homo, ideo attraxi te miserans tui.* 10 O peccator, vide, ne contemnas hunc aspectum et tractum, vide amorosum aspectum Christi, quo ab aeterno voluit te creare ad beatitudinem, dedit animam rationalem et corpus, dedit tibi omnia bona mundi ad usum. Insuper dedit seipsum pro tua redemptione in passionem et mortem, promisit tibi gratiam et gloriam. Audi ergo dicentem et clamantem in cruce: *Ecce quomodo in charitate perpetua dilexi te, o anima. Revertere ergo, revertere Sulamitis* etc. 11 Secundo traxit funiculo virtuosae vocationis, cum dixit illi: *Sequere me.* Simon de Cassia: *Verbum Christi non solum auribus Matthaеi insonuit, sed et animum, scilicet sua virtute attraxit, affectum mutavit, et intellectum illuminavit.* Haec ille. Isto funiculo et eius modo trahit Christus multos nunc peccatores per voces et verba Sacrae Scripturae et praedicationis. Unde in homilia: *Praedicationis verba praecurrunt, et tunc Dominus ad mentis hospitium venit.* Ideoque Lu. XI.: *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* 12 Sed heu multi huic tractui non consentiunt. Quibus Ps.: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obturare corda vestra* etc. Et subdit: *Quibus iuravi in ira mea si introibunt, 13 id est non introibunt in requiem.* Tertio traxit funiculo divinae inspirationis, unde Beda in homilia super Matt. dicit: *Non est mirandum, quod ad primam Domini vocem terrena lucra reliquerit, et ei, quem nil divitiarum habere cernebat, adhaeserit. Ipse enim Dominus foris eum verbo vocavit, intus instinctu invisibili, ut sequeretur, edocuit, infundens gratiae lumen, quo intelligeret, quod is, qui a temporalibus vocabat in terris, incorruptibiles daret thesauros in caelis.* Haec ille. Isto modo multos trahit peccatores Christus per inspirationem et infusionem gratiae, qua recognoscunt mundi vanitatem caducam et peccati delectationem mortiferam, quoniam ut Gregorius ait: *Momentaneum est, quod delectat, sed aeternum, quod cruciat.* Et plerosque trahit recognoscendo mortem sibi necessario imminere et eius horam incertam. Hieronymus: *Facile contemnit omnia, qui se cogitat moriturum, ut patet.* (E) Quarto traxit funiculo mirificae operationis, Hieronymus in Originali super Mat.: *Tantae – inquit – virtutis tantaque signa praecesserunt, quae apostolos, antequam crederent, vidisse non dubium est, ergo* etc. Isto modo trahit Deus peccatores. Nam a principio mundi multa legitur Deus fecisse mirabilia ad deterrendum peccatores ex illorum consideratione, ut traheret eos ad poenitentiam. Et patet: Primum mirabile in angelis, e quibus innumerabiles pro uno vitio, scilicet superbiae aeternaliter perierunt. Secundum in primis parentibus hominum, qui pro unius praecepti transgressione cum tota posteritate exilio innumerabilium miseriarum huius vitae sunt relegati, quorum innumerabiles aeternaliter damnantur. Nec quisquam potuit in caelum ingredi ante Christi passionem et mortem, ut patet. Tertium mirabile in diluvio, ubi omnes homines et animalia in terra et aere propter peccatum hominum perierunt praeter illos, qui fuerunt in arca Noe. Quartum mirabile in Sodomitis, ubi quinque civitates cum tota regione earum et pecoribus ac quibusvis possessoribus submersae sunt propter peccatum. Quintum mirabile in Pharaone



et servis eius submersis. Sextum in Iudaeis non credentibus in Christum, quomodo perierunt et per orbem dispersi miserabiliter tenentur. Septimum videmus in mundo, ubi Deus saepe immittit pestilentias, clades et alia flagella propter peccata hominum. Et adhuc in iudicio extremo videbimus mirabilem Dei vindictam contra omnes peccatores a principio mundi usque ad finem, qui omnes in Infernum detrudentur corpore et anima aeternaliter cruciandi. O peccator homo, numquid mirabilia, numquid terribilia sunt haec? Quid ergo dormitas in peccatis, cur miser non deterreris, cur perire vis? Audi Christum dicentem Luc. XIII.: *Ego dico vobis, nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, 14 scilicet in iudicio. (F) Circa secundum de perfecta Christi sequela quaeritur, qualiter exemplo beati Matthaei debeat Christianus Christum trahentem sequi. Nam Isidorus dicit: *Ille est verus Christianus, qui facit, sicut fecit Christus, ambulans, sicut ille ambulavit, a quo nomen traxit*. Et Cyprianus De duodecim abusionibus dicit: *Non recte Christianus dicitur, qui Christo moribus non aequatur*. Sed Bernardus in quodam sermone dicit: *Quidam Christum non sequuntur, sed fugiunt, ut sunt heu multi, qui nondum peccare desistunt. Quidam sequuntur, sed non assequuntur, ut qui segniter et remisse agunt, vel usque in finem non perseverantes de medio itinere redibunt, scilicet ad vomitum recidivando. Quidam sequuntur et consequuntur, ut qui vias Christi perseveranter imitantur*. Haec Bernardus. Opus est ergo nobis scire, qualiter exemplo Matthaei sequamur Christum, ut consequamur. Ad quod respondetur, quod si volumus cum Matthaeo Christum sequi et consequi ad aeternam beatitudinem, debemus sequi quadrupliciter, sicut et ipse secutus fore legitur et in exemplum nobis proponitur sequendi: · Primo velociter · Secundo integraliter · Tertio amabiliter · Quarto stabiliter Primo velociter, ut non tardemus sequi, sicut nec Matthaeus tardavit, sed statim ad unam vocem surgens secutus est Christum. Unde Ecclesi.: *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te*. 15 Exemplum: Si te vocaret rex Hungariae vel Franciae ad dandum tibi omnes thesauros et regnum et omnia bona, nonne statim sequereris? Quanto magis sequere summum regem gloriae pro habendis aeternis bonis? Item si haberes unum pedem in igne, nonne quanto velocius extraheres? Sic et ab igne Inferni. Secundo integraliter, ut nil remaneat in te, quod deserviat vitiis. Sicut Matthaeus reliquit omnia sua et suos caros, et se totum dedit Deo. Unde Iac. II.: *Qui servaverit totam legem, offenderit autem in uno, factus est omnium reus*. 16 Exemplum: Si miles sanus iuxta regem in sordida veste claudicaret, utique non placeret regi. I. Reg. XVII.: *Usquequo claudicatis in duas partes*. 17 Tertio amabiliter, sicut Matthaeus secutus est amanter et gaudenter. Unde et fecit convivium Christo in domo sua, ut dicit evangelium. Et nos ergo dicamus illud Dan. III.: *Nunc, Domine, sequimur te toto corde, et amamus te*. 18 Hoc non servant, qui ad confessionem coacti per sacerdotem, vel ne inter homines confundantur, aut a communione et sepultura excludantur, propter hoc et non ex amore accedunt, et poenitentiam simulant. Item hoc etiam est contra illos, qui religionem ingressi dolent se intrasse, et contra omnes qui non ex amore divino faciunt bona, quae operantur. Quarto stabiliter, ut perseveret homo in Christi sequela usque ad mortem, sicut fecit Matthaeus. Matt. XXIV.: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus etc*. 19 Nonne verecundia esset militi, et quomodo placeret regi miles talis, videlicet qui sequeretur regem libenter ad mensam, sed non in bello contra hostes regis. O ergo homo, discite sequi Christum! (G) Circa tertium de privilegiorum gloria, scilicet beati Matthaei sufficiat pro conclusione, quod benignus Iesus publicani Matthaei poenitentiam adeo acceptavit, quod non solum culpas condonavit, sed insuper magnis privilegiis ipsum dotavit, et inter sanctos sublimavit, patet per alphabetum: Primum privilegium apostolicae electionis, quia electus est ad apostolatus dignitatem, quae est summa in ecclesia, ut dicit Dionysius, quod sicut inter angelos Seraphicus ordo tenet gradum summum, sic apostolicus ordo est summus, tamquam vicinior Christo. Quia autem talem publicanum Christus elegit in apostolum? Respondet Beda in homilia dicens, quod ob id, ut nullum enormitas peccatorum vel numerositas scelerum a spe veniae revocaret, cum huic publicano angelicorum spirituum vocabulum, ut apostolus esset et evangelista nominaretur, communicavit. Nam angelorum officium est annunciare divina. Secundum privilegium praefigurationis, quoniam Matthaeus inter evangelistas praefiguratus est in specie hominis, Ezech. I. et Apoc. IV. Sed quia hoc, claret ex hoc, quia secundum Porphyrium li. de universalibus „Quid sit homo” diffinitur sic: *Homo est animal rationale mortale*. Deus autem, qui erat spiritus immortalis, factus est in incarnatione animal homo, qui in praedicatione manifestatus est rationalissimus, et in passione mortalis. Et quoniam Matthaeus in principio Evangelii sui describit divinam incarnationem, in medio eius praedicationem, in fine passionem et mortem, ergo in forma hominis praefiguratur. Tertium privilegium conscriptionis, quia *evangelium primus scripsit, sicut et primus in ordine evangelistarum ponitur*, ut ait Hieronymus. Eius ergo Evangelium fuit valde pretiosum, et commendatur primo, quia primum est aliorum. Secundo, quia lingua Hebraea fuit conscriptum, quae lingua fuit prima omnium, non ab homine inventa, sed a Deo tradita immediate Aadae, et erit ultima ac perpetua, quia ut Isidorus dicit, *post diem iudicii omnes linguae cessabunt et sola remanebit Hebraica, qua perpetuo Deum laudabimus in caelo*. Unde in hoc commendatur Evangelium Matthaei, quia fuit scriptum in prima et perpetua illa lingua. Ceteri autem evangelistae scripserunt in lingua Graeca. Tertio quia a beato Barnaba reverenter approbatum. Nam ipsum evangelium secum portabat, quo daemones fugabat, super infirmos ponebat, et sanabantur, et secum sepeliri iussit, ut securius moreretur. Quartum privilegium dignificationis, quia Matthaeus est apostolus, est etiam evangelista, est quoque martyr, et sic dignitate alios praecellit, quia in nullo aliorum sanctorum istae tres praerogativae simul inveniuntur. Petrus enim fuit apostolus et martyr, sed non evangelista. Iohannes apostolus et evangelista, sed non martyr sanguinis effusione, et sic de aliis patet. Insuper magnae dignitatis fuit, quod Beatae Virginis Mariae fuit familiaris secretarius. Nam in Evangelio scripsit ea, quae non nisi a Virgine Maria scire potuit, sicut est de eo, quod Ioseph ipsam dimittere voluit, et quod ipsi angelus apparuit, et de eo, quod a magis stella duce advenientibus adoratus est Christus puer in stabulo. Item quod antequam Maria et Ioseph convenirent, *inventum est Maria habens in utero*. 20 Et infra: *Et non cognovit eam* 21 in aeternum. Haec enim et similia a Ioseph audire vel scire non potuit, quia iam tunc mortuus fuit Ioseph, quando Matthaeus scripsit evangelium, et ideo a Virgine didicit universa, et sic fuit notarius Virginis. Quintum privilegium ecclesiasticae venerationis, quia Ecclesia toto orbe ipsum veneratur festo et vigiliam ieiunando sub praecepto, extra de obser. iei. c. „Consilium”. Sextum fructificationis, quia multos convertit ad Christum,

scilicet regem, uxorem et liberos ac totum populum Aethiopiae, et multas virgines Christo dedicavit, ut patet ex legenda. Denique cum alii apostoli praedicaverint in certis mundi partibus, Matthaeus in Evangelio, quod scripsit, per totum mundum praedicat et fructificat usque finem mundi, quia ubique recitatur in Ecclesia. Unde Chrysostomus: *Qui aliquando fuit cautus terrenarum logotheca rationum, nunc est dispensator diligentissimus divinorum praeceptorum. Tunc quidem multos pauperes fecit fraudando pecuniam, nunc autem innumerabiles divites facit praedicando iustitiam.* Haec ille. (H) Sed quaeritur: Quare in Ecclesia frequentius legitur in missis Evangelium Matthaei prae aliis? Respondetur, quod ratio potissima est, ut spes veniae detur peccatoribus, et invitentur ad poenitentiam. Nam Ecclesia frequentius legit horum trium scripta, scilicet Psalmos David, Evangelium Matthaei et epistolas Pauli, quia ut dicitur I. Ioh. II.: *Omne – scilicet peccatum – , quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum aut superbia vitae.* 22 David peccavit in luxuria. Matthaeus in avaritia. Paulus in superbia persequendo acriter Christi discipulos. Ut ergo omnibus et singulis superbis, avaris et luxuriosis detur spes veniae et provocentur ad poenitentiam, istorum trium scripta frequentantur, ut peccatores recordentur, quod magna Dei misericordia sicut ex istis fecit magnos sanctos, ex Paulo persecutore magnum praedcatorem, ex David adulterante et homicida magnum prophetam psalmistam, ex Matthaeo publicano magnum apostolum et evangelistam. Sic et peccatoribus aliis, si convertantur, Deus magnam confert gratiam. Rom. VII.: *Ubi superabundavit delictum super etc.* 23 Septimum privilegium glorificationis, scilicet in caelo et in terra, miraculis enim eum in terris Deus glorificavit. Unde ad ipsum tamquam ad specialem patronum debent peccatores confugere, quia Deus dedit ei potestatem super dracones venenatos, ut patuit in legenda. Item super infirmitates, quia multos curavit caecos, paralyticos, leprosos et a daemonibus vexatos. Denique super mortem, quia filium regis a mortuis suscitavit, ut patet in legenda. Ad ipsum ergo, carissimi, accedamus, et eius meritis nos commendemus, ut Iesus eius orationibus det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro.

---

1 Mt 9,9 2 Sir 19,4 3 Ioh 6,44 4 Ps 67,34 5 Prv 5,20-23 6 Prv 7,22 7 Os 11,4 8 I Rg 19,19-21 9 Ps 24,16  
10 Ier 31,3 11 Ct 6,12 12 Lc 11,28 13 Ps 94,8-11 14 Lc 13,5 15 Sir 5,8-9 16 Iac 2,10 17 I Rg 18,21 18 Dn  
3,41 19 Mt 24,13 20 Mt 1,18 21 Mt 1,25 22 I Io 2,16 23 Rm 5,20

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXV.] De sancto Matthaeo Sermo tertius de peccatorum hominum vocatione a Deo *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Matth. IX. 1 et in evangelio hodierno. (A) Verba sunt Domini Iesu, qui cum vocasset Matthaeum et ille secutus eum, fecit sibi et discipulis eius convivium magnum in domo sua, multique peccatores et publicani venientes discumbebant cum Iesu, ut dicit evangelium. Beda: *Quia unius publicani conversio exemplum et incentivum poenitentiae tribuit cunctis.* Pharisei autem videntes dicebant discipulis Christi: „Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?” At Iesus ait: „*Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*” Lyra: *Quia infirmi indigent medico, non sani.* Et adiecit auctoritatem Scripturae dicens: *Euntes autem discite, quid est, id est diligenter considerate, quid scriptum sit Oseae VI.: Misericordiam volo, et non sacrificium, dicit Dominus.* 2 Nam Gregorius dicit, quod nullum Deo tam gratum sacrificium, sicut zelus animarum, iuxta illud Prover. XXI.: *Facere misericordiam, scilicet convertendo peccatores, plus placet Deo, quam victimae,* 3 scilicet holocaustorum. Unde et Christus subiunxit: *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* O magnae misericordiae et pietatis verbum, o peccator, gaude, et age poenitentiam, quia ecce Christus dicit, quod venit vocare te ad vitam, sicut ecce vocavit Matthaeum. Iuxta haec ergo verba tria mysteria pro hoc sermone notabimus: · Primum de pietatis Christi expressione · Secundum de vocationis qualificatione · Tertium de ipsius Matthaei vocatione (B) Circa primum scilicet de pietatis Christi expressione pro simplicium intellectu bonum est scire de hoc, quod Christus dicit: *Non veni vocare iustos etc.* Circa hoc enim dictum secundum plures doctores triplex oritur quaestio, vel dubium movetur: · Prima quaestio secundum Bedam · Secunda secundum Augustinum · Tertia secundum Rabanum et Chrysostomum Prima quaestio movetur secundum Bedam in homilia, quomodo Christus dicit se non venisse vocare iustos, sed peccatores, cum tamen vocavit Nathanael, quem iustum fuisse ipsemet testatur Ioh. I. dicens: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* 4 Item vocavit Iohannem apostolum virginem, et Iacobum minorem in utero sanctificatum. Elegit etiam in praecursorem Baptistam sanctissimum, et in matrem Virginem super omnes sanctissimam, et in nutricium Ioseph, virum iustum, ut scribitur Matt. I. 5 Mirum est ergo, quod Christus sic loquitur. Sed ad haec respondetur secundum Bedam et concordantem Lyram, quod Christus venit omnes quidem electos ad regnum caelorum vocare, sed peccatores vocat ad poenitentiam, quia peccator homo non potest pervenire ad regnum caelorum, nisi per poenitentiam. Iustos autem vocat Christus ad augmentum gratiae, ut ambulent de virtute in virtutem, ut patet de praedictis iustis, quos vocavit Christus non ad poenitentiam, scilicet satisfactoriam, sed ad gratiae et virtutis augmentum. Peccatores autem, ut Matthaeum, Magdalenam, Paulum et alios vocavit ad poenitentiam, et sic ad vitam. Ratio quia iusti non indigent poenitentia satisfaciante, sicut mundi non indigent ablutione, sed peccatores ut immundi et maculati indigent, quia ut scribitur Apoc. XXI.: *Nil coinquinatum intrabit in regnum caelorum.* 6 In huius figuram legitur III. Reg. X., quod rex Salomon fecit luterem ante templum, et ornavit per circuitum speculis, ut intrantes templum ibi se conspicerent, et qui in se maculas viderent, abluerent, ac sic mundi intrarent. Spiritualiter Christus rex ante ingressum templi caelestis ad conspectum Dei statuit luterem, id est Sanctam Ecclesiam, et speculis, id est sanctorum exemplis eam ornavit, quae debent peccatores aspicere et eorum exemplo se per poenitentiam mundare a maculis peccatorum, ut sic digni habeantur intrare ad conspectum faciei Dei. Unde Dominus pro peccatoribus posuit specula sanctorum poenitentium, videlicet Pauli, Magdalenae, Matthaei et aliorum, pro iustis autem ad exemplum proficiendi posuit sanctos iustos, quos vocavit Christus in maxima sanctitate, ut sequantur Christum in iustitia. (C) Secunda quaestio secundum Augustinum de consensu evangelistarum, videlicet: Quomodo sic a Christo peccatores diligantur, quia ut ait: nulla causa veniendi fuit

Christo, nisi peccatores salvos facere etc. Ad haec respondet ibi Augustinus dicens sic: *'Non veni vocare iustos'* – non absolute dicit, sed ad poenitentiam, ut addit Lucas, sed *'veni vocare peccatores ad poenitentiam'*, ut detur intelligi, quomodo peccatores diligentur a Christo, quia non ob hoc ipsum, quod peccatores sunt, diliguntur, sed ut ad poenitentiam convertantur. Haec Augustinus. Et ratio quia peccatores, si non convertuntur, a Deo summo odio odiuntur, et aeternis poenis adiciuntur. Ecc. XII.: *Altissimus odio habet peccatores, sed misertus est poenitentibus.* 7 (D) Tertia quaestio, cur Christus quoad vocationis adventum praeponere voluit peccatores iustis, dicens, quod non pro iustis, sed pro peccatoribus vocandis venerit. Ad hoc secundum Rabanum et Chrysostomum aliosque dicendum est, quod primo propter superbiae extirpationem ex iustorum cordibus. Rabanus: *Non veni – inquit – vocare iustos, id est tales, qui de sua iustitia gloriantur, ut Pharisaei erant, sed peccatores, id est illos, qui se humiliter peccatores recognoscunt, qualis fuit Matthaeus et socii eius publicani, ut per hoc doceat, quia plus diligit Deus peccatorem humilem, qui suae infirmitatis conscius poenitet, quam iustum superbum, qui de sua iustitia praesumendo alios condemnat. Secundo propter misericordiae declarationem, scilicet erga omnes homines. Unde secundum Chrysostomum: Quia nullus iustus erat in terra, omnes enim peccaverunt et egent gratia Dei.* Ro. III. 8 *Ideo dixit: Non veni vocare iustos, quod dicit: Ideo non sperno peccatores, quia propter homines veni, ut traham eos ad vitam.* O ergo pie Iesu, voca et trahe nos, noli spernere, sed miserere nostri, quia confitemur peccata nostra. (E) Circa secundum de vocationis qualitate quaeritur: Qualibus modis vocat Christus peccatores ad poenitentiam et salutem aeternam? Respondetur, quod multis modis: · Primo per animae inspirationem · Secundo per beneficii largitionem · Tertio per conscientiae remorsionem. · Quarto per divinae scripturae admonitionem · Quinto per exemplorum considerationem · Sexto per flagellorum castigationem · Septimo per gloriae repromissionem · Octavo per humanae mortis horrorem · Nono per infernalis poenae comminationem · Decimo per calamitates mundi et vexationem · Undecimo per loquelam et praedicationem · Duodecimo per mortem Christi et passionem Primo per animae internam inspirationem. Unde Psalmus dicit: *Audiam, quid loquatur in me Dominus, scilicet per inspirationem, quoniam loquitur pacem, scilicet faciendam pacem per poenitentiam in plebe, et super sanctos, scilicet et in eos, qui convertuntur ad cor* 9 per suorum peccatorum recognitionem. Sed heu multi hanc Dei vocem non audiunt, nec curant, quotidie vocantur ad sequendum Christum, et tamen nolunt. Ipse enim Christus ait Apoc. III.: *Ego sto ad ostium scilicet cordis, et pulso (per inspirationes), si quis audierit vocem meam et aperuerit ianuam, consentiendo per voluntatem, intrabo ad illum, 10 scilicet per gratiam inhabitando.* O ergo homo, venitne tibi aliquando cogitatio, ut confitereris peccata et poenitentiam ageres? Scito, quia illa vox Dei fuit vocantis. Unde hoc probat utique per illud II. Cor. III.: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est.* 11 Vae ergo tibi, peccator, si non vis Deo tuo oboedire. Nam dicit Psalmus: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit.* 12 Secundo vocat Christus per beneficiorum largitionem. Unde Cassiodorus: *Invitatur – inquit – ad magna, qui gratanter suscipit parva, et spem de futuris accipit, qui beneficia recognoscit.* Haec ille. Cum autem Deus omnia subiecit sub pedibus nostris, ut dicit Psalmus, 13 quid aliud vult, nisi ut ipsum amemus, et ad eum convertamur. O tu dives, numera, quod tibi Deus dedit bona divitiarum, possessionum, vinearum etc. O homo, considera, quomodo te Deus ab infantia nutrit, victum et vestimentum praebuit, et multimode tibi benefecit. Et scito, quia per haec omnia te vocat ad salutem. Unde Bernardus: *Deus – inquit – se mihi in patrem exhibuit, sed non ego sibi vicissim in filium, quam fronte attollo vultum ad oculos tam boni patris tam malus filius, pudeat me tanto patre vixisse degenerem.* Et infra: *Infelix ego et insanus parvipendi aeterni patris amorem, nam si pater non esset, obrueret me beneficiis, ut alia innumera taceam, huius corporis victum et usum temporis dedit, et super omnia sanguinem dilecti filii sui clamantem ad me de terra. Pudeat me reddidisse odium pro dilectione.* Idem: *Vae mihi, si ingratus fuero, scilicet de peccatis non poenitendo, quia clamat ad me sanguis ille Christi, qui effusus est pro me in terra.* Tertio per conscientiae remorsionem. Unde dicit Psalmus: *Peccatum meum contra me est semper, 14 quia synderesis est vis animae stimulans ad bonum, et remurmurans omni malo* secundum Aureolum. O ergo homo, dic mihi, quando vis facere vel fecisti aliquod peccatum, nonne reprehendit et remordet te conscientia tua. Si dicis, quod reprehendit, per hoc scito, quod Deus vocat te, ut respicias. Unde Richardus de Sancto Victore dicit: *Hoc a Deo inditum animae habemus, ut totiens remordentis conscientiae stimulo urgeamur, quotiens peccamus.* Quia si forte dicas, quod non reprehendit te conscientia de peccato, audi quendam sanctum patrem in Vitis patrum dicentem, quod qui securus est in conscientia, aut sanctus est et perfectus, aut diabolus, qui non formidat peccare. Quarto per divinae Scripturae admonitionem, in qua Deus multipliciter nos ad poenitentiam et salutem acquirendam vocat. Ideo Salvator ait Lu. XVI.: *Habent Moysen et prophetas, id est scripturas sacras, audiant illos, 15 quando ergo legis vel audis in missa, epistola vel evangelio de poenitentia, attende Deum vocantem.* (F) Quinto vocat nos Christus per exemplorum considerationem, scilicet in vita sanctorum et bonorum hominum, ut testatur Bernardus. Insuper in omnibus creaturis. Unde Hugo De arca Noe II. li. c. III. dicit: *Omnis creatura tribus vocibus nobis clamat. Prima vox: accipe beneficium. Secunda: redde debitum obsequium. Tertia: fuge supplicium. Prima vox est famulantis, qua caelum dicit: „Ministro tibi lucem.” Aer: „Flatum praebeo.” Aqua: „Potum tibi do, et sordes abluo.” Terra: „Te porto, te nutrio.” Secunda vox admonentis, qua mundus dicit: „Vide, homo, quomodo amavit te, qui propter te fecit me, servio tibi, ut tu servias illi, qui fecit me et te, accipis benignitatem, redde debitam charitatem.” Tertia vox comminantis. Ignis enim dicit: „A me combureris.” Aqua: „In me submergeris.” Aer: „A me frigus patieris.” Infernus: „A me deglutieris, scilicet pro malis tuis et peccatis.”* Haec et plura ibidem Hugo. Sexto per flagellorum castigationem. Apoc. III.: *Ego quos amo, arguo et castigo.* 16 Et Psalmus: *Imple facies eorum ignominia, et quaererent nomen tuum, Domine, etc.* 17 Sicut enim bos vel animal aliud cadens in lutum verberatur, ut exurgat, sic homo peccator excitatur flagellis ad resurgendum de luto peccati. Sed ut Gregorius dicit: *Qui malis praesentibus non emendantur, ad futura servantur* etc. O ergo homo, habuisti aliquando infirmitates vel adversa, Deus vocavit te. Septimo per gloriae, scilicet caelestis repromissionem. Unde hoc modo Christus sua praedicatione prima omnes vocavit dicens Matt. III.: *Poenitentiam agite, appropinquavit regnum caelorum.* 18 Unde Bonaventura li. de simi. dicit: *O quam stulti sunt mundani homines, qui pro modicis*



*et caducis rebus toto nisu laborant, pro infinito autem praemio nec pedem levant.* Octavo per horrorem mortis et timorem. Eccli. XIV.: *Memor esto, quoniam mors non tardabit, ante mortem benefac amico tuo.* 19 Item Prover. XIV.: *Timor Domini fons vitae, ut declinet a ruina mortis.* 20 Exemplum de Iosaphat, filio regis, qui videns in via caecum antiquum et gibbosum, conversus est, ut patet in Historia Barlaam. O tu iuvenis, cum vides monumenta mortuorum, quid tibi dicant, attende. Nam secundum Augustinum monumentum dicitur quasi 'monens mentem', scilicet de mortis consideratione. Dicunt ergo tibi ad sepulcrum, ad vermes, ad serpentes et mortem. Nono vocat Christus per infernalis poenae comminationem ad poenitentiam. Unde Luc. XIII.: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* 21 Et Matth. XIII.: *In consummatione saeculi mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos, qui operantur iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium.* 22 Vae ergo ibi omnibus malis virginitibus, coniugatis, viduis, religiosis, presbyteris, principibus, divitibus et pauperibus et cunctis reprobis. Apoc. VIII.: *Vae, vae, vae habitantibus in terra.* 23 Age ergo, carissime, poenitentiam. Decimo per calamitates mundi et vexationem, quia Gregorius dicit: *Mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* O homo, audisne quandoque terribilem terraemotum vel tonitrua, grandines, clades, pestes, cogita, quia Deus vocat. (G) Undecimo per loquelam et praedicationem. Haec est sollemnis Dei vocatio, qua vocavit per servos suos, scilicet prophetas a principio, et tandem per apostolos ac sanctos alios mundum totum, sicut docuit in parabola Luc. XIV. dicens: *Homo quidam fecit cenam magnam, id est Christus statuit refectionem beatitudinis in caelo, et misit servos suos dicere invitatis, id est credentibus, ut venirent.* 24 O Deus meus, quanta est dementia hominum, si vocaret rex terrenus promittens cuilibet venienti centum ducatos, omnes libenter accederent, et nuncios vocantes libenter audirent. Ecce Christus Deus per praedicores clamat: Venite ad beatitudinem, venite ad caeleste regnum per poenitentiam, promittens cuilibet aeterna bona et indicibiles thesauros, et nolunt venire. Et quod est maxima stultitia, diabolus vocat ad vitia, et per ea ad tormenta aeterna, et illum magis sequuntur, quam Christum vocantem per praedicores ad caelum. Sed forte dicis: Ego non credo tibi, quod Deus vocat me per tuam praedicationem ad caelum. Audi ipsum Dominum Matth. X. dicentem: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* 25 Et Lu. X.: *Qui vos audit, me audit etc.* 26 O ergo viri, o mulieres, o iuvenes, o senes, o divites et pauperes, o quique homines, ecce ex parte Dei voco vos, et nuncio vobis, venite ad caelum agendo poenitentiam, nolite ire ad Infernum. Si quidem auditis, beati eritis, quia *beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud,* Lu. XI. 27 Quod si nolueritis, in Inferno lugebitis. Duodecimo per mortem Christi et passionem. Nam Bernardus dicit: *Christus in altum crucis ascendit, ut ab omnibus videretur. Voce clamavit, ut ab omnibus audiretur. Clamori lacrimas addidit, ut homo compateretur. Qui ad eius clamorem non excitatur, ad eius vocem ad poenitentiam non compungitur, gravior est terra, durior petra et foetidior sepulcro.* Haec ille. O ergo peccator, audi Christum in cruce ad te clamantem: „*Sitio.*” 28 Bernardus in Meditationibus: *Quid est, o Iesu bone, quod clamas: „Sitio”? Ergo ne plus te cruciat sitis, quam crux, cum de cruce siles, et clamas: „Sitio”. Quid ergo sitis? Et respondet: „Sitio fidem vestram et salutem, vestrum gaudium, o homines.”* Haec ille. Sed heu quam pauci homines convertuntur ad Christi vocationem, propter quod improperantes. Prover. I.: *Vocavi, et renuistis, extendi manus meas, scilicet in cruce et ad beneficia largienda, et non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, scilicet de bonis agendis, et increpationes meas, scilicet de peccatis vestris neglexistis poenitentiam non agendo. Ego quoque in interitu vestro ridebo.* 29 O ergo peccator, o Christiane, aspice mente vel in imagine Crucifixi, quomodo Christus te vocat, dicens spiritualiter: „O anima, vide, quantum te amavi, quia sanguinem pro te fudi, animam pro te dedi. Revertere ergo, revertere, ecce manus extendi, ut te amplexer revertentem. Ecce caput inclinavi, ut te osculer. Ecce latus meum apertum teneo, ut te in cor meum suscipiam. Ecce spinis caput meum est coronatum, ut tibi beatitudinis coronam tribuam. Si poenitentiam egeris, peccata tibi dimitto, gratiam tibi infundo, et aeterna gloria praemiabo.” (H) Circa tertium de vocatione Matthaei quaestio restat: Cur Christus non vocavit Matthaeum in principio statim cum Petro et Andrea ac filiis Zebedei, sed vocavit Matthaeum postea per notabile tempus, postquam iam fecerat plurima miracula et praedicationes, ut patet in Evangelio Matthaei et Lucae. Ad hoc respondetur secundum Simonem de Cassia, quod *Dominus – inquit – , qui creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam, ipse praenovit ab aeterno omnium hominum voluntates et dispositiones, quam faciles sunt ad aversionem, et quam difficiliore sunt ad conversionem, quae homini non apparent. Quando ergo sentit Deus hominem dispositum et habilem, infundit ei gratiam, et vocat ad poenitentiam.* Et sic Matthaeum vocavit tunc, cum vidit ipsum habilem et dispositum ad sequendum Christum. (I) Ex qua sententia ista accipiamus documenta salubria pro nobis: Primum de divina pietate erga nos peccatores, et miseratione, quia *omnes vult salvari* et neminem perire, ut dicitur I. Tim. II. 30, et hoc voluntate antecedente, propterea omnibus et omni tempore praesto est, quantum est ex sua bonitate dare gratiam, ut converterentur. Sed videt aliquos indispositos et nolle recipere gratiam in iuventute, aliquos et in virili aetate, aliquos usque ad senectutem indispositos manere. Et ideo variis temporibus convertit homines, ita quod defectus est ex parte hominum, et non ex parte Dei. Quare ergo aliqui tantum in senectute vel tardius convertuntur, haec ratio est in causa. Unde Gregorius XXIX. *Moralium* dicit: *Misericors Deus diu peccata hominum tolerat, et plerumque cum ultimum finem adesse respicit, peccantium mentes immutat.* Haec ille. Secundum documentum de peccatorum hominum conatu et praeparatione, ut scilicet omnis homo cuiuscumque aetatis conetur semper ad gratiam Dei se, quantum in se est, disponendo et orando, ne imparatum mors rapiat. Ideo Salvator Mar. XIII.: *Vigilate ergo, nescitis enim, quando Dominus veniet, scilicet ad iudicium mortis, sero an media nocte, an galli etc., ne cum repente venerit, inveniat vos dormientes* 31, scilicet in peccatis. O ergo homo, considera misericordiam Dei te vocantis multipliciter, ut patuit, et age poenitentiam exemplo Matthaei, ut habeas vitam aeternam intercedentibus eius meritis et praestante Domino Iesu Christo, qui vivit in saecula. De sancto Matthaeo quartum sermonem vide ex communi sanctorum<sup>32</sup>.

1 Mt 9,13 2 Os 6,6 3 Prv 21,3 4 Ioh 1,47 5 Mt 1,19 6 Apc 21,27 7 Sir 12,3 8 Rm 3,23 9 Ps 84,9 10 Apc 3,20 11 II Cor 3,5 12 Ps 7,13 13 Ps 46,4 14 Ps 50,5 15 Lc 16,29 16 Apc 3,19 17 Ps 82,17 18 Mt 3,2 19 Sir

14,12-13 20 Prv 14,27 21 Lc 13,3 22 Mt 13,49-50 23 Apc 8,13 24 Lc 14,16-17 25 Mt 10,20 26 Lc 10,16 27 Lc 11,28 28 Ioh 19,28 29 Prv 1,24-26 30 I Tim 2,4 31 Mc 13,35-36 32 Vide PA 105: De apostolis communis sermo vel PA 106: De apostolis communis sermo vel PA 107: De apostolis communis sermo vel PA 108: De evangelistis communis sermo vel PA 109: De evangelistis vel apostolis.



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Legenda sancti Gerhardi] Item de sancto Gerardo episcopo et martyre sermonem ex communi vide applicans legendam eius. Gerhardus a 'gerar', quod est sacrum, et 'dos', quod est donum, quasi sacrum donum datum nobis a Deo in exemplum. (A) Is natione Venetus de parentibus Deum timentibus et pietatis operibus insistentibus genitus, hi cum liberis carerent, oraverunt Deum et Beatam Virginem Mariam, et hunc Gerhardum obtinuerunt, qui cum esset septem annorum, coepit nimis infirmari febribus, ob hoc parentes obtulerunt eum monasterio, et orationibus fratrum sanatus indutus est habitu regulari, et ingenio pollens coepit ceteros coaetaneos monachos in studio litterarum praecellere. Tandem patre eius cruce suscepta in bello contra Saracenos feliciter mortuo, matre etiam post aliquot annos defuncta Gerhardus missus est a monachis ad studium Bononiense, ubi profecit, et abbate defuncto revocatus a studio in abbatem eligitur, qui in exemplum sanctitatis se cunctis fratribus exhibebat, virginitate mundus erat, humilitate praeclarus, orationi et lectioni die ac nocte insistens, cilicio, ieiunio ac vigiliis carnem domans, et omni virtute florens, nemo illum umquam vidit otiosum. (B) Post aliquot annos resignavit officium praelationis, ut visitaret Terram Sanctam, et ibi fructum verbi Dei faceret. Tunc enim oppressis Saracenis Terra Sancta fuit ab eis accepta, et a Christianis possidebatur. Cum autem Gerhardus flantibus non prospere ventis ad quoddam monasterium pervenisset, et diutius ibidem ob tempestates mansisset, abbati illius monasterii propositum suum aperuit, qui dixit eidem: „Quantum putas, poteris lucrificare in Terra Sancta. Si animas vis lucrari, transi potius ad Hungariam, ubi inter plebes noviter ad Christum conversas plus proficies.” Venit ergo ad Hungariam, et ab episcopo Mauro ecclesiae Quinqueecclesias susceptus cognito, quod esset vir totius sanctitatis et praedicator egregius, beato rege Stephano est commendatus. Ecce autem advenit festum assumptionis Mariae, quo coram rege et tota populi ac principum congregatione in civitate Albensi Regali sermonem fecit tam egregium, ut omnes mirarentur, et eum affectuose venerarentur. Beatus ergo Stephanus, rex Hungariae ipsum acceptavit, et filium suum, Emericum ipsi litteris et moribus imbuendum tradidit, quem multis temporibus instruxit. (C) Tandem Gerhardus mundum fugiens eremum Beel vocatum petiit, ubi cellam aedificans Deo servivit. Una die dum prae imaginatione dormitaret, venit cerva cum pullo suo, et coram eo se deposuerunt, ecce autem cervus fugiens lupum cum impetu irruit super eos. Unde cerva illa fugiens pullum dereliquit iuxta Gerhardum, qui pullus secutus est virum Dei, et amplius numquam eum reliquit. Alio tempore cum portaret sarcinam ante portam, lupam iacentem repperit, quam vulneratam conspiciens portam ei aperuit, et cum eo intravit, et se ante pedes eius prostravit, nec prius surrexit, quam sanitatem per sancti orationem susciperet. Ab illo die tam pullus cervae, quam lupa apud eum permanserunt, simul ad pasqua ibant, nec alter ab altero laedebatur aut molestabatur. Tandem beatus rex Stephanus cum paganis hostes debellasset, videns regnum quietum a proelio, revocavit servum Dei ab eremo. Et licet multum renitentem in episcopum ordinavit Chanadiensem. (D) Factus ergo episcopus dietim praedicans convertebat multos infideles et baptizabat, erat in vigiliis et oratione continuus, singulis quarta et sexta feriis modica utebatur aqua tantummodo, et in quadragesima quadraginta pauperes nutrebat praeter septem pauperes, quos assidue pascebat. Insuper ut corpus proprium atteret, et pietatis viscera exhiberet, fascis lignorum proprio dorso nocte afferens amore Dei ante fores pauperum deponebat, et sic illos sustentabat. Item ad Beatam Virginem Mariam summa afficiebatur devotione, adeo quod quicumque pro nomine matris Christi ab eo postulasset, mox perfusus lacrimis petitioni eius annuebat. Unde eius persuasu et arbitrio factum est, ut nomen matris Christi proprium in communi locutione ob reverentiam non exprimatur apud Hungaros, sed tantummodo 'beata domina' vel 'magna domina mundi' nuncupetur. Unde et Pannonia a beato Stephano rege appellata est familia et regnum Beatae Dominae. Et sic sanctus vir plenus bonis operibus et meritis usque finem perseveravit. (E) Praeterea vir iste sanctus prophetiae spiritu et miraculis clarus palmam martyrii promeruit a Domino. Nam cum beatus rex Stephanus quievisset in Christo, Petrus rex coronatus est in regnum Hungariae. Beatus autem Gerhardus die quadam ad capitulum, ubi fratres convenerant, intravit, et residens fecit sermonem de huius saeculi cursu caduco. Et tandem ait: „Sciatis – inquit –, quod in regno Hungariae gens solvetur a iugo Christianitatis, laborque meus et praedicatio despicietur.” Quod impletum est. Nam inter haec comes palatii regii, Aba nomine effugato de regno Petro rege coronam regni sibi usurpavit, quo regnante peccata accreverunt, et iuxta prophetiam sancti Gerhardi gens Hungarica a Christianitate est aversa. In die vero resurrectionis Domini misit Aba rex ad beatum episcopum, ut per manus eius corona regni capiti illius imponeretur, quod episcopus facere renuit. Convenientibus vero multis ad ecclesiam pro coronando rege, ascendit episcopus pulpitem, et coepit regem de crudelitate, quam exercuerat in magnates et honestissimos viros obiurgare. Et ait: „Ego pro Christo mori paratus sum. Ecce autem tibi ventura pronuncio, quod anno tertio futuro excitabitur in te gladius ultionis, qui auferet a te diademata et regnum fraude adquisitum.” Et hoc impletum est. Item eadem die fratribus cenantibus ait: „Die crastina ad cenam Agni vocamur, properemus et moriamur pro Christo, fratres.” Altera ergo die illucescente missam celebravit, et suis de mensa Christi communicavit, laetusque ad martyrium properavit, qui cum ad fluvium Danubii pervenisset, ecce magna populorum turba circumfunditur, et lapidibus impetitur, ipse vero signum crucis contra impetum lapidum opponebat, et Deo protegente non contingebatur. Tandem in plaustro ipsum de alto monte nimio impetu praecipitarunt, qui deiectus in terram positus genibus oravit dicens: „Domine, ne statuas illis hoc peccatum.” Et ecce lapide in cerebro percussus et lancea transfossus obdormivit in Domino. Corpus vero sancti martyris cum in loco scoenoso iaceret, nulla sorde inquinatum est, quod sequenti die catholici tollentes sepelierunt in Pestiensis ecclesia Beatae Mariae. (F) Post annos plures Maurus episcopus

Chanadiensis impetravit a rege Andrea eius corpus, et exhumatum repperit lucidum ut ebur miro odore fragrans, ad cuius tactum manus aridae mulieris mox sanatae sunt. Imposito autem corpore in currum duo equi astiterunt, qui nec comedentes, nec bibentes prae laetitia usque ad Marusium fluvium devexerunt, ubi navim aptantes nautae imposito corpore nulla vi a ripa illa valuerunt navim illam remove. Sed et unus conando manum casu interponens navi et lignis tres digitos illisos perdidit, et proiecto fuste blasphemare sanctum coepit. Tunc fertur audita vox dicens: „Nisi venerit Maurus, non ibo.” Quo tandem adveniente ut navim intravit, illa sine remige caelesti impulsu corpus transportavit, quod feretro imponentes honorifice deportarunt ad ecclesiam, ubi vivens sepulturam sibi elegerat. Tunc nauta praefatus accurrit poenitens, et amissos digitos per sancti viri merita recuperavit, ubi et innumera miracula coruscare coeperunt ad laudem Domini Iesu Christi.

---

1 Vide PA 109: De evangelistis vel apostolis vel PA 110: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 111: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 112: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 113: De confessoribus pontificibus communis sermo vel PA 114: De confessoribus pontificibus communis sermo.

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXVI.] De sancto Michael e et angelis Sermo I. cum legenda *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Matth. XVIII. 1 et in evangelio hodierno. (A) Verba sunt domini Iesu, quibus insinuat, quanta charitate nostram salutem desiderant, quia beatos angelos nobis dedit in ministerium ad salutem aeternam acquirendam. Unde Apostolus Heb. I.: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.* 2 Hinc Hieronymus in homilia hodierna dicit: *Quantam gratiam circa unumquemque credentem in se dominus habeat, ipse declarat cum angelos eorum semper videre faciem Patris, qui in caelis est, ostendit.* Et infra: *Neque enim posset tuta esse humana infirmitas inter tot et tantas hostis insidias, nisi sanctorum angelorum muniretur auxilio.* Haec Hieronymus. Unde, carissimi, gratias agamus Deo pro tali praesidio charitatis divinae, quia dedit nobis angelos beatos, qui semper vident faciem Dei Patris, ne per daemones seducamur et pereamus, sed per angelos dirigamur ad eorum beatitudinem et tuti simus. Dicit ergo Christus confortativum et dulce nobis verbum: *Angeli – inquit – eorum, id est hominum semper vident etc.* Iuxta quae verba tria mysteria notabimus de angelis pro hoc sermone, secundum quod de his tribus commendantur in verbis ipsis. · Primo de naturali nobilitate, quia dicit, quod *angeli* · Secundo de officiali dignitate, quia addit: *eorum, id est hominum* · Tertio de supernali felicitate, quia *semper vident faciem Dei* (B) Circa primum de nobilitate angelicae naturae inquirendum est: Quali nobilitate condidit Deus angelos in sua creatione? Nimirum hoc contemplari est utile homini, ut advertat, qualiter ad eorum societatem possit pervenire in caelum. Nam si eos imitando in praesenti vita fuerimus assimilati, in patria erimus eis associati. Matt. XXII.: *Erunt sicut angeli Dei in caelo.* 3 Si autem in praesenti daemones imitamur, et eis assimilamur per malitiam, in eorum societatem perpetuo puniendi deputabimur a Christo. Matt. XXV.: *Ite maledicti in igne aeterno, qui paratus est diabolo etc.* 4 Ad quaestionem ergo respondendo notandum est secundum doctores, quod Deus bonos creavit angelos praecipue in quintuplici excellentia nobilitatis, quibus debemus imitari. · Prima est speciositas · Secunda est potestas · Tertia est intellectualitas · Quarta est recta voluntas · Quinta est immortalitas Prima est speciositas. Unde Dionysius IV. De divinis nominibus dicit, quod *angelus est lumen clarum et speculum purissimum suscipiens totam pulchritudinem Deiformitatis et munde resplendere faciens in se ipso quemadmodum est possibile.* Haec ille. Ideo Franciscus de Mayronis: *Unde hoc est, quod omnia nomina angelorum terminantur in 'el', respondetur, quod idcirco, ut significetur beatifica unio angeli cum Deo. 'El' enim Hebraice Deum significat.* Item secundum Anselmum: *Si unus angelus staret visibiliter inter stellas in caelo, etiam si essent tot soles, quot sunt stellae, omnes illos offuscaret sua claritate, si visibilis foret.* Item Augustinus in De civitate Dei li. XI. dicit, quod *angelica natura omnem creaturam dignitate naturae praecedit.* Sed quomodo in hoc imitemur angelos, docet Anselmus li. Cur Deus homo c. XIX. et li. similitudinum, quod *omnes, qui iuste vivunt, angeli Dei dicuntur. Nam tales imaginem Dei in sua anima munde a peccatis et pulcherrime custodiunt, et divinae assimilationis ac Deiformis pulchritudinis gratiam habent. Sicut enim carbo ignitus pulcherrimo splendore lucet igneo, extinctus autem efficitur niger et turpis, sic anima divino amore ignita splendet divinae scilicet lucis participatione ut angelus, sed peccato extincta deformis est ut daemon.* (C) Sed quaeritur, utrum daemones habeant naturalem aliquam pulchritudinem, in qua creati sunt a Deo in principio. Ad hoc respondet Dionysius et Isidorus concorditer, quod *licet nobilitas formosa a principio sit angelis concreata omnibus, tamen in malis, postquam ruerunt, per habitus viciosos fuit obnubilata et depressa ac offuscata, sicut si sol colore nigro esset detectus vel obscura nube.* Huius etiam exemplum accipe in dracone, qui secundum candorem suae pellis apparet quodammodo splendens, sed venenato splendore horrorem intuentibus et timorem ingerit. Sic daemon animae propter venenum peccati adeo horrendus est, quod non possit eum homo sustinere, sed moreretur ad aspectum eius per moram, videlicet quamdiu diceretur unum Pater noster, sicut beatus fertur dixisse Franciscus. Unde Iob XX.: *Venient super eum, id est peccatorem horribiles,* 5 id est daemones. Secunda nobilitas angeli dicitur potestatis. Nam Deus creavit angelos, ut essent mirae potestatis et fortitudinis, quod claret primo ex operatione veloci. Nam in ictu oculi statim assunt, ubicumque Deus voluerit, et eius voluntatem perficiunt in momento. Ps.: *Qui ambulat super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus,* et cetera. 6 Isidorus VII. Etymologiarum et Dionysius in Caelesti hierarchia dicunt, quod *angeli significantur ibi per ventos propter velocitatem eorum, propter quod et pictores angelis pennas faciunt, ut celerem eorum discursum significant.* Haec Isidorus. Hinc etiam Damascenus li. II.: *Fortes sunt angeli et parati ad voluntatem Dei explendum et ibi confestim inveniuntur, ubi iusserit divinus nutus.* Secundo est motione caeli, quia ut communiter tenent philosophi, et theologi non contradicunt: *Angeli habent movere caelum et singulas sphaeras*



*singulae angelicae intelligentiae movent continue usque ad diem iudicii, quando cessabit motus caeli* secundum theologos. Et ecce pro motibus istis videmus, quod faciunt frondescere arbores, germinare terrae nascentia cuncta, pluvias irrigare et rores stillare. Nam II. De generatione dicitur, *motus solis in obliquo circulo* (sic et aliorum planetarum) *est causa generationis et corruptionis in istis inferioribus*. Unde patet, quod unus angelus totam terram posset movere, si vellet. Tertio fortitudo et potestas angeli mira patuit in occisione populi multi, ut patuit in submersione Pharaonis et occisione primogenitorum cunctorum in Aegypto in una nocte. Item in percussione centum octoginta quinque milium in exercitu Sennacherib, et subito per angelum unum, Isa. XXXVII. 7 et sic de multis etc. Ex quibus claret, quod mira est potestas angeli. Ideo Ps.: *Benedicite Dominum, omnes angeli eius, potentes virtute facientes verbum illius*. 8 Sed quomodo in hoc possis tu, homo, imitari angelos? Respondetur, quod in fortiter resistendo temptationibus diabolicis. Sic enim superamus fortissimum, scilicet daemonem, et conformabimur angelis beatis associandi in locum, quem diabolus perdidit. Unde Origenes et Hieronymus super Iosue homilia I. dicit: *Si Luciferum vincere potuero, consequenter locum eius accipere merebor in caelo*. Tertia nobilitas intellectualitatis. Non enim indiget angelus ratiocinatione vel collatione, sicut homo, sed secundum Augustinum *simplici contuitu res cognoscit*. Unde Dionysius li. Caelestis hierarchiae dicit: *Simplicibus et immediatis splendoribus illuminantur et divino nutrimento adimplentur*. Denique ut Gregorius Moraliu li. II.: *Angeli numquam a divina visione foras sic exeunt, ut internae contemplationis gaudiis priventur, quod Deum ubique potentem cernunt. Sic et nos debemus omnia ad salutem necessaria intelligere vel discere, et semper Deum ante oculos habere per fidem et rectam intentionem*, Apostolus I. ad Cor. X.: *Sive comedatis, vel bibatis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. 9 (D) Quaeritur hic: Utrum angeli mox ut creati sunt, perfecti in scientia fuerunt, et an Deum viderunt, an etiam mali suum casum et boni sua praemia praeviderunt? Ad haec breviter secundum doctores nostros super II. dist. IV., et praecipue Franciscum de Mayronis respondetur per plures veritates. Prima est, quod angeli non sunt creati in beatitudine visionis divinae. Nam scribitur Ioh. VIII., quod ille, scilicet *diabolus ab initio non stetit in veritate*. 10 Sed beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ergo status in veritate, et per consequens Lucifer non fuit in creatione perfecte beatus. Sed beatitudo consistit in visione divina, Ioh. XVII.: *Haec est vita aeterna ut eo* etc. 11 Item dicit Bernardus, quod *visio divinitatis est tantae dulcedinis, quod numquam potest non amari vel contemni. Si ergo vidissent, averti, scilicet ab ea, non potuissent, ergo Deum essentialiter non viderunt*. Secunda veritas, quod angeli sciverunt se a Deo creatos ex nihilo, et quid esset appetendum, scilicet subesse et oboedire Deo, aut quid fugiendum. Unde Gregorius in Moralibus dicit: *Mire omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, ut qui permanere nollent, ruerent, et qui in conditione persisterent, tanto in ea iam dignius, quanto ex arbitrio starent, et sic apud Deum maioris meriti fierent*. Si autem petas, quomodo ista cognoverunt, respondetur secundum Bonaventuram, quod *lumine naturali a Deo dato, sicut datur aliquibus hominibus naturaliter sapientia cognitionis mundanae vel etiam aliquorum divinorum*. Tertia veritas, quod in principio creationis nec boni suam conversionem et confirmationem beatitudinis, nec mali suum casum praescire potuerunt. Ratio secundum Bonaventuram, quia ipsi fuerunt in statu meriti, stabilis autem beatitudinis cognitio pertinet ad statum praemii. In cuius signum Deus aut paucissimis aut nullis sanctis et amicis in hoc mundo revelat ipsos certitudinaliter esse glorificandos, quia haec cognitio potius est ad gaudendum expediens, quam ad merendum. Et sic patet per hoc, quod boni nescierunt antea, quod essent glorificandi. Item nec mali sciverunt se casuros. Ratio, quia hoc erat contingens et ideo certitudinaliter sciri non potuit, nisi a Deo, cuius solius est talis cognitio, eo quod ex re non dependet. *Non ergo potuit angelus praescire, nisi a Deo revelante. Deus autem hoc sibi revelare potentia ordinata non potuit, eo quod talis praecognitio de necessitate habet annexam culpam aut miseriam. Nam aut tali placeret, quod laberetur, et ita esset mox impius et peccator stultissimus, aut displiceret et doleret se lapsurum, et sic esset miser. Utrumque Deo est impossibile et inordinatum, sive innocenti infligere poenam miseriae, sive innocentem, dum est innocens, habere culpam*. Haec est ratio Anselmi et Magistri. (E) Sed obicitur, quia Bernardus li. de gradibus humilitatis expresse dicit, quod *Lucifer praevidebat suum principatum et superavit*. Respondet Bonaventura ubi supra, quod de hoc Bernardus miratur et solvit, quod *ita potuit esse, sicut de Ioseph, qui praevidebat suum principatum, sed non suam venditionem. Et sic patet, quod tanta est Dei bonitas, quod non potest certitudinaliter revelare homini suum casum et damnationem futuram, quia hoc cogeret hominem desperare. Sed Deus bonus neminem innocentem potest cogere ad desperationem, quia non potest cogere ad peccatum*. Haec Bonaventura. Si dicas, tamen praedixit Christus Petro suam negationem et sic casum, et Iudae suam damnationem dicens: *Vae illi, per quem tradar ego, melius erat illi, si natus non fuit*. 12 Respondetur secundum Bonaventuram, quod *aliud est revelare certitudinali cognitione, et aliud est praedicere, quia revelare non potest, ut dictum est, sed praedicere potest comminans, ut scilicet ille se observet et caveat, sicut fecit et Ninivitis. Sed tales praedictiones tenent conditionaliter, et non absolute vel simpliciter, quia homo potest per liberum arbitrium sibi cavere*. Quarta nobilitas rectae voluntatis, quia boni angeli mox ut sunt ad Deum conversi, sunt confirmati in bono, nec possunt velle nisi bonum. Sic econtrario mali sunt obstinati in malo per aversionem a Deo, ut dicit Magister in II. dist. V. Unde secundum Alexandrum de Hales: *Haec est differentia inter liberum arbitrium angeli et hominis, quia homo semper potest mutari et velle sive bonum, sive malum, quamdiu vivit in corpore, sed postquam separata fuerit anima, non potest de statu suo mutari. Unde nec potest poenitere de malis, quae gessit in corpore, nisi in poenitentia decesserit. Angelus autem mutabiliter se habet ante electionem, quia potest, (sicut et in principio creationis poterat), eligere hoc vel illud, id est bonum vel malum. Sed post electionem habet se immutabiliter, quia quidquid elegerit, non potest amplius illud sibi displicere. Et ideo angelus bonus non potest cadere a bono Deo, quem elegit, nec diabolus potest poenitere*. Nos ergo, carissimi, imitemur nunc bonos in eligendo bonum et detestando vitium, quia post mortem non erit tempus poenitentiae. Damascenus: *Hoc facit hominibus mors, quod fecit daemonibus casus*. Quinta nobilitas immortalitatis. Damascenus li. II. c. III.: *Immortalis est angelus non natura, sed gratia, omne enim, quod incipit, et finitur secundum naturam, scilicet propriam*. Unde angelus a Deo habet, quod sit immortalis, sicut et anima humana. In hoc imitemur ergo angelos, ut in gratia Dei perseveremus, et numquam peccemus mortaliter. Nam

scribitur Mat. XXIV.: *Qui perseveraverit usque in finem, scilicet in bono, hic salvus erit*, 13 scilicet cum angelis sociandus. (F) Circa secundum principale de officio angelorum erga homines quaeritur, qualia officia habeat angelus circa homines exercere. Respondetur, quod praecipue quinque, propter quae merito et digne sunt a nobis honorandi, et haec patent ex Scripturis: · Primum officium custodiendi, scilicet cunctos · Secundum officium assistendi quoad devotos · Tertium officium puniendi malos · Quartum officium interpellandi propter electos · Quintum officium portandi, scilicet in caelos Primum officium angelorum erga homines est custodiendi cunctos. Iuxta illud Ps. I.: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. 14 Quaeritur: Cur Deus voluit non per se, sed per angelos custodire homines, cum enim ipse Deus sit sufficiens ad custodiendum omnes creaturas, mirum est, quare mediantibus angelis voluit hoc expleri? Respondetur, quod Deus ex sua mira sapientia hanc legem providit, ut inferiora a superioribus in universo gubernentur, prout haec tenent doctores, et ideo voluit pro tali lege angelos praesidere hominibus. Primo propter utilitatem angelorum, quia quotquot homines ipsi per sua ministeria convertere poterunt, pro tot in eis gaudia accidentaliter cumulantur. Lu. XV.: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore poenitentiam* etc. 15 Secundo propter indigentiam hominum, quia secundum doctores communiter: *Quilibet homo habet angelum malum pro exercitatione, qui conatur eum ad peccatum pertrahere et perdere, et ideo providet Deus, ut ad coercendum hostem et salvandum animas quilibet homo habeat angelum custodem. Et licet omnes daemones laborent ad impugnandum, specialius tamen ille deputatus. Sic et omnes angeli nos custodiunt, sed specialius ille assignatus*. Haec Franciscus de Mayronis. Tertio propter reparationem ruinarum angelicarum, ut ex hominibus repararetur ruina angelorum ministerio. Unde Leo papa de consecratione dist. I. c. „Hi duo” dicit, quod *hi duo hymni ab angelis sunt decantati in Novo Testamento, scilicet Gloria in excelsis Deo et Alleluia, idcirco quia per Christum eorum ruina est reparata*. Bernardus: *O quanta Dei pietas, ut nos vermiculi in numero angelorum computemur*. (G) Secundum officium assistendi. Nam quaero, qualibus hominibus libenter assistunt et associantur angeli. Ad quod respondetur, quod omnibus Deum orantibus et laudantibus. Ps.: *In conspectu angelorum psallam tibi*. 16 Unde Glossa I. Cor. XI. dicit: *Angelici spiritus nobis adesse credendi sunt maxime, cum divinis mancipamur obsequiis, puta scilicet lacrimando de peccatis et confitendo et elemosynas ac misericordiae opera vel ieiunia faciendo similiter in adversis*. Sequitur: *Cum ecclesiam ingredimur vel sacris lectionibus scilicet vel praedicationibus aurem accommodamus vel psalmodiae vel orationibus incumbimus vel missarum sollempnia celebramus*. Haec ibi. Tertium officium puniendi malos. Iuxta illud Ps.: *Fiant viae eorum*, id est peccatorum *tenebrae et lubricum et angelus* – inquit – *Domini persequens eos*. 17 Sed quaeritur: Quales homines angeli acrius et specialius persequuntur et puniuntur? Respondetur ex Scriptura, quod primo quidem luxuriosos, ut patet de Sodomitis Gen. XXX. Secundo blasphemos, ut patet de Sennacherib, Esa. XXXVII. 18 Tertio oppressores pauperum et fidelium, ut patet de Pharaone in mari submerso, Exo. XV. 19 Quarto superbos et vanigloriosos, ut patet de David numerante populum, II. Re. ultimo. 20 Quartum officium interpellandi propter electos. Unde Iob XXXIII.: *Si fuerit pro eo angelus loquens* (Lyra: id est poenitentiam peccatorum proponens) *unus de milibus, id est angelis multis, miserebitur Deus et dicet, libera eum, ut non descendat in corruptionem*. 21 Et sic angelus est executor divinae misericordiae, cuius erat allegator. Haec secundum Lyram. Unde Bernardus in epistolis: *O si haberet quis oculos apertos, videret procul dubio quemadmodum angelus discurrit medius inter dilectum et dilectam vota offerens, referens dona, excitat istam, placat illum, scilicet Deum*. Haec ille. Hinc exemplum capere possumus, quod angelus Raphael dixit, Tob. XII.: *Quando orabas tu et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam coram Domino*. 22 Quintum officium portandi in caelos. Iuxta illud Lu. XVI.: *Mortuus est Lazarus et portatus est ab angelis in sinum Abrahae*. 23 Nam ut Bonaventura et Richardus super IV. dist. XX. dicunt, *concedendum est, quod angeli boni et mali assistant morientibus, boni ad adiuvandum, mali ad nocendum, si possunt. Et boni perducunt animam, si est bona, vel in caelum vel prius in Purgatorium, et tandem, cum fuerit plene purgata, in caelum. Mali autem malas rapiunt in Infernum. O ergo homo, quid dormitas, cur poenitentiam non agis? O Christiane, si vis, ut tibi angeli subveniant, honora eos*. (H) Circa tertium de felicitate angelorum pro conclusione sufficiat breviter, quod angeli beati sicut in caelis semper vident faciem deitatis, sic et in Ecclesia dignis celebrantur festis ad congaudendum ipsis tamquam futuris concivibus nostris. Qualiter autem huius festi hodierni celebritas exorta sit, legitur legenda, quod in Apulia est mons quidam nomine Garganus iuxta civitatem, quae dicitur Sipontus. Anno autem Domini CCCXC. in urbe dicta Siponto vir quidam nomine Garganus pecorum multitudine pollebat. Contigit autem quendam taurum consortia gregis relinquere et verticem montis conscendere, quem dominus requirens per devia tandem invenit in vertice montis iuxta ostium cuiusdam speluncae stantem. Permotus itaque vir sagittam in ipsum direxit, sed statim velut a vento retorta ipsum, qui iecerat, repercutit. Turbati famuli et cives civitatis super hoc episcopum requirunt, qui ieiunium eis indixit, et a Deo quaerendum admonuit. Tunc sanctus Michael episcopo apparuit dicens: „Ego sum Michael archangelus, qui locum hunc in terris mihi statuens hoc volui indicio probari.” Sic ergo ibi ecclesiam suo nomini dedicatam, in qua honoraretur, constructam asseruit, quae toto orbe habetur famosa, ubi populus coepit orare prae foribus non audens intrare. Postea Neapolitae adhuc gentiles contra Sipontanos et Beneventanos ordinato exercitu suo bellare coeperunt, qui de episcopi consilio patronum suum, videlicet sanctum Michaelem in auxilium implorarunt. Ecce autem sanctus Michael episcopo apparuit dicens preces exauditas et hostibus occurrendum. Quibus occurrentibus mons Garganus ille immenso tremore concutitur, fulgura volant et igneae sagittae multos perimunt adversariorum. Reliqui vero errore idolatriae relicto Christianae fidei continuo colla submiserunt. Tunc Sipontani magnifica potiti victoria coeperunt dubitare, utrum praedictum locum ingredi et dedicare deberent. Episcopus autem consuluit papam Pelagium, qui super hoc voluntatem sancti Michaelis requirendam monuit. Unde papa et episcopo ac civibus instantibus ieiunio et orationi Michael apparuit episcopo dicens: „Non est opus dedicare ecclesiam, quam ego aedificavi et Deus dedicavit.” Praecepitque, ut die sequenti cum populo ingrediens ipsum ibi precibus frequentarent, tunc ingredientes criptam magnam et tria altaria in ea invenerunt, et altare maius rubeo pallio circumtectum viderunt. Celebratisque ibidem missarum sollempniis, cum singuli communicassent, ad propria cum gaudio redierunt. Episcopus autem ibidem sacerdotes et clericos delegavit, qui iugiter divinum

officium celebrarent. Ibi aqua lucida et dulcis emanat, qua post communionem populus potatur et diversae aegritudines sanantur. Tunc his auditis summus pontifex hunc diem in honorem sancti Michaelis et omnium beatorum spirituum per totum orbem statuit celebrandum. O ergo carissimi, honoremus sanctos angelos, ut ipsi nobis subveniant et impetrent a Christo gratiam in praesenti et gloriam in futuro.

---

1 Mt 18,10 2 Hbr 1,14 3 Mt 22,30 4 Mt 25,41 5 Iob 20,25 6 Ps 103,3 7 Is 37,36 8 Ps 102,20 9 I Cor 10,31  
10 Ioh 8,44 11 Ioh 17,3 12 Cf. Mt 26,24; Mc 14,21 13 Mt 24,13 14 Ps 90, 11 15 Lc 15,7 16 Ps 137, 1 17 Ps  
34, 6 18 Is 37,17 19 Ex 15,19 20 II Rg 24, 1 21 Iob 33,23–24 22 Tb 12,12 23 Lc 16,22

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXVII.] De angelis sermo II., scilicet de custodia angelica *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Ps. XC. 1 (A) Super istis verbis Bernardus in sermone Quadragesimae dicit sic: *Magna dilectio charitatis et mira dignatio, quis, quibus, de quo et quid mandavit. Si quidem Deus mandavit, et angelis suis mandavit, et de te homine mandavit, et ut custodiant te in omnibus viis tuis mandavit, quantam reverentiam debet tibi hoc verbum inferre, afferre devotionem, offerre fiduciam, reverentiam pro poenitentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. In quovis ergo diversorio, in quovis angulo reverentiam exhibe angelo tuo, nec audeas illo praesente, quod me praesente non aures.* Haec Bernardus. Quoniam autem hodie agitur festum omnium angelorum custodum, et mei et tui et aliorum cunctorum atque assistentium Deo spirituum beatorum, ideo ad ipsorum honorem haec verba convenienter assumuntur. Iuxta quae tria mysteria notabimus pro hoc sermone: · Primum de huius custodiae indigentia · Secundum de huius custodiae diligentia · Tertium de huius custodiae efficacia (B) Circa primum mysterium de indigentia custodiae angelicae accipiamus pro conclusione, quod angelica custodia est homini necessaria pro quintuplici eius statu. · Primo nato in utero · Secundo egresso ex utero · Tertio viventi in mundo · Quarto exeunti de mundo · Quinto post mortem pro conducendo Primo, inquam, nato in utero materno, ne scilicet a diabolo suffocetur et abortivus fiat, ac per consequens visione divina perpetuo privetur, eo quod in peccato decessit, videlicet originali, de quo Ps.: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum etc.* 2 Queritur hoc: Quando incipit angelica custodia circa hominem? Respondetur secundum Magistrum in II. dist. XI. c. I., quod in exordio suae nativitatis. Et hoc probat per illud dictum Hieronymi dicentis in homilia: *Magna – inquit – dignitas animarum, ut unaquaeque ab ortu nativitatis habeat angelum in custodiam sui deputatum.* Gregorius quidem dicit, quod *unusquisque unum bonum angelum sibi ad custodiam deputatum et unum malum ad exercitium habet.* Haec Magister. Sed Bonaventura dicit haec intelligenda de nativitate in utero, scilicet quod tunc deputatur angelus homini, hoc est in animatione, cum spiritus rationalis infunditur, quia ista custodia principaliter respicit spiritum, quam corpus. Et ideo ex tunc speciale debet habere angeli custodiam et non antea. Aliqui autem, ut Rainerius dicunt, quod puer, quamdiu est in ipso utero materno, est quodammodo aliquid matris, nec est a matre tunc totaliter separatus, sicut fructus pendens in arbore. Et ideo probabiliter dicitur, quod idem angelus, qui est custos matris, custodit prolem in utero. Sed in nativitate sibi specialis angelus deputatur, et hoc utrum est intelligendo de prima nativitate, scilicet cum anima in utero infunditur, ut dictum est secundum Bonaventuram. Sed ante animationem bene concedendum est, quod ab angelo matris proles sicut fructus custodiatur, ut dicit Rainerius. Secundo ergo necessaria est angelica custodia homini egresso ex utero, ne scilicet a baptismo impediatur et periclitetur. Tertio quoque viventi in mundo, ne scilicet ad multa peccata pertrahatur, sed angelo dirigente possit de eo dici illud Ps.: *Super aspidem et basiliscum ambulat, et conculcas leonem et draconem.* 3 (C) Nam homo debet spiritualiter vincere has bestias, ad quod indiget adiutorio angelico. Primo quidem per aspidem significatur avaritia, quia avarus sicut aspis aurem in terram figit, ne incantatorem audiat. Sic avarus cor fixit in terra, ne audiat praedikatorem vel Deum monentem. Secundo per basiliscum, qui visum habet venenativum, significatur luxuria, quae visu concupiscentiam inflamat. Tertio per leonem significatur superbia, quia leo regem se animalium fore superbit. Quarto per draconem, qui dentibus mordet, et cauda stringit, significatur detractio et in peccatis consuetudo, per quam homo a diabolo constringitur, ne se possit inde expedire. Unde propter haec necessaria est homini in tota vita angelica custodia. Quarto necessaria est exeunti, scilicet per mortem de mundo, quia diabolus multum nititur in mortis tempore animam decipere et rapere. Iuxta illud Gen. III.: *Tu insidiaberis calcaneo eius,* 4 id est fini vitae hominis. Unde Isidorus De summo bono dicit, quod *diabolus quanto breve tempus videt restare, tanto acrius nititur temptare.* Et ideo necessaria est homini tunc angelica custodia, quae confortet hominem, ne laqueis diaboli capiatur. Item homo in morte debet rationem Deo reddere de omnibus factis suis, et ideo indiget angelo, qui bona opera hominis alleget contra instantiam diaboli. Unde Augustinus dicit: *Dicturus est tunc diabolus: „Aequissime iudex, iudica hunc meum esse per culpam, qui tuus noluit esse per gratiam, tuus ob passionem, meus ob suasionem, tibi inoboediens, mihi oboediens. Iudica ergo hunc esse mecum damnandum.”* Haec Augustinus. Sed angelus tunc allegabit hominis iusticiam. Iob XXXIII.: *Si fuerit pro eo tunc angelus loquens, ut annunciet hominis aequitatem, miserebitur Deus.* 5 Quinto quoque necessaria est angelica custodia homini post mortem pro conducendo, scilicet per viam, qua debet ire. Nam post mortem tres sunt viae. Una, quae ducit ad Infernum. Secunda, quae ducit ad Purgatorium. Tertia, quae ducit ad caelum. A prima via angelus custodit, ne diabolus illuc rapiat. Ps.: *Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium,* 6 id est daemonum. In secunda via angelus ducit animam in Purgatorium purgandam, et postmodum purgatam educit in caelum. In tertia via introducit directe in caelum. Nam secundum quod tenet Bonaventura et doctores, *malos mali angeli tamquam tortores deportant in Infernum.* Iuxta illud Matth. XVIII.: *Iratu Dominus tradidit eum tortoribus,* id est daemonibus, *quoadusque redderet universum debitum.* 7 Remigius: id est *in aeternum, quia semper solvet in poenis et numquam persolvat.* Et *denique bonos boni angeli perducunt in caelum vel in Purgatorium.* Iuxta illud Lucas XVI.: *Mortuus est Lazarus*



et portatus est ab angelis, etc. 8 (D) Quaeri possunt hic aliqua. Primo utrum homini in statu innocentiae in Paradiso manenti debuit angelus ad custodiam deputari? Respondetur secundum Bonaventuram super II. dist. XI., quod sic, licet enim magis nunc indigeat homo, quam pro illo statu innocentiae, tamen et tunc indigebat. Ratio, quia Deus est pronior ad miserandum, quam ad condemnandum. Et quia in statu innocentiae habuit homo angelum malum temptantem et etiam filii eius, si permansissent primi parentes in Paradiso. Secundum Scotum fuissent temptati prima temptatione atque illa victa fuissent confirmati. Quoniam autem adversarius noster diabolus etiam homine instituto erat fortior et astutior, hominem ergo potuit decipere, ut et rei probavit eventus. Ideo indigebat homo etiam pro tunc angelica custodia. (E) Secundo quaeritur, utrum aliquis angelus fuerit ad Christi custodiam deputatus. Cum enim habuit angelum temptantem, quare non habuit custodem angelum? Nam et ipse eius temptator dixit de eo: „*Scriptum est*” – infra per Ps.: *Quia angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, 9 ergo etc. Ad haec respondetur secundum Bonaventuram super II. dist. XI., quod *Christus malum angelum temptantem quidem habuit tantummodo ab extra, non ab intra. Nec hoc fuit ad ipsius probationem, sed ad nostram instructionem, et adversarii confutationem, ut per Christum vinceretur diabolus, qui vicerat primum hominem*. Item quod de Christo dixit illam Scripturam: *Angelis suis Deus mandavit de te* etc. Hoc vel non intellexit, vel forte mendaciter exposuit, dum Christo attribuit ratione sui, quod de membris fuit scriptum, ut dicit Augustinus: *Unde dicendum est – inquit –, quod Christo non est datus angelus ad custodiam. Tum quia Christus non indigebat, qui nullo modo seduci vel opprimi poterat, nec in corde laedi contra suam voluntatem aut permissionem. Tum quia non competebat, quia angelica custodia in custoditum dicit quandam praesidentiam, et quia angeli Christo non praesidebant, sed suberant. Ideo non debuit sibi custos angelus, sed multi angeli ad ministrandum ei tamquam domino debuerunt deputari*. Haec Bonaventura. O ergo homo, perpende, quam misericorditer Deus tecum agit custodes dans, ne pereas. (F) Circa secundum principale de diligentia maxima, qua angelus custodit homines pro conclusione accipiamus, quod maximae charitatis ferventia claret in custodia angelica ex quintuplici circumstantia: · Primo ex multitudine, scilicet custodientium · Secundo ex ingratitudine, scilicet custoditorum · Tertio ex promptitudine, scilicet praesidiorum · Quarto ex sollicitudine, scilicet superiorum · Quinto ex amplitudine, scilicet gaudiorum Primo inquam ex multitudine, quia omnes angeli intendunt nostrae salutis ministerio et custodiae. Quaeritur namque: Utrum omnes angeli mittantur ad procurandam hominum salutem? Apostolus Heb. I. dicit: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*. 10 Sed contra hoc est verbum Dionysii li. De angelica hierarchia dicentis: *Superna illa agmina ab infimis numquam recedunt, quoniam ea, quae prae eminent, usum exterioris officii numquam habent*. Haec ille. Ad haec respondet Bonaventura super II. dist. X., quod missio est duplex. Una exterior, quae est ad nos et sic non competit omnibus angelis, ut Dionysii verba praedicta sonant. Sed hoc modo, scilicet ut de caelo veniant angeli ad terram, pertinet ad inferiores communiter loquendo et ex officio eorum. Dico communiter, quia pro aliquo arduo negotio mittitur quandoque et raro etiam aliquis de superioribus. Iuxta illud Isa. VI.: *Volavit ad me unus de Seraphim* etc. 11 Ut plerique tenent doctores, alia est missio interior, quae est ad angelos propter nos. Et sic omnes mittuntur, quia superiores mittuntur ad medios et medii ad infimos revelando, scilicet divina secreta quoad ea, quae nobis expediunt. Et hoc totum propter nos, sicut supra ait Apostolus. Et sic patet, quod maxima est charitas in angelis erga nos, quae facit eos omnes sollicitari circa nostram salutem et nos adiuvere vel mediate, vel immediate. Sive in ministrandis revelationibus, sive in offerendis nostris orationibus, dum simul omnes apud Deum pro nobis interpellant et orationes nostras suis igneis affectionibus Deo acceptas faciunt, sicut advocati decoris orationibus aliorum causam defendunt et ornant ac procurant sic auxilium. Haec ex Bonaventura. Secundo ex ingratitudine custoditorum, id est hominum claret magna diligentia angelorum, quia non solum erga bonos et iustos, sed etiam erga infideles et in peccatis obstinatos ac Dei inimicos diligentem custodiam exhibent, nec propter eorum ingratitudinem eos deserunt. (G) Quaeritur ergo: Utrum angelus subtrahat custodiae beneficium ab homine propter suam obstinationem? Respondet Bonaventura super II. dist. XI. ar. II. q. I., quod *bonus angelus numquam deserit peccatores, etiam obstinatos, quin semper retrahat, ne labantur in peius, et quin defendat ab adversario, quia non patitur ipsos a daemone opprimi vel occidi, nisi forte hoc sententia divini iudicii exigeret*. Ratio, quia angeli boni ex charitate sunt proniores ad adiuvandum hominem, quam sint mali ad praecipitandum vel infestandum. Sed mali numquam cessant ab infestando etiam sanctissimos homines usque ad mortem. Nam ut dicit Glossa Thob. VI. etiam *ipsum Christum Dominum diabolus insecutus est usque ad crucem, ergo nec angelus bonus desistit custodire hominem usque ad mortem*. Item quia Augustinus XXIV. q. III. „*Corripiantur*” dicit, quod *de nemine desperandum est ante finem vitae huius, ergo quantumcumque sit aliquis obstinatus, non est de eo desperandum. Sed medicus non dimittit hominem, de quo non desperat, ergo nec angelus peccatorem quantumcumque obstinatum*. Sed diceres: Tamen Ierem. li. scribitur: *Curavimus Babylonem et non est curata. Derelinquamus ergo eam*. 12 Ibi Glossa dicit, quod haec verba sunt angelorum, quos tamquam medicos a nobis repellimus, dum eorum consilio non adquiescimus. Item quod de Antichristo, de quo Damascenus dicit, quod *Antichristus, postquam fuerit obstinatus, carebit angelorum praesidio*. Ad hoc respondet Bonaventura ibidem, quod *in his auctoritatibus et similibus intelligendum est sic, quod dicitur angelus abesse vel recedere non ita, quod non defendat ab adversario, et non retrahat a peiori malo, quia hoc modo nec Antichristum deseret, sed quia non perducit ad bonum, eo quod ille non oboedit illi, immo contra eius monita faciem obfirmabit. Pro tanto ergo dicitur abesse vel recedere angelus, scilicet quantum ad effectum custodiae, qui est in promovendo ad bonum, et sic non derelinquit similiter*. O ergo mira Dei benignitas, o magna angelorum dilectio ad nos. Tertio et promptitudine, scilicet praesidiorum continua. Unde Bernardus: *In omni loco angelus sedulus pedissequa est animae*. Item Augustinus li. Soliloquiorum c. XXIX. dicit: *Magna cura et vigilantissimo studio assunt nobis angeli omnibus horis et locis succurrentes necessitatibus nostris et sollicitate discurrentes inter nos et Deum nobisque providentes*. Haec ille. (H) Sed quaeritur: Quomodo angeli dicuntur nobiscum semper adesse, quoniam ut Damascenus dicit: *Angeli cum sunt hic in terris, non sunt pro tunc in caelo*. Numquid ergo angeli vadunt quandoque in caelum? Respondetur secundum Alexandrum de Hales II. parte Summae q. XL. ar. V., quod *angelus licet interdum*

relinquat hominem loco, quo vadit in caelum vel alias, non tamen relinquit quoad custodiae effectum, quia existens in caelo vel alibi cognoscit semper et continue, quid circa hominem agatur. Nec indiget mora temporis quoad motum localem, quia statim potest adesse et promptissime adest. Quarto ex sollicitudine, scilicet superiorum, quia non solum singuli inferiores angeli de singulis hominibus sunt solliciti, ut salventur, sed insuper etiam superiores, ut Archangeli et Principatus universaliter custodiunt populum et solliciti sunt de provinciis per superiores et rectores homines gubernandis salvifice et legibus iustis. Unde sicut quilibet homo habet specialem angelum deputatum, ita et quaelibet provincia, civitas, oppidum et cetera, earumque rectores et principes habent speciales angelos superiores, qui habent dirigere in regimine et procurare bona provinciae. Secundum quod dicunt doctores super illud Danielis X.: *Princeps regni Persarum restitit mihi* etc. 13 (I) Quaeritur hic, quid de eo, qui ex statu inferiori vel plebeio sublimatur in regem vel principem aut in praelatum ecclesiasticum, puta episcopum vel papam et huiusmodi. Respondet Lyra super Apoc. X. c., concorditer Thomas super II. dist. XI. ar. II., quod *talis non relinquetur ab illo angelo, qui primo in nativitate fuit deputatus ad custodiam personae huiusmodi. Sed habebit talis duos angelos custodes. Unum illum praedictum de inferiori ordine ratione singularis personae sibi datum. Alterum autem habebit angelum ratione dignitatis seu officii, qui est de superiori ordine, qui dicuntur Principatus, qui singulis regnis praesunt. Et isti sunt custodes specialiter regum, in quantum in eis virtualiter consistunt regna, propter quod nominantur principes.* Dan. X.: *Apparet princeps Graecorum.* 14 Haec Lyra. Exemplum: Si quis eligitur in papam, unum angelum habebit eum, qui a nativitate fuit sibi deputatus et alium habebit ratione papalis dignitatis Archangelum principem totius Ecclesiae, qui creditur esse Michael, cuius est principalis sanctam Ecclesiam catholicam custodire, sicut et antea synagogam, Dan. X. 15 Unde canit Ecclesia: *Michael praepositus Paradisi, scilicet Ecclesiae, quem honorificant* etc. (K) Quinto ex amplitudine, scilicet gaudiorum caelestium claret diligentia angelicae custodiae, quia secundum Bonaventuram ubi supra ar. II. *gaudium in angelo ex conversione et profectu hominis custoditi amplificatur et crescit, scilicet propter charitatem dupliciter. Uno modo extensive, quia de pluribus gaudebit, secundum quod plures salvabuntur. Alio modo intensive, quia licet gaudium essentiale in eis crescere non possit, tamen accidentale gaudium crescit et ratione boni proprii et ratione boni coniuncti, quia ministrantes merentur pro bono hoc opere accidentale praemium, et quia suos concives ad beatitudinem perducunt.* Haec Bonaventura. O ergo homo, age gratias Deo, o Christiane, ama Deum et angelos honora, ne sis ingratus. (L) Circa tertium de efficacia custodiae angelicae sit pro conclusione verbum Bonaventurae super II. dist. XI. ar. II. q. I. in fine sic: *Credendum est, quod multis modis angeli custodes student nos promovere ad bonum et retrahere a malo, quamvis non percipiat spiritus nostri hebetudo.* Et subdit, quod *propter hoc multi ingrati superbiunt frequenter sibi attribuendo, quod est ex beneficio angelico. Unum ex hoc minus iuvantur ab angelis.* Utile est ergo nosse effectus vel fructus angelicae custodiae, quos enumerat ibidem Bonaventura. Sed pro faciliori captu nos breviter hic teneamus ordinem alphabeti. Primus fructus est vel effectus arguere et a peccatis revocare. Patet Iudic. II., ubi angelus Dei arguet populum Israel de peccatis contra Deum. Secundus est boni impedimenta auferre. Tertius criminum vincula solvere, id est consuetudines malas et societates ac occasiones. Quartus daemones arcere, ut patet de Raphaelae, Thob. ultimo. Quintus exorare et orationes nostras Deo offerre. Ibidem: *Quando orabas, ego obtuli orationem tuam coram Domino.* 16 Sextus fidei sacramenta revelare, sicut Gen. XVIII. 17 tres angeli Abrahae expresserunt mysterium trinitatis et unitatis. Septimus gaudia consolationis ministrare, scilicet tribulatis, Thob. V.: *Forti animo esto, in proximo est, ut cureris.* 18 Octavus hostes deicere, scilicet in bellis, Isa. XXXVII. 19 Nonus intellectum docere, ut patet Dan. XI. 20 Decimus cavere pericula et temptationes mitigare. Undecimus laborantes in via Dei confortare, utpote in poenitentia vel religione. Duodecimus morientes ducere et conducere in caelum. Haec ex Bonaventura. O ergo sancte Deus, tibi laus et gratiarum actio pro tantis bonis. O beate Michael, o beati angeli, orate pro nobis, ut haec assequamur.

---

1 Ps 90,11 2 Ps 50,7 3 Ps 90,13 4 Gn 3,15 5 Iob 33,23–24 6 Ps 123,7 7 Mt 18,34 8 Lc 16,22 9 Ps 90, 11 10 Hbr 1,14 11 Is 6,6 12 Ier 51,9 13 Dn 10,13 14 Dn 10,20 15 Dn 10,21 16 Tb 12,12 17 Gn 18,10; 18–19 18 Tb 5,13 19 Is 37,36 20 Dn 13,55

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXVIII.] De angelis sermo III., et praecipue de beato Michael archangelo *Factum est proelium magnum in caelo: Michael et angeli eius proeliabantur cum dracone.* Apoc. XII. 1 (A) Si, carissimi, diligenter pensamus, multum obligamur Michaeli et angelis eius. Primo propter eorum proelium pro nobis contra diabolum. Unde Beda li. de ritu gentilium dicit: *Unusquisque noverit se obligatum, ut veneretur angelorum collegium propter eorum obsequium.* Secundo propter caeleste gaudium, quod ipsi habent de nostra salute. Nam iustum est, quod ex quo *angelis Dei gaudium est in caelo super nostra conversione*, ut Salvator testatur Lu. XV. 2 Ergo et nos congaudere debemus de ipsorum glorificatione, ut sicut ipsi faciunt festum de nobis in caelis, et nos de eis facere debemus in terris et pro hoc festo specialiter honorare. Tertio propter consortium futurum in cohereditate caelesti. Bernardus: *Simus grati, simus devoti tantis servitoribus, quia nostri custodes, tutores, actores et coheredes sunt.* Haec ille. Ad honorem ergo beati Michaelis et omnium beatorum spirituum, quorum hodie festum colitur, praedicta verba accipimus. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone praecipue de sancto Michael, secundum quod de his tribus commendatur: · Primo de proelii victoria, cum dicitur: *factum est proelium*, et infra: *de victoria* · Secundo de praesidii providentia, nam angeli eius dicuntur, quibus praesidet nobis providens · Tertio de privilegii excellentia, quod sequitur ad dicta (B) Circa primum mysterium de proelii Michaelis victoria. Nam et hodiernum festum victoria Michaelis nuncupari solet, ut patet in legenda. Ideo de hoc agens pro conclusione accipiamus verba sanctae Ecclesiae in officio dicentis sic: *Magna magnalia de Michael archangelo, scilicet dicuntur laudando, qui fortis*

*in proelio fecit victoriam.* Pro quo notandum, quod beatus Michael hoc habet a Deo pro speciali praerogativa honoris magnifici, quod scilicet ipsi est commissa victoria proeliorum, sicut enim beato Gabrieli commissa est revelatio secretorum, ut patet Dan. VIII., ubi legitur, quod cum Danieli ostensa fuissent quaedam secreta in visione et quaereret intelligentiam, ecce stetit in conspectu eius quasi species viri. 3 Lyra: id est angelus Michael, qui erat princeps synagogae et clamavit et ait, scilicet angelo alteri loquens: „Gabriel, fac intellegere visionem istum”, id est Danielelem. Et sic ei Gabriel revelavit secreta plurima et praecipue de Christi adventu. Denique Gabriel commissa est annunciatio secretorum incarnationis Christi, ut patet in evangelio. Item Raphaeli commissa est cura morborum et corporalium et spiritualium, sicut patet in Tobia, quem curavit a caecitate, et in Sara, quam curavit a daemonis temptatione. Ipsi etiam est commissa itinerum directio et sana reductio, patet eodem libro. Sic Michaeli videtur esse commissa victoria proeliorum. Ordo enim est inter angelos quoad officia et Dei ministeria explenda. Unde et canit Ecclesia orando: *Deus, qui miro ordine angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius* etc. Quamobrem advertendum, quod invenimus Michaellem quattuor proelia egisse et in omnibus victoriam habuisse, et quintum erit futurum, ubi et victoriam habebit: · Primum in caelo cum dracone · Secundum in Aegypto pro Israel liberatione · Tertium in deserto de Moysi corpore · Quartum in Novo Testamento pro devotorum defensione · Ultimum erit cum Antichristo suo tempore Primum bellum vel proelium Michael habuit in caelo cum dracone, id est Lucifero et angelis eius. Sed hoc proelium vicit et Luciferum cum suis de caelo expulit, ut patet Apoca. XII., ubi sic scribitur: *Factum est proelium magnum in caelo, Michael et angeli eius proeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli eius, et non valuerunt, neque locus eorum amplius inventus est in caelo.* 4 (C) Iuxta quae verba aliqua quaeruntur. Primo de modo, qualiter fuit illa pugna angelorum in caelo, cum non habeant angeli manus corporales et arma ac huiusmodi? Respondetur secundum doctores, quod ibi fuit realis pugna spirituum, quod patet ex hoc, quia mali angeli realiter sunt expulsi de caelo violenter. Licet illa pugna non fuerit corporalis nec per arma corporalia, quibus caeduntur membra. Ad quod notandum, quod inter spiritualia, ut sunt potentiae animae, potest esse pugna quandoque intranea, quandoque extranea. Intranea est, quando appetitus sensitivus appetit aliquid, quod voluntas repugnat vel intellectus iudicat aliquid faciendum, quod voluntas non vult, scilicet furari, moechari et huiusmodi. Et talis controversia vel pugna, scilicet intranea non habet locum in angelis. Sed extranea pugna fit in spiritum, quando anima unius hominis intelligit aliquid faciendum vel vult, quod anima alterius intelligit non faciendum vel non vult facere. Et talis pugna fuit inter angelos, quia intellectus bonorum iudicabat velle beatitudinem merito praecedente, et Deo subesse volebat. Malorum autem merito non praecedente nec subesse, sed superbire volebat. Et sic ibi fuit bellum realissimum per contrarietatem voluntatum. Et quia boni angeli cum Michaelle Deo volente expulerunt malos de caelo illis fortissime resistentibus, sed non potuerunt resistere. Quamvis Lucifer in naturalibus praeemineret eis, quia Deus non influxit ad virtutem et fortitudinem malorum, sed ad fortitudinem bonorum. Sed quomodo eiecerunt eos, Franciscus de Mayronis imaginatur, quod sicut angelus potest movere caelum, ita unus angelus potest movere alterum et praecipue Deo virtutem influent. Michael et sui hoc fecerunt. (D) Secundo de loco quaeritur, ad quem locum sint deiecti, utrum scilicet detrusi sint ad Infernum daemones. Respondetur secundum Bonaventuram super II. dist. VI. q. II., concorditer Richardum, quod *sicut Sacra Scriptura dicit, locus daemonum usque ad diem iudicii est aer caliginosus, in quo generaliter daemonum multitudo habitat, et non est locus subterraneus, quem vocamus Infernum. Utrum autem aliqui detrusi sint in Infernum, non invenio – inquit – a sanctis determinatum. Illud autem bene credo, quod aliqui descendunt ad torquendas animas, secundum quod inter se habent deputata maledictionis officia.* Ratio autem, quare Deus permisit eos usque ad iudicium stare in hoc aere caliginoso, est, quod propter caliginem competit culpae tenebrositati. Et quia *homines exercitare habent impugnantes ad utilitatem meritorum et praemiorum electorum hominum*, ut dicit Augustinus. Ideo voluit eos Deus stare in aere nobis propinqui propter humanum exercitium. Utrum autem habeant poenas infernales, respondet idem Bonaventura et concorditer Richardus, quod poena ignis infernalis eis differtur usque ad iudicium, quando retrudentur in Infernum, et hoc Deus ideo voluit, ut non retrahantur ab exercitando homines, quod fieret, si haberent poenam completam. Verumtamen iam habent, quod est principalissimum in poena Inferni, scilicet carentiam visionis divinae et vitiorum flammas torquendo, scilicet irae et invidiae, quibus acriter torquentur et alias quasdam poenas maximas, scilicet maeroris interni et doloris ac desperationis. Et propterea Glossa super Iaco. III. dicit: *Diabolus ubicumque sit, vel in aere, vel sub terra, semper fert secum tormenta flammaram suarum*, quae glossa non est intellegenda de tormento ignis materialis Inferni, sed de aliis praedictis. Haec Richardus. (E) Tertio de numero quaeritur, utrum daemones deiecti sint in magno numero. Ad quod Haymo super Apoca. dicit, quod *ut sancti viri opinati sunt, aer iste caliginosus ita plenus est daemonibus, sicut radius solis minutissimis pulvisculis videtur plenus.* Et hoc potest extimari per rationem, quia ut Magister dicit secundum Gregorium in II. dist. XI.: *Quilibet homo habet malum angelum ad sui exercitium deputatum a principe daemonum, hoc est Lucifero, propter quod Deus etiam cuilibet deputavit unum bonum angelum ad custodiendum.* Insuper secundum Lyram super Dan. X.: *Quaelibet provincia, et sic etiam patria et civitas, oppidum et villa habet angelum malum deputatum a principe daemonum ad inducendum homines illius ad malum, sicut et habet angelum bonum ad procurandum bonum illius provinciae a Deo deputatum. Ideoque magno numero debent esse, ut ad haec sufficiant et ad alia huiusmodi.* Si dicas: Et quis hominum potest ergo salvari inter tot hostes, respondetur, quod sicut Bernardus dicit: *Si bonus spiritus nobis non adesset, malorum impetum nullus superare posset.* Ad vincendum ergo illos angeli boni iuvant, qui secundum doctores incomparabiliter plures sunt, scilicet qui permanserunt in caelo, quam qui corruerunt. Item secundum sententiam Origenis: *Exercitum daemonum minuimus, cum eos vincimus ita, quod qui ab aliquo sancto viro semel victus fuerit, scilicet perfecte, deinceps ille idem daemon de eodem vitio, de quo victus est, ipsum eundem hominem non valeat temptare.* O ergo homo, ex dictis tibi caute provide, ne consentias diabolo in peccatum, alioquin peribis cum diabolo. (F) Secundum bellum Michael habuit in Aegypto pro filiorum Israel liberatione, quia *ipse fuit princeps synagogae*, Dan. X. 5 Ergo ipse Aegyptiis plagas intulit, ipse mare divisit et in columna nubis antecessit et filios Israel in terram promissionis introduxit et contraria belli contrivit. Tertium proelium



egisse legitur de Moysi corpore, ut patet in epistola Iudae apostoli: *Michael – inquit – cum diabolo disputans, cum altercaretur de Moysi corpore* etc. 6 Ut enim dicit Lyra et communiter doctores: Diabolus volebat revelare corpus Moysi Iudaeis ad idolatriam pronis, ut eum adorarent tamquam Deum. Michael autem tunc princeps synagogae hoc voluit impedire, et vicit. Quartum proelium egit Michael pro suorum devotorum defensione et vicit quando Neapolitanos et eorum exercitum contra Sipontanos bellantes contrivit. De hoc patuit ser. I. (G) Ultimum erit contra Antichristum, quem Michael interficiet, ut dicit Glossa super Apoca. XIII., videlicet quod cum ipse Antichristus latens triduo se mortuum finget et resuscitatum, arteque magica ferentibus daemonibus in aera ascendet et universis mirantibus adorabunt eum ut deum. Tandem ipsum stantem in Monte Oliveti in papillione occidet Michael repentina morte, ut dicit Glossa super illud. II. Thes. II.: „Quem Iesus interficiet spiritu oris sui” 7. Lyra: quia de mandato Christi fulminabitur per ministerium Michaelis archangeli. Haec ibi. Ecce, o homo, adverte, quia mali male peribunt cum daemone suo principe. Boni autem et poenitentes iocabuntur in caelo cum Michaele et angelis, venerare ergo Michaelem et eius angelos, ut per eos vincere possis daemones. (H) Circa secundum de providentia praesidii sit pro conclusione, quod canit Ecclesia dicens: *Hic est Michael archangelus, princeps militiae angelorum, cuius honor praestat beneficia populorum, et oratio perducit ad regna caelorum*. Sed quaeritur: Gratia huius qualia beneficia vel praesidia confert Ecclesiae et populo Christiano Michael archangelus, aut qualiter providet? Ad quod respondetur, quod providet magna beneficia quintupliciter per quinque ordines angelorum suorum prosequendo secundum positionem beati Gregorii de ipsis ordinibus angelorum. Primo quidem per Principatus Ecclesiam stabiliter gubernando. Nam ut scribitur Dan. X.: *Michael – inquit – unus de principibus primis venit ad adiutorium meum* etc. 8 Dicit autem Gregorius, quod *principari est inter reliquos priorem existere*. Et Dionysius IX. c. Caelestis hierarchiae dicit: *Nomen Principatuum significat ductivum in ordine sacro. Illi enim, qui alios ducunt, primi inter eos existentes principes proprie vocantur*. Ex quibus claret, quod Michael est de ordine Principatuum, et inter omnes angelos, qui extra mittuntur, ipse est princeps gloriosissimus et nobilissimus militiae angelicae, ut etiam canit Ecclesia. Et ipse est princeps totius Ecclesiae Christianae et multitudinis humanae, ut tenent communiter doctores, ad ipsum pertinet Ecclesiam stabiliter usque ad finem mundi gubernare. Ita quod quantumcumque impugnetur, non poterit eius fides deficere vel exstingui. Iuxta illud Salvatoris promissum Lu. XII.: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. 9 Secundo per potestatem providet daemones coercendo. Nam quaero: Ad quem pertinet universalis custodia contra omnes daemones? Respondetur secundum Gregorium, quod *ad Potestates, quae habent ex officio arcere eos, ne noceant*, sed Michael est super hoc princeps, quia scribitur Apoc. XII., quod *Michael et angeli eius proeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli eius*. 10 Quo designatur, quod sicut draco, id est Lucifer principalissimus est inter oppugnantes Ecclesiam et nos, ita Michael principalissimus est inter defensantes. Unde canit Ecclesia: *Collaudemus venerantes omnes caeli milites*, sed praecipue primatam caelestis exercitus Michaelem in virtute conterentem Zabulon, id est daemone. *Quo custode*, id est Michaele *procul pelle, rex Christe piissime, omne nefas inimici*, id est diaboli. Tertio per Virtutes mirabiliter virtutes promovendo ac instruendo. Ipse enim Michael facit principaliter cum virtutibus angelicis, ut populus Christianus proficiat in virtutibus iustitiae, misericordiae, charitatis, devotionis et cultus divini ac perseverantia in observatione legis evangelicae. Unde Gregorius in homilia „Accesserunt publicani ad Iesum” dicit: *Michael, qui 11 ut Deus interpretatur, quia quotiens aliquid mirae virtutis agitur, Michael mitti perhibetur, ut ipso actu et nomine detur intelligi, quod sicut nullus potest facere, quod praevaleret Deus, sic quaeque virtutes mirae Michaeli attribuuntur. Iste est ergo Michael, qui cum maximo exercitu angelorum assistit in hora consecrationis Eucharistiae et celebrationis missae*, ut dicit Gregorius de consecratione dist. II. „Quid sit”. Et ipse docet et inducit populum ad celebrem cultum Sacramenti. Ipse est, qui cultum idolorum cessare fecit per mundum. Sicut enim in Veteri Testamento ipse altercatus est cum diabolo de corpore Moysi, ne si revelaretur, populus in idolatriam deflueret, ut supra dictum est, ita ipse in Novo Testamento diabolum repressit, ne idolatrare gentes faceret. Unde Apoc. XX. dicit: *Iste est angelus, qui ligavit diabolum per annos mille, ut non seducat gentes*, id est Ecclesiae filios, *donec consumantur mille anni*, 12 id est usque ad tempora Antichristi, tunc enim solvetur. Denique mirabiliter per Michaelem et virtutes angelicas proficit Ecclesia dietim. Quarto per Archangelos provincias et regna ad fidem Christi inducendo vel in ea conservando ac in iusticia sustentando. Nam Eccli. XVII. scribitur: *In unamquamque gentem praeposuit Deus rectores*. 13 Glossa: id est angelos, quibus commisit custodiam. Et secundum doctores talis custodia communis vel universalis provinciae aut civitatum pertinet ad Archangelos, quibus praest Michael princeps et providet, ut sic custodiantur, ne per iniustitiam de gente in gentem talia regna transferri divino iudicio demereantur, sicut scribitur Eccli. X. 14, et ut ab infidelibus defensentur vel liberentur. Unde Dan. X. dicit, quod *Michael venit in adiutorium angeli, qui laborabat pro liberatione filiorum Israel de Babylonica captivitate*. 15 Quinto per angelos providet singulos homines custodiendo, a peccatis retrahendo et ad bonum incitando et apud Deum intercedendo etc. O ergo homo, honora pro his Michaelem. (I) Circa tertium de privilegiis Michaelis quaeritur: Quare in Ecclesia militante Michael prae ceteris angelis honoratur, cum enim *honor sit praemium virtutis*, ut dicitur IV. Ethicorum. Ergo magis virtuosus debet magis honorari, sed multi angeli praecellunt Michaelem in gratiarum donis et in gloria, ut patet de superioribus, scilicet Seraphim, Cherubim, Thronis, Dominationibus, ergo etc. Ad hoc respondetur, quod quamvis multi sint superiores angeli Michaele, tamen Michael praehonoratur propter magna privilegia sibi concessa, scilicet pro salute nostra procuranda. Primum privilegium est custodem esse Ecclesiae. Nam doctores communiter dicunt super Dan X. 16: *Michael fuit primus princeps synagogae, quae postquam Dominum crucifixit, reliquit eam Michael et factus est princeps Ecclesiae*. Unde et Iosephus Antiquitatum libro refert, quod *post mortem Christi, cum quodam die Pentecostes noctu sacerdotes templum ingressi fuissent ex more ad ministeria complenda, motus, strepitus et voces audierunt subitas angelorum dicentium: „Transeamus ab his sedibus”*. Proinde Ecclesia canit: *Michael praepositus Paradisi, quem honorific[ant] an[gelorum] ci[ves]* etc. Aureolus li. II. Compendii dicit: *Michaeli attribuitur praepositum esse Paradisi, id est Ecclesiae, sicut olim fuit princeps synagogae*. Haec ille. Secundum privilegium est adiutorium electis praestare. Unde canit Ecclesia: *Michael archangelus venit in adiutorium*

*populo Dei, stetit in auxilium pro animabus iustis.* Quia nimirum invenitur in Scripturis, quod Michael semper stetit in adiutorium pro electis. Primo in caelo stetit pro electis angelis contra Luciferum et angelos eius. Secundo in Aegypto stetit pro filiis Israel liberandis. Tertio in captivitate Babylonica pro eisdem. Quarto in Ecclesia pro fidelibus sibi devotis, ut dictum est supra. Quinto stabit pro electis contra Antichristum, quem occidet, ut dictum est. Tertium privilegium est ponderandi officium habere, ut patet in picturis, quae sunt libri laicorum. Unde Bernardus in Dialogis dicit: *In puncto separationis animae a corpore obseratis corporis sensibus angeli boni et mali conveniunt, qui omnia bona et mala hominis opera ad memoriam revocant ita, quod statim iudicet Dominus omnia sua merita vel demerita. Tunc itaque Michael per se vel per suos angelos ponderat in statera iustitiae divinae merita animarum et vacuas bonis mittit in Infernum, plenas autem charitate et perfectas ducit in caelum. Semiplenas mittit in Purgatorium, ut satisfaciant.* Quartum privilegium est animas ad caelum suscipere. Unde canit Ecclesia dicens: *Archangele Michael, constitui te super omnes animas suscipiendas.* Nam animae iustorum portantur ab angelis in caelum, ut patet de anima Lazari Lu. XVI. 17, non quia anima per se ire non posset, sed quia portantur propter reverentiam ut sponsae regis, et Michael eas suscipit. Sed vae malis, quia a daemonibus rapiuntur violenter, et confusibiliter ad Infernum ducuntur. Quintum privilegium est compraesentare, scilicet animas in lucem. Unde Ecclesia dicit: *Ne cadant in Infernum, sed signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam.* O Deus, quale tunc gaudium erit animae, cum per Michaelem praesentatur Beatae Virgini et per illam Christo. Unde de Virgine canit Ecclesia: *Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.* Et sic in gloria locatur anima cum angelis. Sextum privilegium est in iudicium vocare, scilicet omnes. Unde I. Thes. IV.: *Ipse Dominus in voce archangeli descendet de caelo.* 18 Nam secundum Richardum super IV.: *Iste archangelus principalis erit Michael, qui per archangelos provinciarum faciet clamare: „Surgite, mortui, venite ad iudicium.”* Septimum privilegium est signiferum Christi fore, ut supra canit Ecclesia, quia signa passionis Christi ipse defert ad iudicium. Octavum privilegium sententiae divinae executionem perficere, quia data a Christo sententia: *„Ite, malidicti, in ignem aeternum”* etc. 19 Michael omnes reprobos et daemones cum suis angelis depellet in Infernum, et carcere sempiterno claudet eos. O quale vae ibi erit, quantus fletus et stridor dentium! O quale beatorum gaudium pro liberatione! O ergo peccator, honora sanctum Michaelem cum angelis, et nunc quaere apud eos gratiam, ut habeas tunc gloriam. Quod nobis praestare dignetur rex angelorum, Iesus Christus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit etc.

---

1 Ap 12,7 2 Lc 15,7 3 Dn 8,15–19 4 Apc 12,7 5 Dn 10,21 6 Iud 1,9 7 II Th 2,8 8 Dn 10,13 9 Lc 12,32 10 Apc 12,17 11 Editio: *quis* 12 Apc 20,1–2 13 Sir 17,14 14 Sir 10,8 15 Dn 10,13 16 Dn 10,21 17 Lc 16,22 18 I Th 4,16 19 Cf. Mt 25,41

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXIX.] De angelis sermo IV., scilicet de eorum excellentia ordinibusque et nostri provisione *Benedicite Dominum, omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius.* Ps. CII. 1 Haec verba canit Ecclesia in introitu missae hodiernae. (A) Ecce, carissimi, hodie celebratur festum omnium sanctorum angelorum, qui sunt in caelis, quatenus admoneantur omnes filii Ecclesiae angelos honorare et invocare, ut auxilientur nobis, quia nimirum dignum et iustum est eos honorare et festum celebrare pro eorum gloria. Primo propter eorum dignitatem, quia sunt aeterni regis, id est Dei milites et innumerabiles. Iob XXV.: *Numquid est numerus militum eius.* 2 Si ergo unum servum principalem regis honoramus, quanto magis debemus honorare tot ac tales ministros tanti regis, id est Dei semper sibi assistentes et quidquid voluerint, impetrare valentes. Secundo propter eorum erga nos charitatem, qua nostram salutem procurant iugiter. Unde Chrysostomus super epistolam Heb. dicit: *O quantus honor nobis exstitit, ut ad nos sicut ad amicos angelos Deus pro ministerio salutis miserit.* Tertio propter nostram utilitatem, quia ipsi nostras orationes perferunt ad Deum et intercedunt, ut exaudiamur. Et tanto magis gaudent de nobis, quanto vident nos lacrimose Deo supplicare. Bernardus: *Lacrimae poenitentium sunt vinum angelorum, scilicet laetificativum.* Et nos ergo debemus eos honorare et grati esse ac illis pro hac festivitate congratulari, ut per eos salutem consequamur eorumque in consortium assumi mereamur in caelo. Ideo eis congratulando ad benedicendum Deum invitamus pro beneficiis tam ipsis, quam nobis praestitis dicentes: *Benedicite Deo, omnes angeli eius* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone: · Primum de mirabili conditione, pro qua benedicere debent Deum, quia potentes virtute · Secundum de ordinali distinctione, scilicet in quot ordinibus sint angeli · Tertium de salutari procuratione, scilicet nobiscum iuxta verbum vel voluntatem Dei (B) Circa primum de mirabili conditione, scilicet angelicae dignitatis. Ex quo Magister in II. dist. I. dicit: *Si quaeritur, ad quid creata sit rationalis creatura, hoc est homo et angelus, respondetur: ad laudandum Deum, ad serviendum ei, ad fruendum eo, in quibus proficit ipsa, non Deus, qui est summe bonus. Et iterum distincta est itaque – inquit – rationalis creatura in incorpoream et corpoream, et incorporea quidem angelus, corporea vero homo vocatur.* Haec Magister. Ista itaque, scilicet duae creaturae, quae habent Deum benedicere et laudare perpetuo in caelo pro suae bonitatis beneficiis et gloria, comparari possunt ad invicem, ut noverimus, quae plus teneatur Deo ad gratiarum actionem et benedicendum ac laudandum. Proinde ut hoc clarius scire valeamus pro nostra aedificatione, quaestio occurrit: Utrum Deus condidit excellentius et mirabilius ac pretiosius angelos aut humanas animas? Nam sunt auctoritates et rationes pro parte una et pro altera. Augustinus enim li. De Trinitate et li. LXXXIII. q. dicit, quod *inter mentem humanam et Deum nil cadit medium, et quod humana mente solus Deus est maior.* Ergo sequitur, quod anima humana praecellit et mirabilius sit condita, quam angelus, et per consequens magis tenetur benedicere Deum. Item quia *angeli sunt omnes administratorii spiritus nobis servientes*, Heb. I. 3 *Sed maior est, qui recumbit, quam qui ministrat*, Lu. XXII. 4 per verba Christi, sequitur ergo, quod homo praecellat, et sic magis Deo tenetur. Sed in contrarium est, quia dicit Magister ubi supra, quod

*spiritualis natura dignitate praecellit compositam ex corporali et spirituali.* Sed homo est compositus, angelus autem est spiritus purus. Unde et Augustinus dicit, quod angeli secundum se considerati omnem creaturam transcendunt, quia flores naturae sunt. Et ratio, quia angeli sunt magis Deo similes et deiformiores et impassibiles. Unde et Ps.: *Minuisti eum*, id est hominem, *paulo minus ab angelis*, 5 ergo etc. Ad haec respondetur recolligendo secundum sententiam Bonaventurae super. II. dist. I. et Richardi aliorumque concorditer doctorum similiter: · Primo, quod angeli in aliquibus sunt pares animabus rationalibus · Secundo, quod angeli in aliquibus sunt praecellentiores hominibus · Tertio, quod homines in aliquibus praecellunt omnes angelos (C) Primo inquam angeli pares sunt animabus hominum vel hominibus in aliquibus, et praecipue in quattuor, ut de aliis transeamus. Primo in hoc, quod ab eodem Deo immediate sunt creati ex nihilo, quia anima humana creatur immediate a Deo ex nihilo, sicut et angeli sunt creati, ut haec tenet fides. Et sic quoad hoc aequaliter tenentur creatori Deo. Secundo quia facti sunt ad imaginem Dei tam angelus, quam homo. Nam secundum Augustinum *memoria, intellectus et voluntas sunt in anima, quibus est capax Dei. Anima enim eo imago Dei est, quo eius capax particepsque esse potest.* Haec Augustinus XIV. De Trinitate. Sed in angelo memoria perfectiori modo tenet actum suum, quia sine oblivione, similiter et intelligentia, quia sine inquisitione, diligit etiam voluntas sine retardatione. Hinc Isidorus De summo bono li. I. c. X. dicit: *Quanto subtilior est angelica natura, tanto plenius existit ad similitudinem divinae veritatis expressa.* Haec ille. Sed heu, quia per peccatum fit homo diabolo similis. Unde Origenes super Levi. lectione IV. dicit: *Si es misericors, si iustus et sanctus, et omnia, quae in Deo sunt, per naturam in te per imitationem subsistant, tunc imago et similitudo in te est Dei. Si vero impius es, tunc abiecta Dei imagine diaboli in te imaginem suscepisti.* Haec ille. Tertio in hoc, quod Deus immediate influit gratiam animae, sicut et angelo. Et hoc modo intelligitur praescripta Augustini auctoritas, quod inter Deum et mentem nil cadit medium. *Sed solus Deus est maior mente* secundum Bonaventuram. Hoc intelligitur secundum causalitatem divinae influentiae. Nam Deus immediate influit in mentem, et ipsa, scilicet mens immediate a prima veritate informatur, sicut et angelus. Licet angelus sit medius secundum dignitatem naturae inter Deum et mentem. Quarto in hoc, quod ad eundem finem perpetuae beatitudinis sunt ordinati ambo, scilicet tam angelus, quam homo. Et eadem est mensura hominis, quae et angeli in praemio, scilicet secundum gradum charitatis. Nec homo factus est propter angelum, id est propter eius beatitudinem, nec angeli propter hominem, id est propter hominis beatitudinem. Tamen sicut lex charitatis facit in membris et concivibus civitatis, quod unum membrum supplet indigentiam alterius, nam oculus videt viam pedi et pes fert oculum. Sic et in homine est et angelo, qui sunt concives civitatis supernae. Nam homo habet habilitatem ad labendum frequenter et possibilitatem ad resurgendum, angelus vero stans habet perpetuitatem in stando et cadens habet impossibilitatem in resurgendo. Ideo et angelus stans sustentat hominem et eius infirmitatem, et homo resurgens reparat ruinam angelicam. Et propter hoc quodammodo dicitur, quod angelus factus est propter hominem, ut scilicet ministret ei. Et homo quodammodo propter angelum, ut reparetur ex homine ruina angelica. Sed non simpliciter, quia ambo pariter ad beatitudinem ordinati sunt. Haec omnia ex Bonaventura. Quod ergo obicitur supra de ministerio angelorum, patet solutio, quia *angelus non ministrat homini ut domino suo vel regi propter suam excellentiam, quia sic qui recumbit, maior est ministrante. Sed angelus ministrat homini propter Deum, sicut dives et fortis aegrotanti eo, quod ille indigeat. Non ergo maior est.* Haec Bonaventura. (D) Secundo dixi, quod angeli praecellunt homines in aliquibus, et hoc etiam praecipue in quattuor, aliis pertransitis causa brevitatis. Haec enim quattuor sunt in angelis miranda et stupenda nostramque fragilitatem excellentia, quae Deus bonus contulit eisdem: Primo praecellunt in perfectione, scilicet naturae incorporeae. Sic enim simpliciter loquendo angelus est creatura superior homine, ut supra in argumentis claruit secundum Bonaventuram. Et in hoc tam miro modo excellit hominem, quod minimus angelorum maior est maximo sanctorum. Iuxta illud dictum Christi Math. XI.: *Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista, qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo.* 6 Tunc enim non erant in caelo nisi angeli, ergo de illis intelligitur. Et ratio, quia ut dicit Isidorus li. I. De summo bono: *Angeli sunt impeccabiles et immutabiles non natura, sed charitate sempiterna.* Scilicet dicitur Eccli. VII.: *Non est homo iustus super terram, qui non peccet,* 7 scilicet saltem venialiter. Et dato, quod non peccaret, tamen quia homo est corporalis et eius anima corpori unita, ideo inferior est spiritu. De hoc ergo angelus plus tenetur. Secundo praecellunt in caelesti creatione et locatione, quia angeli sunt creati in caelo empyreo, ubi est habitatio Dei gloriosa et beatorum omnium perpetua. (E) Unde Beda, ut allegatur a Magistro in II. dist. „Ubi sint angeli creati et quando” ostendit dicens: *Hoc superius caelum, quod a volubilitate mundi secretum est, mox ut creatum est, sanctis angelis impletum est.* 8 Haec ille. Et sic patet secundum Franciscum de Mayronis et doctores, quod illud caelum simul fuit creatum cum angelis, et ipsi creati sunt in principio, ita quod haec quattuor simul sunt creata: angelica natura, caelum empyreum, tempus et materia quattuor elementorum, quae mira sunt. Et sequitur, quod angelus factus fuit in die laetitiae, scilicet Dominicae. Sed postea factus est homo, feria sexta, quae est dies tristitiae, quare sic, nisi ut doceretur homo, quod per tristitiam poenitentiae verae habet salvari, si peccaverit. (F) Tertio angeli praecellunt homines miro modo in multitudine et varietate, quia licet innumerabiles fuerint, sint et erunt homines, tamen angeli incomparabiliter praecellunt. Sed unde hoc probatur? Respondetur, quod Dionysius li. De angelicis hierarchiis c. XIV. dicit, quod *innumerabiles sunt substantiae angelicae excedentes omnem materialem multitudinem corporalium numerorum commensuratione.* Proinde Dan. VII.: *Milia milium ministrabant ei, et decies centena milia assistebant ei.* 9 Super quae verba Lyra dicit, quod ibi ponitur numerus determinatus pro indeterminato, quia angeli sunt in maximo numero nobis indeterminato. Cuius ratio talis ponitur a Lyra ibidem: Nam videmus sensibiliter, quod corpora caelestia quasi incorporabiliter excedunt elementa, quia una stella visu notabi[li]s in firmamento maior est tota terra. Cum igitur angeli videantur sic se habere respectu hominum, sicut corpora caelestia respectu elementorum. Rationabile enim est, ut sicut nobiliora corpora, scilicet caelestia excedunt ignobiliora, id est inferiora corpora in magnitudine, ita immaterialis substantiae, quia nec possunt excedere in magnitudine continuae quantitatis, ideo excedunt in numerositate quasi incomparabiliter et mirabiliter. Unde et Iob XXV.: *Nam quid est numerus militum eius,* 10 quod dicit: Facilius posset prius numerare



stellas caeli, guttas marium, folia arborum, arenas terrarum, quam numerum angelorum. Ad confirmationem huius est et talis ratio secundum Antoninum prima parte Summae tit. III. c. VI., quia *quaelibet anima ab exordio suae nativitatis habet angelum deputatum ad custodiam*, ut dicit Hieronymus, qui quidem angeli custodes secundum theologos sunt de infimo ordine angelorum. Unde oportet, quod in illo ordine infimo tot numero sint, quot sunt homines simul in mundo, quando umquam plures fuerunt, et ultra numerum hominum oportet adhuc esse plures tot, quot sunt species creaturarum aliarum et quot caeli, quia quaelibet species et quodlibet caelum habet specialem angelum ad sui gubernationem et motum. Sed quoniam dicente Apostolo Rom. I.: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt intellecta, conspiciuntur*. 11 Cum ergo videamus in creaturis corporalibus et caelis, quod illa, quae superior est, decies maior est quantitate continua, quam inferior. Sicut aqua decies maior est terra, et aer, quam aqua et ceteris. A simili videtur in angelis attendendum secundum quantitatem discretam, quod secundus chorus, scilicet angelorum habeat plures decuplo, quam inferior, et ceteris ascendendo. Si ergo infimus tot angelos habet, ut praemisimus de custodibus, quis poterit capere multitudinem omnium superiorum vel cogitare. Item quod prae stupore facit deficientes, hoc est maximum, quod quilibet angelus differt ab altero, non solum numero, sicut homo ab alio homine, sed et specie secundum Thomam. Sed nostri doctores et Scotistae hoc non tenent, sed dicunt *aliquos plures esse unius speciei*. Haec sufficient. O magne Deus, quam mirabilis es et immensae maiestatis in operibus tuis. Quarto angeli praecellunt nos in praemii perceptione, quam in prima die suae conversionis unico motu angeli sunt glorificati et praemium acceperunt essentielle plenissime. Homo vero accipiet post mortem. Pro illis quattuor tenetur plus angelus. (G) Tertio ut dixi, homo praecellit in aliquibus ipsos angelos, et praecipue in quattuor, et hoc per Dei gratiam. Primo in naturae humanae assumptione et divina unione. Ad Heb. II.: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae*. 12 Secundo in redemptione, quia Christus redemit homines peccatores, non angelos peccantes. Tertio in glorificatione, quia homo duplicem gloriam habebit in caelo, quia videbit divinitatem in anima, et cum hoc in glorioso corpore videbit gloriam humanitatis Christi etc. Quarto in exaltatione, quia homo in utroque sexu exaltatus est super angelos cunctos, scilicet in Christo et eius sanctissima matre, et adoratur humanitas in Christo adoratione latriae et in matre eius hyperdulia. Non autem adoratur angelus nisi dulia. O ergo homo, age gratias Deo pro tanta charitate, quia tu es frater Christi, angelus tantum servus. Nam pro his plus tenetur homo Deo, quam angelus. (H) Circa secundum principale de ordinibus angelorum quaeritur, utrum a principio creationis angeli fuerint in ordinibus distinctis ordinati. Ad hoc respondetur secundum Franciscum de Mayronis breviter per tres veritates circa hoc considerandas. Prima veritas est, quod angeli non fuerunt creati, nec sunt aequales omnes etiam angeli eiusdem ordinis. Nam licet in hoc essent uniformes, quod omnes facti sunt spirituales et immortales, alii aliis erant in essentia nobiliores, in sapientia perspicaciores et in libertate voluntatis habiliores. In eodem etiam ordine nunc existentes non omnes sunt aequales, quia sicut in ordine apostolorum alter altero est excellentior, similiter et ordine martyrum vel virginum etc., sic in uno ordine angelorum alii alios excedunt. Nam Lucifer erat de superiori ordine et tamen alios praecellebat, tam superiorum, quam inferiorum ordinum angelos, ut dicit Magister, et si ipse perstisset, omnes etiam sui ordinis angelos excessisset. Secunda veritas, quod in principio creationis angelorum ordines non erant distincti, quia nomina et munera gratiarum, a quibus distincti assignantur ordines, nondum in principio habebant. Non autem adhuc habebant illam charitatem Seraphicam, propter quam fit ordo Seraphim, nec plenitudinem sapientiae, propter quam fit ordo Cherubim, et sic de aliis. (I) Sed quando vel quanta fuit mora a principio creationis, quod talia haberent? Respondetur, quod ordines distincti sunt in angelis, postquam boni conversi sunt ad Deum malis aversis. Quanta ergo in hoc mora fuerit? Nota secundum doctores, praesertim Scotistas, quod sicut videmus in homine, quod habet quattuor moras temporis, in quibus diversimode se habet. Primo habet statum naturae, in quo nec meretur, nec demeretur, ut patet in pueritia. Secundo statum, quo incipit habere usum rationis, quando potest se disponere vel ad culpam, vel ad gratiam. Tertio statum adultum, quando se convertit omnino vel ad bonum, vel ad malum. Quarto statum, in quo finaliter perseverat, ut in separatione animae a corpore. A simili accipe sic in angelis quattuor morulas vel nunc seu instantia. In primo instanti creationis nec meruerunt, nec demeruerunt. In secundo se disposuerunt ad bonum boni angeli libero arbitrio consentiente gratiae Dei excitanti ad Deum diligendum gratuite. Mali autem neglexerunt divinae gratiae consentire, et propriis naturalibus uti ad bonum noluerunt. In tertio instanti Deus illis ad se conversis gratiam et gloriam infudit, malis autem non, quia noluerunt ad Deum converti per amorem, sed consenserunt Lucifero de sua virtute gloriantis, ut nollent subesse Deo et Domino Iesu incarnando, prout dicit beatus Bernardus super Iona II. In quarto instanti boni in diversis ordinibus sunt confirmati in beatitudine gloriae, mali autem obstinati in superbia contra Deum, et de caelo mox expulsi. (K) Tertia veritas, quod angeli beati sunt distincti in novem ordinibus, prout tradunt sancti doctores. Et hos prosequamur secundum Gregorium et Bernardum, nam Dionysius aliter ordines hos assignat. Sed huiusmodi doctrinam doctoribus relinquamus. · Supremus ordo est Seraphim, id est in charitate ardentes · Secundus ordo est Cherubim, id est scientia pleni · Tertius est Thronorum · Quartus est Dominationum · Quintus Principatumum · Sextus Potestatumum · Septimus Virtutumum · Octavus Archangelorumum · Nonus angelorumum Circa tertium ergo restat quaestio, qualiter angeli in istis ordinibus constituti nostram salutem omnium procurant singuli. Ad quod respondendo pro intellectu accipiamus recolligendo ex scriptis sancti Thomae super II. dist. IX. et aliorum exemplum declarativum praemissorum, tamen prosequendo iuxta Gregorii assignationem. Si quidem in curia regali vel imperiali quidam sunt continue conversantes circa personam regis vel in aula eius, et isti sunt in triplici differentia, quia quidam ratione familiaritatis et amicitiae, ut filii, fratres, socii et cubicularii regis. Sic sunt Seraphim, qui prae ceteris amicitia et dilectione Deo sunt familiarissimi. Secundo quidam ratione consilii et scientiae, ut sunt consiliarii regis, et hoc spectat ad Cherubim, qui divina sapientia sunt praediti. Tertio quidam ratione iustitiae, ut sunt iudices et assessores, et hoc spectat ad Thronos, qui sic dicuntur secundum Gregorium eo, quod Deus in eis sedeat et iudicia sua discernat et cuncta disponat. Item in curia regali alii sunt, qui circa regni negotia generaliter occupantur. Et isti etiam sunt triplici differentia. Quidam enim hoc habent facere per modum imperii et domini, ut sunt marschalli 13, duces, palatini, voivodae 14 et huiusmodi. Et hoc pertinet ad Dominationes, qui habent

praesidentiam super angelos bonos. Alii sunt, qui hoc habent facere per modum principalis deputationis, ut comites et principes capitanei. Hoc spectat ad Principatum ordinem, qui praesunt omnibus universaliter bonis hominibus. Quidam autem hoc habent facere per modum pugnandi contra hostes, ut sunt campiductores, magistri militum, milites et legiones. Et hoc est ad Potestates, qui habent arcere daemones. Item apud regem sunt alii ad negotia et determinata loca officiales deputati. Et horum aliqui praesunt uni toti provinciae vel castris et civitatibus unius comitatus, ut sunt barones et bani. Hoc spectat ad Virtutes. Alii praesunt deputati ad regimen alicuius multitudinis, ut civitatis aut castri vel villae, sicut sunt magistri civium aut castellani, provisores curae regiae. Hoc spectat ad Archangelos. Quidam vero deputantur ad regimen personae singularis, ut exactores rationum et huiusmodi. Et hoc spectat ad angelos, qui habent singulos homines custodire, ut bene vivant, quia rationem redditori sunt de factis suis. (L) Sed quid de aliis mundi creaturis? Numquid et illae creaturae habent angelicam custodiam, sicut et homines? Respondetur secundum quod Augustinus li. LXXXIII. Quaestionum dicit: *Unaquaeque res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi praepositam.* 15 Haec ille. Sed secundum Thomam et doctores super II. dist. XI. aliter data est homini angelica custodia et aliis creaturis corruptibilibus, quia ex quo alia sunt corruptibilia secundum individuum, licet maneant secundum speciem usque finem mundi, ideo divina providentia rebus aliis secundum speciem dedit angelum custodem. Ita quod unus angelus pluribus individuis eiusdem speciei datus est in custodiam, ut conserventur secundum speciem. Sed quia homo est incorruptibilis etiam secundum individuum quoad nobiliorem partem, scilicet animam rationalem, ideo singulis animabus humanis singuli angeli de infimo choro dati sunt custodes. Nota ergo pro finali iuxta praedicta, quod Seraphim procurant salutem hominum apud Deum intercedentes et inferioribus angelis hoc revelando, ut inflammentur corda hominum ad charitatem Dei. Cherubim autem ad cognitionem divinorum. Throni ad iustitiae et legis divinae observationem. Dominationes ad subiugationem sensuum sub dominio rationis. Principatus ad praelatorum instructionem. Potestates ad temptationum hostium repressionem et superationem. Virtutes ad virtutum Christiformium imitationem. Archangeli ad arduorum bonorum operationem. Angeli ad animarum salutem saltem per poenitentiam, ut perveniamus ad beatorum consortium angelorum. Bernardus: *O quanta Dei pietas, ut nos vermiculi [ad] numerum angelorum computemur.* O ergo carissimi, oremus Deum, ut per angelos assequi det nobis hoc.

---

1 Ps 102,20 2 Iob 25,3 3 Hbr 1,14 4 Lc 22,27 5 Ps 8,6 6 Mt 11,11 7 Sir 7,21 8 Cf. Petrus Lombardus, *Sententiae* II,II, PL 192,656 9 Dn 7,10 10 Iob 25,3 11 Rm 1,20 12 Hbr 2,16 13 Secundum Antonium BARTAL (*Glossarium mediae et infimae latinitatis Regni Hungariae*, Leipzig-Budapest 1901, Budapest 1983); editio: *marchali* 14 Secundum Antonium BARTAL; editio: *vaivode* 15 Augustinus Hipponensis, *De diversis quaestionibus* LXXIX, PL 40,90

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Legenda sancti Hieronymi] De sancto Hieronymo sermonem vide in communi sanctorum doctorum] applicando legendam. Legenda Hieronymus a 'hierar', quod est sacrum, et 'noma', quod est lex, quasi sacra lex disciplinae regularis, quam docuit monachos. Et quia ipse sacram legem Veteris et Novi Testamenti transtulit, exposuit et interpretatus est. Fuit autem nobilis viri Eusebii filius ab oppido Stridonis, quod confinium Dalmatiae et Pannoniae tenet, litteris Graecis et Latinis ac Hebraicis plene eruditus. Cumque avide nimis delectaretur legere die et nocte libros gentilium philosophorum et poetarum, praecipue Tullii et Platonis, eo quod sermo incultus in libris prophetis sibi non placeret, quodam tempore febre correptus est adeo, ut in solo pectore calor vitalis palpiteret. Et dum exsequiae funeris pararentur, subito ad tribunal iudicis Hieronymus trahitur, et interrogatus, cuius conditionis esset, respondit se Christianum esse. Ad quem iudex: „Mentiris – inquit –, Ciceronianus es, non Christianus; *ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* 2” At Hieronymus obmutuit. Et continuo iudex ipsum durissime caedi iussit. Tunc exclamavit et dixit: „Miserere mei, Domine, miserere mei.” Tunc qui astabant, precabantur iudicem, ut veniam tribueret adolescenti. Ipseque iuravit numquam velle legere de cetero codices saeculares. Et sic reviviscens totum lacrimis inventi perfusum, et ex verberibus, quae in tribunali susceperat, scapulas terribiliter repperit liv[i]dentes. Coepit ergo studiosissime ex tunc libros divinos legere. Dum autem esset annorum XXIX, in Roma Ecclesia est cardinalis presbyter ordinatus, et fuit adeo carus, ut mortuo Liberio papa Hieronymus acclamaretur ab omnibus dignus summo sacerdotio. Sed dum quorundam clericorum lasciviam increparet, illi nimium indignati eidem insidias paraverunt secundum Iohannem Belet et Vincentium taliter: Cum enim Hieronymus ad matutinas solito more surgeret et vestes indueret, aemuli vestem mulieris iuxta lectum illius clam posuerant, quam suam esse credens induit, et in ecclesiam sic processit. Hoc autem aemuli faciebant, ut mulierem in thalamo habere crederetur. Quod ille videns tantae vesaniae locum dedit, et ad Gregorium Nazianzenum 3, Constantinopolitanae urbis episcopum pervenit, ubi sacris litteris plenius eruditus tandem in eremum properavit, ubi in maxima abstinentia in illa vasta solitudine exusta solis ardoribus et horrida scorpionum et ferarum socius nuda humo iacens quotidie lacrimis et gemitibus insistens hebdomadarum media carnem subigebat spiritui. Diem crebro iungebat cum nocte flens et pectus verberans, donec rediret Domino imperante tranquillitas, scilicet spiritus et devotionis, quae interdum uberrime sibi a Domino praestabatur, ut videretur sibi interesse agminibus angelorum. Et sic ibi per quadriennium in arcta poenitentia mansit. Tandem ad oppidum Bethlehem apud praesepe Domini sese obtulit permansurum, ibique multos discipulos adunans in sancto proposito LV annis et sex mensibus desudavit, libros sacrarum Scripturarum relegens, diem ieiunus ducebat ad vesperum. Denique tanta lassitudine fatigatus est, ut in stratu suo iacens funiculo ad trabem suspensus supinus manibus se levaret, ut scilicet officium monasterii prout poterat, exhiberet. Quadam autem die, cum Hieronymus cum fratribus ad sacram lectionem audiendam sederet, subito leo quidam claudicans ingressus est monasterium. Quo viso cum fratres ceteri fugerent, Hieronymus ei

quasi hospiti obviavit. Leo autem pedem sibi laesum ostendit. Vocatis ergo fratribus pedes sibi praecepit ablui, et diligenter eius plagam inquiri, et invenerunt plantam leonis a sentibus vulneratam. Adhibita ergo diligenti cura leo convaluit, et omni feritate deposita inter eos quasi domesticum animal habitavit. Tunc Hieronymus videns, quod non tam pro sanitate sui pedis, quam pro eorum utilitate Dominus leonem misisset, de fratrum consilio eidem hoc iniunxit officium, ut asinum, quem habebant, et ligna de nemore deferebat, ipse leo ad pascua duceret, et ductum ibidem custodiret. Quod ille quotidie faciebat. Ibat ergo cum asino ad rura, et in pascendo defensor illius erat tutissimus. Verum ut se cibaret et asinus solitum perficeret opus, consuetis semper horis cum asino domum redibat. Quadam vero vice pascente asino et leone graviter soporato mercatores cum camelis inde transeuntes asinum solum viderunt, et eum quam citius rapuerunt. Expergefactus leo cum socium non inveniret, rugiens huc illucque ibat, nec inveniens tristis ad portas tandem monasterii adiit, et intus, ut soliti erat, prae verecundia ingredi non praesumpsit. Videntes fratres, quod tardius more solito et sine asino venisset, putaverunt, quod fame compulsus asinum comedisset. Nolentes ergo ei annonam consuetam tribuere, dicebant sibi: „Vade, et reliquam partem aselli mande, et tuam ingluviem reple.” Haesitantes tamen, utrum hoc malum perpetrasset, exierunt quaerentes in pascuis, et nullum indicium mortis asini invenerunt, itaque haec Hieronymo rettulerunt. Tunc monitis eius officium asini leoni iniungunt, et ligna caedentes leoni imponunt. Quod cum leo patienter ferret, quadam die expleto opere ad agrum leo exivit, viditque cum onustis camelis praecedente asino illo negotiatores venientes. Mos enim regionis illius est, ut quando cum camelis longius gradiuntur, cameli ut directius vadant, praecedentem et collo funiculum gestantem asinum subsequuntur. Tunc leo viso et recognito asino suo socio cum ingenti rugitu super eos irruit, et omnes homines in fugam convertit. Et rugiens ac cauda fortiter percutiens terram camelos perterritos onustos ad monasterium ire coegit. Quod in spiritu Hieronymus praevidens iussit pedes lavari eis, et hospitibus necessaria praeparari. Tunc leo laetus discurrebat per monasterium, singulorum fratrum vestigiis se prosternens, quasi culpam diceret pro asini amissione. Interim negotiatores adveniunt, et coram Hieronymo provoluti veniam petebant, quos ille benigne docuit, ut sua reciperent, aliena non usurparent. Tandem illi offerebant olei medietatem fratribus, quibus Hieronymus vix coactus assensit, promiseruntque annuatim eandem mensuram olei se duros, et hoc suis heredibus praecepturos. Tandem ad mandatum Damasi papae beatus Hieronymus Psalterium per nocturnos pro singulis feriis distinxit, et „Gloria Patri et Filio” etc. in fine psalmodiarum dicendum instituit, quod papa approbavit. Item die ac nocte semper in lectione, semper in libris erat. Multos etiam persecutores et haereticos obtractores sustinuit, et quam libenter, in epistola ad Asellam dicit sic: *Gratias ago Deo, quod dignus sim habitus, quem oderit mundus, utinam in opprobrium mei solidius hic exurgat mundus, tantum ut merear a Christo mercedem sperare.* 4 Post haec ad extremum propinquans (ut Eusebius scribit) devotissime communicavit, et manus in modum crucis super pectus tenens canticum Simeonis, scilicet *Nunc dimittis* etc. 5 peroravit. Tunc cunctis, qui aderant, cernentibus lux caelitus instar solis ad horam ibi refulsit, in qua luce angeli visi sunt discurre. Vox quoque caelitus lapsa est audita, dicens: „Veni, dilecte mi, tempus est, ut mercedem accipias pro laboribus, quos mei causa supportasti.” Et Hieronymus ait: „Ecce ad te venio, pie Iesu, suscipe, quem tuo recuperasti sanguine.” Tunc subito lux illa disparuit, et anima carne soluta caelos in ea adiit, odorque tantus subsequutus est per dies non modicos, ut omnis miraretur aetas. Obiit autem anno aetatis suae XCIX. circa annos Domini CCCXCVIII. Et sepultus est in sepulcro, quod sibi construxerat in ore speluncae, in qua Dominus natus iacuit. Tunc Cyrillus episcopus Hierosolymitanus dum in cella sua oraret, vidit animam sanctissimam Hieronymi itinere splendido usque ad caelum maxima multitudine angelorum praecedente cereos accensos in manibus gestantem et dulci melodia concinentem, ad dextram Salvatoris gradientem in caelum feliciter introduci. Mox etiam miracula coeperunt coruscare. Nam quidam a nativitate caecus tangens corpus beneficium videndi obtinuit. Quidam etiam iuvenis surdus et mutus loquelam et auditum perfecte recepit. Daemones ab obsessis clamantes exibant. Item haereticus quidam coepit blasphemare Hieronymum dicens, quod eius corpus dignum foret incendio, et protinus divino iudicio in ligni speciem est mutatus, et cunctis cernentibus ignis caelitus invasit, combussit et in cinerem redegit. Quo viso magna turba haeticorum ad fidem rediit. Haec Eusebius. Item Cyrillus pulchra refert miracula facta tandem per eius merita, e quibus aliqua proponamus. Unum est de tribus resuscitatis per eius merita a sancto Eusebio, eius discipulo, et quanta stupenda illi resuscitati narraverunt de futuro saeculo et iudicio ac morte. De quo quidem scriptum habetur prolixius parte de tempore Dominica tertia Adventus, sermone I. „X”, „Y”. Hic ergo scribere omitto. Aliud miraculum refert idem, quod quidam haereticus nomine Sabianus cum suis discipulis suam haeresim defendens falso in disputatione publica allegebat, quod beatus Hieronymus dum viveret, opusculum fecerit scribens ea, quae haereticus ille tenebat, et quod sic Hieronymus astruxerit credendum, prout illorum haeresis dictabat. Cui haeretico contradixit fortiter archiepiscopus de Nazareth nomine Silvanus, qui summa devotione beatum Hieronymum colebat adeo, ut quidquid faceret, Dei nomen et beati Hieronymi praemittebat. Contentione ergo inter haeresiarcham dictum et archiepiscopum orta vehementius quoque alterutrum commoti statuerunt ambo pariter coram omnibus, quod si usque in subsequentis diei horam nonam beatus Hieronymus hoc opusculum falso compositum et sibi intitulatum evidenter ostenderet, praedictus haeresiarcha capite puniretur; sin autem, archiepiscopus. Statuta die et hora advenientes cum nullum foret miraculum de hoc ostensum, haeresiarcha instabat, ut archiepiscopus decapitaretur. Tunc archiepiscopus laetus et consolans fideles genua flexit dicens: „Sancte Hieronyme, adesto mihi, ne falsitas locum teneat, veritati succurre.” Et sic spiculatori collum praebuit, ut feriat. Spiculator elevavit ense ad illum feriendum. Et adest subito gloriosus Hieronymus cernentibus cunctis manu extensa tenens ense et archiepiscopo Silvano imperans, ut exurgat. Et ecce haeresiarchae caput a corpore detruncatum subito in terram corruit, tamquam si spiculatoris manus illud caput amputasset ictu uno. Tunc cuncti, qui aderant, stupefacti Deo gratias egerunt. Denique quomodo postea diabolus de hoc facto commotus contra Silvanum archiepiscopum praedictum ipsum infamavit, apprensus in specie Silvani, tamquam vellet cum quadam muliere nobili peccare carnaliter. Et deprehensus dicebat diabolus se esse Silvanum etc. De hoc ibi longa miraculi huius narratione habetur, quomodo tandem per gloriosum Hieronymum archiepiscopus fuit innocens comprobatus. Haec sufficiant.



---

1 Vide PA 115: De doctoribus sanctis communis sermo vel PA 116: De doctoribus sanctis communis sermo. 2 Mt 6,21 3 Editio: *Nazanenum* 4 Cf. Auctor incertus (Hieronymus Stridonensis ?), *Epistola XLI. ad Oceanum de ferendis opprobrii hortatoria* c. III, PL 30,283A 5 Lc 2,29

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXX.] Sequitur de Seraphico patre Francisco Sermo primus de eius felici similitudine ad Christum *Vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis.* Apoc. I. 1 (A) Misericors Dominus salutem hominum sitiens ab exordio mundi usque finem non destitit sanctos mittere, qui et vita, et doctrina illuminarent homines ac meritorum patrocinii iuarent Ecclesiam. Pro temporum ergo varietate varios ordines sanctorum providit, scilicet circa principium mundi patriarchas, postea prophetas Christum praedicentes, postea apostolos toto orbe evangelizantes. Tandem tempore principum persecutorum martyres, et tempore haereticorum confessores, doctores, et interea religiosos ac virgines. Inter hos temporibus novissimis misit Franciscum, cui ut magis crederent homines, dedit sua stigmata, tamquam sigilla legationis, quibus summi regis Christi similitudinem praeferret. Unde convenienter verba praedicta de eo accipere possumus, quibus Iohannes ait: *Vidi septem candelabra aurea*, id est ordines sanctorum, qui erant aurei per charitatem, et candelabra, quia lucernas vitae et doctrinae illuminantes Ecclesiam tenuerunt, de quibus Luc. VIII.: *Nemo accendit lucernam et [in abscondito] ponit et sub modio, sed super candelabrum, ut lumen* etc. 2 Inter hos autem septem ordines sanctorum, scilicet patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, religiosorum, confessorum et virginum similem Filio hominis, id est Christo beatum Franciscum. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus, de quibus commendatur: · Primo de Filii Virginis, id est Christi similitudine · Secundo de huius similitudinis multiplici habitudine · Tertio de gloriae caelestis beatitudine Haec tria mysteria se consequuntur. (B) Circa primum quaeritur: Cur Deus mittere voluit circa finem mundi talem sanctum, passionis stigmatibus Christo assimilatum pro salute hominum? Nam et mirari posses, quomodo audeat homo appetere Christi similitudinem, cum legatur, quod Lucifer similiter et primi parentes appetendo divinam similitudinem perdidit felicitatem. Respondendo ad haec secundum Franciscum de Mayronis: *Nota, quod similitudo divina distinguitur ab Isidoro De summo bono*: Prima est similitudo superbae aequalitatis appetitae vel comparisonis, quae peccatum est. Unde Glossa super Ps. LXX.: *Qui praeesse vult, ut Deus, qui a nullo est, perverse vult similis esse Deo, sicut diabolus, qui noluit subesse Deo.* Similiter et homo primus, qui ut servus noluit teneri praecepto Dei. O quam multi heu modo sunt similes, qui agunt in peccatis, quod volunt, sed quid erit eis, utique *servus sciens voluntatem domini et non faciens, plagis* etc. Luc. XII. 3 Secunda similitudo divina dicitur impressae imaginis, veluti dicitur similitudo sigilli in cera impressa et pictura similis esse homini, sic omnis homo habet similitudinem Dei, quia *creata est anima ad Dei imaginem et similitudinem*, Gen. III. 4 Hinc Anselmus Proslogion c. I. dicit: *Gratias tibi ago, Domine, quia creasti in me hanc imaginem tuam, ut tui memor te cogitem, te amem. Sed heu abolita et offuscata est fimo peccatorum.* Item Ambrosius De fuga saeculi dicit: *Hoc est habere similitudinem Dei: in iustitia et veritate perfectum esse, Deus enim sine peccato est, et ideo qui peccatum facit, ad imaginem Dei non est.* Haec ille. Tertia similitudo divina est virtuosae conformitatis et imitationis, ad quam Christiani tenentur, iuxta illud Math. V.: *Estote perfecti, sicut et pater vester caelestis perfectus est, 5 qui solem suum facit oriri. 6 Diligite inimicos vestros* etc. 7 Et sic patet solutio ad obiecta de Lucifero et primis parentibus, qui primam et perversam similitudinem divinam appetebant. Ideo Hugo De sacramentis li. I. dicit: *Perversa similitudo Dei est, quae ex imitatione non quaeritur. Creaturae enim convenit appetere Dei similitudinem ad imitationem, non ad aequalitatem.* Haec ille. (C) Ad quaesitum ergo respondetur secundum doctores nostros, quod Christus misit in fine mundi beatum Franciscum cum stigmatibus assimilatum pro salute hominum quadruplici ratione. · Primo propter passionis Christi imitationem · Secundo propter poenitentiae animationem · Tertio propter iudicii citatorum terrorem · Quarto propter fidelium excitationem Primo propter passionis Christi imitationem. Nam quaero te, o homo: Quid putas, quare Christianus diceris, nisi utique ut Christum imiteris. Unde Bernardus super Cantica sermone XV.: *Quid est Christianus sum, nisi Christi frater et imitator sum. Si sum, quod dicor, heres sum Dei, coheres Christi.* Item Augustinus De disciplina Christiana dicit: *Christi nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur.* Ad hoc ergo cum stigmatibus Franciscus est missus, ut invitet ad Christi passionem imitandam per poenitentiam. Exemplum: Qui vult columbas silvestres attrahere morari in domum suam, accipit unam, et mellito nutrit tritico. Tandem illo repletam usque ad rostrum, mittit eam inter silvestres, quae sentientes dulcedinem mellis in ore eius sequuntur illam domesticam ad domum. Sic Christus silvestres peccatores attrahit amoris dulcore per beatum Franciscum. Secundo propter poenitentiae animationem. Nam quaero te, Christiane: Quid facit leve fore omne opus poenitentiae. Respondet Gregorius: *Si passio Christi ad memoriam revocetur, nil tam durum, quod non aequo animo toleretur.* Sed quia circa finem mundi, ut dicitur Matth. XXIV. 8, *abundavit iniquitas, et refriguit charitas multorum*, ut vix sint, qui velint vere poenitere. Ideo misit Deus Franciscum cum stigmatibus, quae ex amore, scilicet in cruce exhibito inflammarent ad charitatem, et provocent ad poenitentiam. (D) Tertio propter iudicii citatorum terrorem. Iam quippe in fine mundi imminet iudicium, ubi Christus ostendit sua vulnera toti mundo ad exprobandum reprobos et laetificandum iustos, ut ait Chrysostomus. Ideo Franciscus tamquam iudicii praeco et praecursor Christi cum stigmatibus missus est, quasi cum citatoria littera sigillis munita, ut peccatores terreantur, et per poenitentiam se praeparent. Sicut enim gladius portatur ante regem ad iustitiae et magnificentiae honorem ac terrorem inimicorum et latronum, sic Christus haec signa passionis praemisit in mundum. Quarto propter fidelium excitationem ad passionis Christi devotionem et inflammationem in eius amorem, sciens, quia iam fine mundi approximante instat resurrectio corporis, et animae eidem reunio. Et ideo imitemur Christum passum, diligamus et gratias agamus, ut cum eo glorificari mereamur, unde Ro. VIII.: *Si*

*compatimur, et conregnabimus.* 9 Hinc canit Ecclesia: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, scilicet devotione, pax super illos et misericordia.* Proinde legitur etiam in Vita sociorum beati Francisci, quod Franciscus dixit fratri Leoni a Christo sibi fore revelatum, scilicet quod quicumque haberet ordinem suum in reverentia et devotione, bonum finem consequeretur, et quicumque persequitur, sine poena non transiret. (E) Circa secundum principale de multiplici similitudine Francisci ad Christum quaeritur, in quibus fuerit beatus Franciscus privilegio speciali Christo assimilatus. Ad quod secundum Bartholomaeum de Pisis Libro conformitatum responderetur, quod in multis, e quibus aliqua proponamus loquendo non solum de similitudine virtutum, sed etiam de exterioribus conformitatibus. Prima similitudo in prophetica praenunciatione, quia sicut Christum praedixerunt prophetae venturum in mundum, sic Franciscum Scripturis praesignaverunt, ut tractat Franciscus de Mayronis et Bartholomaeus ubi supra, ac alii nostri doctores cum Bonaventura. Primo namque in Veteri Testamento Ezech. IX. praesignatur in angulo *signante 'tau'*, id est crucis signum *super frontes virorum gementium et dolentium* aliis non signatis percussis 10, quia impenitentes damnantur. Secundo Dan. III.: *Species – inquit – quarti similis est Filio Dei,* 11 quia cum in Ecclesia veluti in fornace ardentis charitatis ad Dei laudem tres fuerint duces principales ordinum, scilicet Basilius, Benedictus et Augustinus, quartus eis adiunctus est similis Filio Dei, Franciscus. Tertio evidentius in Novo Testamento Apostolus Gal. VI.: *Ego – inquit – stigmata Domini Iesu in corde meo porto.* 12 Et II.: *Christo crucifixus sum cruci.* 13 Quibus Paulus fert testimonium Francisco, ut dicit Nicolaus papa de verbo sig. „Exiit qui seminat” li. VI. Quarto Iohannes Apoc. VII. praevидit in *angelo ascendente ab ortu solis, habente signum Dei vivi.* 14 Unde Bonaventura in prologo legendae dicit, quod indubitabili fide per illum angelum designabatur Franciscus. Quinto Cyrillus anachoreta montis Carmeli, atque sexto Ioachim abbas li. Concordantiae de Francisco et eius ordine ac habitu et vita expresse praedixerunt. Septimo Sibylla Cumaea praedixit Christum et apostolos et post eos beatum Franciscum. Secunda similitudo in affectione crucis et devotione, quia sicut Christus amanter pro nobis crucem sustinuit, sic Franciscus toto amore fervebat ad crucem Christi. Et dum semel oraret, apparuit sibi Christus veluti Crucifixus in spiritu dicens: „*Si vis venire post me, tolle crucem*” etc. 15 Ex tunc totum studium circa crucem Christi habuit, et oculis mentis Crucifixum iugiter cernebat. Tertia est in natali reclinatione. Ut enim fertur, tempore, quo deberet Franciscum parere mater sua, divino nutu cogitavit ire ad stabulum, ut apponeret foenum bovi et asino, qui ibi erant, ubi dum esset constituta, irruente partu super eam ibidem peperit Franciscum inter animalia dicta iuxta praesepe. Et sic quodammodo Christo similatur. Quarta similitudo in illustratione, quia sicut Christo nato illustratus est mundus miro lumine, sic nato beato Francisco tantum lumen resplenduisse fertur, ut daemones terri putarent iudicii diem imminere, unde et consilium tractaverunt de persequendo Francisco et eius ordine, ut testatus est hoc quidam daemon per os daemoniaci, quem liberavit beatus Franciscus a daemonio, Libro conformitatum. Quinta est in sanctorum congratulatione. Sicut enim de Christi adventu congratulati sunt sancti, sic de beato Francisco legitur, quod frater quidam Benedictus de Aretio sanctitate praeclarus dum de partibus ultramarinis rediret ad Italiam, superveniente maris tempestate pro alleviatione navis sorte est missus in mare ut alter Ionas, quem angelus Domini suscepit, et ad Paradisum deliciarum duxit, ubi Elias et Enoch ipsum videntes interrogarunt, cuius esset conditionis. Et respondit se Christianum et ordinis beati Francisci fore fratrem, et regulam, quam apud se scriptum habuit, illis ostendit. Tunc illi Deo gratias agentes exsultaverunt magno gaudio pro adventu beati Francisci et eius ordinis dicentes: „*Jam – inquit – in brevi est Antichristus venturus, per quem martyrium patiemur et coronati in caelum ibimus.*” Et post moram cum ostendissent dicto fratri mira in Paradiso facta, angelus ipsum suscepit, et in portu Anconae, videlicet antequam alii de sua navi advenissent, locavit, quibus mirantibus revelationem narravit. Sexta est in persecutione, quia sicut Christus natus mox ab Herode daemonum suggestionem incitato persecutionem est passus, sic de beato Francisco legitur in antiqua legenda, quod die, qua est Franciscus natus, quidam advenit peregrini in specie angelus ad ostium elemosynam petens, et petivit a famula, ut ei puer natus exhiberetur ad suscipiendum in ulnas. Sed cum famula non auderet concedere, et ille in rogatu persisteret, tandem mandante matre eidem est oblatas, qui puerum accipiens in ulnas osculatus est, et eius humeris in parte dextra crucem impressit, et dixit eum fore futurum de melioribus hominibus mundi, ac mandavit magna custodia gubernandum propter insidias daemonum, quas sibi praeparaverunt. Et his dictis disparuit. Septima in regulari institutione, quia sicut Christus omnes homines docuit salvari, sic beatus Franciscus pro omnibus statibus hominum tres ordines regulares fecit. Octava in evangelica perfectione, quia perfectissime tenuit evangelicam vitam, et tenendam in regula mandavit ad imitationem Christi conformem. Nona in discipulorum aggregatione, quia ut Christus, habuit XII discipulos principales, quorum unus tamquam alter Iudas periit, alii autem sanctissimi erant. Decima in ieiuniatione. Nam ut Christus XL dies ieiunavit sine cibo omni, praeterquam quod ultima die comedit panem, ne omnino aequaret se Christo, et hoc ex humilitate. Undecima in conversione, scilicet mundi. Sicut enim Christus per apostolos convertit mundum, sic Franciscus fratresque sui destinati sunt ad conversionem mundi. Et ut Ioachim ubi supra dicit: Ac sancto Francisco Christus revelavit, quod Ordo Minorum perseverabit usque ad finem mundi, et ipsius fratres praedicabunt contra Antichristum, ac per fratres eius gens Machometica et mundus totus tunc convertetur ad Christum. Duodecima in aquae mutatione. Sicut enim Christus aquam mutavit in vinum, sic beatus Franciscus cum esset infirmus in quodam loco fratrum pauperrimo, vinum appetiit, quod cum non haberent, aquam portaverunt sibi, et crucis facto signo in vinum mutavit, cuius gustu convaluit. Tredecima in transfiguratione. Sicut enim Christus transfiguratus visus est in gloria, sic legitur Franciscus frequenter luce absorptus caelitus futura contemplatus, cum Christo et Virgine Maria familiariter collocutus. Nam et quodam tempore visus est a fratribus in solari specie noctis media hora ignea quadriga vectus, et saepissime in oratione elevabatur a terra per magna spatia temporum. Decimaquarta in oboeditione, quia creaturis imperat, et oboediunt ad nutum ei, qui se totum subiecerat nutui Creatoris. Nam et avibus ac cicadis quando praecipiebat advolare vel cantare aut cessare, semper oboediebant. Et plura talia in legenda. Decimaquinta in rigida observatione, quia sicut Christus in deserto magnam austeritatem tenuit, nec pulvinaribus usus est, vestis eius dura et in modum crucis, et sine calciamentis. Sedecima in inimici effugatione. Nam sicut Christus inimicos, id est daemones effugabat, sic legitur, quod beatus

Franciscus hospitatus apud Aretium in suburbio vidit super totam civitatem exsultantes daemones. Nam perturbatis civibus et ad caedem mutuam conversis propinquum civitati imminere excidium. Misit ergo mox beatus Franciscus fratrem Silvestrum, ut ante portam clamaret dicens: „Ex parte omnipotentis Dei, et iussu beati Francisci procul hinc discedite, daemones universi.” Qui omnes fugerunt, et civitas mox pacificata est. Decimaseptima in stigmatizatione, quia consimilia Christo vulnera habuit ab ipso Christo miraculose impressa cum clavis in manibus et pedibus. Decimaoctava in fusione sanguinis, quia sicut Christus fudit pro nobis sanguinem per illa vulnera die Veneris, sic singulis diebus Veneris ex vulneribus Francisci sanguis abundantius fundebatur miraculose. Decimanona in repromissione, quia sicut Christus vitam aeternam repromisit suis discipulis, ita beatus Franciscus suam regulam observantibus ex revelatione Christi sibi facta, sed non observantibus vel in peccato mortali viventibus praedixit, quod aut apostatabunt, aut poenitentiam agentes convertentur. Vicesima in angelica confortatione et evocatione, quia sicut Christo propinquo passioni et morti apparuit angelus confortans eum, sic Franciscus cum multis infirmitatibus praeviis propinquaret morti, et desideraret pro iucunditate spiritus audire sonitum harmonicum, ecce angelus Domini affuit, qui cythara insonuit tam mira suavitate, ut aliud saeculum putaret Franciscus se commutasse. Vicesimaprima in nudatione, quia sicut Christus pauper et dolens et nudus in cruce mortuus est, sic Franciscus circa mortem fecit se denudari, et ad mandatum guardiani habitum resumpsit, ut paupertati et oboedientiae fidem tenuisse ostenderet, de qua fratres admonuit. Vicesimasecunda in Christiformi extensione. Nam sicut *Christus extensis manibus in cruce mortuus est psallens et animam commendans* etc., sic Franciscus extendit manus circa mortem in modum crucis brachiis cancellatis, eo quod hoc signum semper amabat, et omnibus fratribus in Crucifixi nomine benedixit praesentibus et futuris, et evangelium de passione Christi secundum Iohannem legi fecit, orans et psallens transiit. Vicesimatertia in iubilosa introductione, quia Christus cum iubilo ascendit in caelum, sicut Franciscus laetus dixit: „Ecce propero ad Deum.” Et iterum Psalmum „*Voce mea ad Dominum clamavi*” 16 complens dixit: „*Me exspectant iusti, donec retribuas mihi*” 17. Ex quo credo pie sanctos Dei angelos ac beatos tunc exspectantes affuisse. Anima autem soluta visa est in specie stellae praefulgidae recto tramite in caelum sursum ferri et introire lucem aeternam, ubi cum Christo regnat etc. Vicesimaquarta super omnia est haec, quod simulatur Christo in virtutum perfectione, scilicet humilitate, oboedientia, paupertate, castitate, patientia, charitate, pietate, sobrietate et ceteris. Haec sufficiant. (F) Circa tertium de gloriosa beatitudine Francisci quaeritur, utrum beatus Franciscus in similitudine Christi transformatus sit ad supremum chorum angelorum sublimatus et summa gloria felicitatus. Ad quod secundum Franciscum de Mayronis in sermone aliosque recolligendo respondetur, quod sic, per plures rationes sequentes. Prima ratio Seraphici amoris. Nimirum Magister dicit in II. dist. IX. c. VI. allegans Gregorium, videlicet quod *homines pro qualitate meritorum statuuntur in ordinibus angelorum, et illi in ordine superiorum, qui magis ardent charitate, alii in ordine inferiorum, qui minus perfecti sunt*. Haec ibi. Sed quoniam beatus Franciscus ardebat in praesenti Seraphico amore ad Christum, ut testatur Bonaventura, ergo in illo ordine summo est exaltatus. Secunda ratio elongationis a terrenis. Nam Augustinus De civitate Dei li. IX. dicit sic: *Quanto quisque fit Deo similior, tanto propinquior*. Nulla est enim ab eo longinquitas alia, quam dissimilitudo eius per temporalium cupidinem. Proinde et Seraphim sunt Deo proximiores, quia ab infimis summe elongati in solo Dei amore ardent, et in Christi plagas adeo transformantur per charitatem, sicut dicit Franciscus de Mayronis, quod scilicet qui intime cerneret Seraphim, videret in eis stigmata Christi expressa intellectualiter, sicut sensualiter fuit in Seraph apparitione beato Francisco facta demonstratum. Cum ergo beatus Franciscus fuerit Seraphico amore in Christi similitudinem summe transformatus prae ceteris, habetur propositum. (G) Tertia ratio, quam magnae humilitatis. Est enim regula per Christum tradita, quod *qui se humiliat, exaltabitur*, 18 ergo qui se magis humiliat, magis exaltabitur, et qui maxime, maxime, per Topicam regulam, scilicet: *Sicut simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis, et maxime ad maxime*. Sed beatus Franciscus fuit permaximae humilitatis, ut testatur Bonaventura in legenda, ergo summe est exaltatus in caelo, sicut et revelatione certa confirmatum est. Ut enim in legenda dicit Bonaventura, quidam sanctus frater, scilicet Ludovicus, et alius consimiliter sanctus frater, Masseus orans in extasi factus vidit in caelo inter multas sedes unam ceteris digniorem, omni gloria refulgentem miratus, quis ad illam deberet assumi, audivit vocem dicentem: „Sedes ista unius de ruentibus fuit, et nunc humili servatur Francisco.” Reversus ad se frater tandem interrogavit beatum Franciscum, quid de seipso sentiret. Ad quem ille: „Videor – ait – mihi maximus peccatorum.” Cumque frater diceret ex adverso, quod hoc sana conscientia non posset dicere, respondit: „Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane, quod multo, quam ego gravior Deo esset.” Et sic ille aedificatus est. Quarta ratio exultationis felicis et multiplicis. Nam beatus Franciscus in caelesti gloria gaudet. Primo de charitatis ardore Seraphica Dei visione. Secundo de Christi assimilatione per gloriosa illa scilicet stigmata. Tertio de Beatae Virginis Mariae dilectione. Quarto de omnium sanctorum congratulatione, quia tam Beata Virgo Maria, quam omnes sancti plurimam afficiuntur ad gloriosa illa Christi stigmata, quibus decoratur beatus Franciscus. Quinto gaudet de multorum salute adquisita per se et per sui ordinis fratres. Sexto gaudet de singulis fratribus in caelo. Septimo de illustratione totius caelestis patriae ex gloria stigmatum, qua refulgebit post resurrectionem. O ergo sanctissime pater, ora pro nobis.

---

1 Apc 1,12-13 2 Lc 11,33 3 Cf. Lc 12,47 4 Cf. Gn 1,26-27 5 Mt 5,48 6 Mt 5,45 7 Mt 5,44 8 Cf. Mt 24,12 9 Rm 8,17 10 Ez 9,4 11 Dn 3,92 12 Gal 6,17 13 Cf. Gal 6,14 14 Apc 7,2 15 Cf. Mt 16,24; Mc 8,34; Lc 9,23 16 Ps 141,2 17 Ps 141,8 18 Lc 14,11; 18,14

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXI.] De Seraphico patre beato Francisco Sermo secundus *Nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*. Gal. VI. 1 et in epistola



hodierna. (A) Mirabile simul et amabile mysterium Dominus Iesus facere voluit, quando beatum Franciscum suae sanctissimae passionis stigmatibus decoravit et honoravit ad utilitatem Sanctae Ecclesiae, quod apostolus Paulus in spiritu praevidens. Et ut dicit Nicolaus papa in sua decretali „Exiit, qui seminat” de ver. sig. li. VI.: testimonium Apostolus tulit Francisco, ac si in persona illius loqueretur dicens: *Nemo*, scilicet Christianorum verorum, *mihi molestus sit*, quibus minus dicit et plus significat per figuram litote, quod dicit: immo potius fidelis Christianus debet erga me, scilicet Franciscum, esse devotus et charitativus pro tali assimilatione ad Christum et pro tanta gratia Dei, unde subdit: *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore* etc. Et denique quod ex hoc magna et saluberrima utilitas sequatur fidelibus, subiungit ibidem dicens: *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres, amen.* 2 Haec omnia de sancto Francisco Ecclesia accipit et canit in epistola. Ideo ad eius honorem convenienter accipimus pro themate sermonis. Iuxta quae tria mysteria in hoc sermone declarabimus ad honorem beati Francisci. · Primum dicitur devotissimae venerabilitatis · Secundum dicitur mirificae sanctitatis · Tertium dicitur salvificae utilitatis (B) Circa primum de devota veneratione et affectione habenda erga beatum Franciscum ac eius sacra stigmata quaeritur, quare debeant omnes fideles devotionem magnam et reverentiam habere erga beatum Franciscum ac stigmata Christi impressa. Ad quod respondetur, quod ratione quadruplici: · Prima ratio ex parte catholicae fidei · Secunda ex parte passionis Christi · Tertia ex parte caelestis gaudii · Quarta ex parte huius miraculi Prima ratio accipitur ex parte fidei. Omnis enim fidelis debet habere devotionem ad fidem catholicam, sine qua non est salus. Unde Athanasius in Symbolo: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem. Quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Sed quaero te: Quid est illud, per quod maxime roboratur fides et confirmatur? Respondetur, quod maxime hoc faciunt miracula, non autem sapientia, vel quaeque alia, ut testatur Apostolus Cor. II. dicens: *Fides vestra non in sapientia hominum, sed in virtute Dei et maxime Crucifixi.* 3 Maius quippe est miraculum tale factum per crucifixum ac mortuum Dominum Iesum, quam si vivens hoc fecisset. Sed quoniam istud miraculum impressionis stigmatum passionis Christi in beato Francisco contra omnes haereticos et infideles est fidei roboramentum et firmamentum. Tum quia divina sola virtute hoc fieri potuit eo modo, quo factum est, videlicet quod in istis plagis clavi ex carne vel nervis illius fabricarentur, sic innati, ut divelli non possent. Tum quia insolitum et numquam simile antea visum. Tum quia divina virtute praeditum in faciendis multis miraculis, ut infra dicitur, ergo magna devotione est venerandum. Hinc legitur Libro conformitatum, quod cum cardinalis quidam bello contra Assisium disposito vix obtinisset a civibus, ut introduceretur ad cryptam, et vidisset corpus beati Francisci, dicebat, quod etiam si nulla alia forent miracula, hoc solum sufficeret pro fide Christi roboranda. Secunda ratio ex parte passionis Christi, quia ad passionem Christi omnis fidelis debet iugem habere devotionem, iuxta illud Ecc. XXIX.: *Gratiam fideiussoris tui ne obliviscaris, dedit enim animam suam* pro te. 4 Hanc autem stigmatizationem fecit Christus pro renovanda memoria passionis suae in mundo, quae iam inveterata erat, paene oblita. Sed per Franciscum est in cordibus fidelium innovata, in quo et visibiliter impressa cernitur. Nimirum videmus, quod reges magnifici solent res gestas et magnas victorias depingi vel sculpi facere ad memoriam hominum. Sic Christus, rex crucis triumphum in beato Francisco fecit. (C) Si quaeras, quia hoc, respondetur, quod propter nostram utilitatem et salutem, quia ait Magnus Albertus in li. super Missam: *Simplex meditatio passionis Christi et devota recordatio plus valet, quam si quis per integrum annum ieiunaret in pane et aqua qualibet feria sexta, vel disciplinaret se usque ad effusionem sanguinis, vel legeret unum Psalterium qualibet hebdomada.* Hinc etiam legitur, quod beatus Franciscus cum exorasset Deum, quod sibi revelaret, quid foret acceptissimum coram Deo, et sic librum in nomine Domini aperisset ter, semper occurrit de passione Christi et crucis eius imitatione. Et sic patet, quod propter passionem Christi debet quilibet devotionem habere ad stigmata. Tertia ratio ex parte caelestis gaudii. Caelestis enim curia maxime gaudet et amore afficitur pro cicatricibus Christi, quae totam patriam supernam miro modo decorant et illustrant, secundum quod Augustinus dicit: *Unde et Ecclesiae militantis filii debent ad illa Christi vulnera magno amore teneri.* Ut enim Dionysius li. Ecclesiasticis hierarchia dicit: *Ecclesia militans debet se conformare Ecclesiae triumphantis.* (D) Sed quoniam secundum Franciscum de Mayronis: *Sicut cicatrices Christi et martyrium post resurrectionem remanebunt in corporibus gloriosis ad illorum honorem et decorem totius patriae caelestis ex gloriae splendore diffuso per totam curiam caelestem, ut etiam tenet Scotus super IV., sic et ista stigmata beati Francisci post resurrectionem in eius corpore glorioso in perpetuo remanebunt ad honorem et decorem curiae caelestis.* Nam si auferentur, nudaretur eius persona suis privilegiis, quod est inconveniens. Etenim regula iuris est: *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Sed hoc privilegium stigmatizationis beati Francisci semel placuit Deo, ergo etc. Itaque claret, quod ex quo haec stigmata sunt ad gaudium caelestis curiae pro tali assimilatione ad Christum, ergo et omnes salvandi debent et nunc devotionem habere ad ea. Quarta ratio ex parte huius miraculi, quia est magnae venerabilitatis, terribilitatis et amorositatis signum, ac magnum et singulare privilegium similitudinis Christi. Est quippe, ut dixi, magnae venerabilitatis, utpote digito Dei vivi descripta imago Crucifixi non in tabulis lapideis, sed carnis, hoc est in corpore beati Francisci, teste Bonaventura. Si enim Iudaei venerabantur Moysen et tabulas eius lapideas, in quibus digito Dei vel ministerio angelico descripta erant praecepta Decalogi, quanto magis debemus nos venerari beatum Franciscum, in cuius carne ipse Christus tam mirabiliter descripsit suorum vulnerum imaginem ad salutarem utilitatem totius Ecclesiae. Item est signum terribilitatis. Nam Deus fecit aliqua miracula solum terribilia, ut in diluvio, et etiam in Sodomitis, et faciet in iudicio. Alia fecit solum amabilia, ut in incarnatione et in passione. Haec autem stigmatizatio est terribilis quidem malis, quia futuri iudicii per Christum passum faciendi citatio, scilicet tamquam per litteras sigillatas in praecursore. (E) Est etiam, ut dixi, magnae amorositatis indicium in hoc miraculo. Nam quaero: In quo relucet maxima charitas Dei ad homines? Respondet Bernardus dicens: *Vere in nullo sic commendat Deus charitatem suam in nobis, quam in passionis mysterio, iuxta illud Ioh. XV.: Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amico suo.* 5 Revera tanta est haec et talis charitas, quod si caelum et terra tota essent pergamenum, totum mare et omnes aquae incaustum, et tot scriptores, quot folia arborum et gramina ab initio mundi fuerunt, et si inceperent a

principio mundi, ac scriberent usque novissimum diem, non sufficienter posset describi magnitudo tantae charitatis divinae. Proinde Hugo: *O charitas, quam magnum et forte est vinculum tuum, quo Deus ipse ligari potuit*, scilicet ad mortem crucis. Huiusmodi charitas signa sunt expressa in sacris stigmatibus beati Francisci. Denique magnum est hoc privilegium, ut homuncio assimiletur non solum in anima, sed et in corpore Filio Dei, multo maioris gloriae et honoris est, quam militem induere in vestibus regalibus. Ideoque omnis Christianus debet magna devotione ad beatum Franciscum affici propter Christi honorem et amorem, quia qui ipsum honorat et amat, Christum, cuius est similitudo, honorat et amat, et *qui ipsum spernit, Christum spernit*, ut testatur Christus Lu. X. 6 Unde et signum salutis esse dicitur, quando quis ad ordinem eius devotus est, et divina ultione celeri percutitur morte, qui eum persequitur, sicut revelatum fertur fore a Christo ipsi beato Francisco, et certa probatum est experientia in plerisque. (F) Circa secundum de mirifica sanctitate beati Francisci accipiamus hanc conclusionem, quod benedictus Iesus mirificavit Franciscum in corpore et anima multis miraculis per singula membra, ut clarescat eius sanctitas permaxima. Declaratur incipiendo a capite usque ad pedes et quaeque ad eum pertinentia, et videbimus, quod a planta pedis usque ad verticem non fuit in eo nisi magna et mira sanctitas. Primo verticis et capitis capilli fuerunt sancti et mirae virtutis. Cum enim quidam medicus barberius circa ipsum infirmum valde sollicitus fuisset, et domus eius ob multiplicem scissuram minaretur ruinam, ille ex devotione modicum de capillis beati Francisci accepit, et intra scissuras posuit, et domus die altera visa est adeo firmata, quod nec scissura apparuit in ea. Secundo frons et facies fuerunt sanctae, quia in eis apparuit signum magni 'tau', id est: crucis colorum varietate distinctum, et miro ornatu faciem ipsius totam venustans vidente fratre Pacifico. Tertio oculi fuerunt sanctissimi continue devotissimas lacrimas effluentes, ac si coram se iugiter crucifixum Iesum cerneret praesentem. Unde cum a medico sibi suaderetur abstinere a fletu pro evasione dolorum oculorum, respondit, quod ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, non est reprimenda visio internae lucis. Sancti quoque eius et beati oculi saepe videre meruerunt Christum apparentem et angelos. Quarto aures fuerunt sanctissimae, quia vocem Christi audire promeruerunt pluries. Nam ter Christus sibi replicans dixit: „Francisce, vade, repara domum meam, quae tota, ut cernis, destruitur.” Item alia vice dixit ei: „Francisce, quis potest tibi melius facere, dominus an servus, dives an pauper?” Et cum responderet, quod dominus et dives, ait: „Cur ergo relinquis pro servo dominum, pro paupere divitem?” Et ex tunc amor terrenorum sibi viluit, et totus in Christi amorem exarsit. Tertio quoque in principio conversionis Christus sibi dixit: „Francisce, amara pro dulcibus sume, et teipsum contemne, si me cupis agnoscere”, et plura huiusmodi. Denique cum aegrotaret maxima infirmitate, et cuperet pro spiritus consolatione sonum harmonicum audire, statim angelus Dei affuit, et cytharam percutiens dulcissimum solatium praebuit. Quinto nares sanctissimae fuerunt, quae foetores leprosum non curabant, sed eis applicabantur osculando pro amore Christi ulcerosas plagas, et sic eos sanabant. Unde quidam occurrit ei, cuius os et maxillam morbus horribilis depascens corroserat, quem amore Christi Franciscus osculans mox perfecte sanavit. Sexto labia et lingua sanctissima erant, quia auditio nomine Iesu mox lingendo prae dulcedine Christi quasi forent uncta Spiritu Sancto, dulcificabantur. Unde sanctus Franciscus requisitus, cur sic ad nomen Iesu labia lingeret, respondit, quod prae illa dulcedine amoris Christi se continere non posset a lingendo. Septimo oris verba erant tam maxime sanctitatis, quod quem benedicebant, erat benedictus, et quem maledicebant, erat maledictus. Nam cum aves salutavit, omnes ei praedicanti rostro aperto et alis extensis intendebant, donec eas benediceret, et abire vel Deum cantantes laudare mandabat. Item cum gregem ovium salutasset, relicto pastu omnes ad eum cucurrerunt, et levatis capitibus eius verbis intendebant et plaudebant. Item quaedam mulier sibi conquesta, quod virum crudelem haberet, qui etiam in servitio Dei ipsam impediret, misit illi per eam suam benedictionem dicens, et mandans, ut haec sua verba illi diceret: „Nunc tempus est misericordiae, postmodum aequitatis.” Ad quod verbum vir ille tantam sensit mutationem, quod ad uxorem semper benivulus exstitit, quoad vixit. Et ambo Deo servientes tandem uno die morientes in caelum pervenerunt. Denique de maledictione eius legitur, quod cum sus quendam mitissimum agnum vorasset, beatus Franciscus compassione motus suem maledixit, et mox mortua est sus illa. Octavo saliva sancta fuit, quia per illam liniendo oculos cuiusdam puellae visu privatae restituit mox eidem clarum lumen visus. Nono gustus et dentes sanctissimi fuerunt, quia cum in infirmitate vinum gustare pro confortatione appetuisset, et non haberent fratres vinum, tunc adduci iussit aquam, et signo crucis edito mox vinum efficitur optimum, ad cuius gustum de infirmitate statim convaluit. Item buccella panis, de quo edebat sanctus Franciscus, transmisit cuidam horribili infirmo, qui videbatur a daemonio vexari. Qua buccella gustata ille statim est liberatus, ut deinceps numquam vexaretur. Decimo humeri et dorsum fuerunt sanctissimi, quia apostolicus vidit ecclesiam Lateranensem ad ruinam declinantem dorso et humeris Francisci sustentari, hoc est exemplis, doctrina et meritis. Undecimo latus fuit sanctissimum, quia vulnere Christi laterali meruit insigniri. Duodecimo pectus et corpus totum, quia cum praedicaret, visus est a fratre Pacifico tunc saeculari duobus transversis ensibus valde fulgentibus in modum crucis a capite ad pedes et a manu in manum per pectus transversaliter totus consignatus. Cuius verbis compunctus ille religionem intravit. Item quia ab omni labe peccati eius corpus fuit praeservatum. Tertiodecimo manus fuerunt sanctissimae et brachia, quia Christi stigmatibus consecrata, et panis eius manibus tactus infirmos curabat. Decimoquarto unguis. Nam quidam frater cum temptaretur graviter, ipse in spiritu praevidens dixit ei: „Veni, fili, praescinde mihi unguis.” Quod ille libenter fecit, et unguis praecisos servavit, ac sic a temptatione mox liberatur et maxime consolatur. Decimoquinto scripta eius. Cum enim quidam frater magnam spiritus temptationem pateretur, cogitavit, quod si de manu beati Francisci aliqua scripta habere posset, liberaretur. Quod beatus pater in spiritu cognoscens eidem mandavit, ut portaret chartam et atramentum, et quaedam Dei laudes conscribens illi porrexit, et mos omnis temptatio cessavit. Ipsa quoque charta servata postea multis aegris sanitatem contulit. Decimosexto pedes sanctissimi fuere, quia stigmatibus consecrati. Decimoseptimo lotura pedum et manuum, quia pestilentes oves et boves aspergens super eos sanavit. Decimo octavo habitus, quia ipso tangens aves in nemore non avolabant, sed advolantes contrectari se permittebant. Et dicitur usque hodie habitus ille, in quo accepit stigmata, sine corruptione servari in castello montis Alvernae, qui cum videtur radiare splendore, noscitur, quod aliquis inibi debet mori, et ad mortem praeparant se tunc omnes, et sic aliquis moritur.

Decimonono baculus, quia cuidam cum baculo 'tau' signum habente apostema fregit, et mox sanavit. Vicesimo chorda, qua praecingebatur, quae servata et saepe in aqua posita infirmos potantes sanavit. Vicesimoprimum nomen, nam dum in civitate Parmensi scholares in studio garrulitate hirundinis impedirentur, quidam eorum ait hirundini: „In nomine servi Dei Francisci praecipio tibi, ut ad me venias, et continuo conticescas.” Et auditus Francisci nomine mox tacuit et advolavit. Item clericus Matthaheus intoxicatus veneno mortifero Francisci nomine devote deprompsit, et mox veneno evomito liberatus est. Vicesimosecundo anima sanctissima fuit, quae soluta in specie stellae intravit caelum. O homo, cogita, quod si Christus ipsum adeo exaltavit hic, quid est in caelo. (G) Circa tertium de salubri utilitate, videlicet devotionis et invocationis meritorum beati Francisci quaestio occurrit, quomodo sanctorum Dei merita ad invicem possint communicari, ut noverimus, qualiter possimus communicari in meritis gloriosis tanti sancti, scilicet Francisci. Ad quod respondet Augustinus li. L. homiliarum dicens sic: *Congaude illi, cui Deus aliquam gratiam dedit, et potes habere in illo, quod in te non potes. Ille forte habet virginitatem, ama illam, et tua est. Tu habes maiorem patientiam, diligit te, et sua est. Ille potest satis vigilare, si non invides, tuum est studium suum. Tu forte potes amplius ieiunare, si amat te, suum est ieiunium tuum, hoc ideo, quia in illo tu es, per proprietatem enim non es, sed per charitatem tu es.* Haec ille. Ex quibus patet, quod per charitatem et devotionem erga beatum Franciscum et eius ordinem participare poteris in meritis illius et praemiis ad salutem. Qualia autem bona consequi valeas per eius merita pro tua erga eum devotione, clarescit ex ipsa epistola hodierna, ubi canitur sic: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, scilicet devotione debita, pax super illos et misericordia.* 7 Et infra: *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres, amen.* 8 Prima ergo utilitas est pax, scilicet cum Deo et angelis, quia peccator a peccatis vere convertitur ad Christum per beati Francisci merita, et sic pacificatur. Secunda est misericordia, ut liberetur a periculis huius miseriae. Tertia est gratia specialis Domini Iesu. Quarta ad haec sequitur gloria. Ideo dicitur *amen*, id est: vere et fideliter ad gloriam sempiternam. O ergo peccatores, o cuncti fideles viri et mulieres. O divites et pauperes, omnis aetatis et conditionis homines, accedite ad venerandum devote beatum Franciscum, ut per eius merita habeatis hic et in futuro omnia bona praestante Domino Iesu etc.

---

1 Gal 6,17 2 Gal 6,18 3 I Cor 2,5 4 Sir 29,20 5 Ioh 15,13 6 Cf. Lc 10,16 7 Gal 6,16 8 Gal 6,18

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXII.] De Seraphico patre Francisco Sermo tertius, scilicet de crucis Christi devotione, qua ipse mire claruit *Christo confixus sum cruci, vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.* Gal. II. 1, et ad laudem huius sancti Francisci. (A) Sicut dicit Hugo et concordans Augustinus: *Charitas tantae virtutis est, ut copulet amantem cum amato*, et ideo Christianus fidelis existens in charitate Christi passi adeo unitur per amorem Christo, ut in eo transformetur, et in Christo vivat, quemadmodum ferrum ignitum totaliter transformatur in ignem, ut sit candens et calens. Sed quoniam beatus Franciscus fuit plenus divini amoris igne, et totum studium ad Christi amorem crucifixi apposuerat, idcirco cum Apostolo convenienter dicere poterat haec verba: *Christo confixus sum cruci*, scilicet per fidem et charitatem, *vivo autem iam non ego*, qualis fui in saeculo amans terrena, *vivit vero in me Christus*, scilicet per gratiam inhabitantem. Nam I. Ioh. IV.: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* etc. 2 Iuxta quae verba thematis ad honorem beati Francisci tria mysteria notabimus, sicut et de his tribus in ipsis verbis commendatur et in exemplum proponitur. · Primo de crucis Christi devotione, scilicet qua *Christo confixus est cruci* · Secundo de Crucifixi transformatione, unde dicit: *vivo iam non ego* etc. · Tertio de sancti Francisci gloria et honore pro crucis Christi amore (B) Circa primum de devotionis studio ad Christi crucem sit pro conclusione, quod omnes fideles Christiani debent exemplo beati Francisci summo studio devotionis versari erga crucem Christi. Patet hoc tripliciter probando. Primo quia id canit Ecclesia in collatione orans sic dicendo: *Deus, qui mira crucis mysteria in beato Francisco multiformiter demonstrasti, da nobis, quaesumus, devotionis suae semper exempla sectari et eiusdem Sanctae Crucis assidua meditatione muniri.* Secundo quia ad idem hortatur nos etiam Scriptura, I. Pet. II. dicens: *In hoc vocati estis, scilicet ad Christianam fidem, quia Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit* etc. 3 Denique tertio est ratio theologica, quia Christiani sunt membra Christi, ut dicit Apostolus I. Cor. II.: *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro*, 4 sed membrum habet vivere de spiritu eius, cuius est membrum, et debet sentire dolorem capitis, cuius est membrum. Unde Gregorius: *Languente capite cetera membra dolent*, ergo Christianus debet vivere per fidem et amorem in Christo, et sentire eius passionem per devotam compassionem, sicut fecit et beatus Franciscus. Nam ut Apostolus Rom. VIII. dicit: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* 5 Lyra: id est si quis excidit a Christi gratia, scilicet per peccatum, hic non est eius, scilicet Christi membrum merito, licet sit numero, quia est sicut membrum stupidum et mortuum. Bernardus: *Scio membrum longe a salute existere, quod obstupuit, et aegrum sese non sentientem periculosius laborare.* Ad haec plures aliae scripturae faciunt, de quibus secundo articulo prosequemur. Beatus Franciscus haec considerans totum suum studium dedit ad devotionem crucis Christi et eius vestigia sectanda, ut dicit Bonaventura. (C) Sed quaeritur, qualiter homo possit se disponere, ut inflammetur in crucis Christi devotione. Respondetur, quod hoc clare edocetur in beato Francisco, qui quidem praecipue per tria dispositus fuit et habilitatus ad talem gratiam. Primo per pietatis operationem. Nam videmus, quod ligna per unctuositatem vel pinguedinem disponuntur ad inflammandum facilius. Sic corda humana pietatis pinguedine vel oleo uncta inflammantur in divino amore crucis Christi. Unde I. Timo. IV.: *Pietas ad omnia utilis est.* 6 Beatus ergo Franciscus licet inter vanos filios hominum iuvenili aetate fuisset nutritus in vanis, inerat tamen iuvenis Francisci praecordiis ad pauperes miseratio liberalis, quae cor ipsius tanta benignitate repleverat, ut omni proponeret se petenti tribuere, maxime si divinum allegaret amorem. Qui dum promissum tam nobile servavit, ad copiosa in Deum gratiae incrementa pervenit. Haec Bonaventura.



Secundo per carnis mortificationem, quare sicut ligna magis desiccata magis inflammantur, sic homo ab humore carnalis concupiscentiae desiccatus divino amore plus inflammatur. Rom. VIII.: *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* 7 Beatus ergo Franciscus, ut dicit Bonaventura in legenda, cum nondum didicerat degustare divina, distractus ad terrena, facta est super eum manus Domini languore corripens et affligens corpus ipsius, ut coaptaret animam ad Sancti Spiritus unctionem. Tandem resumptis viribus corporis cum obvium habuisset quendam militem pauperem, memor Christi vestimenta sua nova protinus se exuto illi tribuit. Eadem autem nocte sequenti in somnis Christus monstravit talem visionem, quod palatium speciosum armis militaribus crucis signaculo insignitis vidit. Et cum quaereret, cuius essent, responsum est, quod omnia sua forent et suorum militum, si crucis Christi vexillum assumeret. Exinde mundo cogitavit se debere militari. Cumque iret ad quendam comitem, iterato in somnis audivit vocem dicentem sibi: „Francisce, quis potest melius facere tibi, dominus an servus, dives an pauper.” Cumque diceret, quod dominus et dives, ait ille: „Cur ergo relinquis pro servo dominum, et pro paupere homine divitem Deum?” Et Franciscus: „Quid vis, Domine, me facere?” Et Dominus: „Revertere – ait –, quia visio, quam vidisti, spiritualem praefigurat effectum divina dispositione in te complendum.” Ex tunc reversus coepit carnem mortificare, a negotiatione publica se subtrahere, et Domini voluntatem exspectare. Tertio per sedulam orationem. Sicut enim per flatum succenditur et inflammatur ignis, sic per orationem frequentem et meditationem ignis divini amoris. Ps.: *Os meum aperui, scilicet in oratione, et attraxi spiritum,* 8 scilicet devotionis. Idem: *In meditatione mea exardescet ignis.* 9 Beatus Franciscus dum post haec cum gemitibus oraret, ut quid sibi foret agendum, ac Deo acceptissimum servitium qualiter exhibere posset, apparuit ei Christus Iesus veluti crucifixus eidem ingerens illud evangelicum: *Si vis venire post me, abnega temetipsum, tolle crucem tuam, et sequere me.* 10 Ex hinc adeo impressa est memoria passionis Christi cordi ipsius, ut quasi iugiter oculis mentis cerneret Crucifixum, et a lacrimosis gemitibus continere non valeret exterius. Ex tunc ad Christum totum conversus coepit perfecte imitari crucis Christi vestigia. O ergo peccator mundane, exerce te ad pietatem, refrena et abnega omnia vitia, et devotius ora, ut habeas gratiam. (D) Circa secundum principale, scilicet de transformatione in Crucifixum quaeritur, qualiter Christianus exemplo beati Francisci debeat vitam suam transformare in Christum Iesum crucifixum, ut vivat in Christo et Christus in ipso. Ad quod respondetur secundum scripta Gorrae super epistolam Gal. II., quod quilibet Christianus debet transformari in Crucifixum, alioquin sicut Salvator ait Ioh. XV.: *Si quis – inquit – in me non manserit, mittetur foras sicut palmas, et arescet, et in ignem mittent et ardet. Qui autem in me – ait – manet et ego in eo, hic fert fructum multum.* 11 Unde patet, quod Christianus debet transformari et manere in Crucifixo, si vult salvari. Et hoc praecipue quinque modis, quibus et ipse Christus se habuit in cruce vel circa crucem propter nos: · Primo in crucis portatione · Secundo in crucis affixione · Tertio in crucis vulneratione · Quarto in crucis mortificatione · Quinto in crucis glorificatione Primo itaque debet Christianus cum Christo crucem portare, quia ipse praecepit Matt. XVI.: *Qui vult venire post me, abneget se, et tollat crucem etc.* 12 Et Lu. XIV.: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.* 13 Haec crux secundum doctores est poenitentia vera, quam debet portare peccator post Christum, si vult regnare cum Christo. Sicut enim videmus, quod avis non potest elevari a terra, nisi volando, nec potest volare, dum est in terra, nisi extendendo alas ponat se in modum crucis, sic homo peccatorum pondere gravatus et in terris iacens non potest elevari in caelum, nisi ponat se ad crucem poenitentiae, per quam solvitur a vinculis peccatorum. Nam impossibile est peccatorem impenitentem in caelum ire, quia ut dicit Apocal. XXI.: *Nil coinquinatum intrabit in illud,* 14 scilicet caelum. Proinde et Bernardus in li. de interna conversatione: *Non est – inquit – salus peccatori, nec spes aeternae vitae, nisi in cruce, scilicet poenitentiae.* Tolle ergo crucem, et sequere Iesum, et ibis in vitam aeternam, praecessit ille baiulans sibi crucem pro te, ut tu etiam portes crucem, ambula, ubi vis, quaere, quodcumque volueris, non est alia via ad vitam, nisi via regia crucis. Sed nota, quod legimus crucem Christi aliquando portatam vel baiulatam coacte, ut a Simone Cyrenaeano, aliquando cum murmuratione, sicut malus latro murmuravit pendens iuxta crucem Christi. Aliquando de necessitate faciendo virtutem, ut bonus latro iuxta Christum pendens, aliquando autem libenter, ut Christus. Sic aliqui homines accedunt ad poenitentiam libenter, alii coacti necessitate, sed faciunt de necessitate virtutem, et tales salvantur. Qui autem coacte tantum et cum murmure portant, damnabuntur, de quibus Bernardus ubi supra: *Multis – inquit – durus videtur hic sermo: abnega temetipsum, tolle crucem tuam, et sequere Iesum. Sed multo durius erit audire illud extremum verbum: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum.* Haec ibi. Secundo quoque debet Christianus cum Christo non solum crucem poenitentiae baiulare, sed et cum Christo affigi, ut dicere possit cum Apostolo: *Christo confixus sum cruci, vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus,* quia non sufficit poenitentiam agere, sed oportet vivere in Christo crucifixo. (E) Sed quomodo homo configitur cruci Christi? Respondetur, quod configi est adhaerere. Et hoc secundum doctores fit per tres virtutes theologicas. Sicut enim Christianus tribus clavibus est affixus cruci, sic Christianus his tribus clavibus affigitur Crucifixo: Primus clavus fidei. Secundus spei. Tertius est amoris Dei. Per haec vivit homo in Christo, et sine his non est salus, ut patet. Tertio insuper debet Christianus cum Christo vulnerari, quia dicente Gregorio: *Mala est salus cordis, quae dolore nescit vulneris amoris.* Unde anima sancta Can. IV. dicit vulneratam se in corde per charitatem sponsi, 15 id est Dei. (F) Sed quali signo cognoscitur quis fore vulneratus charitate Christi? Respondetur, quod pertranseundo perfectae charitatis signa, eo quod loquimur communibus hominibus in praedicatione. Advertendum pro simplicium captu, quod vulnus in corpore per tria potissime agnoscitur, scilicet per dolorem, per reserationem vel divisionem partium carnis, et per sanguinis effusionem vel exitum. Sic spiritualiter homines communes satis sunt vulnerati charitate Christi pro salutis necessitate. Primo si habent verum dolorem de peccatis. Secundo si peccata vere reserant, et aperiunt in confessione. Tertio si satisfactionem impendunt, quod notatur per sanguinis fusionem. Qui haec vulnera spiritualiter habet, cum Christo vulneratus est. Quarto Christianus debet cum Christo in cruce mori crucifixus, quia dicit Apostolus II. Tim. II.: *Fidelis sermo, nam et si commortui sumus,* Lyra: id est cum Christo, *et convivemus.* 16 Si sustinebimus, et conregnabimus. Si negaverimus, scilicet verbo vel facto per peccatum mortale, et ille negabit nos. Item Gal. V.: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* 17 Lyra: ita, quod mortua sint in eis.

Ubi nota, quod sicut Christus inter duos latrones crucifixus et mortuus est, sic spiritualiter debet Christianus crucifigi et mori sic, quod moriantur in eo vel cum eo hi duo latrones, scilicet concupiscentia carnis per refrenationem, et concupiscentia mundi per contemptum cupiditatis. Dicit ergo Apostolus crucifigi cum vitiis, quoad primum, et concupiscentiis, quoad secundum. O homo, adverte, quia nisi hi duo latrones moriantur, rapiunt animam ad Tartara, et spoliant omnibus meritis. Quinto Christianus cum Christo debet in cruce glorificari, ut sicut Christus per crucem meruit gloriam exaltationis, ut dicitur Phil. II., 18 sic Christianus per virtutes in cruce Christi monstratas, scilicet oboedientiam, humilitatem et castitatem, et sic de aliis quaerat mereri caelestem gloriam. Unde Col. III.: *Si consurrexistis cum Christo*, Lyra: scilicet per fidem charitate formatam, *quae sursum sunt, quaerite, non quae super terram*. 19 Beatus Franciscus his modis transformatus fuit in similitudinem Crucifixi, quia crucem Christi portavit per poenitentiam magnam. Christo confixus est per fidem et charitatem adhaerendo, Christi amore ferventissimo vulneratus fuit, et cum Christo mortuus concupiscentiis ac Christo conformis in virtutibus, ergo exemplum tibi, o Christiane. (G) Circa tertium de sancti Francisci honore in crucis Christi amore accipiamus hanc conclusionem, quod benedictus Iesus crucifixus in suae crucis devotionibus amavit Franciscum specialibus et magnis gratiarum honoribus, ut cunctis fidelibus sit pro exemplo imitandi in similibus. Declaratur inductive ex legenda per plurima signa subscripta. Primum signum, quia arma cruce fulgentia sibi repromisit, ut patuit articulo I. huius sermonis. Sed quid per illa arma significabantur, nisi virtutes, quibus militando contra vitia munimur. Sicut ad haec hortatur nos Apostolus Rom. XIII.: *Abiciamus opera tenebrarum*, id est peccata, *et induamur arma lucis*, 20 id est virtutes, secundum Lyram. Secundum est, quia benigne Crucifixus ipse sibi apparuit et vocavit in corde illius dicens: *Si vis venire post me*, ut supra patuit, et hoc etiam fuit magnum. Tertium est, quia crucis in imagine eum allocutus fuit, videlicet dum oraret in ecclesia sancti Damiani coram imagine Crucifixi, qui alloquens corporali voce dixit ter: „Francisce, vade, repara domum meam, quae ut cernis, tota destruitur.” Quod Franciscus implevit, et hoc etiam fuit magnum, quod destinabatur spiritualiter ad renovandam Sanctam Ecclesiam Christi, quam triformiter renovavit tres ordines ordinans. Primum minorum pro viris. Secundum sanctae Clarae pro dominabus, virginibus vel viduis. Tertium poenitentium pro omnibus. Quartum signum amoris, quia daemones effugari per ipsum monstravit. Nam sacerdos quidam honestae vitae Silvester nomine spiritu humano horrescens duram vitam minorum, vidit in somnis Deo revelante Assisium magno dracone circumdatum, et totam regionem exterminio subiaccere, vidit etiam crucem auream ex ore Francisci procedentem, quae summitate caelos tangere et brachiis protensa usque ad fines mundi videbatur. Ad cuius aspectum draco fugabatur. Hoc tertio videns ille ordinem intravit. Quintum est, quia excellenti gratia compassionis Christi exaltavit adeo, ut Bonaventura in maiori legenda testatur, quod iugiter Crucifixum in mente haberet, et eius amore flagraret, et a fratribus pie observantibus audiretur in locis secretis et memoribus alta voce deplorare quasi coram positam Dominicam passionem. Hinc et Libro conformitatum habetur, quod cuidam sancto fratri, Petro de Monticulo fuit revelatum, scilicet quod post Beatam Virginem Mariam et Iohannem evangelistam Christo compassus fuerit beatus Franciscus prae sanctis ceteris. Sextum est, quia frontem et faciem eius fulgidam cruce ostendit per 'tau' vario decore venustantem, ut vidit sanctus frater Pacificus, quod testabatur internae claritatis fulgorem, scilicet crucis studio datae mentis. Septimum signum, quod Christus amavit Franciscum, est, quia gladio Spiritus Sancti consignavit. Nam dum praedicaret semel, aderat quidam saecularium cantionum curiosus inventor, qui propter hoc ab imperatore fuerat coronatus. Et iste vidit crucis praedicatorem Franciscum duobus transversis ensibus valde fulgentibus et viscera eius transfigentibus in crucis modum. Ad quod ille stupefactus et verborum illius virtute compunctus tamquam foret gladio spiritus, scilicet transfixus, procedente ex ore illius religionem intravit, et est frater Pacificus vocatus. Octavum est, quia habitu crucis configuratum apparere Franciscum voluit. Dum enim sanctus frater Antonius fratribus in capitulo Arelatensi de titulo crucis „Iesus Nazareus” etc. praedicaret, beatus Franciscus tunc a remotis virtute divina adductus apparuit in aere ad ostium, manibus velut in cruce extensis. Et benedicens fratribus sicque crucis Christi vestigia sectanda ostendit et verbo, et exemplo, et configuratione etiam habitus. Qui extensis manicis in integra tunica et caputio transversaliter figuram crucis monstrat. Colore etiam cinereo humilem Christi mortem significat. Chorda quoque pro cingulo Christi ligationem repraesentat, pedes nudi et baculus in signo 'tau' concorditer Christo configuratum docent. [(H) ] Nonum est, quia intelligentia prophetica illustravit, quod in multis claruit, sed hic sufficiat hoc unum narrari, videlicet quod praebendarius quidam nomine Gedeon infirmatus lacrimose rogabat cum pluribus aliis, ut ab ipso beato Francisco crucis signo signaretur. Cui ille: „Cum vixeris secundum carnis desideria, ecce quidem signabo te. Sed scito graviora passurum te, si ad vomitum redieris.” Quo signato statim contractus ille surrexit sanus. Cumque iterato corpus impudicitiae dedisset, nocte dormiente in quadam domo tectum super omnes corruit, et ceteris evadentibus mortem solus ille miser interemptus est iudicio divino. Decimum est, quia carius annuit orationi eius ad modum crucis factae, et exaudivit. Cum enim aestivis diebus quidam pauper homo duceret in asino beatum Franciscum, sitire coepit homo, et dixit, quod moreretur, nisi haberet poculum. Vir Dei prosilivit de asino, et flexis genibus palmas tetendit in caelum orans, donec intellexit se exauditum, et mox petra per miraculum Deo annuente dedit aquam vivam, ubi antea numquam fuit aqua. Undecimum est, quia levavit a terra, et divinam consolationem exhibuit. Nam teste Bonaventura visus est nocte orans in nemore, manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra, et nubecula fulgente circumdatus. Et ut dicitur, a Christo et Maria consolatus. Duodecimum est, quia miraculis multis eum magnificavit, ut de aliis pertranseamus, aliqua eorum, tantum quae facta sunt ab eo crucis signo, referamus. Nam quendam paraliticum ad instantiam episcopi signo crucis signavit, et mox sanatus est. Item puerum conglomeratum adeo, ut caput portaret pedibus applicitum, ad lacrimosas parentum preces signavit, et subito liberavit. Item puerum in uno oculo macula obiectum intantum, ut nil illo videret, signo crucis tam limpide illum illuminavit, ut ordinem ingressus assereret clarius videre cum oculo prius infirmo, quam cum oculo semper sano. Item mulierem omnino caecam signo crucis illuminavit. Item aquam signo crucis in vinum mutavit. Item mulierem contractis et aridis manibus signo crucis liberavit, quae cibos mox

illi et pauperibus paravit. Ultimo quia nobilissime sacris stigmatibus Christus eum insignivit. O ergo gloriosissime pater, per amorem crucis te deprecamur, ora pro nobis dilectum Christum. Amen.

---

1 Gal 2,19-20 2 I Io 4,16 3 I Pt 2,21-22 4 I Cor 11,27 5 Rm 8,9 6 I Tim 4,8 7 Rm 8,13 8 Ps 118,131 9 Ps 38,4 10 Mt 16,24; Lc 9,23 11 Cf. Ioh 15,6-8 12 Mt 16,24 13 Cf. Mt 10,38 14 Apc 21, 15 Ct 4,9 16 II Tim 2,11 17 Gal 5,24 18 Cf. Phil 2,8-9 19 Col 3,1-2 20 Rm 13,12

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXIII.] De Seraphico patre Francisco Sermo quartus, scilicet de ipsius sanctitatis praerogativa et gloria *Similem illum fecit in gloria sanctorum*. Eccli. XLV. 1 (A) Haec verba optime de beato Francisco dici possunt propter similitudinem eius per stigmata ad crucifixum Iesum. Sed quoniam similitudo est causa dilectionis, iuxta illud Eccl. XIII.: *Omne animal diligit sibi simile*, 2 quod claret in hominibus et etiam brutis. Homo enim plus amat filios sibi assimilatos in effigie. Item Palladius dicit, quod *pavo non diligit, immo persequitur pullos proprios, antequam viderit eos cristatos, quo sibi similes agnoscit fovetque*. Sic benedictus Iesus eos Christianos, qui moribus vitiosis dissimiles sunt, non amat, sed virtutum imitatione assimilatos diligit. Unde ex quo beatus Franciscus per omnes virtutes Christum imitari studuit, Christus pro signo amoris ipsum similitudinis gratia decoravit prae ceteris sanctis, ut clarescat, quia eum specialius amavit, propter quod similem illum fecit in gloria sanctorum. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone, de quibus hic sanctus commendatur: · Primo de speciali eius praerogativa, scilicet qua illum Dominus fecit sublimem · Secundo de Christiformi gratia, qua similem sibi Christus fecit · Tertio de multiformi gloria, qua fulget in ordinibus sanctorum (B) Circa primum de praerogativa beati Francisci inquirendum est: Qualibus praerogativis privilegiorum Iesus sublimavit Franciscum ad suae crucis sectandum vestigium? Ad quod secundum doctores nostros inter cetera notabimus privilegia praecipua VII, quibus gloriam habet inter omnes sanctos. Primum est, quod auctor est et dux armigerorum vel militum crucis Christi, hoc est ordinis minorum, quod Deus revelavit, quando sibi ostendit arma fulgentia signo crucis dicens: „Tua erunt haec omnia et tuorum militum.” Hoc autem magnae est gloriae esse ducem imitatorum crucis Christi, Filii Dei. Eccli. XXIII.: *Gloria magna sequi Dominum*. 3 Et certe multo maior, quam sequi regem terrenum. Unde Bernardus: *O Domine Iesu, beatus est, qui te diligenter observans pro viribus suis se praebet imitorem tui*. Haec ille. Sed quid de peccatoribus, utique maxima confusio sequi diabolus, qui tamquam tortor per blandimenta vitiorum ducit ad patibulum, scilicet infernale. Hinc Gregorius: *Qui praesentium voluptatum oblectamentis trahitur, quasi per amoena prata ad suspendium ducitur*. Secundum, quod legatus est crucis Christi. Ideo dedit sibi Christus stigmata tamquam sigilla, ut credant homines ipsum a Christo missum. Sicut enim ante primum adventum Christi praecursor legatus fuit Iohannes Baptista annuncians Christum incarnandum, sic ante secundum adventum praecursor legatus est Franciscus annuncians Christum ad iudicium venturum, ut scilicet praeparent se ad poenitentiam, ne accipiant damnationis sententiam. Unde II. Cor. V.: *Pro Christo legatione fungimur*. 4 Tertium, quod vexillifer est crucis Christi, scilicet in pugna contra daemones. Sicut enim ad vexillum milites animantur et hostes terrentur, sic ad vulnera Christi in cruce pendentis fideles aspicientes animantur ad poenitentiam, et daemones terrentur et fugantur. Quod crucis vexillum Franciscus in suo corpore portavit. Unde et visum est, quod crux de eius ore prodiens fugavit draconem, id est daemonem. Ideo canit Ecclesia: *Hunc sequantur, hinc iungantur, qui ex Aegypto exeunt, in quo duce clara luce vexilla regis prodeunt*. Quartum, quia evangelicus est sectator crucis Christi. Unde de eo canit Ecclesia: *Franciscus evangelicum nec apicem vel unicum transgreditur, nec iota nil iugo* etc. Quintum, quia reformator est Ecclesiae Christi. Unde Christus de cruce sibi dixit: „Francisce, vade, repara domum meam, quae labitur.” Et papa in visione vidit Franciscum dorso sustentare Ecclesiam, quod fecit exemplo et praedicatione ac ordinis institutione triplicis. Unde et cernimus exemplo eius reformari omnes. Sextum, quia notarius signifer est crucis Christi. Ipse enim veluti cancellarius tenet sigilla regis aeterni et consignat, scilicet verbo praedicando et opere exemplificando omnes electos ad hereditatem caelestem per imitationem crucis Christi, id est poenitentiae faciendae, quod significat tau visum in fronte. Septimum, quia amicus Seraphicus est crucis Christi. Nam Seraph et Christus sibi apparuit, et sic signo crucis consignatus est. Nimirum Boethius De hebdomadibus dicit: *Omne, quod est, tendit ad bonum et ad simile*. Item Auctor De spiritu c. XV.: *Similes similibus congaudent*. Quia ergo beatus Franciscus erat totus Seraphico amore ardentissimus et deificatus ac divinus, ergo Seraph et Christus sibi apparuerunt consignando tamquam amicissimum. O Deus aeternae, quomodo peccator heu per contrarium diabolo similis efficitur per peccatum, et ab eo possidetur. (C) Circa secundum de Chrisoformi gratia quaeritur: Quali gratia inducere potest hominis anima deiformem pulchritudinem ac Christi Iesu similitudinem? Ad hoc respondendo notemus pro conclusione sententiam Augustini li. IX. De civitate Dei dicentis, quod *quanto quisque fit Deo similior, tanto fit propinquior. Nulla est enim ab illo, qui ubique praesens est, alia longinquitas, quam eius dissimilitudo*. Haec ille. Ex quo patet, quod anima ut fit divinae lucis et gratiae particeps, debet Deo appropinquare, non quidem loco, quia hoc modo semper Deus est praesens. Unde Ps.: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam, si ascendero in caelum* etc. 5 Sed debet similitudine morum spiritualiter conformari praecipue in charitate. *Nam Dominus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet* etc., I. Ioh. IV. 6 Hinc I. Cor. V.: *Qui adhaeret Deo*, Glossa: scilicet per fidem et charitatem, *unus spiritus sit cum eo*. 7 Hoc declaratur per exemplum sic: quando enim fit admixtio aliquorum duorum, videmus, quod denominatio fit a praedominante. Sic si modica aqua admiscetur multo vino, totum fit vinum, quia absorbetur a vino. Sic spiritus hominis si admiscetur spiritui divino, scilicet per charitatem, totus absorbetur et mutatur in Deum ac deificatur. Nec Deus in aliquo mutatur, sed haec mutatio est ex parte animae hominis, quae deificatur. Primo quoad intellectum, quo splendet participatione deiformis lucis gratiae. Secundo quoad affectum. Sicut enim ferrum ignitum totum videtur esse ignis, et secundum



Damascenum: *Sicut in carbone est ignis et lignum, et tamen totum videtur ignis*, sic affectus noster coniunctus Deo per charitatem deificatur. Tertio quoad nomen, quia a praedominante, scilicet Deo, Deus nominatur. Iuxta illud Ps.: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes*. 8 Quarto quoad actum, quia sicut homo a suo actu et officio vocatur. Qui enim exercet medicinam, medicus vocatur, et qui artem carpentariam, carpentarius, et sic de aliis. Sic ab actu divinae dilectionis divinus dicitur, et per contrarium ab actu diabolico, scilicet superbia, invidia diabolicus dicitur. Ab actu carnali brutalis dicitur. Ps.: *Nolite fieri sicut equus et mulus* etc. 9 Et ab actu cupiditatis terrenus dicitur. Hinc Augustinus: *Unusquisque talis est, qualis est sua dilectio. Si terra diligis, terra es. Si Deum diligis, Deus es*, etc. Sicut ergo Dominus est aeternus, incorporeus, sine omni inquinamento peccati et charitate plenus, sic debet et homo assimilari. Sic fecit beatus Franciscus, ergo etc. (D) Circa tertium de multiforimi gloria Francisci sit conclusio, quod benedictus Iesus similem fecit Franciscum in gloria sanctorum omnium ordinum, scilicet patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, religiosorum, confessorum, virginum. Primo patriarcharum. Nam de eo canit Ecclesia: *O patriarcha pauperum, Francisce, tuis precibus auge tuorum numerum in charitate Christi* etc. Nimirum inter patriarchas primus Adam habuit hanc gloriam, antequam contra Dei praeceptum peccavit, quod omnia oboediant ei ad nutum, quod perdidit per peccatum. Sed Franciscus per Dei gratiam hoc obtinuit et per Dei oboedientiam ad nutum. Unde canitur de eo: *Hic creaturis imperat, qui nutui subiecerat se totum creatoris*. Ut aliqua autem miracula narremus, primo de terrestribus animalibus legitur, quod iter faciens magnum ovium gregem in pascuis salutavit, qui relicto pastu omnes cucurrunt ad eum levantes capita sua, et exsultantes ita, ut mirarentur pastores et fratres. Item ovis quaedam sibi oblata fuit, quam pius vir monuit, ut laudibus divinis intenderet, et ab omni offensa fratrum caveret. Illa ergo, quando fratres intrabant, ad officium intrabat, flectebat genua ante altare Virginis, et cum elevabatur in missa corpus Christi, procidebat ad genua, cantantibus fratribus balatus vocem emittebat, nec fratres impediabat, ut sanctus ei pater mandaverat. Item lepusculum vocavit, et statim ad eius sinum prosilivit, nec recedere ab eo volebat. Item cicada vocata mox ad eius manum volavit, cui dixit: „Canta et lauda creatorem”, sine mora canere coepit, et per octo dies mansit super ficum, ubi sanctus pater praecepit, quolibet die cantans et tacens secundum iussa patris, et tandem ab eo licentiata recessit. Item in aquaticis piscis est ei oblatus vivus et satis magnus, cum pio affectu pater sanctus ipsum, ut abiret, in aqua posuit, sed ille a navi nequaquam recedebat, sed in aqua ludebat, donec ab eodem benediceretur, et tum licentia data recessit, similiter fecit avis fluvialis quaedam. Item in aereis aves ipsum praedicantem audiebant, et quando mandabat cantare, cantabant, quando tacere, tacebant, quando advolare, advolabant, et quam volebat retinere, remanebat. Et plura talia, quae non sufficimus narrare. Item lupis rapacibus et grandinibus mandabat, et cessabant a vastatione. Denique in igneis. Nam ferro candenti igne dum sibi cocturam propter oculos infirmitatem facerent, mandavit, ut ardorem temperaret, et in nullo eum laesit. Haec sufficient. (E) Item secundus patriarcha Abel Deo fuit acceptus, et eius sacrificia ignis de caelo descendens consumebat, quod fuit sibi pro gloria. Beatus Franciscus adeo Christo placuit, ut ipse ad eum descenderet, et eius sacrificium, id est animam et corpus Francisci igne divino accenderet stigmatibus consignando. Item tertius patriarcha Noe cum tribus filiis a diluvio est salvatus, sanctus Franciscus tres ordines pro salvandis in Christo instituit. Item quartus Abraham Deo placuit, quia cognationem ad mandatum Dei et terram reliquit. Sic Franciscus omnia amore Christi dimisit. Item quintus Isaac ex sui immolatione mysterium crucis Christi cognovit. Franciscus multipliciter revelatum a Christo mysterium crucis habuit in septem apparitionibus crucis circa ipsum. Item sextus Iacob duodecim filios habuit principales patriarchas, quos et manibus cancellatis benedixit in mortis tempore. Sic Franciscus duodecim fratres progenitos in Christo habuit, per quos ordo floruit, et in mortis tempore fratribus benedixit manibus cancellatis. Denique sicut omnes patriarchae in fructibus filiorum salvandorum gloriam habuerunt, sic Franciscus in multis filiis suorum ordinum, quos in Christo Iesu per evangelium genuit, ut patet in multis etiam magnae sanctitatis existentibus, inter quos canonizati sunt multi. Aliqui eorum martyres, alii confessores, alii virgines et utriusque sexus, alii reges, aliquae reginae et filiae regum, alii ad apostolicam dignitatem promoti, alii ad cardinalatum et episcopatum electi, doctores etiam quam plurimi et multi ac multae miraculis et prophetiae spiritu clari usque ad CCCC. Praeter hos alii innumerabiles, ut de praedictis patet li. Conformitatum: *Magna gloria est patris Francisci*. (F) Secundo prophetarum gloria fulget beatus Franciscus, quia prophetiae spiritu plenus fuit. Pro quo narremus aliqua ex multis signis. Nam cum Christiani pugnarent adversus Saracenos, longe ante praedixit bellum Christianorum casurum, sed illi non curantes paraverunt se ad pugnam, et devicti sunt. Item miles quidam beatum Franciscum devote invitavit ad prandium, et cum mensam benedicens oraret, spiritu prophetico vidit, quod miles deberet repentina statim morte mori, ac praedixit. Ille confessionem fecit et domum disposuit, et qui fortis et sanus videbatur, sedens ad mensam spiritum exhalavit secundum verbum hominis Dei, et multa alia. Unde canit de eo Ecclesia: *In te signis radians, in te ventura nuncians requievit spiritus duplex prophetarum*. Tertio apostolorum, quia de eo canit Ecclesia: *Franciscus, vir catholicus et totus apostolicus* etc. Nam evangelicam vitam perfectissime tenuit, sicut et apostoli, et fidem miraculis multis confirmavit et praedicavit, sicut et apostoli. Item, sicut apostoli Spiritum Sanctum signo visibili receperunt, et in Christi amore ardentem extiterunt, sic Franciscus in signo visibili Spiritum Sanctum accepit Seraphim apparente, et charitate Christi ferventissimus fuit. Nam semel interrogatus, quomodo tunica tam tenui a frigore posset arceri, respondit: „Si ignis Sancti Spiritus nos interius calefaceret, caro nostra frigus exterius non sentiret.” Unde tam ardenti flamma calefactus ardebat, ut etiam alios calefaceret. Cum enim quidam homo pauper ipsum veheret asello hiemali tempore, quia propter excrescentes clavos in pedibus et debilitate non poterat ambulare, tunc accidit sub rupis cuiusdam crepidine pernoctare. Homo autem ille tenue opertus prae frigore quiescere non poterat, ideo compatiens vir Dei manu protensa illum palpavit. Et repente ad contactum in illum tantus calor advenit intus et extra, ac si ex fornacis ardentis spiraculo processisset, et suavius, quam in lecto proprio umquam quieverat, ut idem asserebat, dormivit usque mane. (G) Denique quaero, in quo ordine angelorum in caelo sunt assumpti beati apostoli? Respondet Franciscus de Mayronis, quod *in Seraphim, qui ordo est vicinior Christo, et 'ardentes amore' interpretantur. Apostolatus autem in Ecclesia summum gradum tenet perfectionis et vicinitatis ad*

*Christum, ergo etc., sed Franciscus etiam est assumptus in ordinem Seraphicum, ut patuit sermone I. „F”, „G”, ergo gloriam habet apostolorum. Quarto martyrum, quia martyrio flagravat, et pro eo consequendo ter ad partes infidelium meavit, et una vice flantibus ventis contrariis impeditus est. Sed cum prae desiderio martyrii quiescere nequiret, iterato arripuit iter, Spiritu ebrius socium praecurrebat, quamvis esset imbecillis corpore, et tunc gravissima supervenit infirmitas divina dispositione. Et sic quod cupiebat, implere nequivit. Tandem tertio perurgente Spiritu proficisci temptavit mortem pro Christo sitiens, et post multa viarum pericula eo, quod inter Christianos et Saracenos tunc bellis ordinatis in campo erat guerra, sed Deo duce tandem pervenit ad terram Soldani, incolumis una cum fratre socio re et nomine Illuminator. Occurrentes autem satellites Saraceni tamquam lupi servos Dei feraliter comprehenderunt contemptibiliter tractantes, alligantes, conviciis et verberibus affligentes crudeliter. Sic quoque divina dispositione iuxta viri Dei desiderium afflictos conspectui Soldani praesentaverunt. Cumque princeps perquireret, a quibus et ad quod missi essent, et quomodo advenissent, intrepido animo respondit Franciscus non ab homine, sed a Domino se missum, ut ei et populo viam salutis ostenderet. Et tanto fervore coepit praedicare Christum Iesum et fidem Trinitatis, ut Soldanus miraretur, et audire eum coepit, et ut secum moraretur, invitare. Cui servus Dei superno illustratus oraculo ait: „Si vis converti tu cum populo tuo ad Christum, ob ipsius amorem vobiscum commorabor. Quod si haesitas propter fidem Christi legem Machometi dimittere, iube ignem accendi permaximum, et ego cum sacerdotibus tuis ingrediar, ut vel sic cognoscas, quae fides certior sit.” Ad quem Soldanus: „Non credo, quod aliquis de sacerdotibus meis velit pro sua fide defendenda ignem intrare.” Viderat enim quendam sacerdotem suum authenticum et longaevum hoc audito verbo a suis conspectibus aufugisse. Ad quem vir sanctus ait: „Si mihi velis promittere pro te et populo tuo, quod ad Christi cultum veniatis, si ignem illaesus exiero, ecce ignem solus intrabo, et si combustus fuero, imputetur peccatis meis. Si autem divina virtus me protexerit, Christum Salvatorem agnoscatis.” Soldanus operationem hanc accipere se non audere respondit, quia scilicet populi seditionem formidabat, obtulit tamen ei munera pretiosa, quae vir Dei quasi lutum sprexit. De quo admirans ipsum devotius diligere coepit. Videns se non proficere, nec assequi propositum, ad partes fidelium divina revelatione praemonitus remeavit, quod Dominus ordinavit, ut servaretur in posterum insigniendus privilegio singulari stigmatibus Christi, nec tamen merito optati martyrii careret. Unde et Ecclesia canit de eo: *O martyr desiderio Francisce, quanto studio compatiens hunc, id est Christum sequaris!* (H) Quaeritur hic, quomodo Franciscus pro desiderio martyrii dici possit martyr. Numquid potest quis coronam martyrii promereri sola voluntate, sine mortis passione? Ad hoc respondet Cyprianus de poenitentia dist. I. c. „Numquid” in textu dicens, quod *in Dei servis, apud quos cogitatur et martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo iudice coronatur.* Haec ille. Ubi Glossa dicit, quod *Deus inspicit voluntatem, antequam perducatur ad actum tam bonam, ut coronet, quam malam, ut eam damnet, sicut patet in Cain, quem Dominus pro homicidio mente concepto antequam occideret, damnabilem ostendit victimas eius respuendo.* Haec secundum theologos doctores super IV. sic, quod *homo pro sola voluntate et desiderio martyrii dum non sequitur effectus, meretur proprie aureolam martyrii, quia martyrium proprie a 'morte' dicitur, ut quis per mortem testis sit fidei Christi.* Sed meretur talis speciale praemium, quod dicitur palma martyrii, quam promeruit beatus Franciscus, et etiam legitur de beato Martino, et sic de aliis consimilibus. Unde Bonaventura in Legenda maiori dicit sic: *O vere ac plene beatum, scilicet Franciscum, cuius animam etsi gladius persecutoris non occidit, palmam tamen martyrii non amisit.* Quinto religiosorum gloria fulgere constat, quia tres ordines instituit, et perfectissimam ordinis minorum religionem insequendo iuxta formam evangelicam Christum crucifixum ordinavit. Sicut patet per tria vota, scilicet paupertatis, oboedientiae, castitatis perfectissima, et quoad eorum circumstantias, ne scilicet aliquid possiderent proprium nec in particulari, nec in communi, ne pecuniam acciperent etc. Item quod oboedirent in omnibus, quae non sunt contra animam et regulam. Sexto confessorum gloria claret, quia pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit et quietus. Orationi continue vacabat ambulans et sedens intus et foris, et manibus laborans ab orando non cessabat. Nam et in oratione visus est sublevatus toto corpore a terra et nubecula fulgente circumdatus. Item abbas quidam eum petiit pro se orari, quod Franciscus promisit, et statim implere curavit. Ecce autem orante illo subito abbas insolitum calorem et dulcedinem hactenus inexpertam sensit in spiritu ita, quod in excessu mentis effectus totus a seipso in Deum defecit, et maiori semper devotione circa ordinem flagravat, et multis hoc miraculum rettulit. Septimo virginum gloria fulget, quia ut dicit Bonaventura in Legenda: *Superno sibi assistente praesidio inter vanos hominum filios post carnis petulantiam non abiit.* Et quod virgo fuerit tota vita, claruit ex certis signis. Primum est, quia eius corpus virgineorum stigmatum passionis Christi decore est signatum. Secundum, quia in morte corpus eius candidum futurae gloriae stolam et pulchritudinem candore niveo demonstrans claruit. Tertium, quia integrum sine corruptione eius corpus permansit. Quartum, quia visa est anima eius sanctissima in specie stellae fulgidae a candida nubecula subvecta in caelum recto tramite ferri. Quintum, quia vidit quidam alius frater animam eius in morte in specie solis refulgentis, quem duodecim radii circumdabant. O gloriosissime pater Francisce, tu nunc in summa gloria regnans in caelo, nostri miserere, ac coram dulci Iesu intercede, ut per tua merita det nobis gratiam in praesenti, et gloriam in futuro. Amen.*

---

1 Sir 45,2 2 Sir 13,19 3 Sir 23,28 4 II Cor 5,20 5 Ps 138,7-8 6 I Io 4,16 7 I Cor 5,17 8 Ps 81,6 9 Ps 31,9

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXIV.] De sancto Francisco Sermo quintus, scilicet de sacris eius stigmatibus *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Gal. VI. 1 (A) Mira Dei pietas, qua sanctos sic vult amare et honorare, ut tamquam rex terrenus militem, quem diligit, suae gloriae vestibus induere et armis suae victoriae insignire velit. Sicut fecit Francisco, in cuius corpore indumento animae

suae gloriae et militiae insignia ac victoriae gloriosa clenodia sic impressit. De quibus beatus Franciscus in praemissis verbis gloriatur dicens: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, quae verba Apostolus de se loquendo dicit, sed testimonium in his fert beato Francisco, ut Nicolaus papa dicit de ver. sig. „Exiit, qui seminat”, li. VI. Iuxta quae verba tria mysteria de sacris stigmatibus beati Francisci declarabimus in hoc sermone, secundum quod tria ibi implicantur: · Primum, quod stigmatizatus est · Secundum, quod Domini Iesu stigmatibus decoratus est · Tertium, quod in corpore stigmata portavit vere Primum ergo mysterium dicitur stigmatizationis a Domino Iesu. Secundum dicitur mirificationis in Domino Iesu. Tertium dicitur certificationis confirmante Domino Iesu. (B) Circa primum de stigmatizatione beati Francisci quaeritur: Cur Christus voluit inter sanctos Franciscum tali honore, scilicet suorum stigmatum impressione insignire? Nam mirum est, quod haec propria passionis Christi signa noluit Christus tantummodo in suo proprio corpore portare, sed etiam Franciscum communicare. Ad hoc secundum Franciscum de Mayronis in sermone aliosque nostros doctores respondetur per conclusionem, quod ex bonitate Christi decebat Franciscum insignire sacris suae passionis stigmatibus. Et hoc praecipue septuplici ratione: · Primo propter renovandam in cordibus Christi passionem · Secundo propter acquisitionis gratiae et meritorum ostensionem · Tertio propter commendationem Francisci et sanctitatis manifestationem · Quarto propter incredulorum confusionem · Quinto propter optati martyrii consummationem · Sexto propter negligentium Christianorum excitationem · Septimo propter evangelicae regulae approbationem Primo inquam propter renovandam passionem in cordibus hominum, quae iam mundo advesperascente erat inveterata et frigefacta. Nam secundum Augustinum: *Omnis cognitio humana utitur quibusdam signis ducentibus in sua signata*, et ideo per talia signa voluit Christus homines accendere in devotione, et sanctam Ecclesiam renovare ad memoriam passionis Dominicae. Unde et Francisco ait: „Vade, repara domum meam!” Secundo propter acquisitionis gratiae et meritorum ostensionem. Quaero namque: Per quid potest homo acquirere coram Deo specialem gratiam et meritorum augmentum? Audi de hoc Bonaventuram et Auctorem li. De stimulo amoris: *In passione Domini – inquit – invenies totum thesaurum, nil ita illuminat, nil ita accendit ad dilectionem, nil ita operatur in anima sanctificationem, sicut Dominicae passionis memoria. Per hanc gratia acquiritur, conservatur et augetur, et quicumque aliquam gratiam perdidit, per hanc recuperari poterit*. Sicut enim videmus, quod aurum est pretiosum, sed si copuletur aureo anulo aliquis lapis magni pretii, multo erit pretiosior. Sic meritis nostris si applicetur passio Christi per nostram intentionem et meditationem ac compassionem, tanto accrescit pretium. In huius signum Christus illis sanctis, qui astiterunt compatentes sub cruce Christi, specialissimas gratias dedit, scilicet matri suae gloriam martyrii, Iohanni fraternalem adoptionem, Magdalenae ardentem amorem, sanctis mulieribus ampliolem devotionem, qua et curabant ungere corpus Christi, et resurgentem prius videre meruerunt. Denique et ipsi latroni confitenti et compatiendi dedit Paradisum eodem die. Sed quia Franciscus totum studium suum circa crucem Christi meditandam, amandam et compatiendam apposuit, ideo Christus sibi hanc gratiam specialem fecit, ut suae passionis stigmatibus insigniret. Nam Bonaventura in Legenda de stigmatibus dicit, quod dum Franciscus oraret, immisus est menti eius, quid Deo in ipso et de ipso maxime foret acceptum, et divino oraculo in trina libri evangelici apertione fuit revelatum, quod passionis Christi devotio et imitatio in actibus et doloris compassionibus, sicque coepit abundantius divinas dulcedines gustare, et meruit stigmatizari. O ergo homo, compatere Christo, et habebis gratiam. Tertio propter commendationem sancti Francisci et eius sanctitatis manifestationem, ut et eius exemplo incitentur fideles ad sanctae crucis Christi devotionem, et vestigia virtutum sectanda. (C) Ubi nota, quod regula divina et iuridica dictat, quod *per quae quis peccat, per haec et punitur*, Sap. XI. 2, et extra de exces. praelati c. „Inter dilectos”. Exempli gratia: Superbus peccat in exaltando se, ergo meretur humiliari confusibiliter, Luc. XVIII.: *Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* etc. 3 Item: Avarus peccat terrena diligendo, ergo meretur in terra, id est Inferno, qui est in centro terrae, sepeliri, Luc. XVI.: *Mortuus est dives et sepultus est in Inferno*. 4 Item: Luxoriosus peccat in ardore foetidae libidinis, ergo punitur igne sulphureo Inferni, ut patet de Sodomitis. Item: Gulosus peccat in gustu, ergo fame et siti cruciabitur. Sic per contrarium regula divina dictat, quod per quae quis meretur operando, per haec et praemietur, Apoc. XIV.: *Opera illorum sequuntur illos*. 5 Sed quoniam beatus Franciscus omne studium sui laboris meritorii posuit circa crucem Christi adeo, quod semper ipsum oculis mentis cerneret, et per amorem et passionem in Crucifixum transformaretur in anima. Ergo eius similitudine decoratus est in corpore per virtutem Christi mirificam. Unde Hugo de Sancto Victore: *O anima, scito, quia amor scilicet Dei est vita tua. Et ipsa vi amoris in eius, quem amas, similitudinem transformaris*. Ad id facit exemplum, quod refert Bonaventura in Legenda maiori, scilicet quod cuiusdam notarii urbis Romae puer vix septennis matrem ad ecclesiam euntem puerili more sequi optans per fenestram palatii se proiecit, et collisus continue expiravit. Mater ad sonitum conversa videns lamentis omnes vicinos excitavit. Tunc frater quidam advenit ordinis minorum, qui illius patri ait: „Credisne sanctum Franciscum posse filium tuum suscitare propter amorem, quem semper ad Christum habuit?” Quo respondente: „Credo firmiter, et servus sancti ero tota vita.” Tunc frater omnes orare monuit, ac sanctum Franciscum invocare, et mox puer suscitatus est, et coram omnibus ambulavit incolumis. Quarto propter incredulorum confusionem, quia per hoc sicut et per alia miracula fides deitatis Christi claret ad confusionem haeticorum et incredulorum omnium. Quinto propter optati martyrii consummationem. Nam dicente Ps.: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis* etc. 6 Sed Franciscus ferventissime desideravit martyrium et sanguinis sui effusionem pro Christo. Et propter hoc ter ivit ad partes infidelium. Sed Dominus ipsum servavit ad insigniendum hoc privilegio stigmatum, ut sic sanguinem fundens secundum Dei voluntatem et dolores sentiens quoddam meritum martyrii haberet. Sexto propter negligentium Christianorum excitationem ad faciendum poenitentiam, quia ipse iam propinquante tempore iudicii extremi praecursor missus est, et ut sibi crederetur, haec signa pro certitudine quasi litteras citatorias Christus dedit ipsi Francisco, ut videntes homines poeniterent, ne perirent. Hinc legitur, quod cum beatus Franciscus ex humilitate haec stigmata occultaret, voluit Dominus multis miraculis manifestare, ut patet in Breviario per lectiones matutinales. Item ex Legenda additur, quod quidam Bartholomaeus nomine construens ecclesiam beati Francisci trabe cadente super cervicem conquassatus et morti proximus Eucharistiam petebat. Et



ecce beatus Franciscus cum XI fratribus apparuit illi in nocte, et communionem ministravit, et per vulnera manum ducens sanavit, et ad opus redire praecepit. Septimo propter evangelicae regulae approbationem, scilicet ordinis minorum, ut enim nullus posset calumniari, ipsius institutorem Christus voluit sua speciali bulla sigillare. Et hoc patet per Nicolaum papam extra de ver. signi. „Exiit, qui seminat” li. VI. dicentem sic: *Ipsa regula minorum evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum Ecclesiae apostolorum eiusque sermonibus actibusque firmatur.* Et infra: *Haec est enim, cui attestante Apostolo nemo de cetero debet esse molestus, quam Christus passionis suae stigmatibus confirmavit.* Haec et plura ibidem. (D) Sed quia dictum est, quod per haec stigmata roboratur fides catholica, et declaratur sanctitatis studium beati Francisci circa crucem Christi meditans, compatiens etc., quaestio ergo occurrit: Cur Christus haec stigmata suae passionis non dedit Sanctissimae Suae Matri, aut etiam sancto Iohanni, cum isti patienti Christo in cruce praesentialiter plus compassi sunt, quam Franciscus? Item multi sancti fuerunt Seraphico amore pleni, quare illis Christus non dedit? Respondetur secundum Auctorem libri Conformitatum, quod Beata Virgo Maria stigmatizari non debuit eo, quod fuit mulier. Licet enim in anima prae omnibus portaverit vulnera Christi, cuius animam pertransivit gladius doloris et amoris Christi. Tamen in corpore sanctissimo haec stigmata expressa non habuit, quia sic stigmatizari non decet sexum muliebrem, sed tantum virilem. Ratio, quia haec stigmata data sunt ad mundum renovandum in devotione et compassione ac imitatione passionis Christi. Nullibi autem legitur, nec in Veteri, nec in Novo Testamento, quod aliqua mulier directa sit vel missa ad mundum renovandum. Unde et I. Cor. XIV. Apostolus dicit: *Mulieres in Ecclesiis taceant*, scilicet a docendo, non ab orando, *non enim permittitur eis loqui.* 7 Nam sicut non decet vexillum regis et insignia regalia portari a muliere, sic in proposito. Denique Iohanni aut ceteris apostolis in primitiva Ecclesia hoc signum dari non decuit, quia pro tunc Christo mortuo et passo satis fervebat recenter in cordibus fidelium eius passionis memoria et amoris devotio. Nec pro tunc fides indigebat confirmari hoc miraculo, sed aliis, quia hoc viso homines non magis credidissent Christo, sed mundo iam refrigescente debuit hoc miraculum fieri. Et pro singulari privilegio datum est beato Francisco stigmata Christi portare, ut patuit rationibus praedictis. (E) Circa secundum principale de miraculositate stigmatum Francisci accipiamus pro conclusione, scilicet quod benedictus Dominus Iesus sacris Franciscum insigniendo stigmatibus multis decoravit mirabilibus, declaratur. Primum namque mirabile in apparitione. Quia apparuit beato Francisco oranti de caelesti sublimitate advenire Seraph unus habens sex alas tam ignitas, quam splendoras, quarum duae supra caput illius elevabantur, duae ad volandum extendebantur, duae vero totum velabant corpus. Iste quippe numerus sex alarum in Scripturis Seraphicis spiritibus tantummodo attribuitur, ut patet Isa. VI. 8 Et hoc fuit mirabile, quod ad beatum Franciscum missus est et descendit Seraph, quia de communi lege angeli ex ordine Seraph non mittuntur ad extra, sed semper Deo assistunt. Prout dicit Dionysius li. De angelicis hierarchiis: *Pro speciali ergo privilegio fuit, quod Seraph veniret ad beatum Franciscum,* tum quia in rebus multum arduis solet Deus et raro illos angelos mittere, tum quia incendere veniebat, ut scilicet beatus Franciscus per incendium mentis transformaretur totus in Christi similitudinem, ideo Seraph, quod interpretatur ‘ardens amore’, missus est. Secundum mirabile in Crucifixi specie, quia cum praedictus angelus Seraph volatu celerrimo pervenit propinquius ad sanctum Franciscum, vidit inter alas effigiem hominis crucifixi in modum crucis manus et pedes extensos ac cruci affixos. Hoc enim fuit valde mirabile, ideo et Francisci mens de hoc vehementer stuporem incurrit eo, quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus Seraphici nullatenus conveniret. Mirum etiam fuit, quod lignum crucis et clavi, quibus affixi erant manus et pedes illius, cernebantur inter alas angelicas. (F) Quaeritur hic, utrum in ista forma Seraphica apparuerit Christusmet in propria persona, aut tantum angelus Christi. Ad quod respondetur secundum doctores nostros, quod ibi fuit ipsemet Christus in propria persona stigmatizans beatum Franciscum. Et hoc satis claret in officio per Ecclesiam approbato in multis passibus. Primo in antiphona, ubi sic canitur: *Crucis apparens hostia tensis in cruce brachiis, sex alis recta variis* etc. Sequitur: *Suaque sacra stigmata in eius carne protrahit,* crucis etenim hostia non est angelis, sed Christusmet passus, qui sua, non angeli stigmata impressit, etc. Item in hymno: *Ad quem venit rex e caelo amictu Seraphico sex alarum tectus velo, aspectu pacifico, affixusque crucis telo portentum mirifico. Cernit servus redemptorem passum impassibilem, saeculorum imperatorem* etc. Item in versu: *Signasti, Domine, servum tuum, Franciscum signis redemptionis nostrae.* Ex quibus patet, quod Christusmet fuerit. Item in prosa: *Tunc alatus vir hierarcha venit, ecce rex monarcha* etc. Ergo fuit Christus, sicut et revelatum esse legitur li. Conformitatum III.: *O mira Christi clementia, quia sic apparuit ad transformandum.* Tertium mirabile in verborum tenore, quia sic apparens verba arcana locutus est, quae numquam dum viveret, alicui hominum aperiret. Credendum est enim sane, quod talia essent illa, ut non liceret ea homini loqui. Sicut et Apostolus legitur in raptu talia vidisse, I. Cor. XII. 9 (G) Sed notandum, quod illa arcana Francisco reserata, quamvis dum viveret, nulli dixisset, tamen post mortem eius legitur li. Conformitatum et Vitae sociorum, quod a fratribus pulsatus precibus apparendo beatus Franciscus aliqua tantummodo revelaverit. Unum est, quod etiam in vita praedixit fratri Leoni, scilicet quod quicumque haberet in reverentia et devotione, ut debet, ordinem fratrum minorum, Deus ipsi per gratiam suam pro meritis ordinis bonum finem daret. Secundum, quod quicumque persequeretur ordinem et fratres animo malo, non diu viveret sine punitione, sed in brevi divina ultio in eum veniret. Sed hoc intelligendum, nisi quando talis persecutio a Deo permissa esset pro fratrum utilitate salubri, sicut patet in martyribus. Et hoc ego ipse expertus sum in multis persecutoribus percussis. Tertium est, quod in ordine isto nullus malus in malo obstinatus posset diutius perseverare, quin vel poeniteret, et confiteretur, vel apostataret impenitens. Quartum, quod usque in finem mundi ordo iste perseverabit, quantumcumque impellatur tribulationibus. Unde sicut scribit Ioachim abbas li. Concordantiarum: *Hic ordo ab Antichristo maximas persecutiones super omnes sustinebit, sed munere Christi permanebit, et per ipsum totus mundus post mortem Antichristi converteretur ad Christum.* Haec sufficient. Quintum est in impressione stigmatum cum dolore, qui utique fuit magnus in fractura carnis, facta virtute divina tam subito. (H) Quaeritur hic, utrum stigmatizatio beati Francisci facta sit sola virtute divina. Ad quod respondendo notandae sunt tres veritates secundum doctores nostros. Prima veritas, quod haec stigmatizatio secundum modum, secundum quem facta est, non potuit fieri per artis ingenium, vel etiam per naturam, quia

natura vel ars non potest de carne humana vel nervis in corpore vivo formare clavos, sicut fuerunt in ista stigmatizatione, ut statim infra dicitur. Unde non potuit etiam fieri talis stigmatizatio virtute imaginationis vehementis, sicut quidam putaverunt, quia materies dura non oboedit imaginationi quantumcumque forti, ut alteretur, sicut Augustinus XI. De Trinitate dicit: *Licet materia fluida quandoque oboediat, ut patet de ovibus varii coloris generatis ex aspectu virgarum varicolorum* (?), Gen. XXX. 10 Sed materies manuum et pedum Francisci, in quibus facta est mutatio, fuit dura et tota nervosa, ergo etc. Secunda veritas, quod haec stigmatizatio secundum modum, quo facta est, non potuit fieri etiam virtute angelica, quia angelus non habet virtutem transformandi animam, nec consequenter et corpus, ut patet per Scotum super II. dist. XI. q. I. Nam Augustinus III. De Trinitate dicit, quod *haec materia visibilium rerum non servit ad nutum angelis sic, quod propria virtute possit mutare et inducere rebus varias formas substantiales*. Alioquin possent etiam daemones facere vera miracula, si possent res mutare in veritate, quod falsum est. Non potuit ergo angelus propria virtute ex carne Francisci clavos formare. Tertia veritas, quod haec stigmatizatio facta est sola virtute divina. Pro qua nota secundum Franciscum de Mayronis, quod *in Sacra Scriptura inveniuntur quattuor genera miraculorum*. Quaedam per ingenium artis facta, sicut arte magica facta sunt in Aegypto per maleficos Pharaonis, ut dicit Augustinus super Exod. VII. Secundo quaedam per virtutem naturae facta, sicut fit eclipsis Solis vel Lunae, de qua vulgus miratur, licet sit eius ratio naturalis, excepta eclipsi tempore passionis Christi, quae fuit supernaturalis. Tertio quaedam per potentiam angelicam facta, sicut status Solis et retrocessio, quia ad ministerium angelorum pertinet motus caeli. Quarto alia sunt per solam divinam potentiam facta, sicut mundi creatio, sic et animae humanae creatio, atque conservatio omnium in esse. Haec autem stigmatizatio facta est sola potentia divina, quae sola potest varias inducere formas rebus ad nutum, non autem angelus, ut docet Augustinus etiam Contra Manichaeos. Et sic patet. O ergo Iesu bone, tu lauderis in his stigmatibus et tibi gloria. Quintum ergo mirabile in clavorum formatione, quia manus et pedes non solum sunt perforati, sed etiam clavi in eis sunt ex nervis et carne facti divina virtute. Erant autem ad instar ferri nigri duri fortes ac solidi, et tam longi, ut pertransirent eius manus et pedes. Sextum in rotunditate et repercussione, quia capita clavorum in interiori parte manuum et superiori pedum erant rotunda, et ex adverso erant acumina eorum oblonga, retorta et quasi repercussa virtute divina, cum nec incus, nec malleus ibi fuerint. Et erant recurvata clavorum acumina adeo prominenter, quod intra recurvationem arcualem ipsorum digitus immitti valeret. Unde nec plantas pedum solo applicari libere sinebat, sed oportebat in calcaneis incedere. Septimum in inhaesione, quia sic inhaeserant clavi, ut licet inter ipsos et carnem petiae immiterentur ad reprimendam sanguinis continuam effusionem, et cum essent sic a carne separati, numquam tamen amoveri poterant, quamvis pluries attemptassent fratres. Moveri quidem poterant, sed extrahi nequebant, veluti nervi et venae innati corpori totum Deo est attribuendum. Octavum mirabile in sanguinis effusione, quia saepe sanguinem haec vulnera et maxime lateris plaga fundebant, et semper die Veneris adveniente copiosius, quo die etiam maiores beatus Franciscus sentiebat. Nam et Christus eo die est passus, unde beatus vir sic cum Christo et in Christo experiebatur dolores et sanguinis effusiones. Nonum in transfixione, scilicet in dextro latere. Dextrum quippe latus quasi transfixum lancea erat, quod sanguinem sacrum dolorose fundebat, ut oporteret lavari tunicam saepius. Decimo in originali permansione, quia vulnera ista per duos annos et XVIII dies in corpore Francisci, usque mortem scilicet eius, permanserunt, et duraverunt incurabiles, et etiam imputribiles, cum non haberent aliquod conservativum. Erant quoque stantes in statu suae originis, quo impressae sunt sine foetore et corruptione, in quibus omnibus Deus et Dominus Iesus laudetur. O quam venerabilis beatus Franciscus devotis existit, in quo Dominus fecit talia. (I) Circa tertium de certissima veritate stigmatum in corpore beati Francisci sit pro conclusione, quod indubitata et certissima veritate comprobatur beatus Franciscus stigmata Christi portasse in corpore. Nam probatur hoc primo multorum fidedignorum testimoniis. Ut enim scribit Bonaventura, vir utique maximae sanctitatis in legenda, quod licet beatus Franciscus omni diligentia studeret haec stigmata abscondere portando semper ex tunc manus contactas et pedes calciatos, et sollicitate occultando lateris vulnus, vidisse tamen Dei ordinatione et palpasse iuraverunt multi sanctissimi fratres, aliqui etiam cardinales, similiter et summus pontifex Alexander quartus, qui et in praedicatione publica se oculis conspexisse asseruit. Sed et in morte beati Francisci viderunt plus quam L fratres, et sancta virgo Clara cum suis virginibus inclusis, et saeculares innumeri, ac osculati sunt et contrectaverunt pro firmitate testimonii. Secundo probatur apostolicorum plurimorum bullis, scilicet Gregorii IX., qui hunc sanctum ascripsit catalogo sanctorum, qui de ista stigmatizatione mandat credendum fidelibus sub nota haeresis, et fecit tres bullas. Item Alexandri papae IV., qui etiam fecit tres bullas. Item Nicolai tertii, qui dedit bullam. Et extra de ver. sig. „Exiit, qui seminat” li. VI. facit de stigmatibus expressam mentionem. Item Benedicti XII., qui dans bullam ordini mandavit celebrari festum stigmatum. Tertio probatur revelationibus et miraculis innumeris, de quibus aliqua tacta sunt supra, alia pro brevitate transeo. Sed pro devotione simplicium historiam impressionis stigmatum breviter hic describam. Legitur enim in libro De vita sociorum beati Francisci, quod cum beatus Franciscus in latere Montis Alernae quadragesimam beati Michaelis ieiunaret, quodam mane, dum ibi oraret, miram dulcedinem divinam abundantius solito coepit sentire, et vidit de caelorum sublimitate descendere ad se Seraph ignitas scilicet alas et splendidas habentem, et mons cernitur inflammari. Appropinquante illo vidit inter alas Christum Iesum crucifixum, et vehementer obstipuit, maeroremque compassionis super Christo passo et gaudium super eius gratioso aspectu mens eius incurrit, ut dicitur in Legenda. Et cum arcana verba sibi revelasset, tandem dixit: „Para te, Francisce, faciam enim in te mirabilia.” Et ille: „Tu scis, Domine, quia paratus sum ad omnia tua mandata.” Tunc Christus extendit manum suam dextram super beati Francisci manum dexteram ponendo, ad cuius contactum Franciscus vulneratus in manu dolorosa voce exclamavit: „O Domine Iesu!”, et cecidit in terram, et sic attonitus ac stupens aspiciebat Christum. Cui stupenti ait Christus: „Surge, Francisce, extende aliam manum!” Et fecit consimili modo in sinistra manu eius, et iterato ille cecidit exclamans. Ad quem Dominus iterum ait: „Surge, Francisce, para te.” At ille: „Domine mi, paratus sum.” Et Dominus posuit pedes suos super pedes Francisci, et ille plagatus repente exclamavit, et cecidit in terram. Tandem dixit iterum Dominus: „Francisce, surge, ut perficiam in te, quae disposui, mirabilia.” Franciscus ait: „Domine, quis poterit

sustinere tales dolores?” Cui Dominus: „Quid tunc fecisses, si verbera et spineae coronae punctiones, alapas, sputa et alias poenas, quas ego pro hominibus suscepi, sustinuisses?” Surgens ergo Franciscus dixit: „Quid iubes, paratus sum.” At Christus amplexans illum iunxit latus lateri beati Francisci, et statim impressit plagam lateralem. Tunc Franciscus exclamans: „O pie Iesu!” – cecidit in terram quasi semimortuus, et Christus in caelum disparuit. Beatus autem Franciscus iacuit in terra usque ad nonam. Tunc frater Leo superveniens et videns prostratum levavit eum putans ex abstinentia defecisse. Et sic ab illa hora beatus Franciscus licet occulte, ut potuit, illa sacra stigmata in corpore portavit. O ergo beatissime pater, o gloriosissime Christi signifer, per tua stigmata te rogamus, intercede pro nobis ad Dominum Iesum, ut tuis meritis det gratiam etc.

---

1 Gal 6,17 2 Cf. Sap 11,17 3 Lc 18,14 4 Lc 16,22 5 Apc 14,13 6 Ps 9,38 7 I Cor 13,34 8 Is 6,2 9 II Cor 12, 2-4 10 Cf. Augustinus, *De Trinitate*, 11,2 (PL 42, 988): „Licet videre corpusculum chamaeleontis ad colores quos videt facillima conversione variari. Aliorum autem animalium quia non est ad conversionem facilis corpulentia, fetus plerumque produnt libidines matrum, quid cum magna delectatione conspexerint. Quam enim teneriora, atque, ut ita dixerim, formabiliora sunt primordia seminum, tam efficaciter et capaciter sequuntur intentionem maternae animae, et quae in ea facta est phantasiam per corpus quod cupide aspexit. Sunt exempla quae copiose commemorari possint: sed unum sufficit de fidelissimis Libris, quod fecit Jacob, ut oves et caprae varios coloribus parerent, supponendo eis variata virgulta in canalibus aquarum, quae potantes intuerentur eo tempore quo conceperant (Gn 30,37-41).”

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXV.] De Seraphico patre Francisco Sermo sextus *Vidi alterum angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei vivi*. Apoc. VII. 1 (A) Sicut Seraphicus Bonaventura in prologo maioris Legendae beati Francisci testatur, indubitabili fide in hoc vaticinio Iohannis in Apocalypsi sub similitudine *angeli ascendentis ab ortu Solis et habentis signum Dei vivi* designatus est beatus Franciscus. Ipse enim angelus merito dicitur propter sanctitatem angelicae vitae. Propter quod in ipso libro Apocalypsis Iohannes saepe accipit angelos pro hominibus sanctis, ut patet de episcopis septem ecclesiarum, quos angelos vocat, et etiam propter officium, quia angelus 'Dei nuncius' dicitur. Beatus autem Franciscus missus fuit Dei nuncius ad praedicandum sequelam Christi passi per poenitentiam. Item dicitur ipse ascendere ab ortu Solis. Tum quia de civitate Assisii ortus est, quae a Romana Ecclesia est versus orientem sita, tum quia mane circa ortum Solis fuit consignatus Christi stigmatibus. Et propterea etiam dicitur *habere signum Dei vivi*, id est passionis stigmata. Item dicitur, quod *clamavit voce magna*, scilicet praedicationis et exemplificationis *quattuor angelis*, scilicet ad quattuor mundi partes, hoc est orientem, occidentem, austrum et aquilonem, *quibus datum est nocere dicens: „Nolite nocere terrae et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Domini nostri in frontibus eorum”*, 2 scilicet per poenitentiae verae signa, et tandem maximum exercitum electorum duxit coram Deo. Sic per omnia fecit Franciscus. Unde de ipso haec verba convenienter accipiuntur, iuxta quae beatus Franciscus commendatur praecipue de tribus, de quibus agemus in sermone: · Primo de Seraphica charitate *in angelo ab ortu Solis*, quo ardens amor Christi Seraphicus significatur · Secundo de signifera dignitate, ibi: *habentem signum Dei vivi* · Tertio de salvifica utilitate, quia post haec sequitur de multitudine salvandorum (B) Circa primum de charitate Seraphica quaeritur: Qualis est iste amor Seraphicus, aut quomodo homines possint ad eum pervenire, ut scilicet Deum ament Seraphico amore? Ad quod notandum secundum doctores, praecipue Bernardum de sex alis Seraphim et Dionysium li. De angelicis hierarchiis, item Lyram super Isa., Franciscum de Mayronis aliosque, quod in Scripturis haec duo Seraph attribuantur, scilicet numerus et dispositio alarum. Primo scilicet numerus senarius alarum, ut patet Isa. VI., ubi Isaias dicit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat domus a maiestate eius*. 3 Secundum Lyram: *Vidit angelum in effigie hominis sedentis in solio supra templum Domini, cuius maiestatis fulgore mirabili procedente templum plenum esse videbatur, et ea, quae sub ipso erant, replebant templum, quia orae vel finis vestimentorum eius apparebant usque ad templi pavimentum diffusae*. Nam per hanc apparitionem significabatur Deus incarnandus in templo, id est in Virgine Maria, quam inhabitavit. Sequitur: *Seraphim stabant super illud*, 4 scilicet templum, quia stabant sic, quod unus erat ad dextram illius angeli, qui apparebat in persona Dei, et alius ad sinistram, qui stabant parati obsequi ei. Sequitur: *Sex alae uni, et sex alteri*. 5 Secundum Franciscum de Mayronis ex hoc perpenditur, quod angelus missus ad beatum Franciscum, quando stigmatizavit eum Christus, fuit Seraphicus spiritus, quia ceteris angelis iste numerus alarum non ascribitur in Scripturis. Sed quid significant istae alae sex? Bernardus ubi supra prolixè tractat, cuius sententiam brevians: Sex praecipua notantur ibidem tamquam sex alae Seraph, per quae homo scilicet pervenire potest ad incendium perfecti et Seraphici amoris divini. Prima ala – inquit Bernardus – est confessio criminis, quam causat et format compunctio, cuius prima penna est veritas. Secunda integritas. Tertia firmitas. Quarta humilitas. Quinta simplicitas, quia confessio debet esse vera, integra, firma, scilicet in spe veniae sine desperatione, et humilis ac simplex, ut propriam accuset simpliciter, et humiliter culpam non excuset, nec attenuet. Secunda ala est – inquit – satisfactio. Huius prima penna est peccati abrenunciatio finem ei ponendo. Secunda est lacrimarum effusio. Tertia ieiunium vel carnis castigatio. Quarta elemosynarum largitio. Quinta devota oratio. Haec requirit satisfactio. Tertia ala est castitas. Huius penna prima est visus pudicitia. Secunda auditus castimonia. Tertia gustus temperantia. Quarta olfactus modestia. Quinta tactus sanctimonia. Haec secundum quinque sensus corporis. Quarta ala puritas mentis. Huius penna prima rectitudo affectionis, ut bona sola et non mala appetat. Secunda in Domino delectatio. Tertia munda cogitatio. Quarta pacis unio, ut scilicet tranquillitatem in mente teneat. Quinta pura intentio, ut scilicet intentione bona faciat ea, quae operatur. Haec quoad mentem. Quinta ala est proximi dilectio. Huius prima penna est



scilicet nulli nocere verbo vel opere. Secunda penna est omnibus prodesse verbo et opere. Tertia res in necessitate proximis impendere. Quarta mortem pro salute proximorum sustinere in articulo necessitatis. Quinta animarum lucrum proximorum usque ad mortem semper zelare et quaerere. Sexta ala Dei amor super omnia. Huius prima penna est nil aliud, quam Deum concupiscere. Secunda propter Deum sua distribuere. Tertia propter Deum omnia relinquere. Quarta propter Deum seipsum contemnere, et propriam voluntatem abdicare. Quinta in his usque ad finem perseverare. Haec secundum Bernardum. Beatus Franciscus haec omnia observavit, et ideo Seraphicum Dei amorem habuit. (C) Secundo ipsis Seraphicis angelis attribuitur dispositio alarum talis, scilicet quod *duabus velabat faciem eius*, Isa. VI. 6, secundum Lyram sic, quod duas alas erexerant superius capita quasi transversaliter, non quod essent extensae ante facies eorum, sed super caput quasi transversaliter. Et sic velabant caput superius, et per consequens faciem, quae est pars capitis. Sequitur: *Et duabus velabant pedes*, 7 quia transversaliter versus inferiora protendebantur, ut corpora Seraphim et pedes velarent ad quandam decemiam honestam operimenti etc. *Et duabus*, scilicet alis mediis *volabant*. 8 Haec ibi. Et huiusmodi sub dispositione alarum apparuit beato Francisco Seraph teste Bonaventura in Legenda, ergo etc. Sed quid per haec significetur et intelligi datur? Notandum secundum Lyram et Franciscum de Mayronis, quod ex quo Gregorius dicit super Ezechiel, scilicet quod per alam contemplatio designatur, igitur per duas alas supra caput erectas intelligitur contemplatio divinorum, quae sunt supra naturam angelicam. Item per alas duas protensas inferius ad cooperiendum corpus et pedes contemplatio eorum, quae sunt inferiora, angelis designatur. Hinc Dionysius in angelicarum hierarchiarum c. XIII. dicit: *Seraphim ideo velabant caput, ut altiora divinitatis sibi tecta, et etiam pedes, ut inferiora et profundiora sibi impenetrabilia testentur*. Haec ille. Unde cum iudicia Dei etiam in inferioribus disponendis sint abyssus multa, per haec clarent angelis incomprehensibilia, ut patet de hominis istius vel illius praedestinatione vel reprobatione, vocatione vel electione et aliis iudiciis Dei occultis. Denique per alas duas ad volandum extensas designatur, quod scilicet angeli contemplantes vel cognoscentes Dei voluntatem semper sunt parati et ad divina ascendere, et ad inferiora descendere secundum Domini voluntatem. Ideo volatus in medio loco disponitur quasi ad utrumque paratus. Duae ergo alae pares ubique sunt secundum Franciscum de Mayronis ad designandum haec duo, scilicet intellectum et voluntatem angelicam, quibus angeli feruntur contemplantes in Deum, vel ad inferiora contemplanda reflectuntur, vel ad Dei voluntatem et ministeria implenda parati semper obsequuntur. Ex his pro morali documento nostro accipiamus, quod scilicet Seraphicum amorem homo non potest habere, nisi et Deum feratur per contemplationem et amorem recognoscendo ipsius incomprehensibilem charitatem, qua dilexit nos etc. Item nisi reveretur et timeat Dei iudicia, et separari a Deo usque ad mortem nolit. Item nisi per omnia divinae voluntati conformetur et oboediat. Unde oramus: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo*, scilicet per angelos, *et in terra* per nos, scilicet oboediendo. Beatus Franciscus haec omnia ardenti charitate servavit perfectissime ergo etc. (D) Circa secundum de signorum Christi portatione, quod beato Francisco est magnae dignitatis et gloriae, quaeri potest: Qualia sunt haec signa Crucifixi, quae portavit Franciscus ad consignandum fideles Christi pro assequenda beatitudine caelesti? Ad quod responderetur, quod Christus Dominus insigniendo Franciscum sacris suae passionis stigmatibus ostendit certa sua signa data eidem ad imitandum fidelibus, quibus agnoscantur salvandi a reprobis damnabilibus. Primum signum innocentiae et puritatis. Sicut enim Christus in mundissima carne innocenter passus suscepit haec vulnera in cruce ad delendum nostra peccata, ita voluit haec signa dare Francisco, ut praedicaret hominibus munditiam a peccatis, et custodiam a sordibus vitiorum, quia ut scribitur Apoc. XXI.: *Nil coinquinatum intrabit in illud*, 9 scilicet regnum caelorum. Qui ergo a peccatis cavent signo Crucifixi, signati sunt ad beatitudinem, Gal. V.: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*. 10 Qui autem peccata faciunt, signum diaboli et damnationis habent se signatum, I. Ioh. III.: *Qui facit peccatum, ex diabolo est*. 11 Beatus Franciscus cum hoc signo ambulavit praedicando et exemplificando, quia licet juvenili aetate nutritus fuerit in vanis, tamen superno sibi assistente praesidio praeservatus est a carnis petulantia, et tandem ad Christum conversus omnia vitia in seipso crucifixit mortificando. Una autem die, dum in quodam loco solitario annos suos in amaritudine deploraret non sine culpa transactos, Sancti Spiritus in eo superveniente laetitia certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum. Secundum signum poenitentiae et eius veritatis. Nam Christus haec vulnera suscepit in cruce pro signo poenitentiae de peccatis nostris, non suis. Voluit ergo Francisco dare ad praedicandum poenitentiam, et sic hoc signo fideles Christi signari, iuxta illud Ezech. IX.: *Signa tau super frontes virorum dolentium et gementium*. 12 Hoc quippe est signum Christi, quod et Francisco dedit apparens et dicens illud Matth. XVI.: *Qui vult venire post me, tollat crucem*, 13 scilicet poenitentiae etc. Sed impenitentia signum damnandorum est, Luc. XIII.: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. 14 Huius pro signo Franciscus visus est, dum praedicaret, miro tau signatus. Tertium signum spiritum (sic) paupertatis, nam Christus nudus et pauper pependit in cruce cum his vulneribus stigmatum, quae dedit Francisco pro signo suo consignando fideles, quia scribitur Luc. XIV.: *Qui non renuciaverit omnibus, quae possidet, non potest esse meus discipulus*. 15 Unde amor cupiditatis terrena signum est diaboli vel damnationis, I. Ioh. II.: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*. 16 Cum hoc signo paupertatis Christus Franciscum misit in mundum ad signandum homines Christo per contemptum temporalium. Unde ipse in tunicis et aliis evangelicam paupertatem servavit, et servari in regula mandavit pecuniam et omnia abdicans. Quartum signum oboedientiae ac humilitatis. Nam Christus ex oboedientia humiliavit seipsum ad crucem, et sic suscepit haec vulnera, et ideo oboedientiae signum dedit Francisco tam in se, quam in aliis consignandis ad imitandum, scilicet in humili oboedientia mandatorum, quod est signum Christi, Matt. XIX.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. 17 Beatus Franciscus in omnibus Deo oboedivit et Christo. Nam mandavit Christus Francisco, ut Ecclesiam suam repararet, et reparavit materialiter et spiritualiter. Item secundo mandavit dicens: „Francisce, amara pro dulcibus sume, et teipsum contemne, si vis me agnoscere.” Et hoc implevit leprosis serviendo et ulcera osculando. Item tertio mandavit, ut crucem Christi sequeretur, et hoc servavit semper in mente praesentialiter portando. (E) Denique quaero, quali signo possit homo agnoscere, quod perfecta oboedientia et timor Dei sit in ipso. Responderetur, quod certissimum signum ad id est, si videt Deum sibi ad nutum condescendere, et ipsum exaudire, quia ut ait

Augustinus De opere monachorum: *Citius exauditur una oboedientis oratio, quam decem milia contemptoris.* Ideo Ps.: *Voluntatem timentium se faciet, scilicet Deus, et deprecationem eorum exaudiet.* 18 Sed quia de beato Francisco legitur, quod Deus ipsi condescendebat ad nutum, et in omnibus exaudiebatur. Ad quod aliqua referamur. Cum enim iret cum fratre socio, nocte superveniente, cum forent inter paludes, prae tenebris in periculis constituti viarum, dixit ei socius: „Pater, ora, ut de instantibus periculis liberemur.” Ad quod vir Dei respondit: „Potens est Deus, si sibi placet tenebrarum effugata caligine beneficium lucis nobis impendere.” Vix sermonem compleverat, et ecce tanta lux de caelo radiavit illico, ut nocte alias obscura existente ipsi clara luce vident non solum viam, sed et plurima circumquaque loca, et duravit usque quo ad loca hospitii pervenerunt. Item cum praevidisset sterilitatem super terram venturam, ipse cupiebat, quod suo tempore non veniret. Et sic factum est, quod non nisi descendente viro Dei subsecuta est. Item cum in quodam loco deserto petrosilium 19 habere cuperet, ubi numquam illa herba visa antea fuit, mox divina virtute illius herbae copiam habuit. Ad id in Legenda multa. Quintum signum fratrenae dilectionis et pietatis. Nam ex pietate erga nos et misericordia Christus suscepit vulnera, hoc ergo signum est Christi, Ioh. XIII.: *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* 20 Per contrarium ira et invidia signa sunt diaboli. Unde Christus hoc signum dedit Francisco, quem summo affectu pietatis implevit, tam in compassione Christi, quam in animarum zelo, quam erga pauperes, quam etiam erga creaturas irracionales, quae et viceversa afficiebantur ad eius pietatem. Unde cum indigenae eremitorii Graecii multis malis affligerentur per lupos rapaces, qui et bruta et homines consumebant, et per grandines ac annuas tempestates, vir Dei compatiens ad poenitentiam et pietatem eos induxit pro eis fideiubens, et sic ad pietatem conversis ac poenitentiam agentibus servaverunt lupi et grando pactionem servi Dei et legem pietatis, et cessaverunt pericula. Sed et grando vicinos pervadens ab illis in partem divertebat. Sextum signum ardentissimae charitatis. Nam Christus ex amore divino vulnera suscepit pro nobis. Et hoc signum Christi est, quia *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet,* I. Ioh. IV. 21 Sicut per contrarium signum diaboli est odium Dei. Hoc divinae charitatis signum Francisco datum est, qui ardens amore Seraphico alios ad amorem Dei signavit inducendo. Nam ex hoc amore martyrio flagravat, et fratres ad idem incitavit, quibus etiam ferventer dicere solitus erat: „Fratres, incipiamus servire Christo Deo, quia nil est, quod hactenus fecimus.” O ergo homo, observa haec signa et porta in te, ut sis de numero electorum. (F) Circa tertium de salvifica suffragatione accipiamus pro conclusione, quod benedictus Dominus Iesus ostendit in Ecclesia provenire hominibus multa suffragia per beati Francisci merita. Declaratur per omnium statuum genera. Primo in apostolicis. Nam Innocentius papa vidit Lateranensem Basilicam ruinae proximam dorso Francisci submisso sustentari. Secundo in beneficiatis, puta cardinalibus, episcopis, abbatibus et huiusmodi. Nam dominus Hostiensis cardinalis sancto Francisco devotus ipso praedicente ad apostolicam dignitatem est sublimatus, et Gregorius IX. papa vocatus, cui Franciscus apparens de stigmatibus suis haesitantem in fide certificavit, et sic devotionis gratiam ille per beatum Franciscum obtinuit. Item episcopo Assisinati beatus Franciscus, dum migravit, apparuit dicens: „Ecce relinquo mundum et vado ad caelum, scilicet pro te et devotis meis ibidem intercedens.” Item abbas sancti Iustini in episcopatu Perusii per orationem sancti Francisci mirum calorem et dulcedinem devotionis obtinuit. Tertio in clericis et presbyteris, quibus magni honoris gloriam et reverentiam Franciscus docuit debere. Unde canitur: *Franciscus, vir catholicus et totus apostolicus Ecclesiae teneri fidem Romanae docuit presbyterosque monuit prae cunctis revereri.* Unde dicit, quod si obviaret sibi presbyter et angelus, prius saluaret presbytero, quam angelo. Quarto in donis magnis, ut patet in Soldano imperatore, quem et in tempore mortis per fratres missos baptizari fecit, ut salvari possit. Reges etiam plures eius regulam tenuerunt, et per eius patrocinia magnam gratiam devotionis obtinuerunt. Patet de sancto Ludovico, rege Franciae, de sancto Ludovico, primogenito regis Siciliae, et sic de aliis, et de reginis ac filiabus regum. Quinto in egregiis militibus ac belligeris. Nam miles devotus Franciscum invitavit ad prandium, et morte repentina sublatus evasit damnationem praemonitus per sanctum. Item belli exitum praedixit belligerantibus contra infideles, et qui sibi non crediderunt, prostrati sunt. Sexto in fidelibus status omnis, scilicet coniugatis, virginibus et viduis. Nam de coniugatis legitur, quod cum quaedam mulier haberet maritum crudelem, quem adversarium patiebatur in servitio Dei. Petivit ergo sanctum Franciscum, ut oraret pro illo, et ait: „Vade, dices ei ex parte Dei et mea, quod nunc est tempus clementiae, postmodum aequitatis.” Quo dicto ab illa mox cecidit super virum Spiritus Sanctus, et ambo coelibem vitam agentes, tandem migraverunt ad Dominum uno eodem die. Item de virginibus patet in sancta Clara et eius sororibus, quae miram gratiam sunt per beatum Franciscum adeptae et gloriam. Item de viduis consimiliter claret in sancta Elisabeth et multis aliis tertii ordinis. Septimo in generosis civibus, civitatis, et ruralibus villanis. Nam legitur, quod hospitatus sanctus Franciscus apud Aretium in suburbio, cum toti civitati intestino bello quassatae immineret excidium propinquum, vidit super civitatem exsultantes daemones ac perturbatos cives ad caedem mutuam succedentes. Et mandavit per fratrem Silvestrum, ut ad portas civitatis iret, et clamaret dicens: „Ex parte Dei omnipotentis et iussu servi eius Francisci, procul hinc discedite, daemones universi!” Et continuo discesserunt, et pacata est civitas. Item draco totam regionem circumdans visus est per crucem ex ore Francisci altissimam et latissimam fugari. Octavo in habitu religionis constitutis, quibus omnibus est ad gloriam ac imitationis exemplum in devotione passionis Christi. Nonum in infirmis innumeris et calamitatibus positis, navigantibus, viatoribus et captivis ac periclitantibus liberatis. Decimo in mortuis suscitatis fere usque ad XX. Ex quibus unum hoc narrari hic sufficiat, quod scribit Bonaventura in Legenda: *In castro quodam mulier una sancto Francisco multum devota migravit. Convenientibus autem clericis nocte ad exsequias et vigiliis cum psalteriis decantandis subito cunctis cernentibus erexit se mulier mortua super lectum, et sacerdotem vocavit dicens: „Volo confiteri, pater, audi peccatum meum! Ego enim mortua duro eram carceri mancipanda propter peccatum, quod numquam confessa fueram. Sed orante pro me sancto Francisco, cui dum viverem, devota mente servivi, indultum est redire ad corpus, ut confitear, et vitam aeternam promerear. Et ecce vobis videntibus iterato migrabo.” Tunc sacerdoti confessa et absolutione recepta se in lecto collegit et obdormivit.* O ergo gloriosissime pater, pro amore Iesu ora pro nobis, ut Christus Iesus tuis meritis det nobis veniam et gratiam, finem bonum et vitam aeternam. Amen.

---

1 Apc 7,2 2 Apc 7,2-3 3 Is 6,1 4 Is 6,2 5 Is 6,2 6 Is 6,2 7 Is 6,2 8 Is 6,2 9 Apc 21,27 10 Gal 5,24 11 I Io 3,8 12 Ez 9,4 13 Mt 16,24 14 Cf. Lc 13,3: Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 15 Lc 14,33 16 I Io 2,15 17 Mt 19,17 18 Ps 144,19 19 Secundum Antonium BARTAL; editio: *petrosolium* 20 Ioh 13,35 21 I Io 4,16

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXVI.] De sancto Luca evangelista Sermo primus *Salutat vos Lucas, medicus carissimus*. Col. IV., 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Istam salutationem debemus, o carissimi, cum attentione audire et cum devotione suscipere. Primo propter reverentiam proferentis, scilicet Pauli, qui fuit sanctissimus apostolus Christi Iesu. Secundo propter honorem et sanctitatem salutantis, scilicet Lucae, qui et in his verbis commendatur a salubri medicamine, quod ipse praestat toti mundo per sacrum evangelium. Unde dicitur in themate: *medicus*. Commendatur etiam a sancta conversatione, qua fuit Deo et hominibus sanctis ac angelis carissimus. Ideo subditur: *carissimus*. Talis ergo sancti salutationem libenter debemus suscipere. Tertio propter utilitatem nostrae salutis, propter quam dicit Apostolus : *Salutat vos Lucas*, salutatur, id est salutem aeternam optat vobis. Deus autem sanctorum optata desideria implet, ut Ps. testatur dicens: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis tui audivit* etc. 2 Audiamus ergo et libenter suscipiamus hanc fructissimam et charitativam salutationem, quam Apostolus tunc fidelibus scripsit, et modo nobis veraciter dicit: *Salutat vos*, o Chrisri fideles, hoc est: salutem vestram in caelo exoptat *Lucas medicus carissimus*. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone, sicut beatus Lucas in eis commendatur praecipue de tribus: · Primo de salutis desiderio, cum dicitur: *Salutat*, id est salutem optat · Secundo de medicaminis commodo, quia dicitur: *medicus* · Tertio de honoris privilegio, quo carus Deo et hominibus commendatur (B) Circa primum de desiderio salutis accipiamus pro documento conclusionis verbum Gregorii super Ezechielem homilia XII., quod *nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum*. Haec Gregorius. Et ideo exemplo beati Lucae debemus habere magnum desiderium pro animarum salute tam propriarum, quam proximorum. Et hoc claret per rationem, quia anima hominis est pretiosior, quam omnis res corporalis totius mundi. Unde Augustinus VIII. De civitate Dei dicit: *Omni corpori praeferatur animae natura*. Item Bernardus dicit: *Totus corporeus mundus unius animae pretio aequiparari non potest, et idcirco perdere animam est maximum damnum prae omnibus damnis mundi, et per contrarium lucrari animam est pretiosius prae omnibus bonis mundi*. Item claret etiam exemplum, quia Christus sanguinem fudit pro salute animarum, quod non fecisset, nisi animae pretiositatem et eius lucri apud Deum acceptabile sacrificium cognovisset. Hinc hortatur Apostolus I. Cor. VI.: *Empti enim estis pretio magno*, id est: sanguine Christi, *glorificate ergo et portate Deum in corpore vestro*. 3 Notanter dicit: *pretio magno*, ut homines hoc cognito vili pretio suas animas vel proximorum non vendant diabolo, sicut faciunt, qui pro uno numismate quandoque periurant, vel pro modica re Dei praecepta violant, quod tamen pro toto mundo non esset faciendum. Dicit etiam: *glorificate et portate Deum in corpore*, quia multi heu portant diabolum in corde et corpore tamquam dominum, et hoc per varia vitia. Unde Bernardus super Cantica: *Diabolus per peccatum hominem inhabitat, et ubi peccatum per poenitentiam remittitur, ibi diabolus de homine expellitur*. Dicit etiam: *in corpore vestro*, quia multi desiderant et docent salutem animarum proximorum, sed suam negligunt vel non curant, cum tamen ordinata charitas a se incipit. Portare ergo debet homo primum in se salutem, et tandem in proximos effundere verbo et exemplo. Sicut fecit beatus Lucas, qui salutem propriam primum procuravit, et deinde fratrum salutem desideravit. Nam cum fuerit prozelitus, id est: ad legem Iudaicam ex gentibus conversus, et tandem Christi discipulus, patet, quia salutem propriam quaesivit, sed postea praedicans fidem Christi aliis salutem proximorum procuravit. (C) Quaeritur hic, quomodo studeat homo in desiderio salutis propriae et alienae seipsum exercere. Ad quod nota, quod sicut docet Hugo De arca Noe li. I. c. II.: *Inter desiderium mundi et Dei haec est differentia, quod desiderium vel amor mundi in principio dulcis esse videtur, sed finem habet amarum. Desiderium vero et amor Dei ab amaritudine incipit, sed ultima eius dulcedine plena sunt. Nam homo carnalis in suo appetitu et amore primum sentit quandam delectationem falsam, sed postquam fervor mali desiderii mentem inebriaverit spina conscientiae superveniens, mentem quam prius falso delectabat, graviter cruciat. Sed Christus mentem, quam sui amoris dulcedine replere disposuit, quadam prius tribulationis et compunctionis amaritudine percutit ac timoris aculeo pungit, et postea desiderabili dulcedine charitatis potat*. Haec secundum Hugo ubi supra. Ex quo patet, quod homo desiderans salutem debet primum quaerere contritionis et poenitentiae amaritudinem de peccatis contra Deum et proximum commissis, tandem se debet mancipare ad praeceptorum observantiam, ac deinde ad bonorum operum exercitium. (D) Ubi est advertendum, quod misericors Deus ut omnem hominem erudiret ad salutem, et inflammaret desiderium hominum ad eam, nec aliquis se posset excusare de impotentia vel ignorantia salvandi animam, dedit hominibus quadruplex speculum, in quo doceantur ad salutem: · Primum speculum in humana natura. · Secundum in humana creatura. · Tertium in Sacra Scriptura. · Quartum in sanctorum vita. Primum est in humana natura, quam condidit Deus sic, ut tam in anima, quam in corpore describeret legem salutis aeternae. In anima quippe tres regulas salutis indidit, propter quod Apostolus Rom. II. dicit: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt*, 4 id est: ex naturali dictamine rationis huiusmodi legem, scilicet Moysaicam non habentes, ipsi sibi sunt lex, id est: ratio naturalis, quia lex scripta divina vel humana dictatur a lege naturae, in qua radicatur. Subdit: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. 5 Prima ergo regula in anima scripta est cavere omne peccatum et facere bonum, quod patet, quia conscientia, quae est lex rationis, remurmurat semper omni malo et consentit bono, ergo etc. Secunda regula in anima scripta est, quod Deus diligatur super omnia. Nam secundum Alexandrum de Hales in III. parte q. III. ar. XI., licet hoc, quod homo diligit Deum super omnia et supra



seipsum, natura non habeat efficere, sed ad hoc necessaria est gratia ad illud perducens, tamen diligere Deum super omnia et propter se est de lege naturae et eius praecepto tamquam ab insinuante vel instigante et ostendente. Cuius signum est, quia homo naturaliter diligit bonum, et magis bonum magis diligit, nam naturaliter cetera membra pro capite exponit laesioni. Item huius etiam signum est, quod non potest quiescere anima per desiderii satietatem, nisi in Deo. Unde Augustinus li. Confessionum: *Fecisti, Domine, cor meum ad te, et ideo inquietum est, donec perveniat ad te.* Tertia regula in anima scripta est diligere proximum, sicut seipsum. Unde Gratianus in Decretis dist. I. c. I. dicit: *Ius naturale iubet alii facere, quod sibi vult quisque fieri, et prohibet alii inferre, quod sibi nolit fieri.* Item in corpore tamquam in tabula lutea, iuxta illud Iob X.: *Memento, quod sicut lutum feceris me* etc. 6, Deus descripsit per singula fere membra documenta salutis aeternae. Nam in pede solis plantis tangimus terram calcando, quo docemur contemnere terrena. Sed heu multi et ventre in terra repunt ut ranae. Augustinus: *Ventre in terra repimus, dum terrae per dilectionem haeremus.* Item corpus totum versus caelum erectum docet nos ad caelestia tendere. Bernardus: *Quid indecentius, quam curvum in recto corpore animum gerere.* Erubescere, anima mea, volutari in scaeno, quae ad caelestia facta es. Item manus, quae saepe et quotidie lavandae sunt, etiam si nocte tectas servaverimus, docent saepe lavari per confessionem. Isa. I.: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* etc. 7 Item digitorum numerus denarius praeceptorum observantiam docet. Matth. XIX.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 8 Item fissio digitorum et per iuncturas inclinatio pietatem docet et proximorum subventionem. Unde Lucae VI.: *Omni petenti te tribue.* 9 Item os, quia ut dicit Philosophus De animalibus: *Homo respectu suae quantitatis inter omnia animalia oris est minoris,* docet sobrietatem. Item lingua labiis et dentibus serata docet linguae custodiam. Nam Iaco. IV. dicitur: *Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, huius vana est religio.* 10 Item oculos duos habemus, dextrum et sinistrum, cum unus satis posset utcumque deservire ad videndum, in quo docemur, quod oculo dextro semper aspiciamus caelestia gaudia, ne illa perdamus, et sinistro infernales poenas, ne incurramus per peccatum. Ps.: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem, nequando dicat* etc. 11 Item aures apertae et erectae non dependentes versus terram more brutorum et canum docent verba Dei audire. Ioh. VIII.: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* 12 Item caput unicum, cui subserviunt omnia membra, docet oboedire uni capiti, Christo et eius Ecclesiae. Et sic patet. Secundum speculum est in mundana creatura. Nam Isa. XXIX. scribitur: *Erit vobis scilicet hominibus visio omnium, scilicet creaturarum, quasi visio libri signati,* 13 scilicet ad docendum de salute. Unde et Iob XII.: *Interroga iumenta, et docebunt te, et volatilia caeli, et indicabunt tibi, loquere terrae, et respondebit tibi, et indicabunt pisces maris* etc. 14 Nam omnia docent et invitant ad laudandum et diligendum Deum. Hinc Augustinus: *Caelum, terra et omnia, quae in eis sunt, undique mihi clamant, ut te amem, Domine, nec cessant omnibus clamare, ut sint inexcusabiles.* Nam omnia Deus subiecit nobis, et ideo debemus diligere Deum pro tantae dignitatis beneficio. Item Hugo De arca Noe li. II. c. III. dicit sic: *Omnis creatura tribus vocibus clamat. Accipe beneficium, scilicet a Deo, redde servitium, scilicet debitum, fuge supplicium, scilicet aeternum.* Nimirum haec videmus in creaturis, quod Deum laudant pro suo modulo, et laudabilem ostendunt commendantes in magnitudine potentiam. In ordine miro et multitudine sapientiam. In pulchritudine et virtute bonitatem. Unde Ps.: *Benedicite, omnia opera Domini, Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.* 15 Ergo multo magis debet homo Deum laudare pro beneficio bonitatis. Item videmus, quod omnis creatura Deo oboedit et servit ad nutum, nec transgreditur Dei ordinationem. Nam caelum secundum Dei voluntatem movetur, influit et illuminat nobis. Plantae generant, et non degenerant, quia vitis non producit pira, nec econverso, et sic de aliis. Sic homo debet Deo in omnibus oboedire et servire et non degenerare per vitia. Item creaturae fugiunt nociva, ut patet in avibus vitantibus laqueos, quos viderint, in piscibus, et aliis animalibus. Sic debet homo fugere tormenta gehennae et laqueos diaboli. O qualis dementia peccatorum igni perpetuo se ultro dantium. (E) Tertium speculum salutis est in Scriptura Sacra, quia teste Apostolo Ro. XV. ca.: *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.* 16 Quia si dicas: „Ego nescio legere scripturas, quomodo ergo ex illis potero salutis viam investigare.” Respondet ad hoc Augustinus De doctrina Christiana dicens: *Ut nemo excusationem habeat, voluit Dominus consummare et abbreviare verbum super terram dicens, quod in duobus mandatis his universa lex pendet et prophetae, scilicet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc., et: Diliges proximum tuum, sicut temetipsum.* 17 *Thesaurus enim magnus divinarum Scripturarum est dilectio. Si piger es ad perscrutandum Scripturas, non sis piger ferre hanc unam margaritam, et quo vis, secure ambulas.* Haec ille. Quartum speculum est in exemplis et vita sanctorum et maxime Domini Iesu et sanctae matris eius. Nam ut Augustinus ait in sermone de martyribus: *Qui sanctos in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire.* Hinc et Bernardus dicit: *O Domine Iesu, beatus est, qui te diligenter observans pro viribus suis se praebet imitatore tui.* O ergo peccator, declina a peccatis, et age poenitentiam exemplo passionis Christi et omnium eius sanctorum. O superbe, vide Christum humilem pendentem in cruce. O tu luxuriose, considera Christum, filium Virginis Mariae toto corpore vulneratum pro te, ut et tu carnem concupiscentiis crucifigas, et sic de aliis. (F) Circa secundum de medicinae commodo, ex quo Lucas dicitur medicus, accipiamus pro conclusione ex verbis beati Hieronymi in prologo super Actus apostolorum, scilicet quod beatus Lucas merito commendatur fore medicus, quia medicinae artis egregius et apostolorum Christi discipulus medicinas optimas propinavit verbo et exemplo pro curandis animae languoribus. Et declaratur per singula septem vitia capitalia. Primo contra superbiam ipse beatus Lucas docuit medicinam humilitatis, Lu. XVIII. de superbo, scilicet Pharisaeo et humili publicano. Ubi legitur, quod per superbiam ille Pharisaeus orando non meruit, quod humilis publicanus promeruit, scilicet peccatorum remissionem. O ergo superbe, disce humiliari, si vis Deum propitium habere et eius gratiam obtinere. Secundo contra avaritiam, quae est mortalis infirmitas, habetur optima medicina Luc. XVI. scripta de divite epulone. Tertio contra luxuriam, Luc. VII. de Maria Magdalena. Quarto contra iram, Luc. VI.: *Dimittite, et dimittetur vobis, in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* 18 Ecce remedium. Quinto contra gulam patet medicina Luc. XII. de illo, qui dicebat: *Anima mea, multa bona habes recondita in annos plurimos, comede, bibe, epulare.* Et dictum est ei desuper: *Stulte, hac*

*nocte repetent animam tuam a te, et quae congregasti, cuius erunt?* 19 Sextum contra invidiam patet medicina Luc. XV., cum Iudaei murmurarent contra Dominum invidentes, quod peccatores recipiebat manducans cum illis, ad quos dixit parabolam centum ovium et unius perditae, et conclusit, gaudium est angelis super uno peccatore poenitentiam agente. Sic et homines debent ex charitate mutuo sibi congaudere. Item de filio prodigo et eius fratre ibidem. Septimo contra acediam patet medicina Luc. XVIII., ubi Christus dicit: *Amen dico vobis, nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* 20 Et subiunxit parabolam de arbore fici plantata in vinea, de qua dixit Dominus: *Succide eam, ut quid terram occupat.* 21 O ergo peccator, age poenitentiam, et ne tardes converti ad Dominum, quia nisi poenitentiam egeris, succisus in morte igni perpetuo traderis. Ecce tibi, o Christiane, per beatum Lucam optima medicinae. (G) Circa tertium de privilegio honoris, scilicet quo Deus Lucam inter sanctos sublimavit, accipiamus pro conclusione, quod Dominus Iesus beatum Lucam magnis privilegiis honoravit inter sanctos. Et declaratur praecipue ex septem. Primum privilegium dicitur praefigurationis. Nam ipse praefiguratus est Ezech. I. in specie bovis. Sed quare ipsum Deus voluit per bovem praefigurari? Respondetur primo secundum Augustinum super Ioh. sermone XXXVI., quia bos fuit animal immolaticium maioris victimae in lege. Lucas autem specialius scribit de Christi immolatione in passione crucis et eius sacerdotio. Unde et de sacerdotio Zachariae inchoavit suum evangelium. Secundo quia bos est laboriosum animal. Sic Lucas fuit comes Apostoli in labore sanctae praedicationis et tribulationis, cui semper adhaesit, II. Tim. IV.: *Lucas est mecum solus.* 22 Tertio quia bos est animal medicinale. Nam Isaac in Diaetis dicit, quod *caro bovis dat multum nutrimentum, licet sit difficilis digestionis, tamen vituli lactentis caro facilis est digestionis, et laudabile nutrimentum generat, et bonum facit sanguinem, ac coleram rubeam expellit de stomacho.* Haec Isaac. Et si bos est animal medicinale, sic Lucas fuit medicus et corporum et animarum, ut tactum est. Secundum privilegium evangelicae electionis, quia electus est unus inter quattuor evangelistas, quod est magnae dignitatis. Tertium est compilationis vel conscriptionis. Nam ipse compilavit et conscripsit plurimos sanctos libros, scilicet Evangelium, Actus apostolorum et Epistolam ad Hebraeos, prout ab ore Pauli apostoli audivit, ut testatur Hieronymus in Prologo super Heb. dicens, quod illam epistolam Apostolus ad Hebraeos conscriptam Hebraica lingua fertur misisse. Cuius sensum et ordinem retinens Lucas evangelista post excessum Pauli Graeco sermone composuit. Quartum est officialis honoris, quia ipse habuit officia honorifica notariatus plurima. Fuit enim notarius beati Pauli, quia prosecutus est eius acta. Fuit etiam notarius apostolorum, quia scripsit eorum gesta. Item quod maius est, fuit etiam notarius Beatae Virginis Mariae, cui ipsa revelavit secreta scribenda, scilicet verba angelicae annunciationis et pastorum. Et quod summum est, fuit notarius Christi evangelium conscribendo de eius genealogia, conceptione, infantia, passione, resurrectione et ascensione. Quintum est picturae imaginis. Unde Damascenus IV. li. dicit: *Accepimus Lucam apostolum et evangelistam pinxisse Dominum et matrem eius, et horum imaginem habere Romanorum famosas civitatem.* Sextum est innocentiae virginalis. Nam Hieronymus in Prologo Actus apostolorum dicit, quod *Lucas Antiochensis natione Syrus, medicinae artis egregius, sine crimine in virginitate permanens LXXXIV annos aetatis agens in Bithynia obiit plenus Spiritu Sancto.* Haec ille. Septimum est suffragationis. Legitur enim in legenda et in Historia Antiochena, quod dum Christiani, qui erant in Antiochia, multis flagitiis se dedissent, obsessi a multitudine Thurcorum fame ac miseria multiplici affligebantur. Sed cum poenitentiam egissent, cuidam vigilanti in ecclesia apparuit vir quidam lucidus, candidis vestitus, et quaesitus, quis esset, dixit se esse Lucam evangelistam, et quod Dominus militiam caeli, ut pugnarent pro suis peregrinis, congregaverit. Praecepit ergo beatus Lucas Christianis, ut contra scilicet Thurcos ad bella procederent. Sed cum illi trepidarent, ante eos se posuit, et Christiani animati omnem exercitum Thurcorum confregerunt. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut ipsius beati Lucae meritis det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro.

---

1 Col 4,14 2 Ps 9,38 3 I Cor 5,20 4 Rm 2,14 5 Rm 2,15 6 Iob 10,9 7 Is 1,16 8 Mt 19,17 9 Lc 6,30 10 Iac 1,26 11 Ps 12,4-5 12 Ioh 8,47 13 Cf. Is 29,11 14 Iob 12,7-8 15 Dn 3,57; cf. Ps 102,22 16 Rm 15,4 17 Cf. Lc 10,27 18 Lc 6,37-38 19 Lc 12,19-20 20 Cf. Lc 13,3 21 Lc 13,7 22 II Tim 4,11

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXVII.] De sancto Luca evangelista Sermo secundus *Honora medicum, propter necessitatem etenim creavit illum Altissimus.* Eccl. XXXVIII. 1 (A) Haec verba licet sint generaliter dicta de quocumque medico, tamen peroptime possumus accipere de beato Luca. Tum quia ipse fuit medicus arte. Et dicit Hieronymus in Prologo Actus apostolorum, quod *Lucam ita divina subsecuta est gratia, ut non solum corporibus, sed etiam animabus eius proficeret medicina.* Haec ille. Tum etiam quia ipsius sancti Lucae merita e suffragia sunt nobis miseris necessaria ad salutem aeternam et utilia. Tum denique quia ipsum altissimus Deus creavit promovendo ad regni caelestis gloriam, sicut rex dicitur creari, quando promovetur ad dignitatem regni. Et quia ipsum Deus promovit ad tantae sanctitatis excellentiam et virtutis, ut dignus sit honorari in tota Ecclesia. Nam *honor est praemium virtutis*, IV. Ethicorum Cum ergo ipse fuerit gratia Spiritus Sancti plenus et virtutibus, ut dicit Hieronymus, ergo honore dignissimus. Perpendamus ergo, carissimi, Scriptura hortantem et dicentem: *Honora*, scilicet tu, homo Christiane, honora reverenter et obsequiose colendo *medicum*, scilicet Lucam, *propter necessitatem*, id est ut salvari per eius meritum habeas, *etenim creavit illum Altissimus* exaltando. Iuxta quae verba tripliciter commendatur, et de his tria mysteria notemus pro sermone. · Primo de medicali honore, ibi: *Honora medicum* · Secundo de spirituali sanatione pro nostra necessitate · Tertio de supernali exaltatione, ibi: *creavit illum Altissimus* (B) Circa primum de medicali dignitate, de qua commendatur beatus Lucas, accipiamus pro conclusione verba Hieronymi in Epistola ad Paulinum de omnibus divinae historiae libris, dicentis sic: *Si noverimus Lucam esse medicum, cuius laus est in evangelio, animadvertimus pariter omnia verba illius animae languentis esse medicinam.* Haec ille. Ubi notandum, quod

homo Christianus caute debet observare se circa medicum spiritualem, de quo quidem hic loquimur, quia nimirum, ut colligitur ex Scripturis, medicus spiritualis quadruplici differentia distinguitur. Nam: · Quidam est nocivus et malus · Quidam autem est utilis et bonus · Quidam est optimus · Quidam autem indifferenter bonus vel malus Primo medicus spiritualis quidam est malus et nocivus, puta diabolus, qui dicitur medicus iuxta illud Lucae VIII. de Emorroissa, quae fluxum sanguinis passa XII annis omnem substantiam suam in medicos erogaverat, nec ab ullo potuit curari, sed ad tactum fimbriae vestimenti Christi sanata fuit. Ibi enim Glossa dicit: Emorroissa est anima peccatrix, medici sunt daemones, substantiae, quae in hos medicos expenduntur, sunt bona naturalia, ut fortitudo corporis, sanitas et pulchritudo et huiusmodi, quae in peccatis expenduntur. Sed certe hi tales medici non sanant, sed intoxicant, et veneno peccati occidunt. Accedat ergo peccatrix anima ad Chistum, tangat corde fimbriam vestimenti eius, hoc est: passionem Christi et mortem recogitando, quae est finis vitae Christi hominis, sicut fimbria finis vestimenti. Et sic imitando per poenitentiam curabitur. Ecce patet, quod diabolus dicitur medicus, sed est malus medicus et nocivus. Nam sicut malus medicus corporalis nociva persuadet, ut scilicet aeger aggravatus plura sibi solvere cogatur, homo autem per morbum (natura oberrante et infecta) appetit talia, quibus languor crescere habet, ut docet Hippocras in Epiciniis. Exempli gratia: Videmus, quod febricitans appetit aquam, qua crescit febris, non vult autem vinum. Sic diabolus persuadet hominibus nociva, quibus peccata augeant, et miseri homines vitiis morbidi talia libenter appetunt, puta: divitias, honores et prospera quaeque, de quibus certum est, quod sunt occasiones peccatorum et pericula animarum. Unde I. Timo. VI.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum et in temptationem diaboli et in desideria multa et nociva, quae mergunt hominem in interitum et in perditionem.* 2 Sicque homo peccator aggravatus peccatorum multitudine solvere habebit diabolo omnia, quae habet, scilicet animam, corpus et res in servitio diaboli expendens. Item medicus malus solet venenum sub dulcedine aliqua propinare, et tam caute, quod vix vel numquam possit deprehendi. Nam et venenum dum bibitur, dulce extimatur, quia adeo inficit linguam, ut discernere nequeat inter dulce et amarum, quamvis venenum in se sit amarum pro tanto, ut etiam linguam scindat, sed postquam sumptum fuerit, tunc amarissimum iudicatur. Sic facit diabolus tamquam medicus pessimus peccati venenum sub dulcedine delectationis occultans et sic propinans, unde Gregorius: *Momentaneum est, quod delectat, aeternum, quod cruciat.* Item tertio malus medicus solet decipere sub variis unguentis fraudem faciendo, sic diabolus multimode quasi unguendo peccatorem decipit persuasione. Aliquando in capite, dicens: „Vides, quia tot et tanta intelligis, ut alii nil respectu tui sciant, ergo tu potes hoc vel illud perpetrare.” Aliquando in oculo dextro, dicens: „Vides, quod male viventibus bene succedit in mundo, ergo quid tibi curae est de bono?” Aliquando in oculo sinistro, dicens sic persuadendo: „Vides, quam magna et multa adversa illi vel isti iusto et sanctis acciderunt, quomodo illos poteris sequi? Melius tibi est cavere.” Item aliquando ungit aures dicens: „Quid tibi de Scripturae vel praedicationis verbo, scis bene, quomodo procedere debeas et salvari.” Aliquando ungit cor, immittendo delectationes turpium cogitationum. Aliquando ungit totum corpus dicens: „Fortis es corpore et viribus, vive nunc pro libito, et cum senescis, tunc age poenitentiam.” O misera hominum dementia, o diaboli fraudulentia, quam multi sic seducuntur tali perniciose medicina. Sed o tu, Christiane, observa talia deceptorum, ne pereas in aeterna supplicia. (C) Secundo medicus quidam in Scripturis dicitur utilis et bonus, scilicet angelus Dei, sicut fuit Raphael, qui curavit Tobiam et Saram, unde Thob. VI. dixit Raphael, docens medicinam salvificam: *Cordis eius, scilicet piscis, particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum, sive a viro, sive a muliere.* 3 Fel quoque valet ad unguendum oculos, in quibus est albugo, et sanabitur. O anima fidelis, accipe huius medici, id est angeli consilium spiritualiter. Nam cor piscis significat charitatis Christi fontem in passione. Si enim consideratur amor Christi et passionis eius memoria, super carbones ignitae dilectionis nostri cordis extricat daemones, et fel amarum poenitentiae purgat oculos mentis nostrae, unde Bernardus super Cantica: *Nil tam efficax remedium contra omnia vitiorum temptamenta, sicut passionis Christi memoria.* De hoc medico, scilicet angelo super illud Iere. XLI. „Curavimus Babylonem, et non est curata, derelinquimus ergo eam” 4 Glossa dicit: *Sunt medici nostri, sunt pro magno medicamento angeli Dei volentes animas nostras a vitiis curare, quos ipsi repellimus, dum consiliis eorum non adquiescimus.* Tertio medicus quidam optimus est ipse Christus, sicut ipsemet testatur Mat. IX. dicens de se: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* 5 Augustinus: *Magnus per totum mundum iacebat aegrotus, hoc est totum humanum genus multis animae et corporis subiectum languoribus, et ideo magnus venit medicus, scilicet Christus, cuius livore sanati sumus, ut scibitur Isa. LIII.* Nam revera videmus, quod innumeris vitiorum morbis anima aegrotat hominis. Denique et in corpore nullum est animal, quod tot et tantas infirmitates pati habeat, sicut homo. Unde et Bernardus super Cantica dicit: *Quam multae erant infirmitates nostrae, ideo multa providus medicus, scilicet Christus medicamina nobis attulit.* Considera, o homo, huius medici, scilicet Christi pietatem, qua curavit nos multis modis. Etenim videmus, quod male habentes curantur aliquando abstinentia. Sed Christus pro nobis quadraginta diebus abstinuit ieiunando, certe si serpentem homo deglutivisset, tanto ieiunio consumpsisset. Item aliquando curantur infirmi potione, et Christus potatus est in cruce felle et aceto. Aliquando minutione, et Christus in manibus, pedibus et latere ac toto corpore vulneratus est pro nobis, ut loquar cum Augustino Contra quinque haereses. O vere mira res et pietatis plena, quia fusus est sanguis medici, et factus est medicamentum phrenetici. Denique medicus aliquando curat ferro, aliquando ligneo instrumento. Sic Christus ligno crucis et clavis ferreis nos curavit. Aliquando curat unguentis et lotura. Christus balsamo pretiosi et virginei sanguinis sui nos unxit, ut a peccatis lavaret. Apoc. I.: *Dillexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* 6 O Iesu bone, pie medice, tibi laus et gratiarum actio. (D) Quarto medicus quidam est indifferens, quia potest esse malus vel bonus in curando animas, sicut est confessor vel praedicator aut praelatus spiritualis. De quo medico scribitur Eccli. XXXVIII.: *Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit illum, id est Dei, incidet in manus medici,* 7 scilicet spiritualis, ad quem pertinet cura delicti, ut exponit Lyra. Sed isti medici dicuntur indifferenter boni vel mali, quia quidam eorum medentur sibi ipsis tantummodo, sed aliis non bene provident, ut tenentur, ut qui licet quoad se bene vivere videantur, tamen erga subditos insufficientes sunt, nec eorum salutem promovere sciunt, vel negligentes sunt. Quidam nec sibi, nec aliis medelam afferunt, quia nec ipsi bene vivunt in Deo, nec alios ad bona instruunt. Quidam alios medicant



bene docendo, sed non se, quia non faciunt, quod docent. Sed huiusmodi medici valde boni sunt, qui se a veneno peccati cavent, et virtutum exercitio medicant conscientiam, et alios docent verbo et exemplo. Talis fuit beatus Lucas, qui verbo et exemplo sanctitatis omnes docuit, et ideo merito est ab omnibus in Ecclesia honorandus, iuxta illud I. Tim. V.: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni sunt.* 8 (E) Circa secundum de spirituali sanatione quaeritur, qualibus signis possit quis infirmorum, id est peccatorum hominum agnosci, quod sanandus sit, et non morietur talis aeterna morte in peccatis. Ad quod respondendo notandum est, quod Hippocras in Praenosticis ponit novem signa boni, et novem mali infirmitatibus hominibus, quae persequamur hic applicando ad spiritualia, secundum quod notatur libro Originalium. Primum signum est fortitudo infirmi morbum facile tolerantis. Contrarium est debilitas eiusdem. Sic spiritualiter peccator si adeo fortis manet, ut non cesset a bono opere, signum est boni. Si autem adeo aeger fuerit animus, quod nil vult bene operari, signum est mortis aeternae. Sed forte dicis: „Ut quid mihi opus est operari bona, dum sum in peccato mortali, cum talia opera non valeant ad vitam, quia sunt mortua.” Respondetur, quod licet talia directe non valeant ad beatitudinem, tamen valent, in quantum disponunt ad gratiam Dei acquirendam, et ad minuendam poenam, et ad potestatem diabolicam infirmandam, et ad alia bona temporalia, ergo debet homo operari bona. Secundum signum est levitas infirmi facile se moventis. Contrarium gravitas inertem et pigrum motum habentis. Spiritualiter: cum homo leviter movetur in corde ad compunctionem de peccatis, signum est boni. Cum autem intantum gravatur, ut obstinato corde contemnat poenitentiam, signum est damnationis, unde Bernardus in sermone dicit: *Qui imperavit, ne peccaremus, statuit peccantibus, ut converteremur. Excluditur itaque a regno Dei non omnis, qui peccat, sed qui post peccatum labitur in contemptum.* Haec ille. Tertium signum est effigies membrorum sano similis. Contrarium dispositio non similis sano. Spiritualiter: dum peccator in exteriori honestate morum imitatur religiosos et sanctos, signum boni est, puta in locutione honesta, in victu sobrio, in amictu humili et huiusmodi. Gregorius in Registro: *Testes laudabilis vitae sunt boni mores et actus.* Sed si homo dissimilis est bonis per omnia, signum est mali. Quartum signum est appetitus facilis et sanitas mentis. Contrarium est perturbatio mentis et difficilis appetitus. Sic spiritualiter qui verbum Dei, quod est cibus animae, libenter audit, et sanae mentis consilia, id est salutis aeternae documenta faciliter appetit, signum bonum est. Qui autem perturbatae mentis est, et verbum Dei fastidit, signum mortis est. Unde Gregorius homilia VIII.: *Cibus mentis est sermo Dei, et quasi acceptus cibus stomacho languente reicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non tenetur, sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperatur. Aeternae ergo periculum mortis formidatae, si cibum sanctae exhortationis non accipitis.* Quintum signum est suavitas somni tempore congruo facti infirmum iuvantis. Contrarium est malitia somni tempore incongruo facti infirmo nocentis. Spiritualiter: tempore congruo dormit, qui in adversitate mentem tranquillam habet, in hac quiete Deum somniat, et hic somnus infirmum iuvat. Qui autem dormit in die, id est in humana prosperitate, hic somnus quanto magis placet, tanto magis infirmo nocet. Unde Gregorius: *Continuus successus temporalium prosperitatum aeternae damnationis est indicium.* Sextum est anhelitus suavis. Contrarium angustia spiritus. Spiritualiter: anhelitus suavem habet, qui sermonem increpatorium leniter suscipit, et hoc est signum boni. Sed cum peccator non suscipit increpationem, signum mali est. Unde Prover. XV.: *Non amat pestilens corripientem.* 9 (F) Septimum signum pulsus aequalitas naturali similis. Contrarium inaequalis pulsus, ut modo magnus, modo parvus, modo fortis, modo debilis, arteriae procedentis a corde. Spiritualiter: Aequalitas vitae procedentis ex affectu cordis signum boni est, hoc est, si homo peccator habet bonam voluntatem ad bene vivendum, sed cum voluntas variatur inaequaliter in contrarium, signum mortis est, unde Richardus in Benjamin dicit: *Inter omnia Dei dona, quae ad salutem hominis spectare videntur, primum et principale est voluntas bona, per quam in nobis divinae similitudinis imago reparatur.* Octavum signum est efficax fortitudo virtutis in loco decoctionis. Contrarium est eius debilitas virtutis ibidem. Primus locus decoctionis est stomachus, secundus hepar, tertius in venis per cetera membra. Spiritualiter: quando homo cibum animae, hoc est recognitionem sui per verbum Dei excoquit bene in stomacho memoriae per recordationem peccatorum, et in calore hepatis per Christi dilectionem, et in ceteris membris per operationem mortificationis, tunc est signum salutis. Unde Gal. V.: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt* etc. 10 Nonum signum sudor laudabilis expurgationis. Contrarium impurgabile per sudorem. Spiritualiter hoc significat confessionem. Sicut enim in infirmo aperiuntur pori carnis, ut per sudorem fiat purgatio morbi, sic per confessionem peccati fit laudabilis animae purgatio. Et nota, quod sudor mediocris laudatur, si habetur in omnibus membris. Cum enim sudor in toto corpore exit, omnium membrorum fortitudinem designat, quod est signum boni. Cum autem sudor fit in aliqua parte corporis, hoc contingit ex membrorum debilitate. Sic spiritualiter confessio laudabilis est, si fiat de quolibet peccato, si autem non fit de quolibet, signum mortis est. Unde Cassiodorus super Ps. LXXVII. dicit: *O beata confessio, quae aeternum tollit opprobrium, et reatum sceleris reddit absolutum.* Idem: *Illis non iudex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt.* Haec ille. Ad propositum: Beatus Lucas haec omnia signa boni, et quaeque ad salutem necessaria docuit, ut humanas animas in Christo sanaret, ergo honorandus medicus est. (G) Circa tertium de supernali exaltatione sit pro conclusione, quod beatus Lucas evangelista exaltatus est in caelo permagnifica gloria, propter quod digne veneratur in Sancta Ecclesia. Declaratur: Primo namque inter sanctos fulget gloria innocentiae et puritatis, quia numquam peccatum mortale commisit. Unde Hieronymus dicit de eo, quod serviens fuit Domino sine crimine. Secundo fulget gloria virginitatis, quia in virginitate permansit, ut testatur idem Hieronymus. Tertio fulget aureola doctorum et praedicationis, quia fuit evangelista. Quarto gloria imitationis Christi et eius crucis. Unde de eo sic Ecclesia dicit orando: *Interveniat pro nobis, quaesumus, Domine, sanctus tuus Lucas evangelista, qui crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro tui nominis honore portavit.* Sed ut scribitur Eccli. XXIII. c.: *Gloria magna est sequi Dominum.* 11 Et hoc patet ex decore assimilationis ad Christum, ergo etc. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut eius meritis det nobis gratiam, et tandem gloriam. Amen.



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXVIII.] De beato Luca evangelista Sermo tertius *Misimus ad vos fratrem nostrum* (scilicet Lucam), *cuius laus est in Evangelio per omnes ecclesias.* (A) Verba sunt apostoli Pauli II. Cor. VIII. 1 In quibus commendatur beatus Lucas proponiturque nobis omnibus in exemplum. Primo de fraterna charitate, cum dicitur: *fratrem nostrum*, quia enim erat verus Christi discipulus, et Christus mandavit Ioh. XIII. dicens: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem adinvicem habueritis.* 2 Unde inter Lucam et Paulum tamquam inter fratres in Christo vera vigeat charitas, utinam et modo inter nos, Christianos sic vigeret. Secundo commendatur de evangelii auctoritate, cum dicitur: *cuius laus est in Evangelio*, scilicet per ipsum Lucam conscripto, quod est multum laudabile, utpote multum salubre omnibus. Tertio commendatur de celebri sanctitate per omnes ecclesias. Unde in sermone, qui de eo per ecclesias plurimas legitur, dicitur Lucas velut insignis Lucifer ab orientalibus partibus renitens nobis lumen fidei, et caelestis itineris callem scandere patenter demonstrat. Unde pro tanto bono merito ab omnibus Christianis veneratur beatus Lucas et laudatur, propterea haec verba, sicut creditur, sunt ab Apostolo scripta de Luca, prout sonare videtur Hieronymus in Epistola ad Paulinum de omnibus divinae Scripturae libris, merito de beato Luca accipimus. Iuxta quae verba tria notemus mysteria pro sermone. · Primo de laudedigna praeclaritate, ibi: *Misimus fratrem nostrum, cuius laus est* · Secundo de evangelica auctoritate vel dignitate, ibi: *In Evangelio* · Tertio de celeberrima sanctitate, ibi: *Per omnes ecclesias* (B) Circa primum de laudedigna Lucae praeclaritate sit pro conclusione, quod beatus apostolus Paulus beatum Lucam commendat dignum praeclaris laudibus, ex quibus comprobatur fore magnus sanctus. Declaratur per plures epistolas Pauli, quibus commendatur praecipue a quinque. Primo commendatur a fraterni amoris plenitudine, quia dicit: *Misimus ad vos fratrem nostrum*, ut patet in themate, et etiam Col. IV. scribit: *Salutat vos Lucas carissimus*, 3 ergo charitate plenus, ex qua salutabat, id est salutem optabat. Et hoc modo Christianis datur exemplum, quod se mutuo diligant, sicut fratres, et salutem sibi optent invicem, quia super omnes alios homines veracissime sunt fratres. (C) Quaeritur namque: Unde probantur Christiani prae ceteris hominibus invicem fore fratres? Ad hoc respondetur, quod multiplici iure, propter quae debent se diligere. Primo quia filii sunt eiusdem patris, scilicet Dei, unde orant omnes: *Pater noster, qui es in caelis* etc. Secundo quia regenerati sunt ex eadem matre, scilicet Ecclesia desponsata in unitate fidei et baptismatis, Eph. IV.: *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* 4 Dicitur autem quis frater fidei unitate, ut dicit Chrysostomus XI. q. III. „Ad mensam”: *Fratrem – inquit – omnem fidelem intellige propter lavacrum regenerationis, quod facit vocari Deum patrem.* Haec ibi. Tertio quia adoptati sunt omnes a Christo in fratres. Dicitur autem quis frater adoptione, XXX. q. III. c. I. Unde Augustinus: *Non per Christi sanguinem adoptionis filii effecti clamamus: Pater noster, qui es in caelis, quod non possunt vere ac pie dicere, quicumque contra fratrem superbiunt, nisi se fratres omnibus Christianis esse cognoscant.* Haec Augustinus. Quarto quia testamentaliter sunt uni Virgini Matri commendati, scilicet a Christo in hora mortis, quando Iohannes Mariae commendatus est in persona omnium secundum Bernardum. Quinto quia empti sunt omnes unius sanguine, scilicet Christi, et ideo eiusdem sunt pretiositatis et diligitibilis in charitate Christi. Sexto quia religionem eandem sunt professi, scilicet Christianam. Dicitur autem quis frater religionis professione, X. q. II. „Episcopus”. Septimo quia nobilitati sunt eadem dignitate caelesti et hereditate, Ro. VIII.: *Si filii et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* 5 Ex quibus accipe pro documento, quod qui fratrem non diligit, sed odit, vel iram tenet, aut ei nocet in persona vel rebus aut uxore etc., talis haec omnia bona offendens perdet. Primo filiationem Dei, quia talis efficitur filius diaboli, Ioh. VIII.: *Vos ex patre diabolo* etc. 6 Secundo Ecclesiae meritorum participationem. Tertio Christi fraternitatem, quia frater diaboli est. Quarto Virginis Mariae patrocinium, non enim patrocinatur crimini, nisi poenitentis. Quinto perdit sanguis Christi remedium. Sexto fit religionis Christianae votifragus, et sic ab hereditate caelesti alienus. O perdit peccator, age poenitentiam, ne amittas tanta bona. O frater, esto frater sanctorum, scilicet Lucae [et] aliorum. Secundo Apostolus commendat Lucam ab arte medicinae, quia eum dicit medicum, Col. IV. dicens: *Salutat vos Lucas, medicus carissimus.* 7 Nam secundum Hieronymum Lucas fuit medicus corporum et animarum, cuius singula verba sunt animae languentis medicina. Nam Lucas singula genera medicamentorum animae videtur texuisse. De generibus quippe et modis variis medicinae artis physici multa scripserunt, quae narrari non sufficimus. Sed pro praesenti sermone quantumlibet haec pauca ex doctorum sanctorum dictis notemus ad spiritualem aedificationem. (D) Notandum, quod reperitur medicina quaedam significativa, haec est spiritualiter humilitatis contra infirmitatem superbiae. Ambrosius in Hexaemeron dicit, quod leo, leopardus et ursus curatur hausto canis sanguine. Leo superbum significat. Canis vile animal est. Superbia autem hominis curatur considerando vilitatem carnis suae. Unde Bernardus in Meditationibus dicit: *Quid aliud est homo secundum carnem, nisi sperma foetidum, saccus stercorum, cibus vermium.* Unde ergo superbit homo, cuius conceptus culpa, nasci miseria, vivere poena, mori angustia etc. Beatus Lucas medicinam humilitatis descripsit in Evangelio, quando Christum natum humillime in via et stabulo ex matre humillima virgine scribit. Unde Glossa Phil. II.: *Quid intumescis, o homo, sanies foetida, princeps tuus humilis est, et tu superbis.* Item reperitur quaedam medicina expurgativa superfluitatis, haec est pietatis contra infirmitatem avaritiae temporalia superflua congregantis. Patet in multis medicinis, quae faciunt purgationes et expellunt superflua. Sic deberet et homo superflua quaeque pauperibus erogare, ut sanaretur in animo. Hanc Lucas scribit c. XI. ex ore Christi dicentis: *Quod superest, date elemosynam, et omnia munda sunt vobis.* 8 Item reperitur quaedam medicina castificativa, haec est castitatis contra vitium luxuria. Unde Hieronymus super Zachariam dicit: *Aiunt medici, quod si quis florem cuiusdam arboris, scilicet ..... sive ..... sicilas sive ilupop Hebraico modo mixtum aquae biberit, omnis in eo frigescat calor, libidinis quoque vena siccetur ita, quod filios generare non possit.* Haec Hieronymus 9. Beatus Lucas scribit medicinam castitatis in exemplo Virginis Mariae. Item cum in ca. VIII. scribit, quod Christus legionem daemonum permisit intrare in porcos, et

suffocatus est grex porcorum in stagnum. Porci significant luxuriosos. Item contra iram reperitur medicina mitigativa ferocitatis et veneni extractiva, ut patet in pluribus medicinis, praecipue de tyriaca, de qua Ambrosius li. De Paradiso dicit, quod tyriaca de corpore serpentis conficitur, et sanitatem contra venenum causat. Item Plinius dicit, quod carnes gallorum crudae et calidae positae super morsum serpentis extrahunt venenum. Si quis autem eius pinguedine vel viscello inunctus fuerit, a pantheris et leonibus ferocibus tutus erit. Beatus Lucas scribit contra iram medicamentum patientiae Christi dicentis: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*, Lucae XXIII. 10 Nam Christi passio figurata est per serpentem suspensum in ligno. Et etiam carnes gallorum calidae significant dolores in Christi carne ex charitate susceptos, quorum consideratio mitigat iram. Item contra gulam medicina summa est abstinencia, ut patet per Galenum. Unde Ambrosius in Hexaameron: *Si medicinam quaeris, ieiuna. Ieiuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur. Si ergo ieiunium sputo terrenum serpentem interficit, multo magis spiritualem*. Haec Ambrosius. Beatus Lucas medicinam scribit contra hoc de ieiunio Christi, IV. c., ut exemplo eius ieiunemus. Item contra ebrietatem est medicina, ut dicunt experti, scilicet de fimo, melius de sanguine ..... sinoel, melius sirum ifur Hebraico modo, ut supra. Quem si quis biberit vino admixtum, de cetero vinum bibere numquam diligit. Sed talia quomodo sint contemperanda, videnda est, quia venenosa sunt, unde ista, quibus posset quis nocere alteri propinando, ideo occultavi sub litteris alienis, ne quis in praedicatione talia expresse dicat, et periculi occasionem det, sed sufficiat dicere, quod est aliqua talis medicina, quae valet contra ebrietatem corporalem. Beatus Lucas scribit ca. XXI. verba Christi: *Attendite vobis, ne forte graventur corpora vestra crapula et ebrietate*. 11 Item contra vulnus invidiae est medicina vulnere sanativa, et ferri vel festucae extractiva. Unde Ambrosius in Hexaameron dicit: *Caprea vulnerata dictamnium quaerit, et de vulnere sagittam excludit*. Beatus Lucas contra invidiam charitatem Christi et praeceptum scribit, Lucae X.: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*. 12 Denique contra acediam est medicina, quae carnes hominis a vermibus praeservat, ut patet de myrrha. Item Ambrosius in Hexaameron dicit, quod pulices non tangent te, si absinthii herbam cum oleo coquas, et eo te perunxeris. Per myrrham et absinthium poenitentia significatur propter amaritudinem, per oleum misericordiae opera. Unde qui se in operibus poenitentiae et misericordiae exercet, praeservatur a vermibus et pulicibus, scilicet infernalis poenae. Beatus Lucas hanc medicinam docuit, V. c. scribens verbum Dei: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam*. 13 Merito ergo Lucas commendatur de medicina, animarum scilicet et corporum. Tertio commendatur Lucas, scilicet ab Apostolo a missionis officio pro praedicatione. Unde dixit in themate: *Misimus ad vos fratrem nostrum, cuius laus est in Evangelio*. Et sic intelligitur de missione praedicationis causa illis faciendae secundum Lyram. Et hoc fuit signum sanctitatis commendabilis, quia non nisi missus praedicavit. (E) Quaeritur hic: Cur praedicationis officium nullus debet assumere, nisi mittatur? Respondetur, quia officium praedicatorum est officium angelorum. Sicut enim angelus nomen est officii nunciationis, non naturae, unde et angelus nuncius Dei interpretatur secundum Magistrum in II. dist. X. Sicut enim angeli habent annunciare hominibus divina, ut ait Dionysius, sic praedicatores. Ps.: *Annunciaverunt opera Dei, et facta*. 14 Sed angeli ex se non veniunt, nisi mittantur in ministerium, Heb. II., sic praedicatores non debent praedicare, nisi missi, Ro. X.: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur*. 15 Ad praedicandum ergo nullus debet praesumere ex se ire, quantumcumque sanctus sit vel scientificus, sed debet exspectare, ut licentietur vel mittatur, ut patet XVI. q. I. „Addicimus”. Et quandoque ad praedicandum quis mittitur a Deo, ut patet de Iohanne Baptista, sed non creditur alicui dicenti se missum a Deo, qui ab Ecclesia non est missus, nisi probet per miraculum, sicut fecit Moyses, extra de haereticis „Cum iniuncto” etc. Sicut et ar. de consecratione dist. II. „Revera”: *Quandoque quis mittitur ab Ecclesia vel ordinarie, ut quilibet curatus saltem quoad subditos*. Ad rectores enim Ecclesiae pertinet praedicare vel per se, vel per alium subditis suis. Unde dist. XLIII. Nicolaus papa dicit c. [„Dispensatio”]: *Dispensatio – inquit – caelestis seminis nobis (scilicet rectoribus Ecclesiae) iniuncta est, vae si non sparserimus, vae si tacuerimus*. Vel quandoque mittitur quis ab Ecclesia ad praedicandum ex privilegio, ut sunt fratres praedicatores et minores, Augustinenses, Carmelitae, Servitae, saltem in ecclesiis suis. Et hi etiam non debent praedicare, nisi missi a praelatis suis, ut in Clementina „Dudum” de sepulturis. Quarto commendatur Lucas ab adhaesione Apostoli et perseverantia in tribulatione. Unde II. Timo. IV. Apostolus dicit: *Lucas est mecum solus*. 16 Et Hieronymus li. illustrium virorum dicit, quod Lucas fuit individuus comes peregrinationis Pauli apostoli. Et in hoc proponitur nobis in exemplum patientiae et perseverationis, quia Bernardus in epistola dicit: *Perseverantia sola est, quae meretur viribus gloriam, virtutibus coronam*. Nam *qui perseveraverit, hic salvus erit*, Mat. XXIV. 17 Quinto commendatur a Sanctae Ecclesiae per evangelium aedificatione, cum dicit: *Cuius laus est in Evangelio per omnes ecclesias*, scilicet pro spirituali fructificatione. Evangelium enim ipsius est multum commendabile, ut patebit in sequentibus. O ergo homo, venerare hunc sanctum talibus et tantis laudibus dignum, ut eius precibus detur tibi gratia. (F) Circa secundum de Evangelii Lucae dignitate accipiamus pro conclusione, quod sanctissimum evangelium a Luca conscriptum magna et multa dignitate est fulcitum. Declaratur ex quinque praecipuis dignitatibus. Primo quia sanctificatum est a Deo et inspiratum. Nam Deus Pater sanctificavit ipsum praordinando et praeligendo. Unde Hieronymus XXXI. dixit Deus: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum*. Lyra exponit: *foedus novum*, id est legem novam, quae continetur in evangeliiis. Lex enim frequenter in Veteri Testamento vocatur foedus et pactum. Et dicit: *non secundum pactum, quod pepigi cum patribus*, scilicet Veteris Testamenti, quia vetus lex fuit timoris, sed lex evangelica amoris. Ex quo patet, quod Vetus Testamentum debuit Novo Testamento adveniente cessasse. Item evangelium Lucae, sicut et aliorum Dei Filius corroboravit condendo, et Spiritus Sanctus inspiravit Lucae. Unde Hieronymus in Prologo super Lucam dicit, quod Lucas cum iam essent scripta evangelia, per Matthaem quidem in Iudaea, per Marcum autem in Italia, Sancto instigante Spiritu in Achaiae partibus hoc scripsit evangelium. Secundo quia veritate plenissimus est Lucae evangelium. Nam triplex est veritas, scilicet vitae, iustitiae et doctrinae. Et hac triplici veritate plenum est Lucae evangelium. Primo veritate vitae, quae est adaequatio operis ad linguam, et consistit in observatione mandatorum Dei, hoc continetur in Evangelio Lucae. Nam scribit ca. X. Christi praeceptum dicentis: *Diliges Dominum Deum tuum ex*



toto etc. Et: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*. 18 Et insuper scribit et Christi consilia, quae sunt veritatis vitae perfectiones. Secundo plenum est veritate doctrinae. Nam et scribit, quomodo Christus redarguit Phariseos hanc veritatem doctrinae pervertentes ca. XI. dicens: *Vae vobis, legis peritis, qui tulistis clavem scientiae* etc. 19 Nam *veritas doctrinae est adaequatio rei ad intellectum* secundum Philosophum, ergo etc. Tertio plenum est veritate iustitiae, quae est adaequatio sententiae ad causam, puta, cum ex aequitate iudicii sic dictat sententiam, sicut requirit causa. Lucas autem in Evangelio scribit de extremo iudicio iustissimo Christi, ubi dicturus est reprobis: *Discedite a me omnes operarii iniquitatis*, ut patet Lu. XIII. 20 O ergo vos Christiani, quid estis tunc dicturi, si estis a veritate vacui? Nam vacui sunt veritate, qui nomen Christi portant verbo, sed opera diaboli, id est vitia agunt facto. Unde tales falso dicuntur Christiani, ut dicit Cyrillus li. de abusionibus: *Non recte – inquit – Christianus dicitur, qui Christo moribus non aequatur*. Item o vos Christiani, qui estis semipleni veritate, quid dicturi tunc eritis, cum scriptum sit Iac. II.: *Qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus?* 21 Semipleni ergo veritate sunt heu multi, qui partim bona faciunt, partim mala. Sed gaudeant Christiani, qui veritate pleni sunt, ut sanctus Lucas fuit. (G) Tertio quia praefiguratum est propheticè et praenunciatum, ut patet Ezech. I., ubi Lucae praefiguratur Evangelium in specie vituli vel bovis. Unde Augustinus super Ioh. sermone XXXVI. dicit, quod Marcus in leone praefiguratur, quia leo est rex bestiarum, et Marcus regiam stirpem Domini est persecutus. Et quia etiam secundum Gregorium leo clamore suos fetus suscitatur, Marcus autem a clamore Iohannis in deserto exorsus est, et de resurrectione Christi specialius agit. Item Mattheus praefiguratus est in hominis vultu secundum Augustinum, quia neque de regia potestate aliquid dixit, neque de sacerdotali cepit, sed tantum ab humana generatione Christi exorsus est. Lucas autem quia a sacerdotio Zachariae et sacrificio Veteris Legis exorsus est, vitulo deputatur, quia in Veteri Lege magna victima bos erat. Item quia sicut bos morose et mature, non saliendo procedit, sic Lucas incepit a nativitate praecursoris et infantiam Christi morose, ac seriatim persecutus est usque ad immolationem eius in cruce, et tandem resurrectionem. Sed Iohannes in aquila praefiguratus est, quia altius de deitate Christi loquitur. Quarto quia revelatum est a Virgine eius Evangelii secretum mysterium. Ut enim dicitur Lucae II.: *Beata Virgo conservabat omnia verba evangelii in corde suo*. 22 Glossa: ut scilicet haec postmodum scriptoribus reseraret. Creditur ergo, quod evangelistae eam de multis inquirebant, et ipsa eos certificabat. Et specialiter creditur, quod beatus Lucas tamquam Virginis secretarius ad ipsam recurrebat, et ipsa sibi revelavit praecipue de istis mysteriis, quae sibi soli Virgini constabant, utpote de angelica annunciatione et verbis ibi dictis, ac Christi nativitate et huiusmodi, quae solus Lucas scribit. Quinto quia approbatum est per apostolorum coetum et per Paulum. Nam ipse in prologo suo dicit: *Sicut tradiderunt – inquit – nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis*. 23 Haec ibi. Et sic patet, quod apostoli intimaverunt hoc evangelium ipsi Lucae et rettulerunt, quia Lucas non fuit cum Christo praesens corporaliter in omnibus actibus suis, sicut fuerunt apostoli. Denique Paulus mirabiliter approbavit eius Evangelium, quoniam ad confirmationem dictorum suorum Lucae Evangelium adducebat, ut dicit Hieronymus De illustribus viris, et etiam cum scribit ubi supra, quod *eius laus est in Evangelio per omnes ecclesias*. 24 O ergo Iesu bone, o Deus aeternae, tu in eius lauderis et glorificeris Evangelio. (H) Circa tertium de celebri sanctitate Lucae sit pro conclusione, quod beatus Lucas propter quinque virtutes praecipuas celebri laude commendatur et in exemplum proponitur per omnes ecclesias. Prima est fidei catholicae doctrinae, ut patet de eius evangelio, et etiam de aliis scriptis, scilicet Actibus apostolorum. Secunda virtus est innocentia, quia numquam crimen mortale commisit, ut dicit Hieronymus: *Serviens – inquit – fuit Domino sine crimine*. Tertia est dura poenitentia. Unde canit Ecclesia, quod *crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro honore nominis Christi portavit*. Quarta est virginitas perpetua, ut testatur de eo Hieronymus. Quinta est Spiritus Sancti gratia in plenitudinis perseverantia. Nam Hieronymus dicit de eo, quod LXXXIV annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu Sancto. Ecce quam sancte vixit, et quam feliciter consummavit. O Christiane, ecce tibi salutis exemplum et virtutis perfectae. Accedamus ergo, carissimi, et oremus Dominum Iesum, ut beati Lucae meritis et precibus det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen. De sancto Luca sermonem quartum vide in communi de evangelistis.

---

1 Cf. II Cor 8,18 2 Ioh 13,35 3 Col 4,14 4 Eph 4,5 5 Rm 8,17 6 Ioh 8,44 7 Col 4,14 8 Lc 11,41 9 Cf. Hieronymus Stridonensis, *Commentaria in Zachariam* Cap. XIV, Vers. 16 (PL 25,1537B) 10 Lc 23,34 11 Lc 21,34 12 Lc 10,27 13 Lc 5,32 14 Ps 63,10 15 Rm 10,15 16 II Tim 4,11 17 Cf. Mt 24,13 18 Lc 10,27 19 Lc 11,52 20 Lc 13,27 21 Iac 2,10 22 Cf. Lc 2,19; 2,51 23 Lc 1,2 24 II Cor 8,18

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Legenda sanctae Ursulae et undecim milium virginum] Item de undecim milibus virginum sermonem vide ex communi applicando legendam. Undecim milium virginum passio hoc ordine celebrata fuit in Britannia. Rex quidam nomine Nothus 2 Editio: Nochus filiam nomine Ursulam habuit mirabili sapientia, honestate et pulchritudine pollentem, ita quod eius fama ubique volabat. Rex autem Angliae cum esset praepotens, audita huius virginis fama, unigenito filio suo eam optabat copulari, quod et iuvenis ipse multum affectabat. Mittunt igitur sollemnes nuncios ad patrem virginis magnis promissionibus, adicientes etiam magnas minas, si renueret, quod petebant. Rex autem Nothus cum esset Christianissimus, coepit multum anxari. Tum quia filiam Christi fide insignitam cultori idolorum tradere indignum duceret, tum quia ipsam non consentire cognosceret, tum quia regis illius ferocitatem plurimum formidaret. Unde Ursula divinitus inspirata suasit patri, ut regi assensum praerberet, ea tamen conditione proposita, ut ipse filius regis cum patre decem virgines electissimas sibi ad solatium daret, et tam sibi, quam aliis singulis mille virgines assignaret, et comparatis trieribus inducias triennii sibi daret ad dedicationem suae virginitatis, et ipse iuvenis baptizatus in his tribus annis in fide instrueretur. Haec pro tali consilio sapienti usa, ut aut difficultate propositae conditionis

animum illius ab hoc averteret, aut hac opportunitate praedictas virgines secum Deo dedicaret. Sed iuvenis hanc conditionem acceptari apud patrem instituit, et baptizatus accelerari omnia, quae beata virgo praeceperat, imperavit. Undique ergo confluunt virgines, undique et viri Christiani ad tam grande spectaculum concurrunt, sed et multi episcopi inspirati ad martyrium se eis associarunt. Regina quoque Siciliae, nomine Gerasina inspirante Deo cum quattuor filiabus suis et parvulo filio relicto regno in manu unius filii sui usque in Britanniam navigavit, cuius consilio virgines de diversis regnis colligebantur, et cum eis tandem passa est. Iuxta conductum ergo praeparatis trieribus et sumptibus ipsis virginibus confluebant proceres et primates, quibus scilicet suis commilationibus regina secreta revelat, et in novam militiam omnes coniurant. Tandem cum Ursula omnes ad fidem virgines convertisset, flante vento prospero ad Coloniam cum venissent, angelus Domini apparuit Ursulae, et praedixit eas illuc numero integro reversuras, et coronas martyrii ibidem praeceptoras. Inde ergo ad angeli monitionem Romam venerunt, quas papa Cyriacus cum et ipse de Britannia esset oriundus, et multas inter eas consanguineas haberet, gaudens cum honore magno suscepit. In ipsa nocte papae divinitus relevatur eum cum ipsis virginibus palmam martyrii percepturum. Unde coram omnibus resignavit dignitatem et officium. Sed cum cardinales reclamarent, qui eum delirare putabant in eo, quod pontificatus gloria relicta post mulierculas iret, ille nullatenus adquevit, sed quendam virum sanctum, qui Ametus dictus est, loco sui in pontificem ordinavit. Et quia sedem apostolicam invito clero reliquit, nomen eius de catalogo pontificum idem clerus abrasit. Tunc duo iniqui principes Romanae militiae videntes magnam virginum multitudinem, et quod multi et multae ad eas dietim confluerent, quapropter iter earum explorans, ne per eas nimis cresceret religio Christiana, miserunt nuncios ad Iulium, cognatum suum, principem gentis Hunorum, ut educto exercitu contra eas ipsas eo, quod Christianae essent, cum venirent Coloniam, trucidaret. Beatus ergo Cyriacus enim illa nobili virginum multitudine egressus de urbe, secuti sunt eum plures episcopi cum cardinali Vincentio. Interea Aethereus, sponsus beatae Ursulae per visionem angelicam a Domino admonetur, ut matrem suam hortaretur fieri Christianam. Nam patre iam mortuo Aethereus in regno successerat. Admonetur etiam ab angelo, ut sponsae suae surgens occurrat, et cum ea in Colonia martyrii palmam accipiat. Qui divinis monitis adquiescens matrem suam baptizari fecit, et cum ipsa ac sorore sua, parvula Florentina iam Christiana, necnon et Clemente episcopo ipsis virginibus obvians se ad martyrium sociavit eisdem. Omnes ergo virgines cum praedictis, papa et episcopis multis cum venissent Coloniam, invenerunt ipsam iam ab Hunis obsessam. Quas barbari videntes super ipsas cum clamore nimio irruerunt, et quasi lupi saevientes in oves, totam illam multitudinem occiderunt. Cum autem ceteris iugulatis ad beatam Ursulam venissent, videns princeps eius pulchritudinem miram obstipuit, et consolans super necem virginum promisit, quod eam sibi in coniugium copularet. Sed cum hoc illa penitus respuisset, ille directa sagitta eam transfixit, et sic virgo martyrium consummavit, quaedam virgo, nomine Cordula prae timore in navi se abscondit tota illa nocte. Sed in crastinum sponte se morti offerens martyrii coronam suscepit. Passae autem sunt, ut verius creditur, circa annos Domini CCCCLII. Miraculum narratur in legenda, quod religiosus quidam cum has virgines in devotione multa haberet, quadam die graviter infirmatus vidit quendam virginem pulcherrimam sibi apparentem et dicentem: „Ego una sum virginum, erga quas habes tantum devotionis affectum, et ut inde mercedem accipias, si in honorem nostri undecies milies Dominicam orationem dixeris, in hora mortis in protectionem et solatium nos habebis.” Qua disparente ille quam citius potuit, haec implevit. Statimque vocato abbate iniungi se fecit. Qui cum iniungeretur, subito exclamavit, ut exirent, et venientibus sacris virginibus locum darent. Quem cum abbas interrogaret, quid hoc esset, ille per ordinem enarravit, et sic inter multitudinem beatarum virginum sibi apparentium migravit ad Dominum feliciter. O ergo carissimi, veneremur ipsas sanctas virgines et omnes in tam copiosa multitudine beatos istos martyres, quia ut dicit Hieronymus: *Impossibile est preces multorum non exaudiri*, quatenus tam multorum sanctorum precibus promereamur gratiam et gloriam. Amen.

---

1 Vide PA 110: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 111: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 112: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 119: De sanctis virginibus vel mulieribus sermo communis vel PA 120: De sanctis virginibus vel mulieribus sermo communis vel PA 121: De sanctis virginibus vel mulieribus sermo communis vel PA 122: De sanctis virginibus vel mulieribus sermo communis. 2 Editio: Nochus



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Legenda sancti Demetrii] De sancto Demetrio martyre sermonem vide in communi applicando legendam. Demetrius nobilis genere, sed nobilior fide natus est infra Pannoniam, in civitate Syrmia. Cuius pater Adrianus, mater vero Theogno liberalibus studiis tradentes Demetrium imbuerunt. Ipse vero plenus Spiritu Sancto et humanae divinaeque paginae scientia praeditus urbem subiit Thessalonicensem, ubi dialecticus acutus facundissimusque rhetor habebatur ex nobilissimo genere, videlicet senatorum, sceptiger imperatoris et dux Belgradensis ac dux Lacedomoniensis et consul aulae imperialis, hic omnem mundanam gloriam pro nihilo reputans sermonem verbi Dei sedulus exhibebat docendo de regno Dei et Filii Dei incarnatione ac eius fide. Suadebatque omnibus transitoria spernere et ad caelestia tendere. Eodem tempore Maximianus Herculus Romani imperii habenas tenebat, qui idolatriae deditus et superbus cum Theutonicos et Aromates subiecisset Romano imperio, et ad urbem Thessalonicam descendisset, ipse imperator idolatra erroribus plenus multa munera sedulo dabat his, qui interficiebant Christianos, Filium Dei confitentes. Beatus autem Demetrius seipsum manifeste confiteri Christum non formidabat ab infantia, casta viscera gerens, pura mente praedicans et affirmans Christum Dei Filium pro salute hominum passum. Ad quem paganorum maxima multitudo confluebat, et in porticu iuxta mercatum verbum Dominicum ab eo recipiebat.

Fama autem tanti viri montibus et vallibus manifestata per totam provinciam, imperator praecepit militibus Christianos investigare, et Demetrium ultro se pro amore Christi offerentem comprehenderunt, et ad tribunal Maximiani imperatoris duxerunt. Tunc Maximianus aspiciēbat monomachos, id est solos proeliantes in stadio, ubi erat ligneus circulus artificio magno callide praeparatus, in quo duellum aderat adinvicem pugnantium, et copiosa caterva hominum confluebat ad aspiciendum, quod si victor quis ibidem alterum duello superasset, illi imperator munera daret, cui dulce erat videre sanguinem humanum effusum in proelio. Habebat autem imperator quendam nomine Lyeum genere Wandalum, qui virtute corporis et magnitudine alios praecebat, et Romae ac Syrmio et Thessaloniae quam plurimos monomachizando interficeret, et nullus sibi resistere poterat, quapropter clarus et gloriosus apud imperatorem habebatur. De cuius victoria imperator valde gloriabatur. Ad cuius certamen aspiciendum imperator descendebat in stadium. Ibi ergo trahentes servum Christi, Demetrium milites ante imperatorem ut sisterent, duxerunt et accusaverunt dicentes, quod Christum adoraret, et multos ad eius cultum diceret et provocaret ad Crucifixi fidem. Videns autem imperator faciem Demetrii pulcherrimam tamquam angelicam, et se Christianum intrepide perhibentem iussit ad tempus in cameras iuxta stadium recludi et diligenter custodiri ibidem. Quo cum vir Dei introivisset, respiciens vidit scorpionem per pedes eius ascendentem superius, et cum aculeo pungere volentem. Et signo crucis edito mox scorpio crepuit, et angelus Domini advenit, ac coronam vertici martyris imponens ait: „Pax tibi, fidelissime Christi, esto robustus in conspectu impiorum.” Interim rex aspiciens in stadio certantes quidam iuvenis aderat in populo Christianus, nomine Nestor, beato Demetrio familiaritate iunctus, qui cucurrit ad beatum Demetrium, ubi ille custodiebatur. Et advolutus pedibus illius dixit, quod eo die deberet cum Lyeo monomatizare, et petivit ab eo orationes pro se fieri. Sanctus Demetrius signo crucis ipsum signavit toto corpore, et dixit: „Lyeum vinces, et pro Christo martyrizatus palmam possidebis gloriae.” Abiens ergo Nestor in nomine Domini Iesu fiducialiter contra Lyeum, in nomine idolorum imperatoris dimicantem se obiecit, et certamen congregiens hastamque vibrans oravit dicens: „Deus Demetrii, Iesu Christe, qui Goliath in manus David tradidisti, tu contere audaciam Lyei et Maximiani.” Tunc facto impetu Lyeus mortalem plagam accipiens cecidit in medio potenter a Nestore superatus, et exspiravit, et Nestor Christum glorificavit. Maximianus ergo consternatus tristis in aulam rediit, et iussit, ut Nestor in porta civitatis proprio gladio suo per spiculatorem decollaretur. Cum haec agerentur, beato Demetrio Christus apparuit dicens: „Ave Demetri, dilecte mi, in quo mihi complacuit, hodie venies ad me cum palma victoriae, tu habitacula beatitudinis aeternae.” Sanctus autem Demetrius humo prostratus adoravit, et gratias Christo egit immensas. Et inter cetera verba dixit: „Domine Iesu, te rogo, Deum meum, ut quicumque in tribulatione in nomine meo te exoraverint, exaudi eos, Domine. Et quicumque milites in bello tuam clementiam in nomine meo invocaverint, protegas eos in fortitudine brachii tui. Et quicumque in languoribus pressi animo contrito clamaverint ad me, emunda eos, Domine.” Cui Dominus ait: „Exaudita est oratio tua.” Et Demetrius repletus gaudio gratias egit. Inter haec quidam dixerunt Maximiano, quod interfectionis Lyei auctor fuisset Demetrius. Et Maximianus fremens furore dixit: „Cum irem ad stadium hodie, durum me invasit infortunium.” Praecepitque spiculatori, ut Demetrium gladiis per membra incideret. Et ille iuxta Redemptoris exemplum latus Demetrii lancea et gladiis perforavit et crudeliter vulneravit, et beatus ipse tali martyrio obdormivit in Domino. Lupus autem, minister beati Demetrii chlamydem eius sanguine tinctam et anulum de manu eius accipiens multa per haec miracula curando infirmos fecit. Quibus auditis Maximianus iussit et illum occidi, et multos cum illo fidem Domini habentes. Corpus quoque beati Demetrii proiectum in sterquilinum, sed divina virtute conservatum a bestiis, volucris et vermibus illaesum permansit. Et tandem a fidelibus positum in tumba oleo manavit saepius, quod si quis peccato contaminatus colligere cupit manibus, nequens confusus recedit, si vero iustus et castus ad colligendum accesserit, tamquam balsamum redolens odore domum implet, et miscetur oleo secundum consuetudinem patriae illius, ac sic ubique portatur, et ex eo infirmus quisque inunctus sanatur Dei munere, ibi etiam caeci recipiunt visum, surdi auditum, leprosi mundantur, claudi ambulant, et morbidi quique curantur ad laudem et gloriam Domini nostri Iesu Christi et sancti martyris.

---

1 Vide PA 110: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 111: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 112: De martyre uno vel pluribus communis sermo.

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXIX.] De sanctis Simone et Iuda apostolis Sermo primus cum legenda *Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annunciant nobis viam salutis.* Act. XVI. 1 (A) Ista verba licet ad litteram dicta sint de Paulo et sociis eius, tamen optime conveniunt dici de istis sanctis Simone et Thaddaeo. Tum quia isti fuerunt servi Dei excelsi, scilicet Iesu Christi, quod est regalis gloriae. Unde Gregorius dicit in coll.: *Deus, cui servire regnare est,* quia ergo servi dicuntur Dei, ergo hoc ipso reges sunt prae omnibus terrenis regibus, utpote reges aeterni in caelo. Unde Apoc. ultimo: *Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in saecula saeculorum.* 2 Tum quia ipsi annuntiaverunt viam salutis, scilicet fidem Christi salvificam et eius praecepta, sine quibus homo salvus esse non poterit, iuxta illud Athanasii in Symbolo dicentis: *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Bene ergo de sanctis apostolis haec verba assumuntur pro sermone. Iuxta quae tria mysteria notabimus ad honorem istorum sanctorum. · Primum mysterium de dignitate obsequii, ibi: *isti homines servi Dei* etc. · Secundum de charitate Dei et proximi, ex qua annunciarunt viam salutis · Tertium de praeclaritate martyrii pro praedicatione fidei (B) Circa primum de praedigno Dei obsequio quaeritur, qualiter homo digne Deo debeat deservire. Nam omnis homo ad serviendum Deo creatus est. Patet in II. dist. I. Ad quod respondendo notanda sunt pro conclusione verba Auctoris li. De spiritu c. XXXV. dicentis: *Tanta dignitas humanae conditionis esse dignoscitur, ut non solo iubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio Sanctae Trinitatis et opere divinae maiestatis creatus*



sit homo. Sed quare hoc, subdit, ut *ex suae conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo creatori deservire. Et tanto amplius conditorem diligeret, quanto mirabilius se ab eo conditum intelligeret, scilicet ad Deo serviendum.* Haec ibi. O homo, adverte, quia non es factus ad exercendum gulam vel luxuriam et alia vitia, sed ad serviendum Deo. Ut autem hoc melius agnoscamus, voluit misericors Deus hominem super omnia creata visibilia excellentius praecipue octo dignitatibus miris sublimare, quatenus ex his suis proprietatibus noverit, qualiter Deo servire debeat. Prima dignitas hominis dicitur assimilationis, quia factus est ad imaginem et similitudinem Dei, Gen. I., ut sciat ex hoc Deum imitari. Unde Origenes super Levit. lectione IV. dicit: *Si misericors es, sicut et Deus, pater tuus misericors est, si perfectus es, sicut et pater tuus perfectus est, si iustus et sanctus, et omnia, quae in Deo per naturam, in te per imitationem subsistant, tunc imago integra Dei est in te. Si vero impius es, tunc abiecta Dei imagine diaboli imaginem suscepisti.* Haec ille. Unde Eph. V.: *Estote imitatores mei, sicut filii carissimi.* 3 Secunda dignitas dominationis, quia factus est homo, ut praesit et dominus sit omnium in mundo. Ps.: *Omnia subiecisti sub pedibus eius* etc. 4, quo docemur, ne serviamus mundo, sed soli Deo. Unde Magister ubi supra c. VIII. dicit: *Sicut factus est homo propter Deum, id est ut serviret ei, ita mundus factus est propter hominem, ut ei serviret, positus est ergo homo in medio, ut et ei serviretur, et ipse serviret.* Haec ille. (C) Sed forte quaeris, cum Deus omnia propter hominem fecerit in mundo, cur fecit tales creaturas, quae ad serviendum homini non sunt necessariae, ut patet de draconibus, crocodilis, gryphibus, gliribus, muribus et multis aliis, et avibus et aquaticis, ranis et serpentibus, quae non sunt necessaria homini. Ad hoc respondet Hugo De tribus diaetis c. XVI. dicens sic: *Deus hominem propter se fecit, non quod ipse indigeret homine, sed quia melius homini dare non potuit ad fruendum, quam seipsum. Cuncta alia propter hominem fecit, ut et subiecta essent homini, et deservirent ad utilitatem. Homo ergo quasi quodam medio collocatus habet supra se Deum, sub se mundum.* Et I. dicit, quod hoc ideo, ut in creaturis homo foris agnosceret, quale esset illud invisibile bonum, quod supra se appeteret. Unde ut Deus superabundantes divitias bonitatis suae ostenderet, ideo non solum necessaria homini creavit. Nam si sola necessaria creasset, bonitas esset, sed dives esse non videretur. Cum autem necessariis etiam commoda adiungit, divitias suae bonitatis ostendit, quibus cum congrua superaddidit, superabundantiam bonitatis ostendit suarum divitiarum. Sed cum insuper etiam gratuita adiecit, quid aliud, quam superabundantes divitias suae bonitatis ostendit. Haec ille. (D) Item adhuc restat quaerendum, cur omnia facta sint ad serviendum homini, quare ergo homo non dominatur omnium, ut claret in multis, quae homini non oboediunt, immo multa mala hominibus inferunt. Respondetur secundum Augustinum super Ioh. sermone V., quod propter peccatum homo perdidit dominium creaturarum maiorum vel maioribus animalibus, ut in leonibus et huiusmodi. Et propter superbiam domandam perdidit etiam in minimis creaturis ac abiectis, ut in muscis, pulicibus et huiusmodi, qui offendunt et torquent hominem. Ad domandum quippe superbiam nostram voluit Deus, ut homo superbus, qui cum esset parvulus et abiectus secundum corpus, et tamen iactavit se, et erexit adversus Deum et proximum, ideo subderetur etiam pulicibus et abiectis animalibus ad laedendum illum, ut agnoscat suam vilitatem, et humilietur. Sed in istis mediis vel mediocriter se habentibus, puta: bobus, equis et huiusmodi retinet homo dominium ad solatium, ut sciat se habuisse etiam in aliis, sed per peccatum perdidisse. Haec secundum doctores. Ex his est documentum, quod *maxime stultus est homo, qui servit mundo se et animam perdendo, sicut qui servit servo suo,* prout quidam philosophus dixit. Tertia dignitas hominis dicitur erectae conditionis. Unde Augustinus li. VI. super Gen. dicit: *In hoc homo bestiis excellentior est, quia erecta statura factus est, ut hoc ipso admoneretur non sibi terrena esse sectanda, veluti sunt pecora, quorum voluptas omnis in terra est, sed quae sursum sunt, sapiant.* Hinc et Bernardus super Cantica sermone XXIV. dicit: *Quid indecentius, quam curvum in recto corpore gerere animam. Erubescere, anima mea, divinam pecorina commutasse similitudine, erubescere volutari in scoeno, quae es de caelo.* Quarta dignitas fraternae cognationis, quia omnes homines tamquam fratres descenderunt ab uno patre, Adam, et una matre, Eva. Non sic est de aliis animalibus. (E) Sed quia hoc voluit Deus sic ordinare, audi beatum Augustinum De civitate Dei li. XII. dicens: *Deus fecit ex uno homine omnes homines, intellige: ex uno Adam, quem primo formavit, et ex hoc Evam fecit, et ex utroque omnes sunt procreati.* Subdit Augustinus ibidem, ut scilicet *homines tamquam fratres se diligerent,* ut inquit, *eo modo vehementius homini commendaretur societas, unitas vinculumque pacis.* Et concorditer loquitur ad id Ambrosius XXXIV. q. ultima c. ultimo. Quinta est incorruptionis, quia secundum animam homo est immortalis et incorruptibilis Dei munere, quod non est concessum animalibus ceteris, unde III. De anima dicit Philosophus: *Separatur hoc ab hoc, tamquam corruptibile ab incorruptibili,* id est anima sensitiva, quae est corruptibilis, ab anima intellectiva, quae est incorruptibilis et immortalis, quam immortalitatem homo consequetur post resurrectionem etiam secundum corpus. Et in his docemur vitam aeternam diligere, et mortem peccati summopere cavere, quia per peccatum moritur anima et corpus aeternaliter. Unde Ps.: *Mors depascet eos,* 5 scilicet in Inferno in anima et corpore. Sexta locutionis. Nam ut ait Philosophus I. Politicorum et li. etiam De animalibus: *Dignissimum omnium animalium est homo, unde et soli ipsi datum est habere sermonem ad exprimentum mentis conceptum.* Quo docemur veritatem sectari et aedificatoria loqui, Eph. IV.: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis est ad aedificationem* etc. 6 Septima est inextimabilis valoris, quoniam ut Augustinus De civitate Dei li. VIII. dicit: *Solus Deus est melior eo, quod in homine est optimum,* id est anima, quia omni corpori praefertur animae natura. Bernardus: *Totus mundus corporeus unius animae pretio aequiparari non potest.* Quo docemur, quod pro toto mundo eam perdere non debemus per peccatum. Unde Salvator Mat. XII. dicit: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patietur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua,* 7 quod dicit: nullam potest dare. Octava est unionis sanctissimae et redemptionis, quia Deus hominem tanta dignitate magnificavit, ut Filio Dei uniretur, et proprio sanguine ac morte Christi redimeretur. Hinc I. Cor. VI. dicit Apostolus: *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore* etc. 8 Et sic docemur, ut Christi passionem sequamur, ipsam iugiter in mente portemus, et Christum passum pro nobis amemus. Unde Ambrosius De Isaac dicit: *Non videtur esse homo, nisi is, qui in Deum sperat et Deo adhaeret,* scilicet per amorem, qui ergo praedictas dignitates hominis non observat spiritualiter, nec homo, nec servus Dei dicitur. Isti beati apostoli servaverunt haec, ergo de eis

convenienter dicitur, quod isti homines sunt servi Dei excelsi et sanctissimi ac dignissimi. (F) Circa secundum de charitate Dei ac proximi sufficiat declarare hanc unam quaestionem, qualem ordinem teneatur homo habere in sancta charitate. Ratio quaestionis est, quia Magister in III. dist. XXIX. dicit, quod peccat, qui praepostere agit in diligendo. Unde et Ambrosius super illud Can. I. „Ordinavit in me charitatem” 9 ait: *Multorum charitas inordinata est, quod primum est, ponunt tertium vel quartum* etc. Opus est ergo scire ordinem, quia ordo charitatis, sicut et ipsamet charitas est de praecepto secundum Bonaventuram super III. dist. qua supra, et iuxta Augustinum De doctrina Christiana. Ad quaestionem ergo respondetur secundum doctorum sententiam communem, quod in charitate debet homo quilibet servare talem ordinem graduum, quod scilicet primo et super omnia tenetur homo diligere Deum, iuxta illud Mat. XXII.: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. 10 Secundo propriam animam super omnia infra Deum. Unde Matth. XVI.: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur*. 11 Augustinus: *Ordinata charitas a se ipso incipit*. Tertio infra animam propriam et eius salutem tenetur animae proximi salutem diligere super inferiora, puta super omnia corporalia, etiam supra corpus proprium in casu et a fortiori super res temporales. Unde I. Ioh. III.: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille, scilicet Christus animam suam pro nobis posuit*, 12 et nos debemus pro fratribus animas ponere. Lyra: quia bonum minus diligibile secundum ordinem rectum debet exponi pro salute boni magis diligibilis, propter quod vita corporalis propria est exponenda pro spirituali salute proximi. (G) Sed quaeritur, utrum semper ad hoc omnes uniformiter teneantur. Respondetur secundum Lyrā ibidem et doctores, quod non tenentur, nisi solum in casu necessitatis, ut si quis videat periclitari proximum spiritualiter, et non posset sibi aliter subvenire, nisi se morti exponat, in tali casu tenetur hoc facere, puta, cum vides, quod aliquis tyrannus cogit aliquem ad negandum fidem, vel forte ad consentiendum in peccatum, et tu illum posses roborare, ut non consentiret, teneris tunc facere, etiam si tu deberes pro hoc occidi. Illi vero, qui curam habent animarum, ut sacerdotes curati et ipsi ac praelati alii non solum in casu necessitatis, sed etiam in aliis tenentur pro salute subditorum vitam exponere corporalem, puta si lupus intret gregem, id est haereticus ad corrumpendum in fide et moribus, alioquin non esset pastor, sed mercennarius. Haec Lyra. Quarto infra praedicta diligere debemus, quod infra nos est, id est corpus et res temporales, et inter haec praediligi debet corpus proprium, post hoc corpus proximi, pro quorum conservatione debet exponi res temporales. Unde I. Ioh. III.: *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo*, 13 quod dicit: nullo modo. Ambrosius LXXXVI. dist.: *Pasce – inquit – fame morientem, si non pavisti, occidisti*. Quinto gradu debent diligi parentes prae aliis domesticis, ut Ambrosius dicit, et allegatur a Magistro in III. dist. XXIX. c., ubi etiam in textu dicitur, quod Deus ideo praecepit speciali praecepto de parentibus diligendis, quia maiori dilectione sunt diligendi. (H) Quaeritur, utrum peccent illi, qui plus diligunt suam uxorem, quam parentes, scilicet patrem et matrem. Respondetur secundum Thomam II. II. q. XXVI. et doctores, quod uxor quamvis cordiali amore sit praeamanda, iuxta illud Gen. II.: *Hoc nunc os ex ossibus meis etc. Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae* 14 – tamen homo plus debet honorare parentes verbis et factis. Et ideo si quis in honore reverentiae et obsequii parentibus non subvenit propter uxorem, peccat. Sexto gradu post praemissos diligi debent domestici. Et inter hos est ordo secundum cognationem, quia praediligendi sunt filii fratribus, et sic de aliis consanguineis ac cognatis, et post hos diligendi sunt alii domestici, ut famuli et ancillae. Sed hic Ambrosius unum notabile dicit, ut allegatur ubi supra a Magistro, scilicet quod domestici si boni sunt, malis filiis praeponendi sunt. Septimo gradu post praefatos diligi debent extranei, iuxta illud praeceptum: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*. 15 Octavo diligendi sunt inimici. De quibus dicit Magister ibidem, quod cum duo sunt in homine, etiam inimico, unum est natura. Et haec non minus diligenda est in inimico, quam in aliis proximis vel in nobis, quoad effectum conservationis, scilicet secundum iustitiae regulam. Aliud est in inimico vitium, quod odire debemus, et sic patet. Beati isti apostoli perfectissimi et ordinatissimi fuerunt in charitate, ut Deum super omnia et Christum Iesum diligerent, et proximorum salutem procurarent. Unde et pro fide Christi ac salute animarum annunciantes morti se dederunt. (I) Circa tertium de praeclaro martyrio istorum sanctorum apostolorum sit pro conclusione, quod beati apostoli Simon et Thaddaeus gloria martyrii fulgent in regno caelesti, quod sufficiat breviter historice narrari. Nam post ascensionem Domini Thaddaeus, qui et alio nomine Iudas, missus fuit ad Abagarum, regem Edessae 16 a Thoma apostolo secundum promissionem Dei. Dum enim Christus praedicaret et miracula faceret, audita eius fama rex Abagarus praedictus existens leprosus misit litteram ei, ut veniret ad ipsum sanandum, et Dominus rescripsit illi, quod oporteret eum in Iudaea omnia complere, propter quae missus est, id est opus redemptionis humanae, et idcirco ad ipsum ire nequiretur. Sed post ascensionem suam mitteret sibi unum ex discipulis suis. Cum autem rex ille optaret Christi faciem videre, misit ad eum pictorem, ut imaginem eius figuraret. Sed cum pictor propter nimium fulgorem faciei Christi clare intendere in eam non posset, Dominus linteum pictoris accipiens et suae faciei superimponens sui ipsius imaginem impressit, ac desideranti regi Abagaro destinavit. Tandem Christo in caelum ascendente post missionem Spiritus Sancti Iudas misit Thomas ad ipsum regem secundum Christi promissionem. Qui cum ad eum venisset, et se discipulum Iesu dixisset, vidit Abagarus in vultu Thaddaei quendam mirum et divinum splendorem, et mox Iesum adoravit. Quem Thaddaeus in fide instruxit, et de praedicta epistola Salvatoris sibi missa faciem illius confricavit, et statim plenam sanitatem recepit. Postea Iudas praedicavit in Mesopotamia, Simon vero in Aegypto, deinde in Persiam ambo venerunt. Tunc Baradach, dux regis Babyloniae contra Indos ad bellum profecturus nullum a diis suis potuit habere responsum. De quo interrogavit alterius civitatis idolum. Et respondit, quod propter apostolos, qui advenerunt, dii eius respondere non possent. Tunc dux inquirens eos invenit, et quaesivit, qui essent, et quare venissent. Responderunt: „Hebraei sumus, servi Iesu Christi, qui causa salutis vestrae huc venimus.” Tunc dux petivit eos, ut finem belli sibi praedicerent. Cui apostoli: „Ut cognoscas deos tuos fore mendaces, iubemus illos ad quaesita dare responsa.” Qui cum respondissent, quod futura esset magna sanguinis effusio et ruina populi, apostoli dixerunt: „Noli timere, quia pax huc nobiscum intravit. Cras hora tertia legati Indorum intrabunt, et tuae potestati se subicient cum pace.” Et sic factum est. Dux ergo miratus ad regem eos duxit, et omnia narravit. Erant autem ibi tunc duo

magi, qui resistebant apostolis, quos beatus Matthaëus de Aethiopia fugaverat. Quos apostoli convicerunt, et per annum inibi manentes plus quam XL milia hominum exceptis parvulis cum rege et principibus baptizati sunt ab eis. Praedicti autem magi venerunt interim ad civitatem nomine Sannir, ubi erant LXX idolorum pontifices, et contra apostolos illos concitaverunt. Cum autem perlustrata provincia illuc apostoli advenissent, praedicti pontifices cum populo eos capiunt, et ad templum Solis ducunt. Daemones autem per energumenos 17 clamabant: „O apostoli Dei vivi, ecce in ingressu vestro flammis exurimur.” Tunc angelus Dei eis apparens dixit: „Eligite unum horum aut istorum repentinum interitum, aut vestrum martyrium.” Cui apostoli: „Oramus Dei misericordiam, ut et istos convertat, et nos ad palmam martyrii perducat.” Facto silentio apostoli dixerunt: „Ut sciatis, quod haec idola sunt daemonibus plena, ecce imperamus eis, ut exeant, ac simulacra confringant.” Statimque in specie duorum Aethiopum exierunt, et dire clamantes confregerunt simulacra. Quod videntes pontifices in apostolos irruerunt, et eos trucidarunt, mox autem, cum esset serenitas, tanta fulgura mota sunt, ut templum trifarie scinderetur, et illi duo magi ictu fulminis comburerentur, et perirent. Rex autem apostolorum corpora ad suam urbem transtulit, et ecclesiam eis fabricavit. Sic ergo beati apostoli glorioso martyrio pervenerunt ad regna caelestia. Rogemus igitur eos, ut intercedant pro nobis ad Dominum Iesum, etc. Legendam sic breviate volui pro vitanda prolixitate, sed plurima in aliis sermonibus inserenda curavi, ut patebit.

---

1 Act 16,17 2 Apc 22,5 3 Cf. Eph 5,1 4 Ps 8,8 5 Ps 48,15 6 Eph 4,29 7 Mt 16,26 8 I Cor 5,20 9 Ct 2,4 10 Mt 22, 11 Mt 16,26 12 I Io 3,16 13 I Io 3,17 14 Gn 2,23-24 15 Mt 19,19; Mt 22,39; Lc 10,27; Gal 5,14; Iac 2,8 16 Editio: Edissae 17 Editiones: *energuminos*.

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXX.] De sanctis apostolis Simone et Iuda Sermo secundus *Haec mando vobis, ut diligatis invicem*. Ioh. XV. 1 et in evangelio huius festivitatis. (A) Sicut Dionysius ait: *Optimi est optima adducere*. Sed quoniam Christus est Dominus optimus, utpote Deus, qui solus est bonus per naturam. Marc. X.: *Nemo bonus, nisi solus Deus*, 2 hoc est intelligendum essentialiter, quia alia quaecumque sunt bona, sunt per participationem divinae bonitatis. Unde ut homines possint esse participes gratiae et bonitatis divinae, voluit Christus optimum praeceptum dare eisdem, scilicet praeceptum charitatis divinae et fraternae. Unde ait: *Haec mando vobis, ut diligatis invicem*. Hoc autem praeceptum isti beati apostoli summa diligentia servaverunt, adeo, quod salutem hominum in fide Christi quaerentes morti se exposuerunt, ergo de eis convenienter verba praemissa accipiuntur pro sermone. Iuxta quae tria mysteria declarabimus ad honorem sanctorum apostolorum. · Primum de huius praecepti commendatione, quoniam Christus dicit: *Haec mando vobis* · Secundum de amoris fraterni inductione, quia dicit: *Ut diligatis* · Tertium de amoris gratuiti cognitione, qua debemus diligere invicem (B) Circa primum de huius praecepti commendatione sit pro conclusione, quod Christus ipsum charitatis praeceptum commendavit nobis tamquam optimum. Et declaratur pluribus rationibus. · Primo ratione facilitatis · Secundo ratione brevitatis · Tertio ratione primitatis · Quarto ratione utilitatis Primo ratione facilitatis, illud enim valde bonum et commendabile mandatum est, quod est facile ad intelligendum, et leve ad implendum, sed praeceptum charitatis est tale. Unde I. Ioh. V.: *Haec est enim charitas Dei*. 3 Lyra: id est *hoc exigit, ut mandata eius custodiamus, scilicet ore et opere. Et mandata eius gravia non sunt*. Haec ibi. Nullus ergo poterit se excusare de difficultate intelligendi. Non enim est necesse studia philosophorum aut multorum codicum adire, nec mare circumire aut caelum ascendere, ut hoc praeceptum possit quis intelligere, sed in corde suo poterit de facili invenire, iuxta illud Deut. XXX.: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, neque in caelo situm, neque trans mare, sed iuxta te est sermo valde in corde tuo, ut facias illud* etc. 4 Nullus etiam potest se excusare de difficultate portandi vel implendi, quia portari potest et impleri a paupere et a divite, ab infirmo et sano, a sene et iuvene. Unde Mat. XI.: *Iugum meum suave est, et onus meum leve*. 5 Augustinus in sermone de martyribus: *Potest – inquit – mihi dicere aliquis: „Non possum ieiunare, non possum vigilare.” Numquid potest dicere: „Non possum amare”?* Potest dicere: *„Non possum res meas totas pauperibus erogare, et in monasterio Deo servire.” Numquid potest dicere: „Non possum diligere”, scilicet proximum? Si dixeris, quia non possis a vino vel carnibus abstinere, credimus tibi. Si autem dixeris, quia non possis in te peccantibus indulgere, omnino non credimus, quia nulla nobis remanet excusatio, dum non de cellario, sed de corde istam elemosynam implere iubemur, ut per viam vitae ad aeternam patriam pervenire mereamur*. Haec Augustinus. (C) Sed quoniam sunt nonnulli tam duri cordis, qui dicant: „Bene quidem Deum diligere possum et amicum, sed non possum animum bonum habere ad inimicum tam faciliter.” Ergo praeceptum de dilectione inimicorum valde grave videtur. Ad hoc respondendo dicimus cum Augustino, quod omnia gravia et immania levia et prope nulla facit amor. Amanti ergo nil est difficile. Unde nec illud praeceptum de diligendis inimicis esset alicui aut videretur grave, si Deum amaret vere. Sed quia multi sunt heu, qui Deum non amant, ut debent, et tales de difficultate causantur. Sed quid tales facere debeant, ut in corde mollescant, nota, quod dura quaedam sunt, quae aqua mollescunt, ut patet de sale, quod in aqua liquefit. Alia sunt, quae in igne, ut patet de ferro, quod mollescit igne. Alia sunt, quae ictibus franguntur, ut patet in lapide. Est tamen quoddam genus lapidis, quod malleo non frangitur, sed tamen sanguine hircino scinditur, ut patet de adamante. Sic homo duri cordis mollescit ad diligendum inimicum vel etiam Deum quandoque per collata Dei beneficia innumera, sicut in aqua sunt guttae innumerabiles, quandoque per ignem divinatorum eloquiorum, quandoque per ictus, scilicet timoris mortis et damnationis. Maxime autem duri per passionis et sanguinis Christi recordationem. Nam ipse passus est pro nobis inimicis, et in cruce oravit pro inimicis, ut exemplum daret nobis diligendi inimicos. Unde Gregorius: *Si passio Christi ad memoriam revocetur, nil tam durum, quod non aequo animo toleretur*. Quisquis autem Deum fortiter amat, non solum leve, sed et dulce est diligere inimicos propter Deum. Augustinus: *O iugum sancti amoris, quam faciliter oneras, quam dulciter illaqueas, quam suaviter*



*stringis, quam utiliter uris.* Haec ille. Et sic patet ratio prima. (D) Secunda ratio brevitatis, quia hoc praeceptum est breve, quo continetur omnis lex et prophetae, Mat. XXII.: *In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae*, 6 scilicet diliges Deum et diliges proximum etc. Unde Augustinus De doctrina Christiana dicit: *Ut nemo excusationem habeat in die iudicii, voluit Dominus breviate verbum super terram, quod non obscurum esse voluit. Ideo breve, ne non vacaret legere, ideo apertum, ne quis dicat se non posse intelligere. Thesaurus magnus divinarum scripturarum est dilectio. Non sis piger hanc unam margaritam sub lingua ferre, et quo vis, securus ambula.* Haec ille. Idem: *Ille tenet, quod latet et quod patet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.* Haec Augustinus. Tertia ratio primitatis, quia hoc praeceptum charitatis est omnium praeceptorum primum et maximum, ut patet Mat. XXII.: *Hoc est primum et maximum mandatum.* 7 Et hoc ratione dignitatis, quia charitas est virtutum dignissima et omnium excellentissima, I. Cor. XIII.: *Nunc manet fides, spes, charitas, tria haec, maior horum est charitas.* 8 Et etiam ratione perfectionis et unionis, quia ut Gregorius dicit: *Omnia praecepta in radice charitatis solidantur, sicut arboris rami. Nec habet – inquit – aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.* Haec Gregorius. (E) Quarta ratio utilitatis, quia charitatis utilitas maxima est tam in praesenti, quam in futuro. Nam charitas hic incipit, et in futuro perpetuo manet, I. ad Cor. XIII. ca.: *Charitas numquam excidit* etc. 9 Nimirum quaero te, o homo, quid est illud, sine quo nec in praesenti vita, nec in futuro poterit esse aliquid utile aut valens. Respondetur, quod charitas, unde Augustinus: *Attende, quanti pretii est charitas, quae si desit, frustra habentur cetera, si autem assit, habentur omnia.* Item quaero: Quomodo duo infinite distantes unus in oriente, alius in occidente, vel unus in summitate caeli, alius in profunditate inferni existentes facere possint, ut sint propinquissimi et uniti. Respondetur, quod charitate, quia Dionysius IV. De divinis nominibus dicit: *Amor est virtus unitiva.* Unde Albertus Magnus de mirabili scientia Dei dicit, quod *charitatis officium est peccatorem de infinita distantia peccati mortalis adducere et unire Deo summo.* Hieronymus: *O nimiam Dei benivolentiam, o ineffabilem eius benignitatem praemium nobis pollicetur, scilicet seipsum si invicem diligimus.* (F) Circa secundum de inductione ad amorem fraternum quaeritur: Cur noluit Deus, ut sufficeret diligere homini Deum solum, sed praecepit et diligere proximum, et etiam inimicum. Ad hoc respondendo quattuor rationes inductivas poni sufficiat, per quas hortatur homo et inducitur ad dilectionem proximi. · Prima ratio hortantis Scripturae · Secunda exemplaris figurae · Tertia coniunctionis naturae · Quarta considerationis creaturae Prima ratio hortantis Scripturae. Nam Scriptura Sacra crebrius nos hortatur ad dilectionem proximi, sicut et ad dilectionem Dei, adeo, quod aliquando solam nobis dilectionem proximi proponit, quasi haec sufficiat pro dilectione Dei. Unde Salvator Ioh. XV. dicit: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem.* 10 Et de dilectione Dei nil ibi addit. Item Ioh. XIII.: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* 11 Item Ro. XIII.: *Qui diligit proximum, legem implevit* etc. 12 Et in pluribus aliis passibus Scripturae, quae causa brevitatis pertranseo. Sed quare hoc sic? Respondet Iohannes Chrysostomus, quia dilectio Dei et proximi concatenata sunt, ut unum in alio includatur, iuxta illud I. Ioh. IV.: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est, qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere.* 13 Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum. Non sufficit ergo Deo, quod quis diligit ipsum Deum, et non diligit proximum, nec e converso, quia hae duae dilectiones concatenatae sunt, et una gignitur ac crescit ex altera. Unde beatus Gregorius dicit: *Per amorem proximi Dei amor gignitur, et per amorem Dei amor proximi nutritur.* Haec ille. Ratio, quia proximus in Deum et propter Deum est diligendus. Sed et ipse Deus sic est diligendus, ut propter Deum et eius praeceptum ac amorem exhibeatur dilectio et ipsi proximo. Secunda ratio est exemplaris figurae, quia Deus ipse diligit non tantum seipsum, sed et nos miseros. Unde et in exemplum se proponit dicens: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos,* et adeo, ut *omnes homines velit Deus salvos fieri,* I. Thim. II. 14 Sic ergo et nos debemus facere et Deum imitari in dilectione utraque. (G) Si dicas: quare debeo diligere eum, qui me odit. Ad hoc respondetur, quod diligere debemus propter Deum et in Deum, quia ipse dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum facit oriri super bonos et malos,* Matth. V. 15 Ex quibus claret, quod omnes sunt diligendi ad gratiam et gloriam. Nimirum de bonis satis patet, quod sunt diligendi, quia tales Christus diligit ut fratres et sorores ac matrem, Matth. XII.: *Quicumque voluerit facere voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror* etc. 16 Sed et mali diligendi sunt, etiam qui te oderunt vel odiunt, et hoc primo propter Dei praeceptum et amorem. Nam si Deum diligis, et eius Filium amabis propter Deum, et sic omnem proximum amabis, in quantum Dei creatura est. Nam amici tui filium amas, immo et canem, et quaeque eius sunt. Secundo debes te odientem amare propter ipsum, ut salves illum de malitia sua. Si enim fratrem tuum sanum amabas, ama et aegrotum, praecipue cum iam magis indigeat. Tertio debes amare odientem te propter teipsum, quia in hoc maius lucrum tibi ipsi adquies in merito et praemio. Si autem oderis odientem te, vinceris a malo, et teipsum occidis. I. Ioh. III.: *Qui non diligit, manet in morte.* 17 Haec secundum doctores. Sicut ergo Deo ipsi non sufficit ex charitate diligere nos tantum bonos, sed etiam malos, sic vult, ut nos diligamus proximos omnes. Tertia ratio coniunctionis naturae. Nam Deus ordinem naturae servari vult in mundo, et maxime in membro humano. Unde videmus sic ordinatum a Deo, quod caput non sibi soli tantummodo, sed etiam aliis membris regendis et influendis prodest, oculus non sibi soli videt, sed et aliis membris, sic de ceteris membris. Sed nos omnes *unum corpus sumus in Christo, et membra de membro,* I. Cor. XII. 18, ergo sicut membra invicem debemus Deum tamquam caput, et etiam proximos tamquam membra diligere, et etiam inimicum tamquam membrum aegrum. Quarta ratio considerationis creaturae. Nam lex naturae est, quod omnes creaturae eiusdem speciei diligant se, et mutuo ad sibi similia conveniunt, ut lupus ad lupum, serpens ad serpentem. Et crudelia vel ferocia non solent nocere eis, quae sunt sui generis, nisi contingenter et raro ex aliqua accidentali occasione. Quanto magis homo ratione vigens debet diligere proximum. Unde Eccli. XIII.: *Omne animal diligit simile sibi,* 19 sic et omnis homo proximum sibi. Proinde sancti Dei hortantur nos plurimum ad fraternam charitatem, scientes eius fructum Deo gratum. Unde I. Pet. IV.: *Carissimi, estote prudentes, et vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuum in vobismet ipsis*

*charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* 20 Lyra: Notanter dicit: 'ante omnia', quia charitas excellentior est ceteris virtutibus, quae dicitur operire multitudinem peccatorum, scilicet ne Deus illa puniat, sed dimittat. Nam peccati remissio fit per Dei gratiam, cui coniuncta est charitas secundum essentiam, ut dicit Franciscus et Scotus. Hinc etiam I. Ioh. IV.: *Carissimi, diligamus invicem, quia charitas ex Deo est*, 21 scilicet infusa. Et omnis, qui diligit fratrem, ex Deo natus est, quia charitas est quaedam participatio et assimilatio divinae bonitatis in nobis secundum Lyram. O ergo anima humana, habe charitatem, et habebis Deum in te, o quam miseri et infelices sunt, qui odiunt fratres, vel iram tenent contra proximum, quia diabolus possidet eos, ut dicit Augustinus. Isti beati apostoli charitate pleni fuerunt, et nunc cum Christo regnant. (H) Circa tertium de cognitione gratuitae charitatis fraternalis quaeritur: Per qualia signa cognoscitur et comprobatur quis proximum gratuita charitate amare? Ratio quaestionis, quia non omnis amor proximi est sanctus et Deo gratus, immo quandoque est vitiosus, ut patet in multis malis et carnalibus hominibus, quandoque est naturalis, ut in consanguineis. Amor autem gratuitus certitudinaliter sciri non potest, sed per signa coniecturatur. Unde Eccs. IX.: *Sunt iusti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futuro* etc. 22 Respondetur ergo ad quaestionem: Ad hoc ex Scripturis dantur plura signa secundum dictamina sanctorum, per quae comprobatur gratuitus amor proximi. Primum signum animae proximi salutem amare et admonere, I. Cor. XIII.: *Charitas non quaerit, quae sua sunt*, 23 sed quae Iesu Christi. Unde Prosper de poenitentia dist. II. „Charitas est” dicit: *Proximos sic nos diligimus, quando ad mores bonos et aeternam vitam consequendam eorum saluti consulimus.* Haec ibi. Isti beati apostoli sic amaverunt. Nam cum venissent in Persidam, requisiti, cur venissent, dixerunt: „Causa salutis vestrae huc venimus.” Et illis praedicaverunt Christum. Secundum signum bonis proximi congaudere, et per contrarium malis proximi condolere, Ro. XII.: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* 24 Gal. VI.: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*, 25 id est charitatis. Augustinus: *Invidia est odium felicitatis alienae.* Beati apostoli Simon et Iudas hoc servaverunt, quando convictis de mendacio phantasticis, qui praedicebant multa proelia futura fore, cum dux vellet illos comburere, non permiserunt dicentes: „Nos non sumus missi, ut vivos occidamus, sed mortuos vivificemus.” Et sic eis bona salutis aeternae quaerebant. Tertium culpas proximorum cavere et corrigere. Ro. XIII.: *Dilectio proximi malum non operatur.* 26 Unde XXIII. q. V. „Non putes” Augustinus dicit, quod non est charitas, sed languor, quando mali mores servorum aut filiorum aut vicinorum non corriguntur seu emendantur. Idem V. q. „Non omnis” dicit: *Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere.* Hoc servarunt isti apostoli, quando duo magi inique eis resistebant, et multitudinem serpentium advenire fecerunt contra apostolos. Sed apostoli pallia de serpentibus implentes in illos proiecerunt dicentes: „In nomine Domini, non moriemini, sed dolore a serpentibus torquebimini.” Et sic eos a serpentibus morderi permiserunt, ut emendarentur, eosque tandem a serpentibus liberaverunt, sed illi indurati sunt in malo. Quartum damnum proximo praecipue in spiritualibus non inferre, I. Cor. XIII.: *Charitas non agit perperam.* 27 Lyra: id est perverse. Chrysostomus: *Omnia agamus, ne proximus scandalizetur*, scilicet ruendo in peccatum. Nam *vae illi, per quem scandalum venit*, Mat. XVIII. 28 Quintum excusare facta proximi, non temerarie iudicando damnare, I. Cor. IV.: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus.* 29 Bernardus: *Cave, serve Dei, alienae conversationis esse curiosus, explorator aut temerarius iudex. Etiam si perperam actum deprehendis, ne sic iudices proximum, magis autem excusa intentionem eius, si opus non potes, puta ignorantiam, surreptionem, dicens: Si talis temptatio mihi evenisset, quid de me fecisset?* Haec ille. Sextum famam proximi custodire, non detrahere. Ps.: *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequar.* 30 Ro. I.: *Detractores Deo odibiles.* 31 (I) Ista praedicta tria immediate beati isti apostoli servasse ostenderunt, quia legitur de eis, quod dum quaedam filia ducis ex fornicatione filium pariens quendam sanctum diaconum infamasset, quod ex illo conceperit, quem parentes occidere volebant, sed apostoli dixerunt infanti: „In nomine Domini praecipimus, dic nobis, si iste diaconus haec praesumpsit.” Ad hoc infans unius diei miraculose loquens respondit: „Iste diaconus castus et sanctus virgo manet.” Cum autem illi instarent, ut apostoli quaererent, quis auctor huius sceleris fuisset, responderunt: „Innocentes absolvere, nocentes prodere non decet.” Septimum gravamen proximo in nullo facere, id est nec in persona, nec in fama, nec in rebus laedere. I. Thes. IV.: *Videte, ne quis supergrediatur*, 32 Lyra: opprimendo, neque circumveniat decipiendo fratrem suum, quoniam Deus vindex est de his. Octavum signum est habenti necessitatem subvenire, I. Ioh. III.: *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas* etc. 33 Nonum inimicos diligere et se de eis non vindicare. Matth. V.: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui vos oderunt, ut sitis filii Patris vestri.* 34 Ista omnia beati apostoli servaverunt. Nam legitur de eis, quod cum ipsos infideles trucidare vellent, angelus Domini apparuit eis dicens: „Eligite aut istorum omnium interitum repentinum, aut vestrum martyrium.” Tunc apostoli oraverunt pro illorum inimicorum salute, patuit ser. I. „I”, et sic martyrium compleverunt. O ergo carissimi, accedamus ad orandum Christum Iesum, ut eorum meritis det nobis gratiam verae dilectionis, et tandem gloriam.

---

1 Ioh 15,17 2 Lc 18,19; cf. Mc 10,18 3 I Io 5,3 4 Cf. Dt 30,11-14 5 Mt 11,30 6 Mt 22,40 7 Mt 22,38 8 I Cor 12,13 9 I Cor 12,8 10 Ioh 15,12 11 Ioh 13,34-35 12 Rm 13,8 13 I Io 4,20 14 I Tim 2,4 15 Mt 5,44-45 16 Mt 12,50 17 I Io 3,14 18 I Cor 11,27 19 Sir 13,19 20 I Pt 4,7-8 21 I Io 4,7 22 Ecl 9,1-2 23 I Cor 12,5 24 Rm 12,15 25 Gal 6,2 26 Rm 13,10 27 I Cor 12,4 28 Mt 18,7 29 I Cor 3,27 30 Ps 100,5 31 Rm 1,30 32 I Th 4,6 33 I Io 3,17 34 Mt 5,44-45



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXXI.] De sanctis Simone et Iuda Sermo tertius *Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ioh. XV. 1 et in evangelio de apostolis. (A) Sicut docet Augustinus Confessionum li. X.: *Veritas parit odium.* Omnes quippe amant veritatem lucentem, sed odiunt eam

2 redarguentem. Exemplum ponit de oculis aegris, quibus odiosa est lux, quae puris est amabilis. Sic in proposito, ex quo apostoli sanctissimi veritate pleni redarguebant vitia totius mundi tam potentum, quam divitum, et veritatem fidei praedicantes verum Deum Iesum annunciantes de falsitate idolatriae omnes redarguebant, qua falsitate scilicet mundus plenus aegrotabat, ideo mundus illos odiebat ac persequabatur usque ad mortem, sicut phreneticus insaniens contra medicum persequitur, et occidit eum. Sed Dominus Iesus consolatur eos de electione ad vitam aeternam dicens: *Ego elegi vos de mundo*, scilicet ad regnum caelorum, *propterea* scilicet non curate de hoc, quod *odit vos mundus*, id est mundani homines insani et falsitate decepti erroris. Haec ergo verba dicuntur de istis etiam apostolis. Iuxta quae tria mysteria notabimus pro sermone ad honorem illorum. · Primum de electorum Christi odio ab hoc mundo · Secundum de sanctorum Dei flagello in hoc saeculo · Tertium de apostolorum horum privilegio, quo sunt honorati a Christo Haec clarent ex themate. (B) Circa primum de electorum Christi odio a mundo quaeritur: Unde est, quod mundani homines non diligunt, sed odiunt et persequuntur bonos et Christi electos. Cum enim secundum Philosophum III. Topicorum: *Bonum quanto melius, tanto eligibilius, et per consequens amabilius*. Sed quia ut idem dicit I. Ethicorum: *Bonum animae est optimum bonum*. Et li. VII. dicit, quod *pravus homo deterior est bestia, homines vero virtuosus propter virtutis excellentiam dii dicuntur, et sunt prae-honorandi*. Mirum ergo est, quod homines mundani odire possunt sanctos, qui sunt virtuosissimi, cum naturali lege haberent amare eos. Respondendo ad haec notandum est pro conclusione, quod quamvis bonos deberent omnes homines diligere ipsa rationis lege, tamen teste Salvatore mundus odit bonos ex vitiosa corruptione. Et huius causae assignantur praecipue sex. Prima causa, quia Christum Dominum odit omnis reprobus, quibus mundus est plenus, ita, quod scribitur I. Ioh. V.: *Mundus totus in maligno sit*. 3 Cum ergo odiant ipsum caput, non mirum, quod odiunt eius servos, qui caput et dominum eorum oderunt. Unde dicit Christus Ioh. XV.: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit, non est servus maior domino suo, si me persecuti sunt, et vos persequentur*. 4 Ex quo claret, quod pessime faciunt Christiani, dum murmurant de hoc, quod odia et persecutiones patiuntur, et conqueruntur contra Deum. Nam Augustinus in sermone de martyribus dicit: *Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite*, id est Christo, unde exemplo Christi tolerandum est. Secunda causa, quia redarguunt boni saepe malos de pravis actibus, mali autem nolunt audire correptionem, sed vellent loqui sibi placentia, ut scribitur Isa. XXX. 5, unde Eccli. XXXII.: *Peccator homo vitabit correctionem*, 6 Lyra: tamquam sibi abominabilem. Sicut enim videmus, quod aves noctis odiunt lucem, ita mali lucem bonitatis. Propterea Salvator dicit Ioh. III.: *Lux venit in mundum*, id est Christus, qui est lux vera, *et dilexerunt homines magis tenebras*, 7 scilicet infidelitatis et malitiae peccati. Erant enim eorum mala opera. (C) Ubi Lyra dicit, quod legisperiti cognoverunt Christum verum esse Iesum, sed quia arguebat eorum vitia, moti fuerunt contra eum, invidia excaecante eorum cognitionem, quia passio fortis pervertit iudicium rationis, sicut patet in *continente, qui praesente passione iudicat sibi esse fornicandum, tamen extra passionem positus iudicat contrarium*, ut dicitur VII. Ethicorum. Item Cato: *Ira impedit animum, ne possit cernere verum*. Sic et invidia. Unde et subdit Christus dicens: *Omnis enim, qui male agit, odit lucem*, ut patet de adultero, fure, et sic de aliis, *et non venit ad lucem*, id est in palam, *ut non arguantur opera eius*, 8 scilicet mala per iustitiam saecularem. Item Ioh. VII. dicit: *Non potest mundus odisse vos, scilicet mundanos. Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, scilicet redarguendo, quia opera eius sunt mala*. 9 Sic est et de aliis bonis, quod propterea odiuntur. Tertia causa, quia inimicatur sibi ipsi omnis malus. Non mirum ergo, quod bonos odit, qui et seipsum odit. Nam ut dicitur Eccli. X.: *Qui sibi nequam, cui bonus?* 10 Quod dicit: nulli. Si quaeras: Et quomodo odit seipsum malus, respondetur, quia *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, teste Psalmo, 11 sed peccatores mundi sunt huiusmodi, ergo etc. Quarta causa, quia suos etiam caros sicut et se odit homo mundanus. Non mirum ergo, quod odit alienos, id est bonos et iustos. Et patet, quia suos caros, ut filios, uxorem et consanguineos volunt sibi consociare et participes esse suarum iniquitatum, et illis occasionem damnationis praestant, cum male acquisita illis possidenda relinquunt, quibus et ipse, et illi damnantur. Nam ad restitutionem usurarum et male ablatorum tenentur omnes, ad quos devolvuntur talia, tam filii, quam extranei, secundum Augustinum XIV. q. VI. „Si res”, et extra de usura „Tu a nos”. Unde merito de talibus dicitur illud Osee IX.: *Effraim deducet ad interfecionem filios suos*. 12 Effraim interpretatur auctus vel fertilis, et significat ditatos ex male acquisitis, qui suos in eis hereditando interficiunt morte gehennae. Quinta causa, quia dissimiles sunt boni a mundanis in moribus, dissimilitudo autem est causa odii, sicut per contrarium similitudo est causa dilectionis, Eccli. XIII.: *Omne animal diligit sibi simile*. 13 Unde Salvator Ioh. XV. dicit apostolis: *Si de mundo fuissetis, scilicet imitando concupiscentias mundi, mundus, quod suum erat, diligeret, quia vero non estis de mundo, sed ego elegi vos, propterea odit vos mundus*. 14 Chrysostomus: *Malus dominus malos servos suae voluntati conformes diligit*, et per contrarium, bonus dominus bonos amat servos, et malos redarguit, sic Christus bonus amat bonos, et mundus malos. Si dicas: Tamen multi principes mundani et mali persequuntur malos, ut fures et latrones. Respondet Lyra in Postilla super Ioh. XV. dicens, quod *malum non potest esse purum, quin habeat aliquod de bono, aliter seipsum destrueret*, secundum Philosophum IV. Physicorum. Et ideo licet plurimi principes sint mundani et mali quoad superbiam vel etiam infidelitatem et huiusmodi, tamen habent aliquod bonum, ut iustitiam, clementiam et aliqua huiusmodi, sicut legitur de Traiano et aliis multis principibus, et sic persequuntur praedones, in quantum sunt dissimiles in bono iustitiae, sic et de aliis hominibus. Sexta causa, quia infectum habet iudicium omnis iniquus, ut bona virtutum, quae deberent placere, iudicet amara. Isa. V.: *Vae, qui dicunt malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras in lucem et lucem in tenebras, ponentes amarum in dulce*. 15 Videmus enim ad experientiam, quod qui habet corruptum palatum et iudicium saporis, sicut claret de febricitante, iudicat amarum dulce, et ea, quae sunt sibi nociva, diligit, puta: aquae potum ac vinum iudicat amari saporis et abominabilis. Proinde ut dicit Gregorius, a principio mundi bonos sustinuisse semper persecutionem malorum legimus. Quod patet primo de angelis, inter quos factum est proelium magnum in caelo malis proeliantibus contra bonos. Secundo de Cain, qui occidit Abel iustum. Tertio de Ismael persequente Isaac. Quarto de Esau contra Iacob. Quinto de filiis Israel volentibus occidere Ioseph. Sexto de Iudaeis persequentibus Christum et discipulos eius. Non mirum ergo, quod mundus



persequitur bonos, nec novum. Sed o carissimi, laboremus, ut patientiam in persecutionibus Deo dante habeamus, quia velimus-nolimus pati oportet adversa, si boni esse cupimus. Gregorius: *Abel esse renuit, quem Cain malicia non exercet.* (D) Circa secundum de sanctorum Dei flagello in hoc saeculo quaeritur: Cur Deus, qui est suavis in omnibus, vult suos sanctos et electos in hoc mundo persequi, odiri et affligi a malis hominibus. Ratio quaestionis, quia Ps. dicit: *Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet,* 16 ergo videtur, quod Deus deberet custodire sanctos, et potius affligere malos. Item quia Iob IX. dicit: *Si flagellat Deus, occidat semel, et non de poenis innocentum rideat.* 17 Lyra: quod dicit: Nonne deberet sufficere, quod innocentes propter peccatum originale affliguntur in morte, et non affligerentur per malos in vita, cuius videmus contrarium. Numquid ridet Deus, id est delectatur Deus in poenis innocentum, quod dicit: non ridet, quia homo solet ridere de his, quae placent, sed Deo non placent poenae et afflictiones innocentum propter se. Mirum ergo est, cur ipse Deus voluit fieri in mundo isto, et permittit, quod sancti affligantur, odiantur et persequantur, ac etiam occidantur ab iniquis hominibus vel daemonibus. Ad haec respondetur secundum doctores, quod misericors Deus sic mundum circa suos misericorditer ordinat, ut eos utiliter flagellari permittat, non quod placerent Deo afflictiones suorum electorum propter se, sed pro hominum salubritate. Et declaratur hoc praecipue ex sex rationibus. Prima ratio ex parte mundi, scilicet ut contemnatur. Unde Augustinus: *Non convertitur anima ad Deum, nisi cum ab hoc saeculo avertitur. Nec opportunis ab hoc saeculo avertitur, nisi eius perniciosus voluptatibus labores, dolores ac amaritudines miscerentur. Si enim cessaret Dominus, et non misceret amaritudines felicitatibus saeculi, oblivisceremur eum.* Haec Augustinus. Sicut quippe mater pia volens filium ablectare et sequestrare a sugendo amarissimis confectionibus inungit mamillas, et sic ille respuit sugere propter amaritudinem, sic fecit nobis Deus, ut mundum contemnamus, et eius vitia delectabiliaque refutemus, amaritudines admiscuit odiorum et adversitatum. Bernardus: *O munde immunde, si transiens sic me tenes, quid faceres, si maneres,* quod dicit: multo magis a Deo separares. Secunda ratio ex parte electi, scilicet ut se recognoscendo humilietur, et in gratia conservetur. Unde II. Cor. XII. Apostolus dicit: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus* etc. 18 Tertia ratio ex parte fidei, ut scilicet confirmaretur. Non enim est credendum, quod tot et tanta adversa ac martyria sustinuissent sanctissimi viri, scilicet omnes apostoli, martyres, confessores, et sanctissimae virgines viduaeque et alii pro fide Christi, nisi cognovissent eam omni veritate plenam, propter quam ultro se morti obtulerunt, ut pervenirent ad Christum Dominum. Unde Maximus in sermone de martyribus dicit: *Magni periculi res est, si post prophetarum pericula, post apostolorum testimonia, post martyrum vulnera veterem fidem quasi novellam discutere praesumas, et post tam manifestos duces adhuc in errore permanes.* O ergo carissime, esto fidelis usque ad mortem. Quarta ratio ex parte exempli, scilicet ut alii instruantur per patientiam sanctorum. Sicut patet in Iob ca. VI. dicente: *Haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sanctis.* 19 Bernardus: *Felix, qui passiones corporis sui propter iustitiam ordinat, ut quidquid patiat, propter Dei Filium patiat, quatenus et a corde tollatur murmuratio, et in ore versetur vox laudis et gratiarumactio.* Haec Bernardus. Sic ergo in Iob et aliis sanctis, maxime in Christo habemus exemplum patientiae, ut non murmuremus contra Deum in adversis, sed gratias agamus. Quinta ratio ex parte caelestis regni, ut magna fore beatitudo credatur, quae tam caro pretio sanctis datur. Nam revera talis et tanta est, ut ait Apostolus Ro. VIII.: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur* etc. 20 Vult ergo Deus, ut sui electi magna patiantur ad promerendum maius praemium et caelestem coronam, sicut hos claret in martyribus. Unde Iac. I.: *Beatus vir, qui suffert temptationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* 21 Sexta ratio ex parte iudicii veri, scilicet amoris divini, ut vera et gratuita charitas comprobetur. Nam per flagella praesentia comprobatur, si homo vere Deum amaverit, quia Gregorius dicit: *Poenam interrogat, si quietus quis veraciter amat.* Nemo enim in pace vires suas cognoscit. Item per flagella indicatur, quod Deus talem hominem amat. Apoc. III.: *Ego quos amo, arguo* etc. 22 Augustinus: *Magna Dei ira est, quando peccantem non corripit, sed licentiam vagam in peccatum ruendi permittit.* Bernardus: *Tunc magis irascitur Deus, cum non irasci nescitur. Non enim cum nescio, sed cum sentio te iratum, tunc maxime confido propitium. Etenim cum iratus fueris, Domine, misericordiae recordaberis.* Haec Bernardus. (E) Circa tertium de privilegio horum sanctorum sit pro conclusione, quod benedictus Dominus Iesus sublimavit istos sanctos magnis privilegiorum honoribus. Primum est apostolicae electionis, quia Dominus elegit eos ex omnibus hominibus mundi ad numerum duodecim apostolorum, quod maioris est dignitatis, quam fore regem vel imperatorem vel etiam papam. Nam apostolatus excellentissimum gradum tenet in ordine sanctorum secundum Dionysium. Secundum est cognationis Christi et eius matris, quia fuerunt filii Mariae, Cleophae scilicet filiae, quae fuit uxor Alpei, soror gloriosae Virginis Matris Christi, haec enim genuit Iacobum minorem, Simonem, Thaddaeum et Ioseph iustum. (F) Hic quaeritur, qualiter homo possit cum Christo et Virgine eius Matre cognationem spirituales habere. Ad quod respondendo notandum, quod sunt quidam homines, qui habent confusibilem cognationem, utpote cum brutis animalibus, iuxta illud Ps.: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* 23 Nam avarus cognationem contrahit et similitudinem cum talpa, quae semper terram fodit. Luxuriosus cum porco. Superbus cum pavone. Invidus cum cane. Iracundus cum urso. Acediosus cum asino, et sic de aliis. Ambrosius in Hexaemeron: *Homo neglecta in se Dei imagine cadens in vitia non recte dicitur homo, sed iumentum.* Unde Ps.: *Nolite fieri sicut equus et mulus* etc. 24 Alii sunt homines, qui habent cognationem connaturalem, secundum quam unus hominum est ab altero secundum carnis propaginem, et unaquaqueque anima est ad imaginem Dei. Et ista cognatio tamquam nobilis est honoranda et conservanda, ne foedatur vitio. Eccli.: *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum.* 25 Alii denique sunt homines, qui ultra hoc secundum sunt cognatione spirituali coniuncti Christo ut Filio Dei naturali, ipsi filii adoptivi, sicut sunt Christiani in gratia existentes, de quibus Ioh. I.: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* etc. 26 Et haec est summa et nobilissima cognatio ad Christum et eius matrem, quam homo habet per fidem Christi, charitatem et gratiam. De qua Christus Luc. VIII.: *Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt,* 27 verbum scilicet fidei charitate formatae. Tertium privilegium est

devotionis ardentis, quia legitur de eis, quod ad introitum ipsorum daemones clamabant per energumenos: „O apostoli Dei vivi, ecce flammis exurimur, scilicet orationis vestrae ignitae.” Quartum est enitentis sanctitatis. Nam dicitur in Historia Ecclesiastica de Iuda, quod cum venisset ad regem Abagarum, vidit rex in vultu eius quendam mirum et divinum splendorem, per quem enitebat eius sanctitas. Sicut enim peccatores sunt tenebrosi per peccata, sic sancti per contrarium sunt lucidi per gratiae Dei splendorem, I. Thes. V.: *Omnes vos filii lucis estis et filii Dei, non tenebrarum.* 28 Quintum est fructificationis, quia fidem multum dilataverunt, et multos suis praedicationibus ad Christum converterunt. Patet in \*legenda\*. (G) Sextum gratiosae instructionis in articulis fidei, nam Simon composuit in Symbolo decimum articulum fidei, scilicet: *Sanctam Ecclesiam catholicam.* In quo docet credere primo, quod Ecclesia fidelium Christi est sancta, ita quod intra Ecclesiam existentes, id est in unitate eius possunt tantummodo salvari, et extra eam non est salus. Unde errant, qui dicunt, quod quilibet homo bene vivens salvari possit in quacumque fide. Unde Augustinus extra de haereticis c. [„Firmissime”]: *Firmissime – inquit – tene, et nullatenus dubites omnem haereticum aut schismaticum et omnem, qui est extra unitatem Ecclesiae, aeterni ignis incendio cum diabolo participandum.* Secundo docet, quod haec sancta Ecclesia est universalis, ideo dicitur ‘catholicam’, id est universalem. Unde extra de summa tri. et fide catholica c. I.: *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Et nota, quod haec Ecclesia est divisa in tres partes habens unicum caput, scilicet Christum, et eius vicarium, scilicet Romanum pontificem. Unde Matth. XVI. Christus dixit: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* 29 Una quippe pars Ecclesiae est in mundo, quae est congregatio fidelium. Secunda pars in Purgatorio. Tertia in caelo. Haec repraesentant tres partes hodie in missa. Unde versus: *Pars intincta mero pro vivis sacrificatur.* Alia pro sanctis, tertia pro redimendis. Quidquid ergo haec una Ecclesia determinat, tenendum est, et ei tamquam capiti in omnibus oboediendum est Christiano. Matth. XVIII.: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* 30 (H) Item Thaddeus composuit in Symbolo undecimum articulum, scilicet: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum,* secundum Henricum de Frimaria, licet alii dicant, quod sanctorum communionem simul cum praedicto articulo posuit Simon. Et in hoc docemur primo credere, quod in sancta Ecclesia est sanctorum communicatio, ita, quod fideles participes sunt omnium bonorum operum per sanctos et per quodlibet membrum Ecclesiae factorum ac meritorum, iuxta illud Ps.: *Particeps ego sum omnium timentium te* etc. 31 Secundo docemur credere, quod in sanctae Ecclesiae sacramento, scilicet in Eucharistia continetur vere Sanctus Sanctorum, id est Christus, in quo omnes sancti habent vitae aeternae participationem. Et ideo Eucharistia dicitur sanctorum communio, et quod sic intelligi debeat, habetur extra de sum.trini. c. I. § „Una vero”. Tertio docemur credere, quod in Sancta Ecclesia est remissio omnium peccatorum per sacramenta, scilicet per baptismum, per poenitentiam etc. Errant ergo, qui desperant. Isidorus: *Desperatio est pessimum omnium peccatorum.* Ultimum privilegium est abundantis suffragationis. Nam leguntur subvenisse hominibus in corpore et anima infirmitates curando et vulnera, cum hoc etiam animam salvando per fidei doctrinam. Iudas enim sanavit Abagarum, et uterque caecos illuminabat, serdos, claudos, leprosos et varios infirmos curabat. Item subveniebant etiam in persona et rebus bella compescendo. Unde dixerunt duci contra Indos pergenti ad bellum: „Pax nobiscum intravit.” Et in crastinum victoriam sine humani sanguinis effusione concesserunt. Patet in legenda. Hoc etiam patet in civitate Edessa, 32 in qua epistola Salvatoris Abagaro missa cum reverentia servabatur, ubi nullus haereticus vel paganus vivere poterat. Et dum hostes contra civitatem insurgent, puer super portam civitatis eam legebat, et illa die hostes aut fugiebant, aut componebant. Item subveniunt vulneratis. Nam refert Discipulus, quod quidam amicus regis Nicanor in bello sagittam accepit, quae de ossibus eius nullo modo poterat evelli, tunc Simon in nomine Iesu eam excepit, et mox sanavit, ut nec vestigium videretur. Item subveniunt contra infamiam, ut dictum est supra II. sermone „I” de diacono infamato. Item contra pericula bestiarum et venenosorum. Nam cum duae tigrides ferocissimae omnes occurrentes sibi homines occiderent, apostoli advenientes in nomine Iesu velut oves mansuetas eas fecerunt. Denique Simon triginta mortuos in aquis mersos legitur suscitasse. O ergo sancti apostoli, orate pro nobis apud Christum. Amen. Sermonem quartum de eis vide in communi apostolorum.33

---

1 Ioh 15,19 2 Editio: eum 3 I Io 5,19 4 Ioh 15,18-20 5 Cf. Is 30,10 6 Cf. Sir 32,21 7 Ioh 3,19 8 Ioh 3,20 9 Ioh 7,7 10 Cf. Sir 14,5 11 Ps 10,6 12 Cf. Os 9,13 13 Sir 13,19 14 Ioh 15,19 15 Is 5,20 16 Ps 144,20 17 Ioh 9,23 18 II Cor 12,7 19 Iob 6,10 20 Rm 8,18 21 Iac 1,12 22 Apc 3,19 23 Ps 48,13;21 24 Ps 31,9 25 Sir 10,31 26 Ioh 1,11 27 Lc 8,21 28 Cf. I Th 5,5 29 Mt 16,18 30 Mt 18,17 31 Ps 118,63 32 Editio: Edissa 33 Vide PA 105: De apostolis communis sermo vel PA 106: De apostolis communis sermo vel PA 107: De apostolis communis sermo.

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXXII.] In festo omnium sanctorum Sermo primus de veneratione sanctorum *Laudate Dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius.* Ps. ultimo. 1 (A) Sancta Ecclesia hodie omnium sanctorum festa colit et hortatur omnes Christianos, ut Deum laudent in suis sanctis. Nam revera maxime debemus Deum in sanctis collaudare. Primo quidem quia in eis monstratur mira Dei clementia, cum pro eorum bonorum operum labore contulit eis tam excellentem beatitudinem ac gloriam in caelo, quod teste Apostolo I. Cor. II.: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus* etc. 2 Secundo quia in eis claret mira Dei sapientia, qua tam pulchre et gloriose eos ordinavit, quosdam patriarchas et prophetas, quosdam apostolos et martyres, quosdam confessores et quosdam virgines, et omnes in variis choris angelorum secundum merita in civitate caelesti. Unde Ps.: *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri in monte,* 3 scilicet eius. Et iterum Ps. LXVII.: *Mirabilis Deus in sanctis suis,* 4 et gloriosus in maiestate. Tertio quia lucet mira Dei potentia tamquam summi regis in tam

innumerabili multitudo exercitus caelestis. Denique quarto ostenditur in eis erga nos piissima charitas, cum omnes eos voluit, ut auxiliarentur nobis et intercederent apud Deum pro nostra salute. Augustinus: *O immensa Dei pietas, quia sanctorum merita nostra vult esse suffragia*. O ergo carissimi, auscultemus, quomodo nos hortatur Scriptura dicens: *Laudate Dominum in sanctis eius*. O vos omnes fideles, viri et mulieres, divites et pauperes, *laudate Dominum in sanctis, laudate eum in firmamento virtutis eius*, id est in firmo et perpetuo caelesti habitaculo, quod Deus fundavit sua virtute infinita. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone: · Primum de sanctorum veneratione · Secundum de sanctorum exoratione · Tertium de sanctorum intercessione

Nam his modis debemus Deum laudare in sanctis, ut intercedant pro nobis. (B) Circa primum de veneratione sanctorum quaeritur: Cur Ecclesia venerat sanctos Dei festorum celebratione? Cum enim cultus festivitatis Deo debeatur pro honore patriae, mirum est ergo, cur exhibendus sit sanctis. Ad quod secundum Wilhelmus Autissiodorensis in Summa de officiis aliosque concordantes doctores respondetur, quod festivitates sanctorum celebrari instituit convenienter Ecclesia pro honore sancti ad laudem Dei. Et hoc ratione multiplici, praecipue quintuplici. Prima ratio amicitiae Dei et acceptationis. Nam tanta amicitia charitatis coniuncti sunt sancti omnes in caelo cum Deo tamquam filii Dei et membra unius capitis, scilicet Christi, quod honorem, qui impenditur sanctis, Deus sic acceptat et diligit, ac si sibi proprie impenderetur, iuxta illud dictum Salvatoris, Matt. XXV.: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. 5 Revera talis et tanta est charitas inter Deum et sanctos, quod numquam aliquis sanctorum in caelo potest aliud velle, quam quod Deus vult, nec potest Deus irasci contra eos in aeternum. Hieronymus in testamento. In caelo una est *charitas* omnium beatorum, quae *numquam excidet*. I. Cor. XIII. 6 Ideo ubi supra Wilhelmus dicit: *Cum sanctis honorem impendimus, Deum in sanctis honoramus, et ipsum in eis mirabilem praedicamus, quia qui sanctis honorem tribuit, Deum specialiter honorat, qui eos sanctificavit et glorificavit*. Exemplum: Si quis honorat filios vel amicos aut servos regis propter regem, hoc rex pro se acceptat. Item quando manus honoratur munere vel anulis aureis, sive quando pes calceis et huiusmodi, caput sibi hoc reputat, et resalutat. Sic Christus, qui est rex et caput omnium sanctorum. Secunda ratio consecrationis pro templo divinae inhabitationis. Si enim festa dedicationis vel consecrationis templi materialis celebrabantur tam in Veteri, quam in Novo Testamento, eo quod Deus in eis habitet per cultum specialem, et ad divina deputatur, quanto magis festa sanctorum sunt celebranda, qui fuerunt in terris, et nunc sunt in caelis animatum Dei templum, quorum anima et corpus consecrata sunt per gratiam et in futuro per gloriam perpetuam. Unde I. Cor. VI.: *An nescitis, quoniam corda vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui habitat in vobis*. 7 O tu homo peccator, vide, quanta est Dei gratia, quia inhabitat sanctorum suorum et fidelium animam et corpus. Sed in contrarium in peccato manenti homini vae et vae, quia diabolus in suo corde habitat possidendo nunc per malitiam et in futuro tradetur perpetuo in possessionem diaboli in Inferno. Ad propositum: Ex quo ergo in sanctis Deus habitat et operatur, merito sunt honorandi tam in anima, quam etiam in corpore et eorum reliquiis. Unde Augustinus De civitate Dei dicit: *Non sunt contemnenda, sed plurimum reverenda sanctorum corpora, quibus dum adhuc viverent, Spiritus Sanctus quasi quibusdam organis ad omne opus bonum usus est*. Haec ille. Venerandae sunt sanctorum imagines, sicut et quaelibet res sacrae adorantur dulia, et in reverentia habentur, nec per hoc serviunt talibus fideles divino cultu patriae, nec alicui creaturae, ut patet in Decreto de consecratione dist. III. „Venerabiles” per textum et glossa. (C) Quaestio occurrit hic, utrum sanctorum reliquiae possint et debeant portari ad collum a fidelibus. Respondetur secundum fratrem Angelum de Clavasio in Summa, quod non deberent portari, nisi ex causa magna pro aliquo tempore. Tamen secundum Thomam II. II. q. XCVI. licet portare ex devotione sanctorum et fiducia ad Deum, ita tamen, quod in hoc non sit aliqua superstitio, quia sic esset illicitum, puta quod vas sit triangulare vel aliud huiusmodi, quod non pertinet ad honorem Dei et reverentiam sanctorum, quia sic illicitum est. Denique circa reliquias sanctorum ista sunt observanda: Unum est, quod vendi vel emi non possunt licite, quia hoc simonia esset secundum Rainerium et Goff. I. q. I. „Qui studet”. Secundum est, quod reliquias furtive subtrahere non solum simpliciter peccatum est, sed etiam sacrilegium, XVII. q. IV. „Quisquis”, etiam si ex devotione hoc quis faceret secundum Ro. (?) et Hugo. Tertium est, quod causa quaestus reliquiae non debent ostendi, sicut in plerisque locis consuevit fieri, quia vendi dicuntur, quando pro quaestu ostenduntur secundum Pa[pam] (?) de reliquiis et veneratione sanctorum c. II. Quartum est, quod reliquiae de novo inventae non debent publice venerari, nisi prius auctoritate summi pontificis fuerint approbatae, ut patet de reliquiis et veneratione sanctorum c. II., et de huiusmodi sanctorum exoratione infra dicemus. Tertia ratio debitoriae recompensationis. Sancti enim de nobis in caelo magnum festum faciunt gaudentes de nostra conversatione. Lu. XV.: *Gaudium est angelis in caelo, sic et sanctis super uno peccatore poenitentiam agente*. 8 Ut ergo eis nos vicissitudinem rependamus, debemus festum pro eorum honore agere in terris. Quarta ratio exemplificationis, ut scilicet per festa provocemur ad imitandum sanctorum exempla virtuosa. Nam Augustinus sermone de martyribus dicit: *Ab eis enim in veritate festiva gaudia celebrantur, qui ipsa martyrum exempla sequuntur. Sollemnitates enim martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrari delectat*. Haec ille. (D) Sed quare pro festis sanctorum vigiliis colimus ieiunando? Respondetur, quod hoc Ecclesia statuit primo propter augmentum devotionis, ut per abstinentiam devotiores et sanctiores reddamur ad festum ipsum celebrandum. Secundo propter exemplum instructionis, ut sciamus, quia per poenitentiae asperitatem possumus pervenire ad sanctorum gloriam et iucunditatem, sicut etiam sancti per arduam viam poenitentiae ingressi sunt in caelum. Unde Math. VII. dicit Salvator: *Intrate per angustam portam, lata porta et spatiosa via, quae ducit ad perditionem, multi sunt, qui intrant per eam, ardua via et angusta porta, quae ducit ad vitam*. 9 Proinde Chrysostomus super Mat. ait: *Quae est iustitia sanctos colere et sanctitatem spernere? Sine causa iustos colit, qui iustitiam spernit*. Haec ille. O ergo homo, stude imitari sanctos Dei, quorum festa et vigiliis etiam colimus in operibus sanctis, scilicet patriarchas in unius veri Dei fide et cultu, prophetas in praecepto Dei oboediendo, apostolos in mundi contemptu et Christi amore sectando, martyres in patientia, confessores in misericordia proximis exhibenda, virgines in castitate, et omnes electos in poenitentiae artitudine et peccatorum devitatione. Quinta ratio 10 fructificationis, quia per hoc, quod sanctos honoramus, eos pro nobis apud Deum intercessores constituimus, ut per eorum merita a praesentibus periculis liberemur, et ad



vitam aeternam pervenire possimus. Unde Iob V.: *Voca, si est, qui respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere*, 11 quod dicit: Tu, homo, ex quo indiges gratia Dei ad salutem, invoca ergo Deum. Et quia non poteris confidere de propriis meritis, ergo ad aliquem sanctorum convertere implorando eius patrocinium. O ergo homo, elige tibi aliquos sanctos in patronos, ut salveris per eos, sicut hortatur ad id Coelestinus. (E) Circa secundum de exoratione sanctorum pro aedificatione simplicium occurrunt quinque quaestiones prosequendae. · Prima de patrocini imploratione · Secunda de reverendis sanctis oratione · Tertia de orationis directione · Quarta de sanctorum in caelo cognitione · Quinta de eorum exauditione Prima quaestio est, utrum utilius sit semper homini implorare pro patrocinio aliquem sanctum maiorem, quam minorem. Et videtur, quod sic, quia superiores sancti sunt Deo magis accepti et maioris praemii in caelo, et per consequens magis possunt auxiliari. Sed contra videmus per experientiam, quod quandoque invocatio minoris sancti fit efficacior, et obtinet homo a Deo per minorem aliquid, quod non obtinet invocando maiorem. Respondetur ergo secundum doctores, praecipue Thomam super IV. dist. XLV., quod quamvis superiores sancti sint Deo magis accepti, utile tamen est etiam minores sanctos exorare, quia quandoque homo consequitur per minorem, scilicet quod non obtinuit per maiorem. Et hoc contingit propter tria. Primo propter maiorem devotionem, quia homo quandoque habet devotionem ampliorem ad minorem sanctum, quam ad maiorem, et sic contingit orationem minoris sancti esse efficacioram aliquando, quam maioris. Nam effectus orationis pendet maxime ex devotione. Secundo propter claram manifestationem, quia Deus vult sanctitatem inferioris sancti clarius manifestare quandoque, et sic dat homini per illius invocationem, quod petit. Nam Deus vult, ut omnibus sanctis, etiam minoribus honorem exhibeamus, quia omnes et singuli possunt nos iuvare. Unde Bernardus in sermone de omnibus sanctis dicit: *Si potentes fuerunt in terris, potentiores sunt in caelis, nec patria minuit eorum charitatem, sed augmentat*. Unde Deus dat quandoque per invocationem minoris, quatenus clarescat eius gloria. Tertio propter gratiae specialis concessionem, quia quibusdam sanctis est concessum seu et datum a Deo in aliquibus specialibus causis praecipue patrocinari, sicut beato Antonio liberare ab igne infernali ipsum invocantes. Item beato Nicolao defendere itinerantes, beato Briccio praecavere a confusione, beato Gratiano ad recuperandum res perditas, beato Francisco ad subveniendum in morte et in Purgatorio, et sic de aliis. Sic ergo in talibus obtineri contingit quandoque per unum, quod non obtinetur per alium, etiam superiorem, sic etiam est iudicandum de auxiliatioe unius sancti vel paucorum respectu invocationis multorum simul. Nam Hieronymo dicente: *Impossibile est preces multorum non exaudiri, si tamen cetera sint paria*. (F) 12 Secunda quaestio, quales sancti sunt reverendi oratione. Ad quod respondetur secundum doctores, praecipue Thomam in IV. dist. XV., quod oratio illis solis sanctis in reverentiam et honorem est exhibenda, qui habent vitam beatam, quia nil petitur ab eo, qui non habet illud, quod petitur. Nam dicente Philosopho: *Nil dat, quod non habet*, I. et II. Elenchorum. Cum ergo beata vita est, quae orando petitur, ad illos solos oratio potest dirigi, qui illam habent. Unde non est dirigenda ad illos, qui adhuc sunt in hoc mundo, quamvis petitio aliqua potest fieri ab eis, ut orent pro aliquo. Item nec ad illos, qui in Purgatorio sunt, dirigenda est oratio, quia quamvis sint securi de beata vita habenda, tamen sunt in afflictione maxima. Et etiam quia non sunt in statu merendi, ideo magis indigent, quod pro ipsis oretur, quam condeceat, ut ipsi orent. De illis autem animabus, quae creduntur esse in Inferno, dicit Augustinus: *Si – inquit – scirem patrem meum esse in Inferno, non orarem pro eo, sicut nec pro diabolo*. Si autem aliquis creditur esse sanctus et in patria esse, qui tamen est in Purgatorio, vel forte non est bonus, tali secundum Innocentium potest oratio fundi, quia Deus fidem illorum orantium attendens etiam si non esset bonus, preces supplicantium acceptaret et exaudiret, XV. q. ultima c. finali. Non tamen licet de eo facere officium sollemne vel preces sollemnes, scilicet missam vel officium et huiusmodi. Et secundum Antoninum nec facere licet ecclesiam vel altare et huiusmodi, nisi de canonizatis sanctis. Haec habentur per fratrem Angelum de Clavasio in Summa, concorditer Thomam ubi supra. Unde et legitur IV. Dialogo Gregorii de Paschasio, qui post mortem faciens miracula erat tamen in Purgatorio. Item in legenda sancti Martini legitur, quod quidam ad sepulchrum faciebat miracula, et tamen dixit in revelatione, quod fuerit latro pro scelere occisus. (G) Tertia quaestio, qualiter oratio nostra sit ad sanctos dirigenda, cum ut Cassiodorus dicit: *Oratio proprie fieri habet ad Deum*. Respondetur secundum Richardum in IV. dist. XV. q. III., et post eum fratrem Angelicum in Summa, quod dupliciter potest quis alicui porrigere preces. Uno modo tamquam per ipsum implendas, et sic solus Deus est exorandus, quia illa bona, quae praecipue sunt petenda in oratione, scilicet gratia, salus et gloria, vel quae nobis deserviunt ad horum acquisitionem, ut fides, spes, charitas, a solo Deo dantur, nec ab alio dari possunt tali modo, scilicet ad acquisitionem gratiae et gloriae. Alio modo preces potest quis porrigere alicui, tamquam per eius impetrationem adimpleantur, et hoc modo orandi sunt sancti, qui a Deo impetrant exauditionem orationis nostrae. Maxime autem gloriosa Virgo Maria super ceteros est oranda isto modo secundo, quia plus valet, quam omnes alii ceteris paribus. Et propterea Ecclesia orando Deum vel Christum dicit: *Miserere nobis*. Vel: *Da nobis, quaesumus, Domine*, et huiusmodi. Sed orans sanctos dicit: *Ora te vel intercedite pro nobis*. Cultum ergo latriae in oratione Deo exhibemus, et ab eo postulamus praedicta bona. Sed sanctorum intercessionem in adiutorium deprecamur, ut per eos impetrare valeamus, et sic patet. (H) Quarta quaestio, utrum sancti in caelo cognoscant vel videant nostras orationes fusas ad eorum venerationes et cordis deprecationes. Respondetur secundum Richardum in IV. dist. XLV., quod licet animae sanctorum naturali cognitione non cognoscant omnia, quae fiunt in hac vita, et maxime interiores motus cordis, quia solus *Deus scrutatur corda*, ut dicit Ps. 13, extra de simo. c. „Tua” in fine. Tamen sancti in verbo divino vident ea, quae decet eos de nostris actibus cognoscere, de quibus sunt hi actus orationis, quia ad eorum gloriam pertinet, quod ad eos habeamus necesse currere. Et quod ipsi videant nostra vota, et auxilium praebeant. Sed diceris: Numquid sancti videntes aliquas tales necessitates vel adversitates suorum carorum afficiuntur aliqua compassione pro eis ex charitate, qua sunt pleni? Respondetur secundum Thomam ibidem, quod sancti non afficiuntur, quia ita sunt repleti gaudio beatitudinis, quod dolor nullo modo in eis habet locum. Sed forte animae non glorificatae dolorem aliquem sentirent, si incommoda suorum carorum perciperent. Haec ibi. (I) Quinta quaestio, utrum sanctorum orationes pro nobis fusae apud Deum semper exaudiantur. Respondetur secundum Richardum in IV. dist. XLV., concorditer Thomam, quod sancti dupliciter dicuntur orare pro nobis.

Uno modo per eorum merita, sicut etiam sanguis Christi dicitur interpellare pro nobis, et sic orationes sanctorum licet sint efficaces ad impetrandum, quantum sunt in ipsis, tamen ex parte nostri potest esse defectus, quod non exaudiantur pro nobis propter nostra peccata. Alio modo sancti orant pro nobis votis suis postulando, et sic semper exaudiuntur, quia non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt, nisi quod Deus vult peti et dare. Quod autem Deus simpliciter vult, impletur, nisi loquamur de voluntate antecedente, qua *vult Deus omnes homines salvos fieri*, ut dicitur I. Tim. II., 14 quae non semper impletur. Unde nec est mirum, si etiam quod sancti volunt per hunc modum voluntatis, interdum non impletur. O ergo homo, adverte Dei benignitatem erga te, recognosce, quanta charitate omnes sancti tuam salutem desiderant, et Deum exorant. Noli ergo contemnere, sed age poenitentiam, cave peccata, et ora Deum ac sanctos, ut salveris. (K) Circa tertia de intercessione scilicet sanctorum pro nobis sufficiat pro conclusione, quod hodie omnes sanctos universaliter honorando promeremur Dei misericordiam per ipsos omnes pro nobis intercedendo. Et hoc probari sufficiat per revelationem, quae legitur in legenda, scilicet quod postquam hoc festum omnium sanctorum Romae institutum fuisset, anno sequenti hac ipsa die custos ecclesiae Sancti Petri ex devotione omnia altaria circumivit, sanctorum suffragia implorando. Cumque rediisset ad altare Sancti Petri, in raptu vidit regem regum, Christum in sublimi solio, et omnes angelos in circumitu eius. Tunc regina diademate fulgente gloriosissimo, quam innumerabilis multitudo virginum sequebatur, advenit, cui rex assurrexit, et iuxta se eam in solio sedere fecit. Angelus autem, qui praedictum custodem ducebat, dixit eidem, quod haec virgo regina praefulgens est mater Dei. Post hoc advenit quidam vestitus de pilis camelorum, quem sequebatur multitudo seniorum, de quo dixit: Iste est Iohannes Baptista cum patriarchis et prophetis. Denique advenit quidam pontificali habitu decoratus cum magno choro consimili habitu fulgentium, et dixit hunc esse Petrum cum apostolis et pontificibus sanctis. Postea processit multitudo innumerabilium militum, hos dixit esse martyres. Post quos advenit turba infinita diversarum gentium, quos dixit esse confessores. Videbat autem, quod omnes flexis genibus regem adoraverunt ante solium regis advenientes. Et tunc beatus Petrus matutinas inchoavit, ceteris prosequentibus mira dulcedine concinentibus. Tunc custodi miranti dixit angelus: „Hi omnes sancti pro honore sibi hac die a mortalibus exhibito Deo gratias agunt, et pro orbe universo intercedunt.” Deinde angelus duxit eum ad locum alium, ubi vidit utriusque sexus homines, quosdam in aureis mensis gaudentes et abundantes, alios nudos et inopes auxilium mendicantes. Dixit autem hunc locum esse Purgatorium, et quod abundantes essent illi, quibus ab amicis per multa suffragia subveniebatur, inopes vero, quorum cura non habebatur. Iussit ergo, ut omnia haec summo pontifici intimaret, ut post festum omnium sanctorum statueret diem celebrem animarum, quatenus saltem generalia suffragia pro illis die illa fierent, qui specialia habere nequirent, et sic factum est. O ergo carissimi, veneremur sanctos Dei et exoremus, ut Dominus Iesus per eorum intercessionem det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro.

---

1 Ps 150,1 2 I Cor 2,9 3 Ps 47,2 4 Ps 67,36 5 Cf. Mt 25,40 6 Cf. I Cor 12,8 7 Cf. I Cor 5,19 8 Lc 15,10 9 Mt 7,13-14 10 Editio: *Quinto ratione*; Hagenau 1500: *Quinta ratio* 11 Iob 5,1 12 Deest in editione: (F) 13 Cf. Ps 7,10 14 I Tim 2,4

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXXIII.] De omnibus sanctis Sermo secundus, scilicet de multitudine sanctorum et ordine felici *Exsultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis*. Ps. CXLIX. 1 (A) In quibus verbis insinuat, quam felicissima et quam beata ac gloriosissima sit patria caelestis, in qua omnes sancti exsultabunt cum Christo in perpetuum. Nam in ipsis verbis notatur primo gaudium caeleste esse maximum, cum dicitur: *Exsultabunt*, id est extra se saltabunt prae gaudio, ita quod totaliter mentes sanctorum gaudio indicibili elevantur in Deum. Unde Bernardus super Cantica dicit: *Revera illud solum est verum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, cui comparata omnis aliunde iucunditas maeror est, omne dulce amarum, omne decorum foedum est*. Secundo insinuat esse gloriosissimum, quia in gloria inquit. Nam sancti tam in anima, quam in corpore erunt gloria clarissimi, teste Salvatore Mat. XIII.: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum*. 2 Tertio notatur esse multiplici felicitate plenum, cum additur: *Laetabuntur in cubilibus suis*. Lyra: *id est in diversis mansionibus gloriae et gradibus secundum multitudinem sanctorum et eorum praemiorum*, quia ut Gregorius dicit: *Quilibet laetabitur ibi de bono alterius, sicut de proprio, cum ergo sint in innumerabili multitudine*, o quot ergo ibi erunt gaudia cuiuslibet, de quolibet apostolo, martyre, confessore, virgine et unoquoque electorum. Quoniam autem omnium beatorum hodie celebratur festivitas. Idcirco ad ipsorum honorem pro sermone praedicta verba accipimus de eorum gaudiis, ut et nos eorum societatem felicem desideremus. Iuxta haec ergo verba notemus tria mysteria pro hoc sermone declaranda: · Primum de electorum multitudine · Secundum de sanctorum vario ordine · Tertium de gaudiorum plenitudine (B) Circa primum, scilicet de electorum sive salvandorum multitudine quaeritur, utrum numerus salvandorum sit maximus. Ratio quaestionis est, quia Salvator Mat. XX. dicit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, 3 et ca. VII.: *Arta via, quae ducit ad vitam, pauci sunt, qui inveniunt eam*. 4 Cum ergo veritas dicat paucos salvandos, quomodo possunt esse multi? Item I. Ioh. V.: *Mundus totus in maligno positus est*. 5 Et I. Pe. IV.: *Si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* 6 Lyra: *Iustus vix salvabitur, quia per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei*. Act. XIV. 7 Impius ergo et peccator ubi parebunt, quod dicit: nusquam, quia in Inferni profundo abscondentur. Et quoniam dicente Ps.: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*, 8 quod secundum Lyram intelligitur *exceptive, id est non est praeter unum, scilicet eum, qui habet fidem charitate formatam*. Nam XII. q. I. c. [„Omnis aetas”]: *Omnis aetas prona est ad malum*, ergo pauci salvantur. Sed ad haec et ad quaestionem respondetur, prout colligitur ex Rich. in IV. dist. XLIV. q. II. ar. II. ac aliis doctoribus, scilicet distinguendo, quia de numero electorum possumus loqui dupliciter. Uno modo respective sive comparative, et sic dicuntur pauci, scilicet respectu damnandorum, quia si

boni in mundo malis comparentur, paucissimi inveniuntur, ut patet ex praedictis. Et quoniam ut Augustinus XX. De civitate Dei c. XXI. expresse dicit: *Plures erunt multo homines in infernalibus poenis, quam in gloria.* Idem etiam infra eodem li. XXI. c. XII. dicit, quod *multo plures sunt in universa humani generis massa damnati, quam sint in luce,* ergo patet. Alio modo loqui possumus de numero electorum absolute, et sic maxima est et erit eorum multitudo. Nonne multi fuerunt patriarchae et prophetae, multi martyres, multi confessores, multae virgines, et omnes electi innumerabiles a principio mundi usque in finem. Exempli gratia: Si quis ex litore maris impleret arenis mille modios et cados, nonne arena illa diceretur grandis numeri absolute, sed comparando ad illa improporcionabiliter plura, quae sunt in litore maris per mundum totum, pauca sunt. Sic et in proposito, quamvis electi sint multi, sed multo plures sunt damnati, quia ut scribitur Eccs. I.: *Stultorum infinitus est numerus,* 9 adeo, quod Augustinus li. de vero cultu dicat: *Arbitror – inquit – tres mundi partes fore damnandas, eo quod in ipsis regnant infideles, de quarta autem parte quid dicam, nisi quod Iohannes ait: Totus mundus in maligno positus est.* 10 Rationem ponendo Gregorius dicit homilia super Mat. XX.: *Ad fidem – inquit – plures veniunt, et plerique Deum vocibus sequuntur, sed moribus contradicunt, ideo ad caeleste regnum pauci eorum perducuntur.* O ergo peccator miserime, adverte haec novella, quia innumerabiles damnantur pro infidelitate sua et impenitentia, age poenitentiam ergo, ne pereas cum multis, sed salveris in numero electorum. (C) Sed quomodo probatur numerus ipse electorum absolute fore maximus. Advertendum est, quod praecipue probatur via triplici: · Primo ex auctoritate · Secundo ex revelatione · Tertio ex ratione Primo ex auctoritate, scilicet Scripturae Sacrae. Nam in Scriptura legitur Gen. XV.: *Dixit Dominus ad Abraham: Noli timere, ego ero merces tua magna nimis. Et cum ille diceret: Quid dabis mihi, Domine Deus, ego vadam,* 11 scilicet ad mortem absque liberis. Eduxit eum Dominus foras, et ait illi: *Suspice caelum, et numera stellas, si potes. Sic erit semen tuum.* 12 Ibi secundum Lyrum et doctores promittebatur Abrahae multiplicatio seminis, non tam corporalis, quam spiritualis in beata vita, quoad innumerabiles gentium populos in fide Christi descendentes ad Abraham salvandos. Unde canit Ecclesia: *Sed signifer Sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisisti, et semini eius.* Sicut ergo stellae caeli sunt innumerabiles, sic et electi. Secundo ex revelatione. Nam Iohannes Apoca. VII. in revelatione dicit vidisse sic, quod *ex omni tribu filiorum Israel signati sunt electi centum quadragintaquattuor milia.* 13 Et post haec inquit: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus etc., stantes ante thronum in conspectu Agni amicti stolis albis et palmae in manibus eorum, et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum et Agno,* 14 id est Christo. Haec in epistola hodierna. Ubi nota certa puncta. Unum est, quod sancti Veteris Testamenti in numero certo designantur, scilicet centumquadragintaquattuor milia, licet iste numerus ponatur pro indeterminato. Sed sancti Novi Testamenti innumerabiles dicuntur post haec: *Vidi – inquit – turbam magnam, dinumerare nemo poterat etc.* 15 Quare hoc, nisi ad designandum, quod multo plures sancti Novi Testamenti, quam Veteris Testamenti? Aliud punctum est, quod ex singulis tribubus filiorum Israel fuerunt aliqui signati, scilicet duodecim milia excepta tribu Dan tantummodo, de qua non dicuntur signati? Quare hoc, nisi ideo, quia ex illa tribu oriundus est filius perditionis, scilicet Antichristus, ut tenent doctores? Et quia Dan interpretatur 'causa vel iudicium' secundum Hieronymum, significat ergo principes, qui habent alios iudicare, de quibus magis est timendum, quod sunt in statu damnationis, quia raro iuste iudicant. Unde non habent signum Christi, id est poenitentiae et humilitatis, sed signum damnationis. Tales sunt sicut Cain, de quo scribitur Gen. IV., quod Dominus posuit signum in Cain, et maledixit eum Dominus propter interfecionem fratris sui Abel. Illud signum positum in Cain fuit tremor horribilis capitis et membrorum, ut dicit Lyrus. Sic in principibus malis est pro signo damnationis capitis tremor, id est vacillatio iudicii, qua declinant a iustitia, et etiam manuum tremor. Dicitur enim communiter, quod qui patitur capitis tremorem, habet etiam tremorem manuum. Sic iudex iniquus etiam tremorem habet in manibus munera accipiendo ad pervertendum iudicium. Ps.: *Munera super innocentem non accepit, qui facit haec, non movebitur in aeternum.* 16 (D) Tertio ratione probatur maxima multitudo electorum. Et potissima ad id est ratio restorationis ruinae angelicae, quia secundum doctores ruina angelica restaurari debet ex hominibus electis, et quia innumerabiles ceciderunt, ergo etc. Sed quaestio occurrit, utrum tot sint homines salvandi, quot ruerunt angeli, an etiam plures? Ad quod secundum doctores, sicut notat Aureolus in suo Compendio, tres recitantur opiniones. Prima est, quod tot salvabuntur homines, quot angeli remanserunt in caelo. Et fundat se haec opinio super dicto Gregorii, quod habetur in II. Sententiarum dist. IX. c. VII. sic: *Superna – inquit – civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam credimus tantum humani generis ascendere, quantos illic contigit angelos remansisse, sicut scriptum est in cantico Deuteronomii: Statuit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei.* 17 Haec ibi. Sed haec opinio communiter a doctoribus non tenetur, quia ut ait Dionysius li. De caelesti hierarchia c. XIV.: *Illi angeli beati sunt plures numero, quam sint omnia entia materialia numero, et ideo non videtur, quod tot sint creati vel creandi homines, quot sunt angeli.* Secunda opinio est dicentium, quod tot homines salvantur, quot angeli ceciderunt, et non plures, adhaerens dicto Augustini in Enchiridio dicentis sic: *Superna Ierusalem, mater nostra, civitas Dei nulla civium suorum numerositate fraudabitur, aut uberiori fortasse copia regnabit.* Sed haec opinio non est approbanda, quia ibi Augustinus dubitat, utrum uberiori copia regnabit, ut patet. Tertia est dicentium, quod tot salvabuntur homines, quot sunt angeli cadentes simul et remanentes, ita quod ruina angelica restaurari debeat per solas virgines, quia illi sunt similes angeli, qui nec nubent, nec nubentur, et sic in uno pariete erunt angeli cum virginibus, et in secundo pariete secundum eos erunt tot salvandi ex non virginibus, quot erunt in illo alio pariete angeli simul cum virginibus. Sed haec opinio repellitur eadem ratione, qua prima. Item quia secundum Bonaventuram dist. IX. secundi in reparatione ruinae angelicae non requiritur similitudo virginitatis necessario, sed sufficit similitudo per gratiam et gloriam. Nam possunt homines etiam corrupti ad tantam gratiam et gloriam elevari, quod idem ordo constituatur ex eis et angelis simul, quia possunt esse pares in gratia et gloria etiam homines corrupti angelis. Nam et multi carne corrupti in gratia et gloria multis virginibus praeferuntur, ut claret de beato Petro apostolo et Magdalena et ceteris, qui pluribus virginibus praeferuntur. Ideo ad quaestionem salvo meliori iudicio dicendum est secundum sententiam Richardi super II. dist. IX. q. V. ar. II. ac Bonaventurae ibidem q. V.



II., quod praecipui sancti homines sive sint virgines, sive corrupti, tales tot salvabuntur, quot angeli ceciderunt, ut ex eis repararetur ruina angelica, et ultra hos tot salvabuntur communes homines, quod ex istis communibus hominibus fiet decimus ordo, ita quod ex quo ceciderunt ex singulis ordinibus multi angeli, ad quemlibet ordinem sancti assumentur secundum merita gratiae et gloriae assimilati angelis, et sicut sunt aliqui, licet pauci sancti, qui propter excellentiam meritorum sunt supra omnes ordines angelorum, prout Ecclesia tenet de Beata Virgine Maria, ita erunt etiam aliqui communes homines electi, qui non erunt tanti meriti, ut aequarentur angelis in gloria, ut patet de pueris baptizatis ante annum discretionis decedentibus, et de his, qui poenitent tantum in extremis, et de multis aliis communibus hominibus pauci meriti. Et haec positio probabilis est. Tum propter imperfectionem meritorum, qua multi tenentur in via. Tum propter numeri denarii perfectionem, quae competit patriae caelesti, quia perfectio numeri in denario maxime consistit. Unde et Glossa super Lu. XV. dicit: *Decima drachma perdita est per Christum inventa, cum novem ordinibus angelorum homo additus est tamquam decimus, ut compleatur numerus electorum.* (E) Sed adhuc quaeri potest, utrum angeli in caelo et beati sciant totalem numerum praedestinatorum. Respondetur secundum Augustinum in Enchiridio dicentem sic: *Noverunt angeli sancti docti Deo, cuius veritatis aeterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas civitatis illius exspectet.* Haec ille. Et sic patet, quod sciunt numerum electorum angeli et beati in verbo divino. Sed qui sint isti electi homines, non sciunt, nisi reveletur eis, usque quo homo sententiatur in morte. Ex omnibus ergo dictis claret, quod maximus est numerus electorum. O ergo Christiane, gaude et satage pervenire ad illorum gaudia beata. (F) Circa secundum de ordine sanctorum, scilicet in choris angelicis quaeritur, utrum ad singulos ordines angelorum fiat assumptio hominum salvandorum, et qualiter. Ad hoc respondetur secundum Bonaventuram super II. dist. IX. q. V. per conclusionem, quod sicut de singulis ordinibus angelorum aliqui ceciderunt, sic singuli ordines ex hominibus restaurabuntur, et sic ad singulos erit hominum assumptio. Unde super illud Iosue I. „Omnem locum, quem calcaverit pes vester, vester erit” 18 Glossa dicit: *Si diabolum vincere potuero, et meruero, ut eum Deus conterat sub pedibus meis, locum eius in caelo habebō.* Haec Glossa. Sed quia diabolus cecidit etiam de excellentissimo ordine, ergo homo ascendit etiam ad supremum ordinem, et per consequens ad alios. Sed qualiter et qui ad quem ordinem assumantur, Gregorius in homilia „Accesserunt ad Iesum publicani” edocet dicens: *Distinctae conversationes hominum – singulorum angelorum ordinibus congruunt, ut in eorum sortem per conversationis similitudinem deputentur.* Quia vero ut idem Gregorius in Pastoralis dicit: *Saepe mutat merita ordinum qualitas actionum, sic saepe aliquis in superiori ordine est inferior aliquo, qui est in minori ordine. Exemplum ponit idem de carbunculo, qui in natura gemmarum praefertur hyacintho, sed tamen hyacinthus caerulei coloris praefertur pallenti carbunculo, quod enim hyacintho subtrahit ordo naturae, species decoris adiungit, ut praefertur carbunculo, quem coloris qualitas foedat. Sic et in hominibus quidam in meliori ordine deteriores fiunt, et quidam in deteriori meliores.* Haec Gregorius. Propter haec non valemus nos in praesenti determinare omnimode, qui homines ad quos angelorum ordines perveniunt, nisi in generali coniecturando, scientes pro certo, quod diversitatem meritorum sequitur diversitas praemiorum secundum Gregorium et doctores. Et ideo homines infimi in meritis erunt in caelo cum infimis, medii cum mediis, supremi cum supremis angelis. (G) Contemplari ergo possumus secundum dicta doctorum, quod in infimo choro primo erunt communes homines, qui non aequiparantur angelis in gratiae et gloriae similitudine, ut supra dictum est de noviter baptizatis decentibus et in fine conversis et de multis communibus hominibus paucissimorum meritorum. Ab hoc choro excluduntur infideles et omnes in peccato morientes, quia damnantur. Chrysostomus de consecratione dist. IV. c. [„Non potest quis”]: *Non potest quis gratiam vitae caelestis accipere, nisi sit purgatus ab omni peccati sorde.* In secundo, scilicet in angelorum choro locabuntur, ut dicit Gregorius homilia, qua supra: *Qui parva capiunt, et in his etiam fratres aedificant, dum propriam personam bene secundum Deum regunt,* puta boni coniugati. In tertio, scilicet ordine Archangelorum, quorum est nunciare magna, ut ait Gregorius, erunt hi, qui maiora merita adquirent, et in bona vita proficiunt, ut sunt castitati viduali se mancipientes, magnas orationes et elemosynas facientes, solliciti alios admonentes. Item supra hos sunt quarto in ordine Virtutum secundum Gregorium, quorum est miracula facere, tales homines, qui mira virtutum exercitia operantur, ut sunt virgines, et qui ex merito sanctitatis miracula faciunt, Gregorius homilia, qua supra: *Sunt, qui mira faciunt signa, valenter operantur, hi ad virtutum numerum currunt.* Quinto inter Potestates, quorum est arcere daemones, locabuntur, qui de aliorum corporibus et animabus daemones et peccata expellunt verbo et exemplo, et artam viam eligunt, ut sunt boni religiosi. Sexto ad Principatum perveniunt, qui electis ex merito sanctitatis praesunt, et tales sunt boni praelati et principes et sancti confessores. Septimo ad Dominationes perveniunt, qui in se cunctis passionibus et desideriis ac vitiis dominaverunt secundum Gregorium, ut sunt martyres. Octavo in ordine Thronorum erunt hi, qui omnino spirituales sunt, et perfectissimi totaliter conversi ad Deum per tranquillitatem, qui hoc in munere acceperunt, ut iudicare recte possint de alicuius etiam factis et meritis, quorum mentibus velut in throno Dominus praesidens aliorum facta examinat, ut dicit Gregorius. Tales sunt sancti episcopi et cardinales, archiepiscopi et huiusmodi. Nono in ordine Cherubim, quod interpretatur ‘plenitudo sapientiae’, ordinantur illi, qui divina sapientia et cognitione voluntatis divinae pleni etiam alios illuminant et informant, ut sunt doctores sollemnesque praedicatores. Decimo ad Seraphim, quod interpretatur ‘ardens amore’, perveniunt, ut Gregorius dicit, illi, qui supernae contemplationis et amoris facibus accensi in solo Conditoris amore et desiderio ardent, et alios etiam verbo tangentes ardere in Dei amore faciunt, ut sunt apostolici ex officio, et alii sanctissimi, quia ut Dionysius De ecclesiastica hierarchia dicit: *Summo ordini in Ecclesia militante summus ordo competit in Ecclesia triumphante* etc. O ergo animae fideles, dicam verba Gregorii homilia, qua supra dicentis sic: *Videte, si in numero horum agminum sortem vestrae vocationis invenitis.* Nam vae animae, quae in se de his bonis nil recognoscit, eique vae deterius, quae se privatam bonis his intelligit, et nequaquam gemit. Quisquis talis est, fratres mei, gemendus est valde, quia non gemit, et peribit. (H) Circa tertium de plenitudine gaudiorum accipiamus pro conclusione, quod beati in caelo pleni sunt gaudiorum felicitate ex omni parte, quibus exsultabunt sine fine. Et claret breviter prosequens. Nam primo gaudium habent plenum de eo, quod est supra se, id est de visione clara deitatis et humanitatis Christi gloriosissimae. Bernardus:

*Plenum erit omni dulcedine videre Christum hominem et eius deitatem.* O quam felix regio, in qua ingrediuntur, scilicet ad visionem deitatis, et egrediuntur ad contemplationem humanitatis Christi, et utrobique pascua inveniunt. Secundo pleni erunt gaudio de eo, quod habebunt infra se, scilicet de mundo, qui post iudicium pulcherrime renovabitur, et de daemonibus prostratis. Et quia securi sunt de evasione poenarum infernalium. Ps.: *Laetabitur iustus cum viderit* etc. 19 Tertio pleni erunt gaudio ab ante, scilicet a caelo empyreo, quod est purissimum, amoenissimum et omni delectatione plenum. Bernardus: *O civitas caelestis, mansio segura, totum continens, quod delectat.* Quarto retro se, id est de praeteritis miseriis huius vitae. Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Ro. VIII. 20, scilicet pro praemio patientiae et laborum boni operis. Quinto pleni erunt gaudio in se, scilicet pro felicitate animae. Sexto iuxta se, scilicet pro gloria corporis et eius claritate, agilitate, impassibilitate, subtilitate. Septimo a dextris, scilicet de nobili societate ac familiaritate Beatae Mariae et omnium sanctorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum. Octavo a sinistris, quia ut dicit Augustinus: *Nullum malum ibi aderit, nullum bonum deerit.* Nono ab angelis, cum quibus laudabunt Deum, et regnabunt sine fine. Ps.: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* 21 Decimo a securitate perpetuitatis. Propterea canitur hodie: *O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti amicti stolis albis sequuntur Agnum*, id est Christum, *quocumque iverit.* O ergo carissimi, festinemus per poenitentiam ingredi ad illam beatam requiem, et oremus Christum, ut omnium sanctorum meritis perducatur nos ad illa ineffabilia gaudia beatorum, quod nobis praestet ipse dulcissimus Iesus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit in saecula saeculorum. Amen.

---

1 Ps 149,5 2 Mt 13,43 3 Mt 20,16 4 Mt 7,14 5 I Io 5,19 6 I Pt 4,18 7 Act 14,21 8 Ps 13,3; Ps 52,4 9 Ecl 1,15 10 I Io 5,19 11 Gn 15,1-2 12 Gn 15,5 13 Apc 7,4 14 15 Apc 7,9-10 15 Apc 7,9 16 Ps 14,5 17 Cf. Dt 32,8 18 Cf. Ios 1,3 19 Ps 57,11 20 Rm 8,28 21 Ps 83,5

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXXIV.] De omnibus sanctis Sermo tertius, scilicet de huius festi celebritate et copiosa sanctorum mercede *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Mat. V. 1 et in evangelio hodiernae sollemnitatis. (A) Si, carissimi, diligenter consideramus, merito hodie gaudere debet in Christo omnis Christianus, et laudes ac gratias Deo agere. Primo quia hodie Christus et sanctissima mater eius et omnes sancti angeli atque omnes beati in patria gaudent, et Deum laudant iucundissime pro sibi collatis beneficiis gloriae ineffabilis. Debemus ergo ut membra congaudere. Gaudent etiam pro honore, qui hodie exhibetur eis ab Ecclesia, non quia indigeant, sed ut pro nobis intercedendo et suffragia impetrando nos ad caelestem patriam ducere Deo bono praestante valeant. Nam et Hieronymus ait ad Vigilantium: *Si sancti adhuc in corpore constituti quando pro se debebant esse solliciti, orabant pro aliis, etiam inimicis, quanto magis post coronas, victorias et triumphos orant in patria, ubi charitas non est imminuta, sed augmentata.* Congaudendum est ergo ipsis, ut et nos charitatem ad illos habere ostendamus veraciter. Unde hortatur Apostolus Ro. XII.: *Charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praeventientes gaudete cum gaudentibus*, 2 scilicet sanctis. Secundo quia mercedem inenarrabilem pro bonis operibus cum sanctis sumus accepturi a Deo in caelesti patria. Hortatur ergo Ecclesia hodie nos ad gaudendum pluribus passibus officii, scilicet in introitu missae dicens: *Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore* etc. Item in epistola, ubi canit, quomodo omnes sancti Deum iubiloise in caelo laudant dicentes: *Salus Deo nostro, qui sedet super throno, et Agno*, 3 et plura talia. Denique potissime in evangelio iuxta verba dicta: *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Unde ex istis verbis tria mysteria notabimus pro hoc sermone ad honorem sanctorum. · Primum mysterium dicitur gaudiosae celebrationis, ibi: *Gaudete et exsultate* · Secundum dicitur copiosae acquisitionis, ibi: *Quoniam merces vestra copiosa* · Tertium dicitur gloriosae remunerationis, quia merces est in caelis (B) Circa primum de celebratione huius festi quaeritur: Quare Ecclesia instituit celebrandum festum omnium universaliter sanctorum? Ad quod respondetur, quod praecipue quadruplici ratione: · Prima accipitur ex parte Dei · Secunda ex parte sanctorum Christi · Tertia ex parte nostri · Quarta ex parte auxilii Prima ratio ex parte ipsius Dei, ut scilicet Deum verum, in cuius fide sancti omnes salvati sunt, recognoscamus, et idola falsorum deorum respuamus. Legitur enim, quod cum Romani universo orbi dominarentur, quoddam templum construxerunt in honorem omnium idolorum, quod vocaverunt Pantheon, a 'pan', quod est 'totum', et 'theos' 'deus', et sic sonat 'toti dii'. In huius templi medio suum idolum collocantes omnium provinciarum simulacra per circumitum statuerunt respicientia rectis vultibus ad idolum Romanorum. Si quando autem aliqua provincia rebellaret, continuo – ut aiunt arte diabolica – illius provinciae simulacrum idolo Romanorum terga vertebat innuens, quod ab eius dominio recessissent, et sic Romani statim illuc exercitum mittebant ad subiugandum. Tempore igitur Phocae imperatoris, dum iam Roma dudum fidem Domini receperat, Bonifacius papa impetravit hoc templum a caesare circa annos Domini DCV., et eliminata idolorum spurcicia consecravit ipsum in honore Beatae Virginis Mariae et omnium martyrum Christi. Quae ecclesia nunc Sancta Maria Rotunda a populo appellatur. Nondum enim confessorum sollemnia ab Ecclesia agebantur, sed postea quidem Gregorius papa instituit per universum mundum hunc diem dedicationis illius templi in honorem omnium sanctorum celebrari Kal. Novembris, ut hodie omnes sancti venerentur, et Deus in eis glorificaretur. (C) Ubi notandum, quod septem ordines sanctorum hodie celebrantur a fidelibus Christianis, sed per contrarium septem genera idolorum coluntur a malis Christianis, quibus universitas daemonum comprehenditur. Primo quidam hodie celebrant festum omnium angelorum, scilicet humiles Deum humiliter colentes, et contritionem de peccatis assumentes. Angeli enim sunt valde humiles, quia non dedignantur nobis servire miseris. Heb. I.: *Omnes sunt administratorii Spiritus* etc. 4 Sed contra hoc hodie festum Luciferi faciunt heu multi, scilicet omnes superbiam sectantes et vane se ornantes. Iob XLI.: *Ipse, scilicet diabolus, Lucifer est rex super omnes filios*

*superbiae.* 5 Secundo patriarcharum festum faciunt misericordes. Ecc. XLIV.: *Hi sunt viri misericordiae, hereditas sancta nepotum* etc. 6 Econtra avari faciunt festum Mammonae, de quo Mat. VI.: *Non potestis Deo servire* etc. 7 Tertio prophetarum festum faciunt orationi et devotioni insistentes. Econtra festum Beelphegor faciunt trufis et tabernis ac ludis se dantes. Nam Beelphegor interpretatur 'deus vetustatis'. Quarto apostolorum festum faciunt verbum Dei audientes. Econtra faciunt festum Beelzebub, quod interpretatur 'deus muscarum', detrahentes et aliis obloquentes. Quinto martyrum festum faciunt patientiam habentes. Econtra festum Satan, id est: adversarii faciunt iram tenentes. Sexto confessorum festum faciunt abstinentes et sobrii. Econtra Belial, quod interpretatur 'devorator', faciunt festum gulosi et ebriosi. Septimo virginum festum faciunt continentis et mundi. Econtra festum Asmodei faciunt luxuriosi, qui per hoc vitium occidit luxuriosos, ut patet Tob. VI.: *Qui Deum a sua mente excludunt et libidini vacant, super hos daemon Asmodeus habet potestatem.* 8 O ergo homo, stude hodie sanctos colere, non diabolum. Unde Hieronymus: *Totiens diabolo genuflectimus, quotiens peccamus.* Secunda ratio, scilicet quia hodie celebratur festum omnium sanctorum, accipitur ex parte sanctorum Christi, quia omnes debemus honorare. Et quia sunt multi, nec sufficimus omnibus specialia festa exhibere, ideo Ecclesia omnes hodie communiter honorat. Nimirum ut Hieronymus in Epistola ad Heliodorum et Chromatium dicit: *Nullus dies est per annum, qui infra numerum quinque milium martyrum reperiri possit ascriptus excepto die Kalendarum Ianuarii. Nam illo die Romani neminem interfici praeceperant, eo quod esset prima dies anni Iano, qui fuit primus rex Italiae, dedicata. Et quia tunc consules permutabant, ideo illi diei deferebant.* Cum ergo solummodo martyrum numerus tantus sit et adhuc plus, quid est de confessoribus et virginibus, patriarchis et prophetis? Unde omnes universaliter hodie colimus. Tertia ratio ex parte nostri. Nos enim multorum sanctorum festa specialia negligenter celebramus, ideo hodie per devotionem supplemus. Unde Rabanus dicit: *Decretum est, ut hodie sanctorum omnium memoria habeatur, ut quidquid humana fragilitas per ignorantiam vel negligentiam seu per occupationem saecularium rerum omisit, hac die solvatur.* Sed dices: Nonne sufficit ergo aliis sanctorum festis dimissis et vigiliis hoc solum festum colere et vigiliam eius ieiunare? Respondetur, quod non sufficit ad salutem, sed oportet, quod et illa festa specialia et vigilias, quae sub praecepto sunt, observemus. Si tamen quis deliquit, poenitentiam veram agat cum proposito de cetero cavendi a peccatis et observandi omnia praecepta, et sic satisfacere potest. Bernardus: *Vere poenitens id, quod perdidit de tempore, restaurare poterit bono opere.* Quarta ratio ex parte auxilii, ut scilicet per sanctorum intercessionem adiuvemur coram Deo ad exaudiendum in omni petitione, et subveniendum in omni necessitate et indigentia, ac ad consequendam gratiam et gloriam tandem caelestem. Nam Hieronymus dicit, quod impossibile est preces multorum non exaudiri, et ideo hodie omnes honoramus, ut omnes intercedant pro nobis, propter quod in collecta hodierna canitur sic: *Omnipotens sempiternae Deus, qui nos omnium sanctorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris,* et sic omnes sanctos honoramus, ut per eos iuvemur ad salutem aeternam. (D) Sed hic quaeritur: Utrum praedestinatio iuvet precibus sanctorum ita scilicet, quod qui non esset de numero praedestinatorum, per preces efficiatur sanctorum de electorum numero, ad id breviter respondetur secundum doctores super I. dist. XL., quod in praedestinatione divina duo includuntur. Unum est ipsa Dei praecognitio et praeordinatio ad gratiam et gloriam. Et hoc non iuvatur precibus sanctorum, quia infallibilis est Dei cognitio et invariabilis ordinatio, quantum est ex parte Dei, qui dicit Ioh. XIII.: *Ego scio, quos elegerim.* 9 Et Augustinus in li. De correptione 10 et gratia dicit: *Certus est numerus electorum, qui non potest minui, nec augeri.* Aliud est in praedestinatione effectus ipsius praedestinationis, qui est collatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro, et hoc iuvatur orationibus sanctorum impleturque. Nam ut Bonaventura ubi supra super I. dicit, quod in praedestinatione, si loquamur de certitudine a parte rei, scilicet hominis, non est – inquit – maior certitudo in numero electorum, quam sit in numero aliorum futurorum contingentium, quia pendet eventus nostrae salutis et damnationis ex nostri arbitrii libertate. Si autem loquamur de certitudine a parte Dei praecognoscentis, sic est certus eventus salutis nostrae. Unde patet, quod ex parte hominis iuvatur praedestinatio precibus sanctorum, qui impetrant hominibus gratiam et gloriam. Si dicas: Et quomodo erit mutatio talis in divina praedestinatione, respondetur secundum Bonaventuram ubi supra, quod nulla est ex parte Dei et eius diffinitionis, licet fiat ex parte hominis secundum reputationem praesentis iustitiae. Non enim est certitudo necessitatis impositae in praedestinatione, licet sit certitudo infallibilis in cognitione divina. Sicut exempli gratia: Cum ego video illum facere rotam, mea visio est certa de hoc, quod vere facit rotam, sed tamen ille non necessario facit rotam, et potest, ut non faciat. Propterea secundum eundem Bonaventuram numerus praedestinatorum potest esse maior vel minor, et praesciti possunt de salvandorum numero esse, quantum est ex parte hominum secundum praesentem iustitiam. O ergo quam stulti sunt, qui dicunt: Quare debeo bene facere, cum Dei praedestinatio non mutetur, sed si praevitit me salvandum, salvabor, si damnandum, utique damnabor, quidquid faciam. Nam Bonaventura dicit ibidem, quod stultorum est hoc argumentum, sicut si diceretur: Deus te praedestinavit, utrum tu debeas vivere cras an non, ad quid ergo comedis et bibis etc.? O ergo homo, audi Augustinum super Iohannem dicentem: *Si non es praedestinatus, fac ut praedestineris. Si non traheris, ora, ut traharis.* Nam et Gregorius XXIII. q. IV. „Obtineri” dicit, quod praedestinatio ita est a Deo disposita, ut ad eam electi meritis et precibus perveniant. Et ad id sunt plura exempla. Unum est de Paulo, de quo dicit Augustinus, quod Ecclesia Paulum apostolum non habuisset, si pro eo Stephanus non orasset. Item de Traiano, quem Gregorius oratione liberavit, et multis aliis. Multum ergo est utile sanctos invocare. (E) Circa secundum de copiosa acquisitione a Deo quaeritur propter simpliciores de modis, qualibus scilicet modis sancti Dei adquisierunt regnum caeleste, et intrarunt ac possiderunt illud. Hoc enim nobis est utile, ut sciamus sanctorum exemplo consimiliter acquirere et habere. Ad quod respondetur, quod sicut Iohannes Apoca. XXI. 11 dicit se vidisse in civitate caelesti portas duodecim ornatas lapidibus pretiosis, sic duodecim modi describuntur, quibus homo potest acquirere et intrare regnum caeleste pro copiosa beatitudinis possessione. Nam ab oriente sunt tres portae regni caelestis. Prima porta est adhaesionis fidei. Adoptatur enim homo in filium Dei per fidem Christi, iuxta illud Ioh. I.: *Quotquot autem receperunt eum,* id est: Christum per fidem, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in eum.* 12 Nam hereditas aliqua etiam secundum iura



devolvitur ad adoptatos, ff. de adoptis l. ulti. Et sic homo quandoque regnum acquirit vel hereditatem. Sic in proposito hoc modo adquirunt regnum caeleste omnes Christiani fideles et sancti, quia omnes sunt adoptati a Deo in filios et a Christo in fratres. Si tamen vivunt, ut Christiani deberent. Unde orando dicunt: *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur* etc. Secunda porta est bonae operationis et spei. Athanasius in Symbolo: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, et qui mala egerunt, ibunt in ignem aeternam*, quia ut scribit Iaco. II.: *Fides sine operibus mortua est*. 13 Hoc modo adquisierunt patriarchae, de quibus dicit Bernardus in quodam sermone: *Multi ante Salvatoris adventum Deum omnipotentem credentes, suae salutis gratissimum promissorem cernentes et in promissione fidelem, sperantes certissimum redemptorem in hac spei expectatione salvati sunt*, scilicet colendo Deum operibus bonis. Hoc modo ius habent in regno caelorum, qui bonis operibus, quae faciunt in spe divinae retributionis, aedificant ibi sibi castra et domos, sicut qui suis sumptibus fabricat sibi palatium. Tertia porta conservationis mandati, Matth. XIX.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. 14 Per hanc intraverunt prophetae et sancti veteris legis. Istaes sunt tres portae ab oriente, quia per haec habet in nobis ortum beatitudinis adquisitio, scilicet per fidem, spem et oboedientiam mandatorum, qua homo acquirit regnum iure compactionis et promissionis divinae. Item aliae tres portae subsequuntur a meridie. Quarta est dilectionis, scilicet Dei et proximi, Lucae X.: *Quid faciendo vitam aeternam possidebo? Et respondit Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et proximum sicut teipsum. Haec fac et vives*. 15 Per hanc intraverunt apostoli, qui charitate pleni mundo salutem praedicaverunt. Nam tales iure hereditario habent regnum caeleste. Rom. VIII.: *Sumus filii Dei*, 16 scilicet per charitatem, quod si filii, et heredes et coheredes Christi. Quinta est expositionis sui, scilicet per mortem pro amore Christi, Apoca. II.: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae*. 17 Hoc modo adquisierunt martyres, et possident iure belli et victoriae. Matth. XI.: *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*. 18 Sexta est: fuga saeculi vel contemptus mundi. Matth. XIX.: *Vade et vende omnia, quae habes, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in caelo*. 19 Sic adquirunt religiosi confessores iure commutationis. Istaes tres portae a meridie dicuntur, quia in eis claret fervens amor Dei, sicut in meridie fervor est solis. Sequuntur aliae tres portae ab aquilone et in ordine. Septima porta est gratitudinis in patientia adversi. Lucae ca. XXI.: *In patientia vestra possidebitis animas* etc. 20 Item Heb. XII.: *Per patientiam curramus ad propositum certamen*. 21 Hoc modo adquisierunt sancti confessores multi. Unde et Act. XIV.: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. 22 Et sic possidetur regnum caelorum iure testamenti vel legationis, quia Christus praecipue fecit in morte testamentum pacis dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, scilicet in testamento, Ioh. XIV. 23 Praecipue autem deberent sic acquirere principes et militares, qui etiam per bella pacem deberent quaerere, ut dicit Augustinus XXIII. q. I. „Noli”. Octava est humanitatis miserendi, Matth. XXV.: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum. Esurivi enim, et dedistis manducare* etc. 24 Per hanc intraverunt sancti coniugati, confessores et alii multi. Tales possident regnum iure emptionis et venerationis, Augustinus De doctrina Christiana: *Miser homo, qui feneraris homini. Fenerare Deo, et centuplum accipies, et vitam aeternam possidebis. Da tectum, et accipe caelum, da elemosynam, et accipe patriam beatam*. Item Petrus Ravennas: *Ecce Dominus regnum suum vendit, et ut quilibet emere valeat, ipsum pro fragmento panis exponit*. Haec ille. Nona est incoinquinationis casti propositi, Math. XIX.: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum*. 25 Per hanc intrant virgines et viduae iure desponsationis a Christo. Unde canitur de eis: *Veni, sponsa Christi, accipe coronam* etc. Sequitur: de portis occidentis, id est: mortis. Decima porta est laboris perseverandi. Unde Mat. XXIV.: *Qui perseveraverit usque in finem* etc. 26 Per hanc intrare habent omnes electi communiter iure lucri bravii. Bernardus in epistola: *Licet omnes virtutes currant, sola tamen perseverantia accipit bravium*. Undecima porta mortis Christi et meriti alieni. Per quam intrant parvuli baptizati, Marci ultimo: *Qui baptizatus fuerit, salvus erit*. 27 Et isti habent caelum iure gratuita donationis liberalis, quia non in propriis meritis, sed alienis salvantur. Duodecima est poenitentiae pro hora finali, Matth. III.: *Poenitentiam agite, appropinquabit regnum caelorum*. 28 Per hanc intravit latro, cui dictum est: *Hodie mecum eris in Paradiso*. 29 Et per hanc intrant poenitentes in extremis. (F) Sed quo iure tales possident regnum caelorum, non possumus dicere, quod ius aliud habeant, nisi fraudis more et rapinae? Nam ut dicitur ff. de actionibus empti et venditi l. „Julianus”: *Fraus est, quando quod quis erat venditurus, ego per dolum induxi, ut illud minori pretio mihi venderet*. Sic ergo magni peccatores solum in fine poenitentes fraude furantur et rapiunt caelum quodammodo, quia minori pretio, scilicet poenitentia modici temporis adquirunt. Nam bonus et misericors Deus ut omnes possit salvare, permittit scienter se in hoc fraudari ex misericordia infinita, unde Ambrosius dicit: *Aggrediantur peccatores saltem more latronum et furum, ut spolient Dominum, et auferant regnum et vitam aeternam*. Sed ille tam dives et largus est, ut non abnuat, non resistat, qui cum omnia dederit, nihilominus omnia possidebit. Sed de hoc peccatores non praesumant, sed quantocius poeniteant, quia ut de poenitentia dist. VII. in principio Augustinus dicit, quod in extremis poenitentibus licet poenitentiam dare possimus, securitatem tamen dare non possumus. Tene ergo, quod certum est, et age poenitentiam, dum sanus es. Ecce, carissimi, patet, quam copiosus est Deus in dando caelum hominibus. (G) Circa tertium de remuneratione gloriae caelestis quaeritur, unde vel ex quibus conditionibus merces caelestis reputatur ineffabiliter gloriosa et commendabilis. Ad quod secundum Scripturas et doctores respondetur, quod ex quattuor conditionibus praecipuis. Primo quia certa celeritate redditur, quia hoc ipse Deus ineffabilis charitatis repromisit. Unde Apoc. XXII.: *Haec verba fidelissima et vera sunt*. 30 Et infra: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, et qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Ecce venio cito, et merces mea mecum reddere unicuique secundum opera*. 31 Nam revera cito veniet, scilicet statim post mortem et indubitanter. Secundo quia opulenta pace tenebitur. Isa. XXXII.: *Sedebit, id est: quiescet populus meus in pulchritudine pacis et in requie opulenta*. 32 (H) Sed quaeritur: Quare in caelo inter tam multos sanctos non potest esse discordia? Respondetur, quia discordiam faciunt tria, quae non habent locum in caelo. Unum est voluntatis dissidia vel discrepantia. Secundum est superbia, Prover. III.: *Inter superbos semper iurgia sunt*. 33 Tertium est invidia. Sed in caelo erunt omnes concordēs voluntati divinae unanimiter. Ps.: *Qui habitare facit unanimes in domo*. 34 Nec in caelo erit superbia. Ps.: *Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam*. 35 Denique ibi ut ait Augustinus super Iohannem, non erit aliqua invidia disparis claritatis, sed sempiterna regnat

charitas, ergo non potest discordia esse. Tertio quia nimia felicitate dotabitur. Bernardus: *Mercēs sanctorum est tam magna, quod non potest mensurari, tam multa, quod non potest numerari, tam pretiosa, quod non potest extimari, et tam copiosa, quod non potest finire.* Quarto quia durabiliter sine diminutione perpetuo possidebitur, Sap. V.: *Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est mercēs eorum.* 36 Unde Augustinus de utilitate poenitentiae dicit: *Festinate illuc, festinate, scilicet o Christiani carissimi, ubi semper vivatis. Si ista vita fluida diligitur, quanto magis ubi ferventer et semper sancti in Deo laetantur?* Bernardus: *O beata mercēs Deum videre in se, in nobis et nos in ipso felici iucunditate!* O ergo homo, quid torpes exardescere in desiderio vitae aeternae, ubi est omne bonum sine fine? Quod nobis Christus concedat etc. Amen.

---

1 Mt 5,12 2 Rm 12,10-15 3 Apc 7,10 4 Hbr 1,14 5 Cf. Iob 41,25 6 Cf. Sir 44,10-12 7 Mt 6,24 8 Cf. Tb 6,17 9 Ioh 13,18 10 Editio: *correctione* 11 Apc 21,11-12 12 Ioh 1,11 13 Iac 2,26 14 Mt 19,17 15 Lc 10,25-28 16 Rm 8,16 17 Apc 2,10 18 Mt 11,12 19 Mt 19,21 20 Lc 21,19 21 Hbr 12,1 22 Act 14,21 23 Ioh 14,27 24 Mt 25,34-35 25 Mt 19,12 26 Mt 24,12 27 Mc 16,16 28 Mt 3,2 29 Lc 23,43 30 Apc 22,6 31 Apc 22,11-12 32 Is 32,18 33 Prv 13,10 34 Cf. Ps 112,8 35 Cf. Ps 100,7 36 Sap 5,16

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXXV.] De omnibus sanctis Sermo quartus, scilicet de sanctitatis imitatione et beatitudinibus, quae in evangelio leguntur *Elegit nos Deus in Christo, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate.* Eph. I. 1, et ad laudem huius festivitatis. (A) Sicut docet Sacra Scriptura, sancti Dei multum gaudent et gloriantur. Primo de divina electione. Idcirco Apostolus ubi supra dicit: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo.* 2 Lyra: *id est quae finaliter habebitur in caelo per Christum. Sicut – inquit – elegit nos Deus, scilicet ex omnibus hominibus mundi periclitantibus, et hoc maius est, quam elegisse in regem terrenum.* Secundo gaudent sancti et gloriantur de conscientiae puritate et animae sanctitate, II. Cor. I.: *Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae.* 3 Ideo Apostolus in themate subdit, ad quid Deus sanctos elegit, dicens: *ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius.* Tertio gaudent de gratiae divinae dulcedine, quae habetur in charitate Christi Iesu. Ideo addit: *in charitate.* Sed quoniam hodie omnium sanctorum festum celebramus, ut ipsos venerando imitari conemur in sanctitate. Nam ut ait Chrysostomus super Matth.: *Frustra sanctos colit, qui eorum sanctitatem spernit imitari.* Idcirco in themate isto hortamur, ut noverimus nos a Deo fore electos in Christianos, quatenus exemplo sanctorum simus sancti et immaculati, id est a peccatis mundi et in charitate vera Dei et proximi, quatenus sic ad eorum gloriam et gaudium pervenire valeamus. Dicit ergo Apostolus: *Elegit nos Deus in Christo, ut essemus sancti* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone: · Primum de sanctitatis imitatione, ibi: *Ut essemus sancti* · Secundum de sanctitatis cognitione, quod sequitur ad primum articulum · Tertium de sanctitatis beatificatione, scilicet de conspectu Dei in patria (B) Circa primum de imitatione beatorum in sanctitate ut melius clarescat, qualiter debeamus hoc facere, quaeruntur tria: · Primo, quid est sanctitas · Secundo, per quae acquiritur sanctitas · Tertio, qualiter conservatur sanctitas Primo ergo quaeritur, quid sit sanctitas. Ad quod respondet Dionysius De divinis nominibus c. XII.: *Sanctitas est, quae ab omni peccato est libera et perfecta puritas.* Declaratur, quia *sanctus dicitur quasi sanguine tinctus* secundum Catholicon, et hoc de veteri consuetudine, eo quod in veteri lege omnia mundabantur in sanguine, et sic consecrabantur. Sic modo quicumque a peccatis mundatur et consecratur sive in baptismo, sive in poenitentia et aliis sacramentis, non nisi per sanguinis Christi meritum mundatur et sanctificatur, ut sit sanctus. Ex quibus patet primo, quod nullus hominum potest esse sanctus, nisi in fide Christi, cuius sanguinis merito sanctificantur, quicumque mundantur. Secundo patet, quod homo etiam in fide Christi existens non potest esse sanctus, nisi vivat sic, quod absteineat se a peccatis pure et munde. Tertio sequitur, quod si quis peccaverit, per poenitentiam et alia sacramenta in fide et virtute sanguinis Christi sanctificari poterit. Unde I. Ioh. II.: *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis, sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 4 Haec ibi. (C) Secundo quaeritur, per quae potest quis effici sanctus. Ad hoc respondet Chrysostomus super Matth. dicens: *Tria faciunt sanctum: a peccatis munditia, Spiritus Sancti praesentia, operis boni affluentia.* Primum ergo est efficiens hominem sanctum munditia a peccatis. Unde II. Cor. VII.: *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus perficientes sanctificationem nostram in timore Dei.* 5 O ergo peccator, hoc pro certo tene, quod quamdiu in peccato iaces, non potes esse sanctus, sed in statu es damnationis. Exemplum videmus in omni re naturali, quod purum et mundum ascendit superius, et immundum ac vile descendere habet inferius, patet de caelo, quod est mundum et superius, et de terra, quae est immunda, et ideo infimum locum tenet. Item in aqua, quae superius est, clara et munda, inferius lutosa. Item in dolio vinum superius est clarum et mundum, in fundo habet faeces. Sic in proposito homo mundus a peccato habet ascendere sursum, scilicet in caelum, sed peccator habet descendere in Infernum, Iob XXI.: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad Inferna descendunt* etc. 6 Secundum est, quod efficit sanctum, Spiritus Sancti praesentia, sine quo non est gratuita charitas in homine. Unde Rom. V.: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum* etc. 7 Sed sine vera et gratuita charitate non potest quis esse sanctus, I. Cor. XIII.: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut etc., et si fidem habuero ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero* etc. 8 Tertium est bonorum operum affluentia, quia scribitur Iaco. II.: *Fides sine operibus mortua est in semetipsa.* 9 Item Gregorius: *Amor Dei non potest esse otiosus, operatur enim magna, si est, si vero operari renuit, amor non est.* Et sic patet propositum. (D) Tertio quaeritur, qualiter acquisita sanctitas conservetur. Nam sicut thesaurum acquirere et perdere parum valet, sic et sanctitatem. Respondetur ergo, quod quattuor sunt sanctitatis conservativa. Primum est carnis mortificatio, I. Cor. IX.: *Castigo corpus meum, et in servitum redigo, ne cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* 10

Sicut enim carnes putrescunt, nisi bene saliantur, sic in proposito, nisi caro diligenter mortificetur. Nam Iac. I.: *Unusquisque temptatur a concupiscentia sua* etc. 11 Secundum conservativum sanctitatis est occasionum peccati devitatio, sicut est mulierum societas, aspectus, auditus et sensuum irrefrenatio. Augustinus: *Temptationi subiacet, cui femina est coniuncta*. Idem: *Crede mihi, episcopus sum, et non mentior: Cedros Libani vidi corruisse per feminam*. Item Bernardus: *Mors intrat per fenestras nostras, si sensus exteriores sollicitate non custodiuntur*. Tertium est devota oratio, Mat. XXVI.: *Vigilate et orate, ut non intretis in temptationem* etc. 12 O ergo homo, adverte, quam ferventes fuerunt sancti circa sui custodiam, et tu imitari eos stude. Quartum conservativum est assidua crucis Christi cogitatio. Isidorus: *Nil tam efficax medicamentum contra omnia vitia, sicut passionis Christi memoria*. (E) Circa secundum principale de sanctitatis cognitione quaeritur, qualibus signis cognosci potest perfecta sanctitas in homine. Respondetur secundum doctores, quod triplex est differentia signorum. Primo quaedam sunt signa, quae tantummodo ostendunt sanctum, sed non faciunt, ut miracula. Gregorius: *Miracula sanctum ostendunt, sed non faciunt*. Nam hoc est etiam malorum, ut patet de Antichristo et aliis, de quibus Matth. VII. Christus dicit: *Multi dicent mihi: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et daemones eiecimus, et virtutes multas fecimus? Et confitebor illis, quia numquam novi vos*. 13 Ubi nota secundum Ludolphum, quod miracula quandoque fiunt ex merito invocantis nomen Domini, quandoque ex merito illius, super quem invocatur, quandoque nec ex huius, nec ex illius merito, sed ob utilitatem assistentium, ut videntes Deum honorent, et virtus Christi ostendatur, quandoque autem ad damnationem invocantis, scilicet quando ex hoc ille in elationem et vanam gloriam extollitur, vel aliquo alio vitio occasionaliter nocent facienti miracula, vel etiam aliis, qui ex hoc obcaecantur, ut videntes non videant. Non mireris ergo, si quandoque iniqui prophetent aut miracula faciant, quia istae sunt gratiae gratis datae, et ideo dantur principaliter ad utilitatem Ecclesiae, etiam per malos, sicut dominus elemosynam per malum servum quandoque facit. Secundo quaedam signa licet non ostendant, tamen efficiunt sanctum, ut sunt intima opera virtutis et gratiae, scilicet fides, humilitas, munditia, charitas, patientia et aliae virtutes interiores, quae etsi sanctum reddunt hominem vere, non tamen ostendunt, quia ab hominibus talia deridentur, Iob XII.: *Deridetur iusti simplicitas*. 14 Gregorius in *Moralibus*: *Ab huius mundi sapientibus puritas, mansuetudo et simplicitas et humilitas reputatur fatuitas, quia reprobi abominantes talia fatuitatem putant, quae iusti Deo grata offerunt*. Tertio quaedam sunt signa, quae sanctum faciunt hominem simul et ostendunt, ut sunt exteriora opera virtutum. Et talia praecipua sunt septem signa perfectae sanctitatis. (F) Primum signum arduorum operum exercitatio praecipue in pietate misericordiae ad proximum. Nam I. Tim. IV. dicitur: *Exerce te ad pietatem*. 15 Corporalis enim exercitatio ad modicum utilis est, scilicet ad repressionem concupiscentiae, quae reprimitur per ieiunia, vigiliis et huiusmodi, quia modicam potestatem habet concupiscentia in perfectis, eo quod est repressa ex bono virtutis exercitio, nec permittitur regnare in eorum corpore. Sequitur ibidem: *Pietas autem ad omnia utilis est* (scilicet quia disponit hominem et ad se et ad proximum optime), *promissionem habens vitae, quae nunc est, id est gratiae (et futurae)*, 16 id est gloriae. Haec Lyra. Secundum signum benigna in adversis toleratio et gratiarum actio. Unde Gregorius: *Ego – inquit – patientiam veram in adversis praefero quibusvis miraculis, etiam si mortuos quis suscitaret, unde et in canonizatione sanctorum fit inquisitio maxima et vis de patientia cum charitate, ut patet per Hieronymum I. q. I. „Vide quantum”, VII. q. I. „Omnis qui”*. Hinc etiam Bernardus in libro de interna conversatione: *Sine patientia non sunt multum ponderanda merita*. Tertium est charitatis inflammatio, scilicet in moriendo et vivendo cum Christo. Augustinus De natura et gratia: *Charitas nascitur, nata nutritur, nutrita roboratur, roborata perficitur, quae cum perfecta fuerit, dicit: Cupio dissolvi et esse cum Christo*. Haec ille. Quartum est despectus mundi et divinarum delectatio. Unde sanctum in Graeco dicitur agios, id est sine terra, quia ille verus sanctus est, qui nil terrenum cupit, sed in solo Deo delectatur, ut ait Dionysius De divinis nominibus. Augustinus: *Venenum charitatis est cupiditas*. Quintum signum est excessus mentis ex amore divino. Nam Dionysius dicit: *Est exstasim faciens divinus amor non dimittens sui ipsorum amatores esse, sed ipsius Dei*. Sextum est fletus uberius in sancto desiderio. Augustinus: *Quanto quisque est sanctior et sancti desiderii plenior, tanto fit in eius oratione fletus uberius*. Et sic patet. Septimum est gratiarum facilis impetratio. Ps.: *Voluntatem timentium se faciet scilicet Deus, et deprecationem eorum exaudiet*. 17 Haec sunt signa praecipua et perfectae sanctitatis. Conemur itaque, carissimi, et si non valeamus esse perfecti, tamen pro modulo nostro satagamus imitari et ipsorum intercessionibus exorare, ut per eorum merita salvemur. (G) Circa tertium de beatificatione scilicet sanctorum accipiamus hanc quaestionem, qualiter homo debeat imitari sanctos in ipsis beatitudinibus, quas Salvator ponit et Ecclesia legit in hodierno evangelio expressius. Ad quod omittendo causa brevitatis multa, quae de hoc scribuntur in sermonibus, sufficiat breviter notare, quod ut dicitur Matth. V., diversae sunt beatitudines sanctorum et eorum merita ac praemia correspondentia, secundum quas promisit nobis Christus regni caelestis vitam beatam. Quam promissionem in morte sua confirmavit per testamentum. Unde Ps.: *Disposui testamentum electis meis*. 18 Per has ergo beatitudines observantes sancti possident vitam beatam diversis ordinibus et imitando sanctos, nos quoque acquirere et possidere poterimus per easdem. O devota anima, eleva mentem ad contemplandum ordines omnium sanctorum et beatam illam caelestem curiam. Primo quidem in supremo ordine in caelo est Sancta Trinitas personarum divinarum, scilicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus Deus omnipotens, quem hodie debemus maxima devotione adorare et collaudare in sanctis suis, quia ipse est creator, redemptor et glorificator omnium electorum suorum. Unde Rabanus, sicut legitur in lectione hodierna, dicit: *Nunc ergo, fratres carissimi, in omnium primordiis sanctorum nobis nominare, laudare et glorificare condecet Deum, qui cunctos condidit sanctos, per quem omnia facta sunt, cuius maiestas nec incipit, nec desinit in saeculum*. Secundo ordine post Deum super omnes angelos et beatos consistit Beata Virgo Maria, domina omnium creaturarum, et ideo hodie ipsa summe est honoranda, quia est regina et domina angelorum et hominum, mater Dei et spiritualis mater Christianorum, advocata saeculi, mater gratiae et misericordiae. Unde canit Ecclesia: *Maria mater gratiae* etc., *in hora mortis suscipe*, ut sciamus, quod non nisi per ipsam salutem habere possumus. Tertio est ordo angelorum per distinctionem novem chororum, qui etiam in hodierna sollemnitate sunt multum honorandi, quia sunt nostri custodes et in caelum ductores, orationum nostrarum praesentatores, de salute nostra congaudentes, teste



Salvatore Lucae XV.: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore* etc. 19 Isti omnes beatificati sunt per charitatem et amorem divinum, ergo qui vult beatificari cum angelis, adhaereat Deo et Christo per amorem. Unde Anselmus de similitudinibus dicit: *O charitas, quam magnum est vinculum tuum, quod non solum angelos Deo, sed Deum et hominem mirabiliter copulasti, Deum ad terram traxisti, ad columnam ligasti, cruci affixisti, sepulchro clausisti, et ad Inferos attraxisti. Quis, inquam, fecit haec omnia, nisi amor salutis nostrae? O graviores saxo et plumbo, quos tanti amoris vinculum non trahit sursum ad Deum, ex quo prius traxit Deum deorsum ad homines.* Quarto ordine super alios sanctos consistit coetus apostolorum, quia ut Dionysius De ecclesiastica hierarchia dicit: *Gradus apostolicus est supremus, utpote Christo vicinissimus in Ecclesia militante, sicut et Seraphim in Ecclesia triumphante.* Istis promisit et legavit Christus regnum caelorum per primam beatitudinem, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* 20 Isti enim fuerunt primi, qui propter Christum omnia reliquerunt. Et nos ergo debemus ipsos in hoc imitari, si volumus ad eorum beatitudinem pervenire, et debemus ipsos hodie honorare et invocare, quia per eos sumus in fide Christi plantati et edocti ad salutem. (H) Quaeritur: Qualiter debeat et teneatur Christianus hanc beatitudinem habere, scilicet paupertatem spiritus. Respondetur secundum doctores, quod tripliciter. Uno modo Deum humiliter timendo, Chrysostomus in homilia: *Pauperes spiritu dicuntur humiles et formidantes Dei iussiones.* Secundo nil mundi aequae Deo diligendo vel contra praeceptum Dei cupiendo. Ps.: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere,* 21 scilicet per affectum amoris. Hieronymus: *Pauperes spiritu sunt non qui rebus tantum, sed voluntate sunt pauperes.* Sunt enim quidam pauperes Deo, et non mundo, sicut David rex et alii sancti divites, qui inter divitias spiritum habent paupertatis, cum eis per amorem non haerent. Alii autem sunt pauperes mundo, et non Deo, ut qui nil habentes cupiunt libenter habere, sicut sunt fures et latrones. Tertio autem modo perfectissimo pauperes spiritu sunt amore Christi omnia mundana relinquentes, sicut apostoli et religiosi, sed hoc est perfectionis, ad quod non tenentur communes Christiani, I. q. II. „Sacerdos”. Quinto ordine sunt agmina patriarcharum, quibus Christus legavit regnum caelorum per secundam beatitudinem, dicens: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* 22 Nam mitis est, qui non resistit malo, scilicet per impatientiam, sed vincit in bono malum, ut dicit Augustinus, scilicet refrenando passiones irae secundum dictamen rationis et divinae legis. Sic fecerunt patriarchae, ut patet de Noe in fabricatione arcae, de Abraham in peregrinatione, de Isaac in immolatione, de Iacob in persecutione ipsius Esau, de Ioseph in venditione. Qui ergo vult beatificari cum patriarchis, studeat esse mitis. Augustinus: *Rixantur immites pro regno terreno. Beati autem mites, quoniam ipsi possidebunt terram viventium, de qua expelli non poterunt.* Sexto est ordo prophetarum, quibus Christus legavit caelum per tertiam beatitudinem, dicens: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* 23 Nam prophetae luctum habuerunt pro peccatis populi, ut patet de Moyse Exo. XXXII., de Isaia ca. LXI., de Ieremia ca. IX., de Daniele ca. X. Qui ergo luctum pro peccatis propriis et alienis faciunt, cum prophetis beatificabuntur. Septimo ordo martyrum, quibus legavit Christus caelum per beatitudinem patientiae, dicens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* 24 Fac et tu, homo, similiter. Octavo est ordo confessorum, quibus legavit Christus caelum per beatitudinem, dicens: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* 25 Nam confessores tanto desiderio fervebant ad iustitiam omnis virtutis et probitatis, quod merito canitur de eorum unoquoque sic: *Qui pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit et quietus, vita dum praesens vegetavit eius corporis artus.* Honora ergo eos imitando, ut sis in numero eorum. Nono est ordo virginum, quibus legavit Christus beatitudinem munditiae, dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 26 Debemus ergo eos honorare hodie et imitari in castitate. Decimo ordo religiosorum, quibus Christus legavit in testamento beatitudinem pacis in conscientia, dicens: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* 27 Nam religiosorum est esse in omnimoda pace conscientiae, et etiam alios ad pacem reducere, quia ipsi sunt in claustris tamquam in caelesti Paradiso, ubi pax summa viget et laus semper divina. Unde Gregorius: *Quid est pax ista transitoria, nisi quiddam vestigium pacis aeternae.* In hoc debemus imitari eosdem, quia ubi pax, ibi Deus. Bernardus: *Sicut in pace factus est locus Dei, sic in discordia locus diaboli.* Undecimo est ordo viduarum et coniugatorum, quibus Christus legavit caelum per beatitudinem misericordiae, dicens: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 28 O ergo homo, exhibe misericordiam esurientes alendo, peregrinos suscipiendo etc., ut tibi Deus misereatur. Duodecimo est ordo omnium electorum, quibus Christus testamentum legavit, ut servent fidem formatam charitate inviolatam in omni adversitate, quoniam post enumerationem octo beatitudinum concludit dicens sic: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint, dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* 29 Accedamus ergo, carissimi, et humiliter genu flexo rogemus Dominum Iesum, ut per merita omnium sanctorum suorum, praecipue Beatae Matris suae, ac passionis et sanguinis ipsius Christi det nobis haec servare in praesenti, et tandem feliciter regnare in caelo cum beatis sine fine. Amen.

---

1 Eph 1,4 2 Eph 1,3 3 II Cor 1,12 4 I Io 2,1-2 5 II Cor 7,1 6 Iob 21,13 7 Rm 5,5 8 II Cor 12,1-2 9 Iac 2,26  
 10 I Cor 8,27 11 Iac 1,14 12 Mt 26,41 13 Mt 7,22-23 14 Iob 12,4 15 I Tim 4,7 16 I Tim 4,8 17 Ps 144,19 18  
 Ps 88,4 19 Lc 15,10 20 Mt 5,3 21 Ps 61,11 22 Mt 5,4 23 Mt 5,5 24 Mt 5,10 25 Mt 5,6 26 Mt 5,8 27 Mt 5,9  
 28 Mt 5,7 29 Mt 5,11-12



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXXVI.] In commemoratione defunctorum Sermo primus de utilitate pietatis in defunctos *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* II. Machab. XII. 1 (A) Sancta Ecclesia post festum omnium sanctorum feliciter regnantium cum Christo in caelesti regno hodie celebrat diem commemorationis omnium defunctorum, ut scilicet liberentur a Purgatorio, et evolent ad regnandum etiam ipsi cum sanctis, et hoc est valde sanctum et piissimum, ut per

suffragia pro eis facta a peccatis solvantur. Nam mortuorum quidam sunt, qui solvi a peccatis nequeunt, sicut damnati, unde pro illis non est orandum. Augustinus: *Si scirem patrem meum in Inferno, non plus orarem pro eo, quam pro diabolo.* Alii autem sunt a peccatis omnino soluti, ut sunt beati in caelo, et pro illis etiam non est orandum, quia Augustinus dicit: *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre, cum potius debemus nos illius orationi commendare.* Sed alii sunt, qui nondum sunt soluti, sed possunt solvi a peccatis, ut sunt animae in Purgatorio, et de istis accipitur et canitur in epistola verbum propositum, scilicet: *Sancta et salubris est cogitatio* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notemus pro hoc sermone: · Primum dicitur saluberrimae inductionis, ibi: *Sancta et salubris est* etc. · Secundum dicitur certissimae agnitionis, scilicet exorationis pro defunctis · Tertium dicitur utilissimae subventionis, quia per hoc a peccatis solvantur (B) Circa primum de inductione saluberrima ad pietatem exhibendam defunctorum notandum pro conclusione, quod quilibet fidelis debet magna devotione pietatem exhibere defunctis. Et ad id inducunt praecipue quinque rationes: · Prima ratio accipitur ex Scriptura Sacra · Secunda ex amicitia vera · Tertia ex poena acerbissima · Quarta ex indigentia maxima · Quinta ex efficacia saluberrima Prima ratio ex Scriptura Sacra. Omnis enim scriptura Veteris et Novi Testamenti hortatur nos ad pietatem exhibendam defunctis et subveniendum eisdem. De hoc etiam promittendo magna bona. Nam Eccli. VII. scribitur: *Mortuo non prohibeas gratiam, non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. Ex his enim in dilectione firmaberis.* 2 Haec ibi. Item Eccli. III.: *Elemosyna patris tui non erit in oblivione, et pro peccato matris restituatur tibi bonum.* 3 Ubi Lyra dicit, quod filii tenentur parentibus non solum vivis, sed etiam defunctis. Ideo dicit: *Elemosyna patris, id est pro anima patris data non erit in oblivione, scilicet coram Deo.* Nam *pro peccato matris, id est pro elemosyna ad remissionem peccati matris data restituatur tibi bonum meritorium.* Ideo subditur: *In iustitia aedificabitur tibi et in die tribulationis, id est mortis commemorabitur tui, et sicut in sereno glacies solventur peccata tua.* 4 Ecce patent plura bona promissa pro pietate defunctis exhibenda, scilicet meritum vitae aeternae, mors bona et remissio peccatorum et firmatio in Dei dilectione. Propter quod commendatur Iudas Machabaeus, qui misit duodecim milia drachmas argenti Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum. *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut patet in themate.* Ex quo patet, quod errant, qui dicunt, quod avaritia sacerdotum excogitavit commemorationes defunctorum, cum utriusque Testamenti Scriptura ad misericordiam nos hortetur. Unde et Mat. V. Christus dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 5 Ambrosius: *Sola misericordia comes est defunctorum.* Hinc est, quod Ecclesia statuit de celebratione missae c. „Cum creatura”, scilicet quod nulla missa debeat celebrari, quin defunctorum in ea fiat memoria, quoniam ut Beda dicit: *Indignus est Domini suffragio, qui defunctorum fuerit immemor in hoc saeculo.* Idem Haymo super Apoc. dicit. Secunda ratio ex amicitia vera accipitur, quia Gregorius dicit, quod lex verae amicitiae est, ut qui diligit in prosperitate, scilicet huius vitae, diligit et in adversitate, et etiam post mortem, iuxta illud Prover. XVII.: *Omni tempore diligit, qui amicus est et frater in angustiis comprobatur.* 6 Unde qui non subvenit post mortem amico, probatur non vere illum dilexisse, I. Ioh. III.: *Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Patris manet in eo, non diligamur verbo, neque lingua, sed opere et veritate* etc. 7 Hinc Fontinus de mutabilitate rerum dicit: *Qui fingit amicitiam, peior est illo, qui fabricat falsam monetam.* Sic in proposito, quia ille in rebus, iste in anima fraudat. (C) Sed tales audiant super se venturum iudicium Dei, quia ut ait Haymo super Apoc.: *Iusto Dei iudicio sine misericordia se subicit, qui defunctorum, praecipue amicorum immemor fuerit, quoniam ut scribitur Iac. II.: Iudicium sine misericordia fit illi, qui non facit misericordiam.* 8 Ad id exemplum legitur de quodam monacho, qui cum obiisset, multas missas, officia et psalteria fratres secundum morem pro eo dixerunt. Post hoc apparuit cuidam fratri, et conquestus est, quod esset in magnis poenis, nec iuvaretur a fratribus. Cui frater respondit: „Quam multa officia pro te fecimus, numquid illa tibi profuerunt?” Qui respondit: „Dum ego vivebam, multorum aliorum officia mortuorum, quibus tenebar, neglexi perorare, et ideo divino iudicio omnia haec, quae pro me fecistis, illi acceperunt, quibus tenebar, et sic ego privatus sum.” Tertia ratio ex poena acerbissima, quia secundum Thomam et Albertum aliosque: In operibus misericordiae citius est succurrendum illis, qui sunt in maioribus poenis. Et quia animae in Purgatorio sunt in maximis poenis, plus quam si omnes carbones huius mundi in unum collecti essent, et in medio eorum quis vivens cruciaretur, quia ut Augustinus dicit, et patet etiam dist. XXV. „Qui in aliud”: *Ignis Purgatorii miro modo gravis est, superat enim omnem poenam, quam quique martyres vel malefactores passi sunt vel pati potuerunt.* Unde gravius est esse in Purgatorio ad ictum oculi, quam tota die in igne maximo et craticula assari. Ideo Augustinus: *Qui Purgatorium petit, nescit, quid petit.* Sed de acerbitate poenae eius alibi latius agemus, ergo debemus misereri animarum. Quarta ratio ex indigentia maxima. Nam Augustinus dicit: *Magna pietas est illos iuvare, qui se iuvare non possunt.* Sed ipsae animae in Purgatorio sunt tam pauperes et indigentes, quod in nullo se possint iuvare, neque per intellectum vel sapientiam, neque per proprias operationes. Eccli. IX.: *Quodcumque potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia est apud Inferos.* 9 Lyra: scilicet ad merendum, quia non sunt in statu meriti vel demeriti, licet sit sapientia et scientia quoad aliud. Item non possunt se iuvare ex rebus exterioribus, quia omnia dimiserunt in morte. Ps.: *Relinquent alienis divitias suas* etc. 10 Ideo versus: *Da tua, dum tua sunt, quia post mortem tua non sunt.* (D) Sed numquid animae in Purgatorio possunt se iuvare oratione propria, cum enim sint in gratia, cur non exaudiuntur in oratione? Respondetur secundum Richardum in IV. dist. XLV. q. ultima ar. paenultimo, quod oratio existentium in Purgatorio non prodest eis ad augmentum gratiae, nec gloriae, quia quoad hoc sunt totaliter extra statum impetrandi aliquid pro se, sed quantum ad mitigationem poenae suae et abbreviationem prodest eis. Si dicas: sic a poena statim liberarentur, respondetur, quod hoc non sequitur, quia ipsi hoc non petunt, sed divinae misericordiae supplicant, ut secundum beneplacitum suum misereatur eorum, et sic exaudiuntur. Unde quidam raptus vidit animas in Purgatorio „Salve regina” depromere. Et sic patet indigentia. Quinta ratio ex efficacia salvifica, quia multas utilitates efficit pietas exhibita defunctis, de quibus III. ar. sermonis dicemus. (E) Circa secundum de certa agnitione, scilicet quomodo scire possunt defuncti, quando quis eis benefacit, quaeritur, utrum omnes animae defunctorum in Purgatorio existentium cognoscant pietatis beneficia exhibita a nobis in operibus suffragiorum et orationum. Ratio quaestionis est, quia

Isa. LXIII. scribitur: *Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.* 11 Super quo Glossa dicit: *Mortui etiam sancti nesciunt, quid agant vivi, etiam eorum filii.* Item Augustinus li. De cura pro mortuis agenda dicit: *Ibi sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, quaeque aguntur aut eveniunt in ista vita hominibus.* Sed contra hoc est, quia animae omnes de suffragio pro quolibet facto in Purgatorio existente gaudent et congratulantur ex charitate, ut creditur ab omnibus doctoribus, et praecipue patet per verba Hieronymi de consecratione dist. V.: *Non mediocriter, sed non gauderent, nisi cognoscerent,* ergo etc. Ad haec respondetur secundum Richardum super IV. dist. XLV. q. VII. ar. I., quod animae in Purgatorio cognoscunt orationes et suffragia, quae eis porrigimus, non tamen naturali sua virtute, nec in verbo divino, eo quod nondum sunt beatae, ut probat ratio in obiectione praedicta, tamen utique ut congratulentur et consolentur, habent cognitionem de his et quibusdam aliis, quae hic geruntur, praecipue per quinque, secundum quod colligitur a doctoribus. Primo quidem per divinam inspirationem. Sicut enim sancti homines in hoc saeculo quandoque cognoscunt aliqua futura vel superna secreta ex divina inspiratione, quod a se scire non possunt, neque ab aliquo didicerunt, sic et illae sanctae animae in Purgatorio. Unde legitur in Apiario, quod quidam defunctus fuit resuscitatus per quendam sanctum, et referebat se vidisse, quod quaedam anima in Purgatorio, quam adhuc in ista vita prius noverat in corpore existentem, cum gravissime torqueretur maximo igne circumdata, subito exsultando exclamavit dicens: „Eia misericordissime, Deo gratias tibi ago, quod non in finem oblitus es mei.” Quam alia anima consors in poena interrogavit, unde talis exsultatio sibi foret in talibus poenis, respondit: „Ecce a Domino datum est mihi scire, quod hodie natus est puer in genealogia mea, qui postquam ad virilem aetatem veniret, presbyter efficietur, in cuius prima missa ab istis poenis ego liberabor.” Et sic patet, quod Deus inspirat illis. Secundo per angelicam revelationem, quia angeli, scilicet custodes earum animarum saepe eas visitant et exhortantur ad patientiam, et dicunt eis determinate, quid faciunt pro eis aliqui, et revelant eis quandoque terminum poenae, et in hoc valde consolantur, sicut legitur, quod angelus Tob. V. dixit: *Forti animo esto, in proximo est, ut cureris.* 12 Tertio per morientium denuo intimationem. Nam animae in Purgatorio sunt in maxima ad invicem charitate, plus quam in hoc mundo, nec est inter eas odium vel invidia, quia sunt in gratia, non sicut in Inferno, ubi est summa ira et odium. Ideoque in Purgatorio una aliam ex charitate consolatur, et sic quando anima alicuius noti decedit ex hoc saeculo, intimat illi animae in Purgatorio prius existenti facta pro ea suffragia. Probantur praedicta per Augustinum XIII. q. II. „Fatendum” dicentem sic: *Fatendum est nescire quidem mortuos, quid hic agatur, dum hic agitur. Postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quae sinuntur etiam isti meminisse, et quae illos, quibus haec indicantur, oportet audire, possunt et ab angelis, qui rebus, quae hic aguntur, praesto sunt audire aliquid mortui.* Haec Augustinus. Quarto per experientiae cognitionem, quia quando aliquid pro mortuo fit, experitur sibi poenam alleviari, ut volunt communiter doctores. (F) Sed magister Henricus de Hassia dicit, quod *acerbitas ex hoc non mitigatur, sed solum fit eis quoddam refrigerium. Verbi gratia: Sicut si quis portat grave pondus, et aliquis praestet ei haustum aquae frigidae vel vini, levius videtur portare, licet sit idem pondus. Sic et in Purgatorio animabus alleviatur poena per nostra suffragia, tamen huius poenae duratio abbreviatur, licet acerbitas non mitigetur, quia cum animae in Purgatorio summe appetunt Deum beatifice videre, propterea ergo magis eligerent acrius pati, ut eo citius ad Deum venirent.* Haec secundum Henricum. Sed prima opinio est communior. Sic ergo ex allevatione poenae cognoscunt, quod aliquid fit pro eis, sed tamen quis hoc facit, nesciunt ex se, sed per revelationem, ut patuit. Quinto per liberationem, quia cum ipsae animae liberantur, sciunt, per suffragia quorum liberatae sunt. Conveniens est enim, ut innotescat eis, a quibus et quae suffragia sint eis facta, ut postquam assumuntur in gloriam, suis suffragatoribus impendant orando et intercedendo apud Deum pro illis. Non enim possibile est, quod ingratitude vel quodcumque vitium locum habeat in beatis. Sed si non rependerent illis suffragatoribus, esset ingratitude, ergo etc. (G) Quaeritur: Quid si aliquis facit suffragium aliquod pro anima defuncti, quem numquam vidit aut novit in hoc saeculo, an anima potest eum cognoscere in Purgatorio? Respondetur secundum doctores, quod anima quamdiu stat in Purgatorio, non cognoscit eum determinate, sicut eos, quos in hoc saeculo noverat, nihilominus anima regratiatur eidem et desiderat eum agnoscere, et diligit eum ac orat pro eo. Sed postquam liberata fuerit et in caelum assumpta, tunc cognoscat in verbo divino omnes benefactores suos determinate, quos etiam numquam viderat, et regratiatur ac intercedit pro illis. O ergo homo, vide ex his, quam bonum, sanctum et salubre est pietatem exhibere defunctis. (H) Circa tertium de utilitate subventionis scilicet ipsis defunctis in Purgatorio existentibus inquirendum restat, quales utilitates et qualia bona salvifica acquirit homo pietates defunctis exhibendo. Ad quod respondetur, quod praecipue septem, ut patet secundum ordinem alphabeti: Prima est amorosa acceptatio, scilicet coram Deo, quia ut Bonaventura dicit in IV. dist. XLV.: *His ex causis duabus valde orandum est pro mortuis, scilicet propter eorum necessitatem, et propter Dei voluntatem, qua sibi multum complacet, ut unum membrum relevet aliud. Sumus autem omnes invicem membra,* ad Ro. XII. 13 Et quia placet Deo, si iuvamus aliquem pauperem hic, de quo dubium est, utrum sit in gratia, existentes autem in Purgatorio sunt eiusdem capitibus, scilicet Christi membra in charitate certitudinaliter et gratia viventes, ergo sequitur, quod capiti Christo multum acceptum est et placitum, ut iuvemus illos tamquam membra nobis in Christo coniuncta. Nonne caput nostrum regratiatur et acceptum habet, si manus pedem iuvat aut liberat a carcere atque compedibus? Sic in proposito Christus resalutat in iudicio, quod scilicet impendimus animabus in Purgatorio, dicens illud Mat. XXV.: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* 14 Econtra consimiliter improperebit contra non facientes. Secunda utilitas est beatorum omnium laetificatio, quia beatorum omnium angelorum et sanctorum gloria accidentaliter accrescit et gaudium in liberatis et associatis suis concivibus, pro quibus liberandis et ipsi semper orant ex charitate. Unde cum tu animam liberaveris, omnes beatos laetificas, et tibi regratiantur, non solum illa anima liberata, sed et omnes beati et angeli in iudicio pro felicitatis augmento secundum doctores. Tertia est consolatio, scilicet omnium existentium in Purgatorio, quia pro quolibet subsidio facto pro quacumque anima in Purgatorio existente omnes congaudent et consolantur ibi existentes in charitate, ut supra dictum est secundum Richardum. Et ideo omnes ibi existentes orant pro isto, qui facit aliquod suffragium alicui eorum. (I) Si dicas: Numquid prodest nobis vivis oratio illorum, scilicet in Purgatorio existentium pro nobis fusa. Respondet



Richardus super IV. dist. XLV. q. paenultima ar. ultimo, quod earum orationes prosunt multis vivis et omnibus, nisi sit impedimentum ex parte nostra, sicut et oratio sanctorum patrum in limbo proderat filiis Israel vivis, ut patet II. Machab. ultimo de oratione Ieremiae, qui tunc in limbo fuit. Et certe cum sint confirmati in gratia hi, qui sunt in Purgatorio, plus ergo valet eorum pro nobis oratio, quam sanctorum, qui adhuc sunt in isto mundo. Quarta est defensatio. Nam Petrus Cluniacensis ait, 15 ut patet in communi Legenda, quod cum quidam sacerdos quotidie de mortuis celebraret, apud episcopum accusatus, est suspensus ab officio. Cum autem episcopus in magna sollemnitate per coemeterium transiret, contra illum mortui surrexerunt dicentes: „Iste episcopus nullas missas nobis dat, insuper sacerdotem nostrum nobis abstulit, sed certe nisi emendaverit, morietur.” Qui sacerdotem absolvit, et ipse libenter pro mortuis de cetero celebravit. Item ibidem refert Cantor Parisiensis, quod quidam dum per coemeterium transiret, semper pro defunctis orabat, qui dum ab inimicis per coemeterium fugiens insequeretur, continuo mortui insurgentes inimicos fugarunt et illum defenderunt. Ex quo significatur, quod defendunt in mortis iudicio iuxta illud Ps.: *Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem in die* etc. 16 Quinta est exoratio. Unde Richardus de Sancto Victore: *Animae ereptae de Purgatorio dum assunt caelesti gaudio, miro modo reinterpellant exorando pro his, qui eis subvenerunt in hoc saeculo, Deus enim eis nil negat, qui sunt in caelo.* Hinc Augustinus in sermone dicit: *Orate pro defunctis, ut cum fuerint in vita aeterna, pro vobis orent.* Exemplum: Si regi capto benefaceres in carcere, tandem dum rediret in regnum, tibi recompensaret. (K) Sexta est fructus redundatio. Quaeritur namque, utrum suffragia facta pro defunctis prosint ipsi facienti. Respondetur secundum Thomam in IV. dist. XLV., quod opus suffragii quod sit pro defunctis, potest dupliciter considerari. Uno modo prout est expiativum poenae, et hoc modo recompensativo est eius, pro quo fit. Alio modo in quantum est meritorium vitae aeternae, quod habet, in quantum procedit ex radice charitatis, et sic prodest magis facienti. Unde secundum Damascenum: *Quemadmodum unguento circumlinire volens primo ille liniens participat unctionem, deinde infirmus perunctus.* Sic in proposito. Ambrosius: *Omne, quod defunctis impenditur, totum ad salutem nostram refertur, ut impleatur illud Ps.: Oratio mea in sinu meo convertetur.* 17 Hinc ibidem Damascenus, scilicet sermone de his, qui in fide dormierunt, subdit: *Quicumque pro proximi salute agonizat, primum ipse sibi prodest, deinde proximo.* Et sic patet utilitas magna. Septima est gratiae divinae et misericordiae ac tandem gloriae acquisitio. Unde Augustinus: *Si vis, homo, ut tui misereatur Deus, fac ut proximo misereatur. Eadem enim mensura, qua mensi fueritis, remetiretur vobis,* Luc. VI. 18 O ergo homo, ecce ex praemissis patet, quoniam sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, et praecipue hodie pietatem illis exhibere subveniundo, quia multos et generaliter omnes potest homo hodie liberare propter subsidia Ecclesiae, quae hodie exhibentur. Legitur namque in Promptuario Discipuli, quod prior quidam ordinis praedicatorum cum in die animarum deberet praedicare de animabus, de nocte apparuit sibi quidam frater mortuus, quem interrogavit, ubi esset, et quare sibi apparuisset, respondit: „Ego sum iste frater tibi bene notus, missus de Purgatorio ex divina voluntate, ut dicam vobis, quod hodie in praedicatione de mortuis inductus populum ad hoc, ut devotius se habeant ad defunctos, quia Deus hodie est facturus eis magnam misericordiam propter suffragia devotius exhibita, ita quod exhibunt hodie de Purgatorio usque ad quindecim milia animarum.” Et hanc visionem praedicator ille prior in publico coram omnibus narravit. O ergo carissimi, omnes hortor viros et mulieres, facite hodie devote suffragia defunctis, ut et illos liberetis, et vobis gratiam, misericordiam et omne bonum a Christo mereri valeatis.

---

1 II Mcc 12,46 2 Sir 7,37-39 3 Sir 3,15-16 4 Sir 3,17 5 Mt 5,7 6 Prv 17,17 7 I Io 3,17-18 8 Iac 2,13 9 Ecl 9,10 10 Ps 48,11 11 Cf. Is 63,16 12 Tb 5,13 13 Cf. Rm 12,4-5; Eph 4,25 14 Mt 25,40 15 Ex editione Hagenau 1500: *ait* 16 Ps 40,2 17 Ps 34,13 18 Lc 6,38

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXXVII.] In commemoratione defunctorum Sermo secundus scilicet de sepultura et exsequiis *Fili, in mortuum produc lacrimas, et ne despicias sepulturam illius.* Ecc. XXXVIII. 1 (A) Ubi secundum Lyram inducit nos Scriptura ad fletum et compassionem super mortuis, quorum hodie festum vel dies agitur. Merito autem quilibet fidelis ad id hortatur, quia hoc est unum et praecipuum opus misericordiae, de quo etiam commendatur sanctus Tobias, scilicet de sepultura mortuorum, et Abraham, et sancti Christum sepelientes. Item animae mortuorum, scilicet in Purgatorio existentes sunt in poenis maximis, et indigent relevari vel adiuvari per vivos. Debemus ergo eis compati et misericordiam exhibere sepeliendo, exsequias celebrando et suffragia impendendo, sicut membrum unum compatitur alteri membro in poenis posito. *Sumus autem invicem membra,* I. Cor. XII. 2 Unde et Ro. XII. hortatur Apostolus dicens: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus,* 3 quod dicit: Sicut heri gaudendum erat cum beatis pro eorum gloria, sic hodie flendum est, scilicet per compassionem cum flentibus in Purgatorio. Ideo hortatur Scriptura in praedictis verbis dicens: *Fili, in mortuum* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone: · Primum de exsequiarum lugubritate, quia dicitur: *Fili, in mortuum produc lacrimas* · Secundum de sepulturarum salubritate, ibi: *Ne despicias sepulturam* · Tertium de oblagiorum celebritate, quod sequitur ex praedictis (B) Circa primum de exsequiis scilicet lugubribus mortuorum aliquae quaestiones occurrunt. Prima quaestio de lugubri Ecclesiae cultu, cur Ecclesia exsequias mortuorum lugubriter celebrat. Ratio huius quaestionis est ista, quoniam Apostolus I. Thess. IV. dicit: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus.* 4 Lyra: id est de defunctis, qui dormiunt somno mortis, ut *non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent,* scilicet resurrectionis futurae, et sic credunt illi defunctos periisse totaliter, et propter hoc habent occasionem lugendi eos. Non sic autem nos Christiani, qui habemus spem resurgendi, ergo non deberent exsequiae lugubriter celebrari in Ecclesia. Sed ad haec secundum Lyram et doctores respondetur, quod Apostolus non monet nos, ut de mortuis caris non contristemur, quia necesse est, ut contristemur, sed ut inconsolabiliter non contristemur, ut patet ibidem in

Glossa. Convenienter ergo Ecclesia luget mortuos in sua celebritate, quia primo nescitur, an ad Infernum vel Purgatorium aut caelum transierunt, Ecces. IX.: *Omnia in futurum servantur incerta*. 5 Secundo quia per hoc docemur, quam lugendum sit et malum ipsum peccatum, scilicet originale, et per consequens actuale, cum per illud omnes in eadem morimur, I. Cor. III. Tertio quia per hoc fideles provocantur ad pietatis exhibitionem ex consideratione, quod sunt in statu lugubri, utpote in acerbissimis poenis et carentia visionis divinae, ad tempus scilicet quousque satisfactio expleatur, iuxta illud Matth. XIII.: *Non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem*. 6 O ergo homo, recogita haec in celebritate ista, et age poenitentiam de peccatis tuis, ne venias in illa tormenta, atque subveni defunctis. (C) Secunda quaestio de fletus modo, scilicet cur moderare debeat se Christianus in mortui cari fletu, ne inconsolabiliter illum defleat. Respondetur, quod plures sunt rationes ad id moventes. Prima ratio ex parte voluntatis divinae, quia voluntati divinae omnes tenemur conformari et parere. Non ergo debes dolere, quod ille paruit suo Creatori, qui voluit eum transferre de mundo. Unde omnes oramus *Pater noster*, etc., *fiat voluntas tua, sicut in caelo* etc. Secunda ratio ex parte decedentis animae, quia talis a debito suo iam liberata est, ad quod tenebatur, id est a debito mortis, et ideo potius gaudere debes, quod a tam magna obligatione est soluta, quam si teneretur in vita, sicut congauderis amico de oneroso fenore liberato. Tertia ratio ex parte mercedis adeptae, quia talis finito cursu laboris huius vitae, quo fatigabatur quasi in exsulatu, adeptus est mercedem felicitatis perpetuae, liberatus a carcere huius exsili. Unde Iob XIV.: *Breves dies hominis sunt* etc., *donec optata venient, et sicut mercennarii dies eius*. 7 Propterea Augustinus li. De visitatione infirmorum dicit, quod *homo potius deberet gaudere de morte cari sui, sicut si sciret eum de carcere sublimatum ad dignitatem regiam*. Quarta ratio ex parte resurrectionis futurae, ut dicit Apostolus ubi supra in obiectione, scilicet I. Thess. IV.: *Nolumus vos ignorare fratres* etc. 8 Unde Ecclesia canit dicens: *Deus, cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius resuscitanda in novissimo die*, ergo etc. (D) Tertia quaestio de luctus profectu vel nocimento, scilicet utrum lugere mortuos prosit an noceat defunctis ipsis vel etiam lugentibus vivis. Ad quod respondetur secundum doctores, quod diversi diversis ex causis flent super defunctis. Quidam propter terrenum damnum, quia in illis habuerunt spem prosperitatis consequendae, quam per illorum mortem amiserunt, et talium fletus in nullo prodest mortuis aut etiam sibiipsis, quia deflent proprium commodum temporale. Quidam flent propter illicitam causam, puta quia ille mortuus fuit eis delectabilis in aliquo malo, scilicet carnalitate vel prosperatione alienorum bonorum. Et hoc nocet, quia Albertus Magnus super „Missus est” dicit, quod *si damnatus, scilicet quis in inferno per malam vitam suam fuit causa mali in aliquo vivente, tunc in Inferno totiens crescit vermis damnati in poenis, quotiens crescit hic, et dilatatur in alios malum, quos involvit*. In hoc sensu Augustinus dicit, quod *ignoratur poena Aarii, quia nescitur, quot eius errore sunt subvertendi*. Haec Albertus. Ex quo patet, quod temperandus est dolor oriens ex huiusmodi causa illicita, hoc enim nocet mortuo, quia crescit eius poena, si damnatus est, eo quod fuit causa et occasio peccandi in vivente, nocet etiam viventi talis fletus propter pravam delectationem vel propter affectum prosperitatis malae, scilicet de alienis rebus, quia haec sunt peccata damnabilia, quidam autem flent ex vera charitate super mortuo, puta quia timetur illius damnatio vel poena, sicut flevit David super Absalom interfecto in peccato, vel quia communitati utilis fuit ille, aut paci aut iustis et pauperibus. Et iste luctus prodest mortuis in Purgatorio existentibus ad mitigationem poenae, quia procedit ex charitate et compassione, et facit orationes fieri et suffragia pro mortuo. Unde in themata dicitur: *Fili, in mortuum produc lacrimas*, scilicet charitatis et compassionis. Nam et Christus flevit super Lazarum mortuum Ioh. XI. Quidam autem flent super mortuo propter naturalem pietatis affectum, sicut pater vel mater, frater et soror ac amicus. Et talis fletus cum sit naturalis, nec est meritorius, nec demeritorius, quia ut dicit Philosophus II. Ethicorum: *Propter ea, quae insunt nobis a natura, nec laudamur, nec vituperamur*. Erit tamen talis fletus vitiosus, si fuerit nimius et inconsolabilis. Qui enim nimium tristantur super mortuis, peccant in suam animam, quia peccato tali occidunt eam, II. Cor. VII.: *Tristitia saeculi mortem operatur*. 9 Lyra: id est tristitia de bono saeculari peccatum facit. Item tales peccant in corpus proprium ipsum destruendo, et in proximum ipsum scandalizando, et in animam mortui ipsam suffragiis privando, ut patet in his, qui prae tristitia nihil devote orare possunt pro mortuis. Ad id exemplum ponit Thomas Brabantinus de apibus libro De bono universali, quod cum mater primogenitum mortuum inconsolabiliter fleret, una die apparuerunt sibi iuvenes plurimi in via laetissime gradientes, inter quos suum filium non videns flere amplius coepit. Et tandem post alios lento gressu vidit filium in toga magnum pondus aquae portare, et interrogatus a matre, quid haec vellent, respondit: „Aequae sunt lacrimae, quas pro me inaniter fudisti, et me liberare non procurasti, converte ista in missas et elemosynas, in orationes aliaque misericordiae opera, et liberabor.” (E) Circa secundum principale de sepulturae salubritate tres quaestiones sufficiat declarare. Prima quaestio de vivis, utrum proficiat vivis sepultura mortuorum. Ad quod respondetur secundum Richardum in IV. dist. XLV. ar. VII. q. I., quod sepultura corporum prodest vivis sepelientibus et aliis propter tria. Primo propter astruendam resurrectionem et eius fidem, quia ut Augustinus libro De cura pro mortuis agenda dicit, tale opus, scilicet sepulturae fidem resurrectionis futurae astruit, et hoc patet tam in gestibus, quam in orationibus, quae fiunt in sepulturis Christianorum, quibus damnatur error infidelium. Secundo propter amovendum horrorem et dolorem, quia per hoc praeservatur aer ab infectione cadaverum, qua vivorum corpora possent infici, et doloris materia subtrahitur. Unde Quintilianus li. V. Declamationum dicit: *Ad operiendam foeditatem subtrahendamque dolori materiam mortuorum viventium causa sepelitur*. Tertio propter meritorum acquisitionem, ut illa sepelientes per tale opus misericordiae mereantur. Unde Augustinus li. I. De civitate Dei et ubi supra: *Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse teste angelo commendatur*. Item laudatur Abraham de pietate, qua sepelivit Saram mortuam in Hebron, Gen. XXIII. Sic sancti Veteris Testamenti, ut Iacob et Ioseph mandarunt filiis Israel de sepultura sua et ossibus transferendis, scilicet ad terram promissionis, quia fidem habuerunt de resurrectione Christi, cum quo multa corpora sanctorum crediderunt resurrectura, ut dicit Lyra. Spem ergo resurrectionis habentes, cum Christo volebant sepeliri in terra sancta. Sic et multi alii sancti commendantur de pietate sepulturae etiam in Novo Testamento, ut Nicodemus, Ioseph et sanctae mulieres, quae in sepultura Christi pietatem exhibuerunt. Item sancta Elisabeth et multae tales in historiis de sepultura commendantur. Item etiam apud infideles commendantur. Narrat Valerius li. I. in rubrica

de somniis, qualiter Simonides 10 poeta peregre vadens cum navis, in qua erat, applicuisset ad litus, et corpus inhumatum iacens vidisset, sepulturae mandavit. Ecce autem nocte sibi apparuit is, qui sepultus fuerat, et monuit eum in somniis, ne proximo die navigaret, remansit ergo ille in terra. Alii vero navigantes inde fluctibus et procellis absorpti sunt. Unde patet, quod utilis est ipsa sepultura. (F) Secunda quaestio de mortuis, scilicet utrum prosit mortuis, scilicet aliquid purgabile habentibus suorum corporum ecclesiastica sepultura. Ad hoc respondet Richardus ubi supra q. I., quod non prodest per se, sed per accidens. Et hoc triplici ratione. Primo propter intuentium excitationem, scilicet in quantum inspicientes sepulchra memoriam retinent defunctorum, et pro eis orant. Unde Augustinus li. De cura pro mortuis dicit: *Monumentum eo quod moneat mentem, id est admoneat, nuncupatur*. Secundo propter sanctorum denotionem. Credendum est enim, quod sancti illi, ad quorum honorem fabricata est ecclesia, orant pro his, qui sepeliuntur in illa vel eius coemeterio. Vide XIII. q. I. „Non extimemus”, Augustinus dicit, quod vero quisquam apud memorias martyrum sepeliatur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum martyrum patrocinio, affectio pro illo supplicationis augeatur. Tertio propter ministrorum Ecclesiae orationem, quia illi, qui Ecclesiae deserviunt, tenentur ceteris paribus pro illis frequentius et specialius orare, ergo etc. Haec secundum Richardum. (G) Tertia quaestio de impiis, scilicet utrum obsit vel prosit in peccato mortali decedentibus ecclesiastica sepultura. Respondetur secundum Richardum ubi supra, quod non nocet, nisi in quantum hanc sibi indignam propter humanam gloriam procuravit, et sic intelligendum est, quod scribit Augustinus XIII. q. II. „Quibus”, scilicet quod impiis nocet sepeliri in loco sacro. Et ibidem c. „Cum gravia” Gregorius ait: *Quos peccata gravia deprimunt, ad maiorem cumulum damnationis potius, quam ad absolutionem eorum corpora in ecclesiis ponuntur*. Haec ibi. Unde non debent sepeliri in sacro loco prohibiti secundum iura, ut sunt infideles et omnes in torneamento morientes. Item quicumque seipsos occidunt, scilicet ex desperatione vel ira et huiusmodi, secus si ex fatuitate et huiusmodi. Nam Bernardus dicit extra de sepul. c. „Ex parte”, quod si quis propter fugam praecipitaret se in aqua, quia inde sic credebat evadere, non imputatur ei, etiam si contrarium eveniat. Item negatur sepultura ei, de quo certum est et manifestum non fuisse confessum vel non communicasse ad minus semel in anno, ut de pe. et re. c. „Omnis”. Et hoc intellige, nisi in articulo mortis signa contritionis ostendat et emendationis. Item negatur blasphemis Dei et sanctorum, si moriantur sine poenitentia, extra de maledicis in fine. Et negatur generaliter omnibus notoriis peccatoribus, si moriantur absque poenitentia, XIII. q. III. „Non extimemus”. Item omnibus excommunicatis. Talibus enim nocet sepeliri in loco sacro propter indignitatem. Ad quod refert Gregorius in IV. Dialogorum exempla. Unum est, quod quaedam religiosa, quae fuit continens carne, sed detractionis et stultiloquii plena, in ecclesia cum esset sepulta, vidit in nocte custos multitudinem daemonum, qui eius corpus extrahentes ante altare diviserunt cingulo tenus, et partem superiorem cremaverunt, partem inferiorem reliquerunt. Aliud est, quod Valentinus Mediolanensis ecclesiae defensor lubricae vitae in ecclesia sepultus est, eadem nocte ad vocem tracti hominis et trahentium custodes occurrentes viderunt duos terribissimos spiritus per pedes Valentinum ligatum (ipso graviter clamante de proprio sepulchro) extra ecclesiam trahere, mane surgentes reppererunt Valentinum non intra ecclesiam, sed extra in sepulchro alieno proiectum. Tertium est, quod Valerianus patricius Brixianus in senio lubricae vixerat, et ab episcopo eiusdem civitatis sepultus est in ecclesia beati Faustini martyris, nocte eadem sequenti sanctus Faustinus apparens dixit: „Vade, dic episcopo, ut foetentes has carnes eiciat, alias die tertia morietur.” Cumque ille timeret prima die et sequenti visionem dicere episcopo, ecce die tertia episcopus incolumis lectum intrans exspiravit. Haec Gregorius. Haec de sepulturis sufficiant populo praedicari. O ergo peccator, poenitentiam age, quia si in peccato mortuus fueris, nec sepultura, nec alia bona tibi prodesse poterunt. (H) Circa tertium principale, scilicet de celebritate sumptuosa oblatorum quaeri sufficiat, utrum expensae in cultu et pompa funeralium prosint defunctis. Ratio quaestionis est, quia Gregorius in IV. li. Dialogorum dicit: *Curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exsequiarum magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum*. Item cum ista fiant ad quandam pompam et quasi vanam gloriam, videtur ergo, quod sint reprehensibilia, quoniam melius esset haec expendere in pauperes indigentes, ergo videtur, quod non prosunt. Sed ad haec respondetur secundum Richardum ubi supra, simulque secundum Thomam, quod pompa exsequiarum si fiat secundum consuetudinem patriae et non cum nimio excessu et pia intentione, non est reprehensibilis, quia tunc talia sunt honesta. Unde Augustinus I. li. De civitate Dei dicit: *Antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt et exsequiae celebratae et sepulchra provisae*. Unde patet, quod talia prosunt tam vivis facientibus, quam etiam mortuis. Faciunt enim secundum Richardum ad consolationem vivorum, et sub levationem spei ipsorum ad resurrectionem futuram, nec tenetur homo de necessitate facere omne bonum, quod potest, nec peccat faciendo bonum eo ipso, quo non facit maius bonum, cum possit faciens, ergo sumptus in sepulturam, quos posset, in pauperes vel alibi melius collocare non facit eos, in quantum est minus utile, sed in quantum est utile, debet tamen fieri, secundum quod recta ratio dictat debitum circumstantiis observatis. Haec Richardus. Denique talia etiam mortuis prosunt, non quidem per se, ut patuit supra. Et sic intelligenda est auctoritas Gregorius IV. Dialogorum supra allegata, tamen prosunt per accidens, in quantum per huiusmodi excitantur homines ad compatiendum et orandum, vel pauperes exinde fructum capiunt, vel ecclesia decoratur, vel in quantum in reverentiam Dei fiunt et huiusmodi. Hoc patet per Damascenum in sermone de dormientibus dicentem, quod *oleum et ceras Deum invocando in sepulchro accendere holocaustum sunt. Accepta enim ista sunt Deo, et multam ab eo recipientia retributionem*. Haec secundum Thomam in quarto. (I) Pro his autem notandum ad simplicium hominum instructionem, quod circa defunctos fieri solent apud fideles in ecclesia plures caerimoniae ad Dei honorem et significationem mysterii in compatiendo illis et orando, ut iuventur per talia et alia quaeque suffragia, vide ABC. Primum est accensio cerei sacri vel alterius, dum instat agonizatio. Et tandem quousque fit exsequiarum celebratio. Nam morienti in agone constituto accensus cereus dari solet in manu, et tandem per totam celebritatem exsequiarum cereis ardentibus utuntur assistentes homines tam in processione, quam infra missam et sepulturae tempus. Sed quare hoc, nisi ut significetur, quod Christus, qui est lux vera, eripiat hanc animam de tenebris, et perducatur ad lucem aeternae gloriae. Unde canitur: *Lux aeterna luceat eis, Domine, cum sanctis tuis in aeternum. Requiem aeternam dona etc., et lux perpetua etc.* Secundum est benedictae aquae aspersio super



corpus et sepulchrum, hoc significat, quod sicut aqua exstinguit ignem, sic orandum est ut rore misericordiae caelestis mitigetur animae poena Purgatorii. Tertium est campanarum pulsatio, hoc ad provocandum fideles, ut orent pro anima, quatenus deducatur ad laudandum Deum in caelum. Quartum devota decantatio missarum, scilicet officiorum, ad significandum, quod per orationes et praecipue per missas ac alia subsidia ministrorum Ecclesiae possunt liberari animae. Quintum est elemosynarum et ciborum distributio, ad significandum, quod elemosynis sunt peccata redimenda, ut patet Dan. IV. Sextum funeralis telae vel panni coniectio ad significandum futuram stolam gloriae in resurrectione post stolam mortalitatis. Septimum grati odoris thurificatio ad significandum devotae orationis gratitudinem apud Deum, qua petimus, ut Deus eripiat animam a foetore infernali, qua tenetur in Purgatorio. Ultimum est observatio dierum in faciendo suffragio. Nam Ecclesia consuevit triplicem numerum dierum pro hoc praecipue observare, scilicet septenarium, tricenarium et anniversarium, ut habetur extra de verbo sigi. „Cum inter”, et c. „Ex parte”. Quorum ratio libro de mitrali officio et in legenda assignantur. Nam septenarius observatur, ut defunctis omnia peccata remittantur, quae egerunt in vita currente per septem dies singularum hebdomadarum. Item tricenarius observatur, qui constat ex ternario in denarium ducto, ut purgetur in eis, quidquid in fide Trinitatis et Decalogi transgressione deliquerunt. Item anniversarius, ut de anno calamitatis perveniant ad annos aeternitatis in sanctorum numerum, quorum etiam anniversarium diem celebramus ad eorum honorem et nostram utilitatem, ut ipsi sancti intercedant pro nobis. Rogemus ergo, carissimi, Dominum Iesum, ut misereatur animarum in Purgatorio, et nobis det veniam et gratiam in praesenti ac tandem gloriam in futuro. Amen.

---

1 Sir 38,16 2 Cf. Eph 4,25 3 Rm 12,15 4 I Th 4,13 5 Ecl 9,2 6 Mt 5,26 7 Iob 14,5-6 8 I Th 4,13 9 II Cor 7,10 10 Editio: Simoniades

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXXVIII.] In commemoratione defunctorum Sermo III., scilicet de Purgatorii iudicii loco ac acerba poena *Memor esto iudicii mei, sic enim erit et tuum, mihi heri, tibi hodie.* Eccl. XXXVII. 1 (A) In quibus verbis secundum Lyram et alios expositores hortatur nos Scriptura, ut memorari debemus de iudicio mortis, quae quidem scilicet mors merito dicitur iudicium. Primo quia per sententiam summi iudicis, id est Dei est inflicta omni homini. Unde Eccl. XLI.: *Hoc iudicium mortis a Deo positum est omni carni.* 2 Secundo quia mors aequaliter iudicat omnes homines mundi. Heb. XI.: *Statutum est omni homini semel mori.* 3 Unde Augustinus: *Vita nostra nil aliud est, nisi cursus ad mortem, in quo quis nec ad momentum sistere permittitur, sed comedens et bibens, ambulans et quiescens, vigilans et dormiens aequa lance semper ad mortem festinare cogitur.* Bernardus: *Mors inopiae non miseretur, divitias et potestates non veretur, non maioribus nec aetati parcat.* Tertio quia in morte recipit homo sententiam irrevocabilis iudicii. Unde XXV. dist. „Qualis” Gregorius dicit: *Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio praesentabitur.* Et quia haec sententia statim in puncto mortis accipitur, nec differtur. Unde Gregorius in Moralibus dicit: *Sicut electos a die sui exitus beatitudo laetificat, ita credi necesse est, ut a die exitus sui reprobos ignis exurat.* Scriptura ergo nos hortatur, ut advertamus, quomodo anima exuta a corpore dicit nobis: *Memor esto iudicii mei, id est mortis, sic erit et tuum,* quod dicit: festines operari bonum et poenitere, dum vivis, quia post mortem poenam lues, *mihi heri, id est de praeterito, tibi hodie, id est in praesenti, quia incertum est, quando morieris.* Iuxta haec ergo verba tria mysteria notabimus declaranda pro hoc sermone, secundum quod de tribus debemus memorari circa existentes in Purgatorio iuxta divisionem subscriptam. Item aliud thema Apo. XIV.: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* 4 Nam aliqui contra Deum moriuntur, ut damnati, alii in Domino, id est in gratia Dei, ut transeuntes ad Purgatorium, hi beati sunt in spe. De istis ergo tria mysteria declarabimus: · Primum de Purgatorii iudicio, scilicet qui illuc adiudicantur · Secundum de Purgatorii supplicio, scilicet quomodo ibi affliguntur · Tertium de animarum querulo lamento, scilicet quomodo contra quosdam conqueruntur (B) Circa primum de iudicio Purgatorii quaeruntur tria pro simplicium aedificatione. Prima quaestio: Quales homines non iudicantur ire ad Purgatorium? Secunda: Quales iudicantur transire debere ad Purgatorium? Tertia, utrum sit aliquis locus proprius deputatus animabus ad purgandum. Ad primam ergo quaestionem, scilicet quales homines vel animae non iudicantur ire ad Purgatorium post mortis exitum, respondetur secundum doctores super IV. communiter, quod praecipue tria genera hominum non iudicantur nec ibunt ad Purgatorium. Primum genus est in peccato mortali decedentium, quia tales iudicantur et descendunt mox in Infernum. Unde Magister in II. dist. XLII. c. V. dicit: *Mortale peccatum est, per quod homo mortem aeternam meretur. Crimen enim – ait Augustinus – est, quod dignum accusatione et damnatione.* Hinc Iob XXI.: *Ducunt in bonis dies suos scilicet reprobi, et in puncto ad Inferna descendunt.* 5 O ergo homo, si non vis damnari, depone superbiam, luxuriam et alia peccata. Secundum genus est in originali peccato morientium, ut pueri sunt nondum baptizati. Nam et hi perpetuo excluduntur a visione Dei, et ire habent ad limbum puerorum, ut Augustinus De fide ad Petrum dicit, firmissime credentium. Tertium genus sine omni culpa, scilicet tam mortali, quam veniali transeuntium, ut sunt omnes perfecti, qui nil purgabile secum deferunt, et etiam qui post baptismum statim decedunt, et etiam qui post susceptum religionis habitum statim sine aliquo purgabili moriuntur, ut de his dicit Bernardus li. De praecepto et dispensatione. Item qui in mortis hora plenariam indulgentiam consequuntur, tales etiam statim in caelum tali statu decedentes sine Purgatorio evolant, ut dicit Hostiensis, concorditer Ray. (?) et doctores. Unde valde utile est tibi, o homo, talia iudicia observare, ut sis baptizatus, a mortali caveas, et remedia dicta quaeras. (C) Ad secundam quaestionem, scilicet quales animae iudicantur a Deo transire in Purgatorium ad satisfaciendum pro peccatis, respondetur secundum doctores, quod tria sunt talia genera hominum, scilicet in Purgatorium decedentium. Primum genus est eorum, qui in solis venialibus peccatis moriuntur, ut dicit Magister in Sententiis. Tales secundum Antoninum in Summa parte I. tit. V. sunt primo omnes, qui inordinate afficiuntur

circa temporales divitias, honores et potestates ac huiusmodi, vel etiam circa delectabilia sensualitatis, scilicet visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Dummodo tamen haec omnia sub Deo et Dei amore sint ita, quod Deus praediligatur omnibus, alioquin si quis afficeretur in talibus contra vel supra Deum paratus facere contra praeceptum Dei, talis iturus esset pro hoc in Infernum, si in tali statu decederet impenitens. Qui autem delectantur in talibus infra Deum, in Purgatorium habent ire. Unde in Vitis patrum legitur pro huiusmodi levibus quosdam sanctos in Purgatorium iudicatos, aliquos pro delectatione in gustu, alios in cantu, alios in aedificiis superfluis. Ad id legitur, quod quidam propter acediam suam fuit per XL annos ad Purgatorium iudicatus. Item quod soror sanctorum martyrum Cosmae et Damiani fuit per XV dies in Purgatorium deputata pro eo, quod quadam vice chorizantes et cantantes cum aliquali complacentia audierat. Haec refert Discipulus in sermone. Secundum genus est eorum, qui in fine ad poenitentiam convertuntur, et sic poenitentiam de peccatis implere non potuerunt. Tales enim salvantur, sed per multos ignes Purgatorii, ut dicit Augustinus XXV. dist.: *Qui in aliud saeculum* etc. Tertium genus est eorum, qui iniunctam sibi poenitentiam impleverunt, sed illa non fuit secundum divinam iustitiam sufficiens, ut peccata illa delerentur. Nam secundum doctores super IV., praecipue Thomam: Poenitentia in confessione a sacerdote iniuncta aut est maior, aut aequalis, aut minor, quam deberet iniungi, quia accidit saepe propter indiscretionem aut ignorantiam vel negligentiam sacerdotis imponentis poenitentiam, sed nihilominus peccator semper manet coram Deo obligatus ad poenam eiusdem quantitatis. Itaque si maior poenitentia imponitur a sacerdote, quam deberet, tunc id, quod plus fecit homo, in augmentum gloriae sibi cedit. Si autem est aequalis, tunc sufficit ad totius poenae dimissionem. Si autem fuerit poenitentia minor, tunc id, quod residuum est, secundum divinam iustitiam in Purgatorio emendatur, ne aliquod peccatum maneat impunitum. O ergo homo, age poenitentiam. (D) Ad tertiam quaestionem, qua quaerebatur, utrum sit aliquis locus animabus ad purgandum proprie deputatus, respondetur communiter secundum doctorum sententiam, praecipue Bonaventurae, Richardi et Thomae super IV., quod locus purgationis animarum est duplex. Unus est de lege communi, et iste est locus Purgatorii proprius circa Infernum, ubi sunt quattuor receptacula animarum secundum inferius et superius se habentia. In infimo autem sunt damnati pro peccato actuali mortali. In immediate superiori sunt damnati pro peccato solo originali. In loco, qui immediate est supra illum, sunt animae, quae ad Purgatorium sunt deputatae, quia ille est locus Purgatorii de communi lege. In quarto loco supra istos est limbus sanctorum patrum, qui per Christum est evacuatus, unde patet, quod secundum legem communem proprius est locus Purgatorii secus Infernum. Sed alius quandoque est locus Purgatorii ex lege speciali secundum divinam dispensationem, quia leguntur aliquae animae punire quandoque in privatis locis. Et hoc vult Deus pluribus causis, clarius tribus. Primo propter culpae in loco perpetrationem, ut sic Dei iustitia manifestetur signis evidentibus aliquibus. Unde Gregorius IV. Dialogorum refert, quod quidam presbyter dum ob infirmitatem balneum frequentaret, quandam ibi invenit ad suum obsequium praeparatum sedule semper ministrantem, qui cum pro mercede illi dare vellet panem benedictum, ille maerens dixit: „Ego aliquando huius loci dominus fui, et pro peccatis hic perpetratis deputatus sum huc. Rogo ergo, offer pro peccatis meis panem Deo, et cum me hic non inveneris, scito me liberatum.” Et sic per hebdomadam est liberatus. Secundo hoc Deus ordinat propter liberationem celeriore, scilicet per suffragia sic impetranda. Tertio propter aliorum instructionem, ut scilicet noverint homines magnam poenam infligi peccantibus in futuro. Aliis quoque consimilibus causis, quas dimitto. (E) Circa secundum de Purgatorii supplicio tria quaeruntur hic: · Primo de Purgatorii igne · Secundo de acerba afflictione · Tertio de poenae inflictione Prima quaestio, utrum idem ignis affligat animas in Purgatorio, qui cruciat reprobos in Inferno, respondetur, quod sic. Unde Gregorius IV. li. Dialogorum dicit: *Sicut sub eodem igne rutilat aurum et palea fumat, ita sub eodem igne peccator crematur et electus purgatur.* Item ad idem videmus, quod idem sol suo eodem radio ceram liquefacit et lutum indurat. Sic idem ignis hos, scilicet in Purgatorio purgat, qui tamen reprobos induratos cruciat. Et ratio, quia ignis in Inferno agit in unumquemque, prout est instrumentum divinae iustitiae. Cum enim ignis ille sit corporalis, ut ab omnibus doctoribus tenetur, ut sic, ergo non haberet de natura sua in spiritum agere. Sed prout est instrumentum divinae iustitiae vindicantis, agit in spiritum. Hoc enim exigit ordo iustitiae divinae, ut anima, quae habet materiam igni congruentem, scilicet peccatum, ardeat in illo igne plus vel minus, prout demeruit, et sic affligit ignis Inferni existentes in Purgatorio, licet minus, quam in Inferno, utpote purgans venialia. Idemque ignis cruciat in Inferno acerbissime, et unumquemque illorum secundum peccatorum quantitatem, ut patet XXV. dist. „Qualis”. Sed quomodo animae separatae possunt teneri a tali corporali igne? Respondet Augustinus XII. De civitate Dei, quod sicut anima cum sit spiritus, tamen coniungitur corpori et aggravatur per corpus, sic ille ignis habet ex divina iustitia et eius virtute, quod spiritus sibi coniungi possit. Unde magister Iulianus: *Si spiritus viventis hominis ligatur corpore, cur non magis post mortem corporeo igne teneatur.* Unde licet damnati libenter solvi vellent ab igne, sed nequeunt, quia alligabuntur igne perpetuo virtute divinae iustitiae. (F) Secunda quaestio, utrum poena Purgatorii sit acerbissima prae omni poena temporalis. Ad hoc respondetur, quod sic. Et approbatur tripliciter: · Primo auctoritate · Secundo ratione · Tertio exemplaritate Primo auctoritate. Nam Augustinus XXV. dist. „Qui in aliud” et de poenitentia dist. VII. c. ultimo dicit sic: *Qui in aliud saeculum distulit fructum conversionis, purgabitur igne purgationis.* Hic ignis etsi non sit aeternus, miro tamen modo gravis est, superat enim omnem poenam, quam umquam passus est aliquis in hac vita vel pati potest. *Numquam – inquit – in carne tanta inventa est poena, licet mirabilia martyres passi sunt tormenta et multi nequiter, quanta sustinerunt supplicia. Studeat ergo quisque sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat poenam tolerare.* Haec Augustinus ubi supra coniunctim. Unde ut idem Augustinus dicit, *gravius est esse in Purgatorio ad ictu oculi, quam fuerit poena sancti Laurentii in craticula, et quidquid poenae in hac vita potest excogitari.* Et subdit, quod *qui Purgatorium petit, nescit, quid petit.* Hinc etiam Chrysostomus dicit: *Intende, anima mea, quascumque poenas saeculi, totum leve erit respectu poenae Purgatorii.* Item Hieronymus: *Intende, homo, qualitatem et quantitatem poenitentiae, quae debet poenae Purgatorii aequipollere.* Secundo probatur ratione secundum Richardum super IV. dist. XX., quia motus animarum in Purgatorio non retardatur mole corporis, et ideo vehementissime desiderant cum Deo perfecta fruitione coniungi, scilicet ad quod sunt creatae ut ad finem ultimum. Ideoque ex absentia visionis

divinae vehementissime affliguntur, cum tempus videant advenisse, quo cum Deo perfecte deberent coniungi, unde poena damni in Purgatorio est acerbissima. Nec dubium, quod animae vellent ibi omnem poenam huius vitae praeacceptare, ut quantotius haberent Deum videre. Item etiam ex poena sensus est ibi acerbissima, quia ignis Purgatorii magis est activus igne nostro, qui tamen inter omnia elementa maxime est afflictivus. Nam secundum Augustinum ignis noster in hoc mundo est tamquam ignis depictus in afflictione respectu poenae ignis Purgatorii. Subdit ergo Richardus, quod nulli dubium debet esse, quin poena Purgatorii longe sit gravior, quam quaecumque poena in hoc mundo. Et ad id adducit, quod Algazel V. libro Physicorum c. IV. dicit, quod scilicet anima in hoc mundo propter occupationem sui corporis est, sicut qui occupatur in bello vel in periculo, ubi non percipit laborem vel laesionem suam, sed in Purgatorio est apprehensionis fortioris, ubi libere sentit cruciatum suum. Unde idem Algazel dicit, quod in Purgatorio est cruciatus ineffabilis, sed omnis poena huius vitae est effabilis, ergo etc. O Deus, quid erit ergo damnatis. Item alia ratio est secundum Aureolum in Compendio, quia Deus hic plus ponderat virtutem bonae voluntatis et emendationis in poenitentia, quam poenam afflictionis in Purgatorio non ita voluntariam. Sicut plus valet et ponderatur modicum auri, quam multum cupri vel plumbi, et ideo necesse est, quod ad valorem satisfactionis id, quod defecit de voluntate in praesenti, in futuro suppleatur in poenae acerbitate, concorditer Bonaventura. Haec sufficiant. (G) Tertio probatur exemplis. Nam Iacobus episcopus Tusculanus scribit, quod quidam mortuus precibus sancti cuiusdam fuit resuscitatus de Purgatorio ad agendum poenitentiam in terris, hic tantum se afflixit, quod in sepulchris habitavit, quamdiu vixit post hoc, et in nive, glacie et igne se volutabat. Interrogatus, cur hoc faceret, respondit: „Si lacus ante ecclesiam totus igneus esset, mallem in eo manere usque in diem iudicii, ut possem evadere poenam Purgatorii.” Item pro exemplo sufficiat, quod praecipui sancti Dei, qui utique non sunt extimandi fatui, sane vitam duxerunt arduam et gravem, egerunt poenitentiam, ut evaderent Purgatorium. Nam et ad designandum gravitatem poenae Purgatorii secundum Wilhelmum in Rationali non canitur in missa defunctorum „Gloria in excelsis”, quia nondum sunt in ea, nec pax datur, quia pacem a poenis non habent, sed petimus „Requiem aeternam dona eis, Domine” etc. Tertia quaestio, utrum poena Purgatorii infligatur per ministerium daemonum vel angelorum. Ad quod breviter respondet Richardus in IV. dist. XX., concorditer Bonaventura, quod quamvis boni angeli et mali assistant morientibus, boni ad adiuvandum, mali ad nocendum, si possunt, et ad videndum, si quid habent in eis, et quamvis boni per bonos ducantur ad locum Purgatorii comitantibus malis et libenter aspicientibus poenas ipsorum propter invidiam, tamen in loco poenali non puniuntur ministerio daemonum, quia cum tales de daemonibus triumpharunt, iuste non decet, ut puniantur per eos, et quia sciunt daemones hanc poenitentiam esse ad salutem illarum animarum, sed daemones non quaerunt utilitatem animarum, ergo etc. Item non puniuntur etiam ministerio bonorum angelorum, quia concives suos illi potius consolantur et confortant, quam tam vehementer affligerent. Relinquitur ergo, quod puniantur animae in Purgatorio sola divina iustitia ignem illum sicut instrumentum applicante ad punitionem earum. Haec Richardus et Bonaventura. O ergo Christiane, adverte haec et provide tibi. (H) Circa tertium de lamento animarum conquerentium sit pro conclusione verbum Guidonis in sermone dicentis sic: *Conqueruntur animae in Purgatorio eo, quod non fit mentio de eis in hoc saeculo.* Haec ille. Sed gratia huius quaeritur, de quibus hominibus animae in Purgatorio conqueruntur eo, quod non faciunt mentionem et subsidia pro illis. Hoc quippe scire est utile, ut sciamus cavere, quia ut Beda ait: *Indignus erit omni suffragio, qui defunctorum immemor fuerit in hoc saeculo.* Et Hieronymus: *Quantam consolationem defunctis impendimus, tantam viceversa recipimus.* Unde et in themate dicitur: *Memento iudicii mei, sic enim erit et tuum* etc. Respondetur ergo, quod animae conqueruntur super septem hominum genera praecipue. Primo super amicis et beneficiatis infidelibus, quia non refundunt illis charitatem, ut deberent, sed iuxta dictum Ps.: *Obliti sunt benefactorum eius.* 6 Et haec est magna ingratitude. Unde Seneca li. De beneficiis dicit: *Gratiam referre beneficiis turpe est, ingratus est, qui dissimulat accepisse beneficium, quod accepit, ingrator, qui non reddit, ingratus omnium, qui oblitus est.* Haec ille. Secundo super bona derelicta usurpantibus et rapientibus, sicut sunt heu multi, quibus committuntur aliqua bona, ut dent heredibus vel pro animae salute, et illi sibi tamquam propria iniuste usurpant. De talibus Hieronymus XII. q. II. „Gloria” dicit: *Amico rapere quicquam furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est, accepisse pauperibus erogandum et exinde aliquid subtrahere omnium praedonum crudelitatem superat.* Haec ille. Tertio conqueruntur super cognatis et coniugibus, qui eis non subveniunt, cum tamen illorum bona possideant, tales sunt ingrati et immisericordes ac infideles, sicut si quis videret consanguineum vel maritum, patrem aut matrem esse in igne, et posset liberare, sed non vult. Unde Iac. II.: *Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam.* 7 Ambrosius: *Indignum est illi Deum esse propitium, qui crudelis est in proximum.* Quarto super debitoribus. Nam secundum doctores per mortem non solvitur obligatio, qua vivus tenetur mortuo, sed tenetur homo restituere aut heredibus, si habet, aut pro anima illius exponere, quod si vivus non habet, unde possit solvere, tenetur satisfacere in spiritualibus, scilicet pro anima orando, ieiunando etc. Item domini tenentur servis, Augustinus XIV. q. VI. „Si res”: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Quinto super executoribus. Unde consilium XIII. q. II.: *Qui oblationes – inquit – defunctorum retinent, et ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt ab Ecclesia abiciendi.* Tales enim sunt egentium necatores et homicidae, ut patet ibidem etc. „Clerici”. Sexto conqueruntur animae super fructus elemosynarum suarum capientibus, et pro ipsis fideliter non orantibus, ut sunt plures presbyteri habentes praebendas et altaria, et religiosi habentes monasteria ab illis constructa, aut alii pauperes habentes provisiones, qui tenentur non solum pro seipsis, sed etiam pro vivis et defunctis, quorum elemosynis sustentantur, exorare, ut Hieronymus X. q. I. „Quia sacerdotes” testatur. Si enim tales non orant, iudicium Dei incurrunt. Septimo conqueruntur super omnibus, qui succedunt in suis bonis temporalibus. Nam omnes, qui hereditant bona defunctorum, tenentur subvenire illis, a quibus talia habent, immo etiam uxor maritata alteri, ut patet per Gregorium XIII. q. II.: *Ultima – inquit – voluntas defuncti modis omnibus servari debet.* Ibi Glossa dicit, quod pro lege est servanda, et si quis eam non servat, hoc ipsum, quod ei est relictum, aufertur, XI. q. I. „Silvester”. Nam et Deus tales non servantes plagat in praesenti et in futuro. Narratur in legenda et Speculo historiali: Miles quidam in bello Caroli, ut Turpinus ait, rogavit cognatum suum, ut si



moreretur in bello, equum suum venderet, et pretium pauperibus daret. Quo mortuo equum sibi nimis placentem retinuit, postea defunctus eidem nocte XXX. apparuit tamquam sol refulgens, dicens: „Ecce tanto tempore fecisti me ardere in Purgatorio, quia equum non vendidisti, ut pauperibus pretium dares, sed impune non feres. Hodie enim ferent animam tuam in Infernum diaboli, ego autem purgatus vado in regnum Dei.” Et ecce subito in aere auditus est clamor daemonum ut leonum, ursorum et luporum, qui ipsum rapiantes in montibus colliserunt. O ergo homo, compatere defunctis, et subveni, ut evadas damnationem, et habeas vitam aeternam. Amen.

---

1 Sir 38,23 2 Sir 41,5 3 Hbr 9,27 4 Apc 14,13 5 Iob 21,13 6 Ps 77,11 7 Iac 2,13

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo LXXXIX.] In commemoratione defunctorum Sermo quartus, scilicet de suffragiis et testamentis eorum *Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Ps. XL. 1 (A) In quibus verbis et subsequentibus triplex ratio praecipua insinuat, quia debemus compati super animas existentes in Purgatorio, aliosque egenos et pauperes. Prima ratio, quare in hoc est magnum meritum beatitudinis et perfectionis, quia ut Gregorius dicit: *Tanto quis perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos.* Ideo dicit Ps.: *Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem.* Secunda ratio, quia animae in Purgatorio sunt in statu magnae penuriae et afflictionis, utpote quae non habent ex se, unde possint iuvare se, nisi iuventur a vivis, et ideo prae aliis ipsae sunt egentes et pauperes, et idcirco maius est misericordiae opus ipsis compati et subvenire. Unde Sidonius in epistolari dicit: *De ratione nostrae salutis est quotidie pro defunctis exorare.* Item Hieronymus: *Tanto viciniores erimus aeterno gaudio, quanto misericordiores fuerimus super defunctorum supplicio.* Tertio quia per hoc acquiritur bonum multiplicis utilitatis. Unde subdit Ps.: *In die mala, id est in die iudicii liberabit eum Dominus, scilicet a morte aeterna, ecce primum. Dominus conservet eum, scilicet in corpore, ecce secundum. Et vivificet eum, scilicet per gratiam in mente, ecce tertium. Et beatum eum facit in terra, scilicet viventium, ecce quartum. Et non tradat eum in animas, id est in voluntates inimicorum eius, scilicet corporalium et spiritualium, ecce quintum. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius, 2 id est infirmitatis, ecce sextum bonum.* Propter quae merito dicitur beatus, qui intelligit compatiendo super egenum et pauperem in Purgatorio. Iuxta quae tria mysteria notemus pro hoc sermone, secundum quod de his tribus debet homo intelligere pro defunctis: · Primo de testamentorum executione · Secundo de suffragiorum provisione · Tertio de executionum valore (B) Circa primum, scilicet de testamentorum executione pro simplicibus quaestio occurrit. Utrum executores testamentorum non debite exsequendo testamenta sibi commissa et negligendo facere pro animabus suffragia peccent peccato damnabili. Ad quod respondetur, quod sic. Nam offensae huius gravitas ostenditur pluribus rationibus: · Prima ratio iuridicae sanctionis · Secunda divinae detestationis · Tertia nocivae offensionis · Quarta diabolicae assimilationis · Quinta durae vindicationis Prima ratio est iuridicae sanctionis, quia ius dictat tales executores non facientes fideliter, quod teneatur scilicet fore fures et sacrilegos, ac pauperum et egenorum necatores et homicidas, ut patet per Gregorium XVII. q. IV. „Sacriligium”. Et per dicta Hieronymi XII. q. II. „Gloria”. Insuper iura dictant tales fore excommunicandos. Nam sacrum concilium XIII. q. II. „Qui oblationes” dicit: *Qui oblationes defunctorum aut negant ecclesiis, aut difficulter reddunt, tamquam egenorum necatores excommunicentur.* Idem dicitur et duobus capitulis subsequentibus, et sic tria concilia hoc idem decernunt, ut patet ibidem. Ex quibus Iohannes Neapolitanus in Quodlibetis arguit, quod peccant mortaliter, et per consequens damnabiliter tales executores et heredes multum differentes exsequi, quia nullus debet excommunicari, nisi pro mortali peccato, cum excommunicatio aeternam damnationem inducat, XI. q. III. „Nemo episcoporum”. Quamvis autem tales executores non sint ipso facto excommunicati, nisi hoc esset alicubi per constitutiones synodales, tamen mandantur excommunicari, ergo gravissimum est peccatum. Unde extra de testamentis et ulti. volun. c. „Tua” decernitur, quod tales per episcopos ad fideliter exsequendum testamentum sunt compellendi. Praeterea lex civilis in Autenticis ut cum de appella. cognoscitur § „Causas” dictat, quod filii et successores non servantes testamentum defunctorum sunt exhereditandi, ut habetur etiam XI. q. I. „Silvester”. Ecce ergo quam grave peccatum hoc reputatur in Sancta Ecclesia. Secunda ratio divinae detestationis, quia Deus maxime odit et detestatur tale peccatum. Unde dicit Isa. LXI.: *Ego Dominus amans iudicium et iustitiam et odio habens rapinam in holocausto.* 3 Utique rapinam facit in holocausto, qui usurpat quicquam sibi de his, quae sunt legata ad causas pias pro animabus. Denique quod Deus multum odit hoc peccatum, ex hoc claret, quod si quis depraedaretur bona alicuius servi fidelis vel sponsae praedilectae regis vel domini cuiuscumque, ille tam aegre ferret, ac si ipsummet fuisset depraedatus. Sed animae in Purgatorio multum sunt dilectae sponsae Christi certe in gratia, ergo dignus est morte, qui eas in suffragiis fraudat. Unde et ipse Deus pro signo detestationis prohibuit Exo. XXI. non solum actum rapinae vel furti dicens: *Non furtum facies,* sed etiam insuper prohibuit concupiscentiam eius dicens: *Non concupisces rem proximi tui.* 4 Odibilis ergo est Deo, qui usurpat bona animarum. Tertia ratio nocivae offensionis. Nam ut Hieronymus ait XII. q. II. „Gloria”, *accepisse pauperibus erogandum vel ecclesiae et exinde aliquid subtrahere omnium praedonum crudelitatem superat.* Haec ille. Ratio quia fures et latrones praedantur ab his, qui sibi iterum acquirere possunt, id est a vivis. Sed impii executores rapiunt ab animabus aliunde acquirere sibi iuvamina non valentibus ea, per quae possent liberari a poenis atrocissimis. Unde insuper nocent tales et offendunt plus, quam homicidae, qui *occidunt corpus, animam autem non possunt occidere,* Mat. X. 5 Sed infideles executores quantum est ex se, quasi animam occidunt, dum eam acerbissimo igni puniri permittunt differentes eos per suffragia liberare, et certe libentius anima exsistens in poenis Purgatorii acceptaret, ut omnia sua membra in hoc mundo torquerentur, quam sua anima in illo igne per horam affligeretur, quia Augustinus homilia de igne Purgatorii dicit, quod *ignis Purgatorii durior est, quam quidquid poenarum in hoc saeculo posset aut cogitari, aut sentiri.* Idem testatur XXV. dist. „Qui in aliud saeculum”. Quarta ratio

diabolicae assimilationis. Nam ad crudelitatem daemonum pertinet de poenis animarum complacere et delectari. Tales sunt isti quodammodo, quoniam cum possent et tenerentur, nolunt eas de poenis acerbissimis per suffragia liberare, immo quodammodo tales sunt peiores daemonibus in hoc scilicet, quod daemones torquent solum animas reprobas in Inferno. Isti autem bonas et in gratia exsistentes torqueri sinunt. Propterea Dominus impropere Isa. III. dicens: *Rapina pauperum, scilicet animarum in domo vestra quare atteritis, populum meum.* 6 Unde etiam Philosophus III. Rhetoricae dicit, quod *qui mortuos spoliant, assimilantur canibus, qui mordent lapides*, scilicet qui contra eos proiciuntur, quia tales canes reputantur prae ceteris atrociores, sic homines spoliantes mortuos sunt crudeliores. (C) Quinta ratio durae vindicationis, quia tales Deus durius iudicabit et punit. Nam ut Haymo super Apoc.: *Iusto Dei se subicit iudicio, qui defunctorum immemor fuerit in hoc saeculo*, quia ut scribitur Iac. II.: *Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam.* 7 Duram itaque vindictam Deus exercet contra tales. Primo quidem punit tales quandoque etiam in hac vita castigando paupertate vel dura infirmitate, ita quod plus consumunt in lecto infirmitatis vel plus perdunt, quam recipiunt, vel quandoque plagando etiam suos filios et posteritatem egestate, iuxta illud Ps.: *Fiant filii eius orphani et mendicent et eiciantur de habitationibus suis* etc. 8 Nam Deus magnum amorem gerit erga electos, quales sunt animae in Purgatorio confirmati et securi de divina praedestinatione. Secundo Deus punit tales executores et raptores in morte et post mortem. Unde Eusebius: *Qui defunctis consolationem negat, profecto et ipse a consolatione alienus erit.* Unde et Hieronymus: *Quantam consolationem defunctis impendimus, tantam viceversa recipiemus*, iuxta illud Luc. VI.: *Quaecumque mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* 9 Tertio punit Deus in iudicio et post iudicium in Inferno. Nam ipsos scilicet pauperes in Purgatorio exsistentes constituet Deus iudices talium executores, Iob XXXVI.: *Pauperibus iudicium tribuit.* 10 Et Sap. V.: *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustaverunt.* 11 Ad praemissa exemplum legitur in Speculo historiali Vincentii, quod in monasterio Fuldensi abbas et plures fratres per pestem decesserunt, quapropter elemosynae pauperibus augeri coeperunt. Tandem de hoc cellarius murmurat, et elemosynam minuit. Qui cum sero dormitorium intrare vellet, vidit in capitulo praefatos defunctos congregatos, a quibus trahitur in capitulum et flagellatur, dicuntque sibi: „En post pauca morieris, et quidquid pro te fiet, aliis cedet, quos fraudasti, ut illi corrigantur tuo exemplo, quos corrupisti verbo.” Et sic factum est postea per omnia. O ergo homo, adverte haec, et age curam de mortuis, praecipue quorum es commissarius, ut sis fidelis executor, ne poenam luas, sed meritum misericordiae habeas. (D) Circa secundum de suffragiorum provisione aliqua dubia quaeruntur decidenda: · Primo de acceleratione testamenti vel dilatione · Secundo de bonarum animarum detrimento in suffragii retardatione · Tertio de communicatione suffragiorum vel participatione · Quarto de debitorum obligatione vel cessatione · Quinto de executione suffragiorum et valore Prima quaestio, utrum executores testamentorum teneantur statim vel quoties illa exsequi, an liceat differri. Respondet frater Angelus de Clavasio iuxta dictum sancti Thomae in Quodlibetis, quod mora modici temporis non videtur esse magnum periculum. Unde si executor per modicum tempus differat, ut rebus defuncti melius venditis ampliores elemosynas faciat, licite potest facere, quod intelligendum dicit, si augmentum elemosynarum praevaleret tarditati in satisfactione, alias non liceret, quia non est faciendum mihi aliquid malum pro bono alterius. Unde et subdit Thomas, quod si quis hoc per multum tempus differat, ut in modico ampliores elemosynas faciat, non excusatur a culpa, quia forte defunctus interim liberatur, et sic frustratur remedio, quo indigebat, faciat ergo, quod magis videbitur expedire animae defuncti. Nam ut noster etiam Richardus concordans dicit in IV. dist. XLV., quod cum testator ipse tempus determinat, infra quod testamentum vult esse impletum, tunc non tenentur necessario executores usque ad illud tempus implere testamentum, si viderent citius explendo se facere animae defuncti utilitatem maiorem, quia tunc tenentur. Si autem non determinat tempus, tunc implere tenentur, quam totius libere habebunt bona legata. Haec ibi. (E) Secunda quaestio, utrum boni defuncti detrimentum patiantur aliquod ex dilatione testamenti vel suffragii subtractione. Ad quod respondetur recolligendo sententias Thomae in Quodlibetis, necnon Petri de Palude et Richardi super IV. dist. XLV., quod is, qui in charitate ordinavit pro se defuncto aliquid fieri, meruit aliquem gradum gloriae, quoad gaudium, et diminutionem poenae sibi debitae, quia elemosyna est satisfactoria. Si ergo per executorem vel procuratorem omittantur suffragia ab isto ordinata, iste non sustinebit aliquod detrimentum, primo quoad meritum gloriae, si quantum in ipso fuit, causam et operam adhibuit, ut huiusmodi elemosynae cito dentur, sed procurator distulit adeo, quod iste gloriam intravit interim, quia voluntas tunc pro facto capitur. Meritum autem gloriae dependet principaliter ex voluntate et intentione merentis, quod in hac vita totum comparatur. Secundo non obest quoad poenae intensionem, quia cum anima egreditur, poena sibi in acerbitate taxatur, quae nec intenditur, nec minuitur propter negationem suffragii. Tertio non obest quoad poenae perpetuationem, quia expiatur anima per poenam et suffragia communia, licet tardius. Sed dilatio vel subtractio suffragii obest: Primo quoad poenae diuturnitatem, quia quanto citius testamentum executioni mandaretur, tanto citius liberaretur per talem satisfactionem. Secundo obest quoad poenae immitigationem, quia quanto citius pauperes et ecclesia recipiunt legata, tanto ferventius et celerius orare tenentur pro anima, et talis acceleratio orationum ferventium valet ad poenae allevationem et celeriozem liberationem. Tertio ex consequenti obest, quoad beatitudinis retardationem, quia interim, quod non liberatur, anima a gloria caelestis retardatur. O ergo quantum laedunt mali executores. (F) Tertia quaestio, utrum suffragia facta determinate pro aliquo prosint omnibus existentibus in Purgatorio. Respondetur colligendo secundum Thomam, Richardum et Henricum de Hassia, quod suffragia fiunt dupliciter. Uno modo in communi et universali Ecclesia, et sic omnibus prosunt aequaliter, sed intellige ceteris paribus, quia unius hominis anima potuit hoc magis meruisse, quam alia, quia multa opera pietatis et misericordiae fecit, et libenter subvenit aliis. Nam secundum Augustinum: *Qui in hoc saeculo amplius alios adiuvit, amplius meretur adiuvari in altero.* Unde ponamus casum, quod magnus dominus dives moriatur, habens plurima purgabilia cum paucis meritis. Item pauper cum multis meritis moriatur, habens tamen aliquid purgabile, in hoc casu elemosynae divitis dispensatae pro divite proderunt pauperi plus vel minus, secundum quod suis orationibus, meritis et exemplis in praesenti vita iuvit divitem illum vivum sive defunctum. Alio modo fiunt suffragia in speciali et determinate, et sic magis

prosunt illi, pro quo fiunt, alias frustra essent specialia, nisi magis prodessent illi, ad quem determinantur per intentionem, quamvis autem quoad diminutionem poenae illis plus prosunt, tamen ex misericordia Dei suffragia facta pro quocumque prosunt etiam omnibus aliis in Purgatorio, quoad consolationem, in quantum omnia eis innotescunt, et sese diligunt ex charitate, et omnes gaudent sine omni invidia de poenae illius alleviatione, pro quo facta sunt suffragia, quia secundum quod dicit Philosophus II. Ethicorum c. ultimo: *Cuilibet tristitiae repugnat quaecumque delectatio gaudii, et sic mitigat eam.* Sed quid dicemus ad dictum Hieronymi, qui de consecratione dist. V. „Non mediocriter” dicit sic: *Cum igitur pro centum animabus psalmus vel missa dicitur, nihil minus, quam si pro unoquolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Respondet Richardus in IV. dist. XLV., quod ibi loquitur Hieronymus referendo aliorum opinionem, et sic non assertive, quia fuerunt quidam opinantes sic, ut patet de praepositivo et sequacibus eius dicentibus, quod sicut candela accensa pluribus lucet, licet pro unius honore accendatur, similiter et lectio lecta. Sed respondet Richardus, quod haec exempla non valent, quia lumen candelae et vox doctoris se communicant per necessitatem naturae, sed suffragia per suffragantis intentionem. Nam si vera esset haec opinio, sequeretur, quod ille, qui pro uno defuncto tenetur dicere unam missam et unam pro alio, si diceret unam pro illis duobus, cuilibet solveret id, ad quod tenetur, quod falsum est. Item si centum animae essent, quarum quaelibet liberaretur per unam missam pro se dicendam, si quis pro omnibus simul diceret unam, sequeretur, quod mox omnes liberarentur. Sic etiam consuetudo Ecclesiae faciendi pro singulis esset inutilis, et ideo dicendum est, sicut iam in hac quaestione patuit. (G) Quarta quaestio de debitis, utrum in morte cesset vel maneat obligatio, scilicet pecuniarum et aliorum, quibus moriens tenebatur. Respondetur secundum Henricum de Hassia super Gen., quod non cessat, nisi vivus quietaverit morientem. Nam si moriens descendit ad Inferna, pro hoc acrius punietur. Si autem ascendit in caelum, quia sufficienter poenituit de non solvendo, tenetur oratione sua satisfacere, scilicet in patria pro vivo petendo sibi prosperitatem in temporalibus. Si autem descendit, et est in Purgatorio, satisfacere tenetur luendo poenas aut orando pro vivo, nisi aliquis vivus persolveret pro eo. Unde quando homo facit testamentum, vel etiam exsecutor, qui vult facere suffragia defuncto, primum omnium debet reddere debitum, si cui defunctus tenetur, quia debita non sunt propria bona, sed aliena. De alienis autem non debet fieri elemosyna. Unde Augustinus XIV. q. V.: *Immolans – inquit – ex iniquo: oblatio est maculata, nec respicit Altissimus* etc. Ideo melius est, ut restituatur, quia per alia opera defunctus non potest iuvari vel absolvi sine solutione debitorum. Exemplum legitur in Apiario de quodam milite, qui post mortem apparuit uni servorum portans pondus babatorum flammantium, petivitque dicens: „Dic uxori meae, ut solvat debitum fabro, scilicet illi pro babatis, alioquin oportet me puniri.” Nec interim per alia liberatus est. Cumque illa solvisset plene, apparuit uxori dicens: „Iam solutus sum, gratias tibi ago.” Haec sufficiant. De quinta autem quaestione patebit in subsequenti articulo. (H) Circa tertium principale de executionum, scilicet pro defunctis fiendarum valore. Ex quo ex praemissis quaestio oritur, qualibus et quot modis possint executores vel alii vivi liberare animas de Purgatorio. Ad hoc respondetur per conclusionem ex verbis Gregorii XIII. q. II. c. „Animae” dicentis sic: *Animae defunctorum quattuor modis solvuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut carorum elemosynis, aut ieiunio cognatorum.* Haec ibi. Sed ad haec additur quintum secundum Henricum de Hassia in lectura super Gen., videlicet poenitentiae iniunctae susceptio et expletio, quae tamen reducibilis est ad praedicta quattuor. Nam secundum eundem Henricum: *Si quis vivens susciperet in charitate poenitentiam, quam mortuus in vita habuit iniunctam, necdum expletam, et eam perficeret pro mortuo, et si illa poenitentia foret condigna, mortuus liberaretur, dummodo non haberet alia impedimenta, quia si haberet, puta aliqua oblita peccata, posset pro illis puniri, et sic stat aliquem fore beatum, pro quo adhuc agitur poenitentia in hoc saeculo, quia stat, quod vivens poenitentiam morientis suscepit, et sic ille iam esset liber, et iste, qui suscepit, obligatur, qui si post non satisfecerit, non imputabitur mortuo, sed illi, qui suscepit et neglexit, quod si fideliter implere voluit, sed cito post illum mortuus fuerit, nec perficere potuit, credendum est – inquit – , quod pro hoc non punietur, sed pro pietate et charitate remissionem poenae ac gratiae a Deo, cui placet charitas et misericordia, obtinebit.* Haec secundum Henricum. (I) Sed quaestio restat, utrum suffragia praedicta vel eorum executiones, si fiant per vivos peccatores, valeant. Respondetur secundum Richardum in IV. dist. XLV. et concorditer Thomam per certa puncta: Primum est, quod malus faciens aliqua bona opera pro defunctis, sicut actor principalis, non prosunt illa defunctis, etiam si faciat illa mediante bono ministro, nisi per accidens in quantum pauperes sancti pro elemosynis receptis ab illo excitantur ad orandum pro defuncto. Secundum est, quod malus faciens haec non ut actor, sed ut minister publicus Dei et Ecclesiae, ut sacerdos, qui celebrat missam vel exsequias, prosunt defunctis, quia malitia ministri non tollit efficaciam sacramenti. Unde missa prodest ex se defunctis, a quocumque sacerdote dicatur, licet plus prosit ex duabus partibus, si sacerdos dicit eam existens in gratia. Tertium punctum, quod malus quis faciens bona aliqua pro defunctis ut minister privatae personae, si illa persona fuit in charitate, tunc quando praecepit tale opus fieri, vel si fiat opus tale ad consortium existentis in charitate, sicut cum duo legunt psalmos vel officium mortuorum, quorum unus est in charitate, alter non, sic prosunt illi, pro quo fiunt. Quartum, quod si minister malus facit opus bonum, scilicet pro defunctis, aliud a missa, ad praeceptum personae privatae, quae non fuit in charitate, quando mandavit fieri, sic non prosunt defunctis, nisi postea esset in charitate, quando talia fiunt, et de novo demandet, vel priorem demandationem de novo acceptet, quia sic valent. Nam opus ipsius non valet, nisi secundum statum, quo illud fieri mandat vel acceptat ipse actor. Quintum, quod quando actor erat in charitate, quando mandavit ministro fieri opus bonum pro defunctis, licet postea non sit in charitate, quando exsequitur illud minister malus, nihilominus tunc prosunt defunctis, quia sunt a praecipiente ratione illius actus voluntatis, quam habuit, quando ea fieri praecepit. Verumtamen cum nemo sciat, utrum amore an odio dignus sit, non debent homines retrahi a suffragiorum exhibitione in defunctos, quia potissime tenere debet homo, quod scilicet valet semper missa et alia bona sacramentalia, quae facit homo ut minister Ecclesiae. Cautum est tamen semper meliores et conscientiosos eligere executores. Pro exemplo sit, quod Petrus Damiani narrat, quod scilicet sanctus Odilo, abbas Cluniacensis comperit apud vulcanum Siciliae daemones ululantes ex eo, quod animae defunctorum per bonorum elemosynas et orationes de ipsorum manibus eripiebantur, et sic ordinavit pro animabus fieri suffragia



singulis annis. O ergo Christiane, si sunt viscera pietatis in te, subveni defunctis, ut Christus faciat tibi misericordiam, det gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Ps 40,2 2 Ps 40,4 3 Is 61,8 4 Ex 20,15-17 5 Mt 10,28 6 Is 3,14-15 7 Iac 2,13 8 Ps 108,9 9 Lc 6,38 10 Iob 36,6 11 Sap 5,1

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XC.] De sancto Emerico Sermo primus cum legenda *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Gen. XXVII. 1(A) Haec verba sunt Isaac ad suum filium, optime tamen potest dicere beatus rex Stephanus de filio suo sancto Emerico, nam sicut odor bonus est delectabilis et gratus hominibus, ita sanctitas beati Emerici delectabilis et grata Deo ac angelis et beatis. Nimirum, ut Chrysostomus super Matthaem ait: *Sanctae et bonae voluntates sic suaves sunt apud Deum, quemadmodum odoriferi flores*. Et quoniam *Christus Dominus libenter pascitur inter lilia castitatis*, ut dicit Bernardus super Cantica, et per consequens omnes angeli et beati delectantur in castitate. Beatus autem Emericus fuit sanctus et virgo castissimus, ergo de eo potest dicere pater eius: *ecce odor*. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus, secundum quod de his commendatur. · Primo de divinali complacentia: *ecce odor filii mei* · Secundo de virtuali opulentia: *sicut odor agri pleni* · Tertio de privilegii gloria, qua *benedixit ei Dominus* (B) Circa primum de complacentia sancti Emerici – scilicet apud Deum – quaeritur, unde est, quod Deo multum gratiae sunt et placent animae sanctae, ut sciamus placere Deo. Respondetur, quod recolligendo ex dictis doctorum huius causae praecipuae sunt tres. Prima est concordatio voluntatis, quia sancti in nullo volunt contrarium Deo, sed concordant ei per omnia in voluntate, servantes omnia praecepta, et caventes peccata, ergo diliguntur. Nam Hieronymus dicit, quod *concordia voluntatis amicorum est quorum idem velle et nolle*. Cato ait: *Concordia nutrit amorem* etc. Cassiodorus super Psalmum XXVIII.: *Amicus – inquit – dicitur quasi animo aequus, quia concordia voluntate iungitur*. Item VIII. Ethicorum dicitur, quod *amicitiae factiva est concordia*. Propterea ut placeamus Deo, voluit Christus, ut quotidie in Oratione Dominica hoc petamus: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo* etc. Secunda causa est imitatio similitudinis. Nam Ecclesiastici XIII.: *Omne animal diligit sibi simile*. 2 Unde Philosophus IX. Ethicorum dicit, quod *simile simili est amicum. Ideo bonus non potest malum amare, scilicet amore amicitiae, intelligendo in quantum malus*. Et subdit, quod *pravus nihil amicabile habet nec ad se, nec ad alterum*. Haec Philosophus IX. Ethicorum. Ex quo patet, quod Deus, summe bonus non potest amare nisi bonos, qui ipsius similitudinem gerunt in bonitate morum et virtutum. Chrysostomus: *Bonus dominus bonos diligit, et habet servos, sic et Deus, malus autem econtra, ut diabolus*. Tertia causa est unio amoris, quia enim mali sunt frigidi ab amore divino, iuxta illud Ieremiae VI.: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam*, 3 ideo Deus non habitat in eo, sed in charitate diligit manere. Et I. Iohannis IV.: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. 4 O ergo homo, vis amari a Deo, ama Deum, et serva eius praecepta, quae ipse dicit Proverbiorum VIII.: *Ego diligentes me diligo*, 5 ergo per contrarium non diligentes non diligo. Beatus Emericus haec dicta servavit, ergo etc. Nam numquam peccavit, ut infra dicitur de puritate eius a peccato mortali. Item Christum imitari studuit in virginitate et omni virtute, ac ipsum summe amavit. (C) Circa secundum de virtutum opulentia sit pro conclusione, quod beatus Emericus magnis meritis clarus imitando Christum virtutibus exstitit Deo gratus. Declaratur: Nam praecipue claruit triplici perfectione virtutum Christiformium, quae faciunt hominem Deo gratissimum, scilicet quemcumque Christianum. · Primo humilitate devotissima · Secundo puritate innocentissima · Tertio virginitate sanctissima Primo humilitate devota. Sicut enim Christus Dominus, filius regis aeterni et omnipotentis Dei humillimus fuit, sic beatus Emericus, filius regis sanctissimi Hungariae Christum in humilitate devote studuit imitari. Exemplum ergo est omnibus, et praecipue dominis ac principibus. Legitur enim, quod beatus Emericus modico contentus sopore per singulas noctes cunctis in lecto se collocantibus, et ut decet regiam subolem, duobus candelabris ante se lucentibus in psalmis Deo dicendis vigilabat, et in uniuscuiusque psalmi fine veniam cum cordis contritione postulabat, quod pater eius occulte per rimam parietis prospiciens Deo gratias agebat, et secretum hoc tenebat. O Deus, quid faciunt peccatores pleni culpis, qui se non recognoscere volunt, cum talis iuvenis devotissimus, sanctissimus et innocentissimus se tam humiliter recognoscebat, et veniam humiliter petebat de venialibus. (D) Sed unde est, quod sancti etiam minima peccata recognoscunt? Respondet Chrysostomus super Matthaem, quod hoc est ex lumine gratiae divinae, et ponit exemplum, quod *sicut in luce solis videri habent etiam parvi pulvisculi, qui in obscuritate non videntur, et in tenebris etiam magnae sordes non apparent, sic quanto homo est illustratus gratia, tanto peccata recognoscit, etiam minima*. Secundo claruit puritate innocentissima, quia numquam mortaliter peccasse creditur, quo Christum valde imitatus est. (E) Sed quaeritur, utrum quilibet homo possit tota vita cavere peccata mortalia. Respondetur secundum Bonaventuram et Richardum super II. dist. XXVIII., quod licet homo per solum liberum arbitrium omni gratia destitutum cavere non possit tota vita, quin aliquando peccet mortaliter, ut hoc patet de infidelibus et in peccato mortali viventibus Christianis. Tamen homo Christianus in gratia existens bene potest se praecavere per gratiam Dei tota vita a mortali, et si non possit a venialibus. Unde Hieronymus, ut allegatur in II. Sententiarum dist. XXXVI., dicit errare cum Manichaeo, qui dicunt peccatum vitare non posse. Addit Magister ibidem, quod Hieronymus loquitur ibi de mortalibus peccatis, quae unusquisque gratia illuminatus vitare potest. Haec ibi. Unde I. Iohannis V.: *Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo – Lyra: scilicet per gratiam baptismalem –, non peccat – scilicet mortaliter, quamdiu in ea stat. Sed generatio Dei – id est ipsa gratia baptismalis – conservat eum 6 – scilicet de se, nisi voluntarie ille declinare velit a statu gratiae, quod est ex defectibilitate liberi arbitrii*. Haec Lyra. (F) Sed restat, quomodo possit quis agnoscere, quod sit sine mortali peccato. Respondetur secundum Thomam in IV. dist. IX., ubi dicit, quod dum homo non habet conscientiam certitudinaliter de peccato mortali, diligenti discussione praemissa poterit coniecturari se esse sine

peccato mortali et accedere ad communionem. Et hoc per signa, scilicet quattuor a Bernardo posita. Primum si quis devote audit verbum Dei, Iohannes VIII.: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* 7 Secundum si promptum et laetum in Domino delectabiliter reperit se ad bene operandum. Tertium si pleno corde dolet de peccatis. Quartum si firmum propositum habet cavendi omnia peccata. Sed beatus Emericus haec omnia in se habuit, ut patet ex praedictis et sequentibus. Ad quod probandum potissime facit, quod sibi Christus in revelatione dixit: „Virginitatem – inquit – mentis et corporis a te exigo, hanc serva” – ut patebit infra. Sed *virginitas mentis consistit in incorruptione omnis peccati mortalis* secundum Franciscum de Mayronis, ergo etc. Tertio claruit virginitate sacratissima, scilicet matrimonii sacramento consecrata, sicut fuit virginitas Beatae Mariae consecrata sacramento. (G) Unde legitur de eo, quod dum orationis causa secreto cum uno tantum famulo ecclesiam Sancti Georgii Wesprimiensem intrasset, ibique oratione quid acceptabilius posset Deo offerre, pertractaret corde, subito ingenti lumine totum ecclesiae aedificium circumfulsit. In quo vox divina de supernis insonuit, dicens: „Praeclara est virginitas, virginitatem mentis et corporis a te exigo, hanc offer, in hoc praesta proposito.” Ipse vero de se non praesumens, sed in Deo, mox ait: „Domine Deus, universitatis inspector, beneplacitum tuum in me perface, et noxios motus, qui militant contra animam, rore misericordiae tuae exstingue.” Itaque consolatus in Deo et confortatus famulo illi, qui aderat, ne cuiquam rem aperiret usque ad obitum, obsecrando interdixit. Interea cum ex paterna dispositione, qui etiam huius rei inscius fuit, virgo de regali prosapia desponsata beato Emerico pro posteritate habenda adducitur. Sed ipse sanctus carnalem generationem spe beati praemii horrescens intactam virginitatem illius custodivit, et suam. O miranda gratia, ignem – scilicet concupiscentiae – gestans in gremio non urebatur eius incendio. O vere mirabilis virtus vivere supra humani generis morem despiciendo solatia coniugii et contemnere liberorum dulcedinem! Haec autem, dum viveret, abscondite tenebantur, sed post obitum eius sponsa virgo testimonium perhibuit, et famulus ille secretum divinum oraculum, quod viderat, non abscondit. O quantum hoc maximum meritum sancti Emerici! Quia ut Hieronymus ait ad Paulam et Eustochium: *Semper angelis cognata est virginitas, profecto in carne praeter carnem vivere non terrena vita est, sed caelestis. Unde in carne angelicam gloriam acquirere maioris est meriti, quam habere.* Haec ille, et sic patet. (H) Circa tertium de privilegii gloria scilicet beati Emerici accipiamus pro conclusione, quod Christus Dominus sanctum suum, Emericum magna decoravit gloria privilegiorum, et hoc tam in vita, quam in morte ac post obitum. Primo in vita habuit privilegium revelationis divinorum secretorum. Nam legitur de eo, quod tempore quodam beatus rex Stephanus, pater eius una cum beato Emerico accessit ad abbatiam ecclesiae Sancti Martini in sancto monte Pannoniae fundatae. Cumque ipsius conventus fratres peracta processione salutaturi regem accessissent, rex propter sanctitatis filii reverentiam ipsum filium praemisit, ut primum salutaretur. Puer autem Emericus Spiritu Sancto repletus, prout divina gratia sibi revelante singulorum fratrum merita praenovit, singulis oscula tribuit varie. Alii quidem unum, alii tria, alii quinque, postremo uni septena oscula continuavit. Quam rem cunctis intuentibus, sanctus pater tacite mirabatur. Finita tandem missa, secreto de hoc ipsum sanctus rex requisivit familiari colloquio. At ille singulorum fratrum merita coram patre pertractans sub hac consideratione inaequaliter illis oscula dedisse edocuit. Eum quoque, cui septena oscula dederat, virginalem vitam perduxisse asseruit. Tandem veritatem horum beatus Stephanus sic comperit. Cum enim paucis diebus interpositis, ex quo recesserat inde sanctus rex, tantum duobus ministris adhibitis regressus vigilias fratrum coepisset explorare secreto. Iamque expleto matutinali officio ceteris in lecto se collocantibus, illi soli, quibus beatus Emericus oscula multiplicaverat, in ecclesia persistebant divisi in secretioribus angulis ecclesiae orantes. Cumque ad singulos sanctus rex divisim accederet salutans, singulis regem rupto silentio venerantibus, ipse novissime veniens ad fratrem Maurum nomine, quem commendaverat beatus Emericus in septem osculis. Nec verbis blandis salutans responsionem ab eo extorquere potuit. Mane facto in capitulo animum eius temptare voluit de humilitate, et plurima eidem obiecit religioni contraria ad probandum ipsum in communi audientia. Cuius assertioni Maurus nullam contradictionem fecit, sed humiliter persistens ad Deum mente confugit. Tunc beatus rex verba filii sui rata cognovit esse, et Maurum laudibus extulit, et episcopum Quinqueecclesiarum paulo post sublimavit. (I) Secundo in morte habuit privilegium honoris multorum angelorum concinentium. Nam legitur, quod ea hora, qua beatus Emericus migravit de saeculo, sanctus Eusebius, Caesareae Palaestinae metropolitanus cum in processione cum clero et populo incederet, audivit angelicae dulcedinis melodiam in excelso. Quam etiam quidam archidiaconus eius tunc praesens audivit per orationem beati Eusebii sibi revelatam. Cumque sanctus episcopus de hoc stuperet, vidit animam transferri in caelum cum tali melodia, audivit quoque vocem mox dicentem hanc esse animam beati Emerici, filii sancti Stephani, primi regis Pannoniae, quae in iubilo multorum angelorum ad superna fertur. Tertio post mortem habuit privilegium glorificationis maximorum praemiorum. Primo namque habet gloriam incorruptionis innocentiae, quae rara est etiam apud magnos sanctos. Nam Augustinus XXI. De civitate Dei dicit, quod *paucissimi sunt tantae felicitatis, ut ab ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata commiserint.* Secundo habet gloriam virginalis castimoniae, cui debetur aureola secundum doctores super IV. Sententiarum. Tertio habet gloriam vel privilegium illustrationis mirificae, et praecipue eius intercessio valet pro peccatorum remissione magnorum. (K) Nam legitur, quod beatus Emericus post mortem multis claruit miraculis. Erat autem interea quidam vir Conradus 8 enormitate peccatorum sarcinatus, qui Dei gratia compunctus Romam adiit, ubi confessus est. Tunc erat papa Hildebrandus, qui inaudita antea talium peccatorum enormitate stupens, deliberatione habita illi talem poenitentiam indixit, ut lorica ad carnem quinque catenis ferreis cingeretur, et peccata confessa litteris inscripta, sigillatisque anulo papae ipsi viro daret, quibus omnia loca, ubi sancti dormiunt, lustraret, et ubi divina gratia sic eundem visitaret, ut miraculose lorica fractis catenis in partes prosiliret, et charta crimina inscripta deleta haberet, ut legi non possent, ibi signum divinae misericordiae nosset affore. Abiens ergo homo ille sic, plurimorum sanctorum peragravit loca, et tandem venit ad Ierusalem visitans loca passionis Christi, sed Dominus voluit alibi suam misericordiam tali miraculo manifestare, quatenus ad ostendendam gloriam beati Emerici servaretur. Interea fama beati Stephani regis insignis habebatur, quod ad eius sepulchrum multa fierent miracula. Ille ergo vir accedens Albam et miracula fieri multa circa sepulchrum beati Stephani regis videns coepit orare, et animo firmo instare, ut Deus per eius

merita ostenderet sibi misericordiam. Fatigatus autem ex contritione ibidem somno rapitur. Mox quoque beatus Stephanus apparens dixit: „Surge, nec in meis meritis praesume, sed vade ad sepulchrum filii mei, beati Emerici, qui virginali vita Deo placuit, ipsum intercessorem habe.” Tunc surgens ille festinavit ad sepulchrum beati Emerici, ubi cum provolutus oraret, repente lorica fractis catenis in plures partes divisa prosiluit, ad cuius ferri sonitum populo concurrente et clero, ecce homo ille re declarata sigillum papae, quod integrum tulerat, confractum divinitus exhibuit, et charta soluta, nec vestigia litterarum in ea apparuerunt. Tunc omnes, qui affuerunt, in laudem Dei proruperunt, glorificantes Christum in beati Emerici meritis. Et nos ergo rogemus Dominum, ut det per eius merita veniam et gratiam in praesenti, et tandem gloriam. Amen.

---

1 Gn 27,27 2 Sir 13,19 3 Ier 6,7 4 I Io 4,16 5 Prv 8,17 6 I Io 5,18 7 Ioh 8,47 8 Editio: *Conrardus*

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XCI.] De sancto Emerico sermo secundus *Iustus germinabit sicut lilium, et florebit in aeternum ante Dominum.*(A) Haec verba canit Ecclesia transsumendo praecipue ex Oseae XIV. 1, quae inter ceteros confessores bene canuntur de sancto Emerico. Tum quia fuit iustus, utpote perfectus in sanctitate omnis virtutis. Nam secundum Philosophum I. Ethicorum: *Iustitia communis est virtus, et accipitur quandoque generaliter, in quantum comprehendit omnes virtutes morales*, sicut accipitur in praedicto etiam themate. Tum etiam quia beatus Emericus floruit in conspectu Dei sicut lilium per virginalem munditiam. Unde in Sancta Ecclesia ipse pro honore speciali habet hoc decus clenodii, ut depingatur cum lilio manu gestans. Tum denique quia ipse floret in gloria caelesti in aeternum ante Dominum praemio virginitatis, ut lili coronatus. Unde de eo accipiendo dicimus, quod *iustus* iste, scilicet sanctus Emericus *germinabit* etc. In quibus verbis commendatur de tribus, et secundum haec tria mysteria notabimus pro sermone ad ipsius honorem: · Primus de lili comparatione, quia dicitur: *Iustus germinabit, sicut lilium* · Secundum de virginali florisatione, ibi: *Sicut lilium florebit* · Tertium de aeternali decoratione, patet ibi: *In aeternum ante Dominum* (B) Circa primum de lili comparatione quaeritur: Unde est, quod iustus homo in Sacra Scriptura comparatur lilio, ut patet in themate praemisso? Ad quod respondetur, quod propter quattuor praecipuas lili proprietates: · Primo propter decorem · Secundo propter colorem · Tertio propter odorem · Quarto propter tenorem Primo propter decorem. Nam lilium inter flores habet pulchritudinis decorem, sic iustitia inter virtutes dicitur pulchra. Unde Augustinus VIII. De civitate Dei dicit: *Iustitia est pulchritudo animi, qua homines pulchri sunt in conspectu Dei, plerumque etiam corpore deformes*. Hinc etiam Philosophus V. Ethicorum dicit: *Praeclarissima virtutum moralium videtur esse iustitia, et nec Hesperus, nec Lucifer ita mirabiliter lucet*. Item Tullius De officiis dicit: *Iustitia virtutis splendor est maximus, ex qua quique boni viri nominantur*. Item XII. q. II. „Cum devotissima” Gregorius dicit: *Summum bonum est iustitiam colere*. Nam et Christus Math. V. dicit beatos eos, qui eam desiderant, pro solo vero desiderio etiam si perfecte habere nequeant, dicit: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. 2 (C) Sed hic adhuc restat dubium, cur decor iustitiae potius per decorem lili significetur praedecore aliorum florum. Ad quod potissima ratio est, quia alii flores in suae pulchritudinis candorem plerumque admittunt aliquid alterius coloris admixtum, ut patet de rosa, quae albet cum rubedine, viola cum flavedine et sic de aliis. Sed flos lili est mere alba in se sine admixtione, sic iustitia stat sine omni vitio. Unde dicit Ambrosius in Hexaemeron: *Ubi prudentia, ibi saepe malitia. Ubi fortitudo, ibi iracundia. Ubi temperantia, ibi iracundia et plerumque alia vitia. Ubi autem iustitia, ibi omnium virtutum concordia*. Et hoc patet ex hoc, quod sicut dicit Hieronymus, *omnes virtutes comprehendit*, et per consequens omne vitium excludit, quia quicumque unum tantum vitium habeat, iam talis non iudicatur iustus coram Deo. Sed castus quis potest esse cum superbia, humilis cum hypocrisi, sobrius cum loquacitate et ira, et sic de aliis. Hinc etiam Augustinus De gratia et libero arbitrio dicit: *Non omnibus iustis promissa est aeterna retributio, sed illis tantum, qui sunt iusti sine omni iniustitia*. Item Orosius: *Si quis minus vel magis facit, quam virtus iustitiae patitur, iniustitia est*. Unde lilio comparatur. Secundo propter colorem, quia lilium in suo flore habet album colorem impermixtum, sed intra se habet flores aurei coloris tamquam trium granorum inclusorem, et in stipite ac foliis viridem habet colorem. Sic homo iustus et bonus debet habere in se albedinem innocentiae. Unde Hieronymus in Epistola ad filium Mauriti dicit: *Iustitia nil aliud est, quam non peccare*. Non peccare est legis praecepta servare. Item homo iustus debet habere aureum colorem, scilicet charitatis, quae habet tres gradus, scilicet verae dilectionis Dei, sui et proximi. Unde Bernardus: *Iustitia est reddere unicuique, quod suum est*, scilicet Deo reverentiam, sibi innocentiam, proximo amicitiam. Denique iustus debet habere viriditatem virtutum omnium, ut patuit. Tertio propter odorem. Ipsum enim lilium odore suo et vigore valet ad infirma corpora fortificanda, et infirmitati subvenit. Sic iustitia vera infirmis compatitur et subvenit. Unde Gregorius XLV. dist. c. [„Vera iustitia”]: *Vera iustitia compassionem habet, falsa vero dedignationem, quamvis etiam iusti soleant recte peccatoribus indignari*. (D) Sed in hoc differentia est, ut ibidem tangitur, quia falsa iustitia typo superbiae gerit, quod vera iustitia zelo iustitiae agit. Item quia vere iusti licet indignantur peccatoribus, sed tamen non dedignantur, ut faciunt falsi iusti, quia vere iusti in increpatione intus charitatem et dulcedinem servant ac praeponunt sibi in animo plerumque eos, quos corrigunt meliores extimantes, quod falsi iusti, si sic faciunt. Unde Cassiodorus super Ps.: *Iusti veri cum aliis iurgium non habent, sed cum seipsis*. Quarto propter tenorem. Nam lilium teneri habet pulchre et stare inter spinas, ne laedatur, iuxta illud Canticorum II.: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea*, id est: anima iusta, *inter filias*. 3 Et sic iustitia in homine manere habet pulchre et servari inter spinas spirituales, extra quas facile laniatur. (E) Sed qualiter quisque iustus debeat se tamquam lilium inter spinas obstruere, ut possit iustitiae decorem sine peccato omni servare? Respondetur, quod ad hoc valent homini spinae spirituales quattuor generum. Prima namque spina est timor Dei. Eccli. I.: *Qui sine timore Dei est, non poterit iustificari*. 4 Chrysostomus: *Facile*



*declinat a iustitia, qui non timet Deum, sed homines.* Unde Ecclesiasticus XXVII.: *Si in timore Domini te non tenueris, cito subvertetur domus tua.* 5 Secunda spina est castigatio corporis sui. Unde I. Cor. IX.: *Castigo corpus meum, et in servitum redigo, ne cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar.* 6 Tertia spina frequens confessio peccati. Sicut enim vasa domus frequenter sunt abluenda, alias sordes semper contrahunt, sic anima. Unde Psalmus: *Exercitabar et scobepam spiritum meum* etc. 7 Quarta spina tribulatio mundi. Ps.: *Multae tribulationes iustorum.* 8 Unde Bernardus super Cantica: *Quomodo stellae in nocte lucent, quae in die latent, sic virtus iustitiae, quae in prosperis latet, in adversis patet.* O ergo homo, si vis florere ut lilium coram Deo, amplectere iustitiam, quam si vis tenere, elige te manere inter istas spinas, scilicet timoris, castigationis, confessionis, tribulationis etc. (F) Circa secundum de virginitatis flore vel castitatis formositate sufficiat hic una quaestio talis: utrum castitas sit plus meritoria et commendabilior in viris, quam in femellis, an e converso. Ratio quaestionis est talis: quia *virtus est circa difficile, sicut et ars*, ut dicitur II. Ethicorum. Unde et in iuvenibus iudicatur difficilior castitas, quam in senibus, quia senes minus habent de impugnatione et concupiscentiae fervore. Sed quoniam mulieribus difficilior est tenere castitatem propter fragilitatem sexus, quam viris, ergo videtur, quod maioris sit meriti in mulieribus iuxta dictum Apostoli I. Cor. III.: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, 9 scilicet difficultatis. Sed in contrarium est, quod vir plus viget ratione, quam mulier, ergo plus peccat contra continentiam luxurians, et per consequens plus meretur continendo. Nam dicit Philosophus I. Priorum, quod *oppositorum eadem est disciplina*, et patet per Topicam regulam: *Sicut propositum in proposito, sic oppositum in opposito.* Ad quaestionem ergo respondetur colligendo secundum doctores, quod circa castitatem servandam quattuor praecipua considerantur: Unum est id, quod formale est in castitate, et hoc est propositum abstinendi ab omni Venerea delectatione propter Deum, et sic debita intentio, scilicet ad vacandum divinis est finis virginitatis vel castitatis, iuxta illud I. Cor. VII.: *Mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta mente et corpore.* 10 Istud autem propositum tanto in quocumque sive viro, sive muliere est plus meritorium indifferenter, quanto ex maiori charitate procedit, vel maiori affectu occupandi se Deo fit, aut quanto magis paratum animum quis habet ad servandum propositum castitatis ac magis fixum ad perseverandum, ut haec patet per Thomam II. II. q. CLXI. Et secundum haec potest esse, quod aliquis vel aliqua in statu etiam coniugali melior sit, quam existens actu virgo, ut patet ibi secundum eundem Thomam. Secundum est, quod potest in castitate considerari, scilicet materiale, quae est integritas carnis in virginitate aut in aliis videlicet corruptis pudicitia animae, quae refrenativa est omnis carnalis concupiscentiae. Unde Augustinus Contra Iulianum li. IV. dicit: *Pudicitia est res animae, virginitas corporis. Illa quippe in animo permanente potest ista de corpore violenter auferri sibi. Et cum ista manet integra corpori, potest illa lasciva in animo voluntate corrumpi.* Haec Augustinus. Istud autem materiale castitatis esse potest plus meritoria in aliquibus, vel ratione diuturnitatis, quia a iuventute semper eam quis tenuit, vel ratione charitatis amplioris, aut ratione multiplicationis boni operis et huiusmodi. Tertium potest considerari in castitate difficultas continendi. Haec autem difficultas si est ex vitio personae, non auget meritum, sicut patet in eo, qui difficilior habet servare castitatem, postquam diutius libidini deservivit, quam virginitati. Unde Hieronymus in Epistola ad Eustochium dicit, quod viduata difficilior caret experta voluntate, quam virgo, minorem tamen habet continentiae mercedem. Item potest etiam difficultas continendi oriri ex aliqua circumstantia, quam homo vitare posset, sed non vult, sicut cum quis occasiones temptationum vel familiaritates mulierum non vult vitare, et ex hoc difficultatem habet continendi, nec talis difficultas auget meritum. Nam contra hoc vitium pugnandum est fugiendo, ut dicit Hieronymus adversus Vigilantium. Sed si quis vellet occasiones vitare, et non potest, huiusmodi difficultas per accidens auget meritum. Unde iuvenis continendo plus meretur, quam senex, et plus commendatur castitas in iuvene ceteris paribus, quam in sene, ut dicit Isidorus, propter difficultatem pugnae in iuventute. Haec omnia de difficultate secundum Bonaventuram li. De apologia pauperum adversus calumniatorem, ubi haec clare notantur. Quartum potest considerari castitas in ordine ad suum contrarium, scilicet vitium luxuriae, quod excludit, et sic secundum Richardum super IV. dist. XXXV. q. I. ar. IV.: *Vir contra castitatem gravius peccat in simplici fornicatione, quam mulier fornicando, et hoc ceteris paribus eo, quod in viro plus viget usus rationis, quo efficacius potest frenari concupiscentia, quam in muliere. Et quia mulier sexus fragilioris est, et plus habet de materia temptationis.* Unde Augustinus XXXII. q. VI. „Indignatur” dicit, quod *tanto gravius oportet puniri virum, scilicet fornicantem, quanto magis ad eum pertinet et virtute rationis vincere, et exemplo regere feminas.* Haec Augustinus. Cum ergo magis puniri habet vir in Inferno, sequitur, quod gravius peccat, scilicet intelligendo de fornicatione simplici secundum Richardum, et per consequens continentia quoad hoc in viro plus est commendabilis, quam in muliere. Sed in adulterio plus peccat mulier adulterando, quam vir, quoad bonum prolis, quia magis laedit adulterium per prolis incertitudinem. Quoad bonum fidei autem vir et mulier aequaliter peccant ceteris paribus, et quoad hoc intelligendum est, quod Magister eadem dist. XXXV. dicit: *Christiana – inquit – religio adulterium in utroque sexu pari conditione condemnat.* Haec secundum Richardum, et sic patet, quod quandoque castitas in viris et quandoque in mulieribus plus est commendabilis. O ergo omnes Christiani, sive viri, sive mulieres, diligite castitatem, quia indicibilis est eius gloria in caelo. O carissimi in Christo, cavete luxuriam, quia ut Gregorius ait, *momentaneum est, quod delectat, aeternum, quod cruciat.* Advertamus haec, ne pereamus! (G) Circa tertium de aeternali decore, scilicet quo beatus Emericus simulque omnes casti florent in aeternum ante Dominum, accipiamus pro conclusione, quod beatus Emericus miro decore castitatis laetatur aeternaliter ante Deum glorificatus. Declaratur, quia casti homines et praecipue virgines in caelo pro castitatis praemio decorantur mirabili modo. Primo quidem in vestimenti gloriae candore, pro Christi similitudine, Apoc. III.: *ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt.* 11 Sicut quippe gloria est militi consimili veste regia a rege praestita indui, sic virginibus et castis assimilari regi Christo et sanctae matri eius. Et quoniam beatus Emericus exemplo Christi voluit in praesenti virginitatem tenere, et ad conformitatem Sanctae Mariae, matris Christi, tenuit virginitatem in sancto matrimonio, ut patet in legenda, sermone I. „G”, ergo sequitur, quod habet candorem gloriae consimilem in ornatu. Secundo in angelico honore. Unde Ambrosius li. De virginitate dicit: *Supergreditur virginitas conditionem humanae naturae, per quam homines assimilantur angelis in caelo, qui*

neque nubent, neque nubentur etc. Istud monstratum est in beato Emerico, de quo legitur, quod mirabili honore angeli concinentes duxerunt eum in caelum, ut patet sermone I. „I”. Immo et Deus honorat revelando sua secreta caelestia virginibus, ibidem „H”. Tertio in coronae fulgore, quia per virginitatem fulget non solum corona aurea gloriae caelestis, sed insuper corona aureola virginitatis. Nam canit Ecclesia de virginibus: *Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum*, ergo etc. Quarto in Christi consociatione, iuxta illud Apo. XIV.: *Hi sequuntur agnum quocumque iverit*, et ibidem dicitur, quod *cantabant canticum, quod nemo alius poterat cantare*. 12 Istud habet beatus Emericus, quod Deus per multa miracula declaravit, praecipue autem in miraculo de peccatorum magnorum per intercessionem ipsius remissione, ut patet sermone I. „K” de quodam Conrado. Rogemus ergo, carissimi, ut per merita beati Emerici Christus Dominus det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Cf. Os 14,6 2 Mt 5,6 3 Ct 2,2 4 Sir 1,28 5 Sir 27,4 6 I Cor 8,27 7 Ps 76,7 8 Ps 33,20 9 I Cor 3,8 10 I Cor 6,34 11 Apc 3,4 12 Apc 14,4

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XCII.] De sancto Emerico sermo tertius *Memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuae*. Eccs. XII., 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Sicut dicit Chrysostomus et docet experientia, homines multum delectantur audire aliqua iucunda nova, et frequenter memorant de hominibus, quos habent sibi carissimos, et per talia clarescit amor ad illos. Sic spiritualiter qui Deum diligunt, saepissime de eo loquuntur, ipsum in corde semper gerere volunt, et in omni casu invocant. Unde et Salvator Math. XII. ait: *Ex abundantia cordis os loquitur*. 2 Sed quoniam beatus Emericus toto corde dilexit Deum a iuventute, immo a pueritia, ideo semper memor fuit Dei, cogitans, quomodo posset placere Deo, die et nocte vacans orationi, meditationi et devotioni verbi Dei. Unde de eo optime potest pro themate dici illud II. Paral. XXXIV.: *Cum adhuc esset puer, coepit quaerere Deum*, 3 quod ad litteram de Iosia rege scriptum est. Omnibus ergo nobis proponitur in exemplum, quatenus non differamus servire Deo, sicut heu multi male differunt usque ad senectutem vel tempus mortis. Unde unicuique scriptura praedicta dicit: *Memento Creatoris tui*, scilicet ut ipsum ames, et ipsi deservias in diebus iuventutis tuae, exemplo beati Emerici. Iuxta quae verba tria notemus mysteria, secundum quod in exemplo commendatur sanctus Emericus de tribus: · Primo de celeberrima Dei recordatione, ibi: *Memento Creatoris* · Secundo de tempestiva meriti cumulatione, ibi: *in diebus iuventutis* · Tertio de superna praemii felicitatione, quod sequitur ad praedicta (B) Circa primum de creberrima Dei recordatione accipiamus pro conclusione, quod beati Emerici et aliorum sanctorum exemplo debet quilibet Christianus homo recordari creberrime de Deo, et declaratur sic. Advertendum namque est, quod tria debemus de Deo commemorari frequentius, si volumus in gratia Dei stare et amore. · Primo ea, quae incitant ad timorem · Secundo ea, quae inflammant ad amorem · Tertio ea, quae inducunt ad gratiarumactionem Primo inquam ea, quae incitant nos ad timorem, et haec potissime sunt tria. Unum est irae Dei per peccatum provocatio, de quo Deut. IX.: *Memento et non obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum*, 4 scilicet per peccatum. Et quoniam ut dicitur Iac. III.: *In multis offendimus omnes*. 5 Debemus ergo omnes memorari de offensis, ut iram Dei placare possimus per poenitentiam. Unde Apoc. II.: *Memento, unde excideris, et age poenitentiam*, 6 nam hoc est remedium contra Dei iram. Hinc Chrysostomus super Heb. dicit: *Nullum tale remedium est ad placandum Deum, sicut continuata memoria delictorum in poenitentia*. Exemplum de Ezechia rege, qui dixit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*, 7 et sic Dei misericordiam promeruit ac prolongationem vitae XV annis, ut habetur Esaiiae XXXVIII. O quis non pertimescat Deum, si pensat, quoniam aeterna tormenta praeparavit peccatoribus in Inferno. Secundum est, quod debemus memorari ad pertimescendum videlicet mortis et iudicii divini consideratio. Unde Eccli. VII.: *Memorare novissima, et in aeternum non peccabis*. 8 Item Eccli. XI.: *Si multis annis vixerit homo, et in omnibus his laetus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis*, 9 scilicet mortis et diei necessitatis, id est iudicii, ubi homo necessitate angustiatur ad reddendam rationem de omnibus suis factis et cogitatibus. Unde loquendo cum Bernardo in Meditationibus: *Vae mihi peccatori, si poenitentiam non egero, statim praesentabor ante districtum iudicem de omnibus operibus meis redditurus rationem. Tunc demisso capite malae conscientiae in iudicio stabo, et dicetur mihi: Ecce homo et opera eius*. Haec debet cogitare iustus. Iuxta illud Prover. XII.: *Cogitationes iustorum iudicia*, 10 per talia enim pertimescit facere peccata. Eccli. I.: *Timor Domini expellit peccatum*. 11 Tertium ad pertimescendum memorari debemus aeternitatem cruciatus in Inferno. Unde Bernardus: *O miserabiles miseri, quos seducunt miseriae huius vitae, ut ducant in bonis dies suos, et in puncto ad Inferna descendant, ubi non una die, non decem aut mille, nec centum milibus annorum, sed ardebunt sine fine saeculorum*. Secundo debemus memorari ea, quae inflammant ad Dei amorem, quae sunt beneficia nobis impensa a Deo. Primo quidem in creatione, quia fecit nos ad imaginem suam, et praeposuit omnibus creatis in hoc mundo inferiori. Unde Augustinus XI. De civitate Dei: *In rebus creatis nil Deo propinquius sua imagine*. Idem: *Caelum, terra et omnia, quae in eis sunt, clamant, ut te amem, Domine*, scilicet quia omnia subiectisti sub pedibus nostris. Secundo beneficia in incarnatione, qua tantum Deus dilexit nos, ut fieret homo, et sic plus quam angelos. Heb. II.: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae*. 12 O qualis amor, quantus honor, quod Deus factus est frater noster! Augustinus super Ps. LII.: *Filius Dei factus est particeps nostrae mortalitatis, ut homo fieret particeps suae divinitatis*. Tertio beneficia in passionis redemptione, quia adeo dilexit nos, quod lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Unde Augustinus: *Si piget amare, non pudeat reamare pro tanta Dei dilectione*. Tertio debemus memorari ea, quae inducunt nos ad gratiarumactionem, et haec sunt praedicta omnia beneficia, et insuper beneficium repromissae glorificationis et restitutionis aeternae beatitudinis. Unde Bernardus: *Si totum debeo me illi pro me facto, quid et quantum debeo pro me redempto et reparato ad aeternam beatitudinem*. O homo, si tibi

rex promitteret et daret unum castrum, aut maius dicam: unum regnum, numquid non regratiareri tota vita tua, quanto magis deberes pro regno beato aeternae felicitatis. Bernardus: *Sicut nullum est momentum, in quo non utamur Dei bonitate et misericordia, ita nullum debet esse momentum, in quo non debemus habere eius memoriam.* Ad propositum: Beatus Emericus legitur, quod dum alii dormirent, ipse in psalmis et orationibus vigilabat per noctem, scilicet meditando Dei beneficia et gratias agendo, ipsumque summe amabat et timebat. Nam in uniuscuiusque psalmi fine veniam cum contritione postulabat. (C) Circa secundum de tempestiva meriti cumulatione, quia statim a pueritia Christo servivit. Quaeri possunt tria praecipua aliis de hoc alibi tractatis. Prima quaestio, qualiter se debeat homo habere in iuventute, ut mereatur magnam gratiam in conspectu maiestatis divinae. Respondetur, quod prout colligitur ex Scripturis Sacris, quod ad hoc praecipue tria sunt necessaria: · Primo carnis disciplina · Secundo eruditio sancta · Tertio oratio devotissima cum cordis munditia Primo inquam, ut quis in iuventute possit gratiam magnam promereri, debet habere carnis disciplinam. Unde Prover. XXII.: *Stultitia colligata est in corde pueri* 13 propter defectum experientiae et debilem usum rationis. Nam ut Philosophus in Problematis ait: *Iuvenes sunt passionum insectatores, et ideo instabiles.* Sed propterea subditur: *Virga disciplinae fugabit eam, quia pueri magis moventur timore poenae, quam amore boni.* Qui itaque vult apud Deum magnam gratiam promereri, debet corpus suum in iuventute sub disciplina coercere a concupiscentia et passionibus. Unde Thren. III.: *Bonum est viro, cum portaverit iugum Domini ab adolescentia sua.* 14 Augustinus: *Maledictus, qui offert florem iuventutis suae diabolo, et faecem senectutis Christo.* Secundum est eruditio sancta et assuefactio in virtute ac honestate. Unde Prover. XIII.: *Qui diligit filium, instanter erudit illum, qui autem parcit virgae, odit filium suum.* 15 Unde Philosophus I. li. Ethicorum dicit, quod *multum facit ad virtutem, ut iuvenes assuefiant in operibus virtutum.* Versus: *Quod nova testa capit, inveterata sapit.* Tertium est oratio devota cum cordis munditia. Unde Prover. XXII.: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem,* 16 scilicet caelestem. Ad id exemplum: nam quanto sunt pretiosiores reliquiae, tanto pretiosiori vasae, scilicet de auro facto et gemmis servantur, ergo Christus, Dei Filius super omnia pretiosissimus requiritur, ut servetur, et maneat in corde mundissimo, sicque adoretur. Item lapis pretiosus, qui iaspis dicitur, quanto pretiosius et mundius situatur, tanto efficacius et virtuosius operatur. Nam efficacius operatur locatus in auro, quam in argento, et plus in argento, quam in aere vel plumbo aut cupro. Sic Christus Dominus quanto in corde pretiosiori per munditiam collocatur inhabitando, tanto maiorem gratiam et virtutem confert homini et beatitudinem. Iuxta illud Mat. V.: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* 17 ergo mundiores clarius, et mundissimi clarissime videbunt per illam maximam Topicam: *sicut simpliciter ad simpliciter, sic magis ad etc.* O ergo homo, adverte haec! (D) Secunda quaestio: Quid de his, qui totum tempus iuventutis expenderunt in malis, vel saltem minus, quam debuerunt faciendo, quomodo recuperare poterint, quod perdiderint? Ad hoc respondet Bernardus, quod *per veram poenitentiam recuperare talis poterit, si ardentem requirit, quod perdidit.* Unde Bernardus dicit: *Vere poenitens de tempore nil perdit, quia et praeteritum, quod perdidit, restaurat per contritionem, et praesens tenet per bonam operationem, et futurum per boni propositi constantiam et perseverationem.* Haec Bernardus. O ergo homo provecte aetatis, o tu senex, provide tibi poenitendo, alioquin poenam lues in futuro, saltem in Purgatorio. (E) Tertia quaestio: Quis horum magis tenetur diligere Deum et regratiari – an is, qui a principio suae vitae se a peccatis cavet, et Deo servivit in puritate, an ille, qui post multa peccata Dei misericordia ad poenitentiam rediit? Ad hoc respondetur ex sententia doctorum, praecipue sancti Thomae Secunda Secundae q. CVI. ar. VI., quod licet ex quadam consideratione, scilicet misericordiae Dei is, qui post peccata multa rediit ad poenitentiam, teneatur Deo magis. Primo quia tali poenitenti plus dimittitur. *Cui autem plus dimittitur, plus diligit,* id est diligere debet, ut ait Salvator Luc. VII. 18 per parabolam de duobus debitoribus cuidam feneratori. Secundo quia talis peccator plus indignus est ad Dei beneficia, utpote inimicus Dei. Unde Augustinus: *Scio omnem criminis inimicum esse Deo, ergo plus gratis conceditur ei misericordia a Deo et poenitentiae infusio.* Nihilominus tamen simpliciter et absolute magis tenetur Deo innocens et a principio Deo deserviens, scilicet considerando Dei donum. Primo quidem quia excellentius beneficium vel donum maius recepit. Maius est enim praeservari a malo, quam permittere incidere in peccatum, et postea liberare. Unde innocentia nobiliter donum est et maius, quam poenitentia. Nam et Beata Virgo Maria propter donum summae puritatis et innocentiae plus debetrix est ad diligendum Deum et regratiandum (quod et fecit), quam deberet Petrus vel Magdalena et omnes poenitentes pro peccatorum suorum remissione vel venia. Secundo quia talis innocens accepit a Deo bonum continuum gratiae et diuturnius. Ille autem poenitens post peccatum bonum interruptum accepit. Sed maius est bonum non interruptum, quam interruptum, sicut melius est vestis numquam lacerata, quam ipsa eadem post lacerationem reparata, (ceteris paribus), honorabilius est militi numquam cecidisse, quam post casum surrexisse. Tertio quia in caelo praemiatur gloriosius. Iuxta illud Apoc. XIV.: *Cantabant canticum novum, scilicet innocentes, quod nemo alius poterat cantare.* 19 Haymo: *Hoc canticum novum est gaudium de integritate mentis et corporis, quod nemo corruptus poterit habere.* Ad propositum: Beatus Emericus a principio vitae semper in innocentia et puritate Deo servivit, carnem domando, vitia cavendo, virginitatem conservando et semper devote orando, sub eruditione sancti Stephani regis, scilicet patris sui et sancti Gerhardi. Ergo maximam gratiam habuit, et Deum multum dilexit, ac in caelo maximam habet gloriam. (F) Circa tertium de felicitate superna ipsius beati Emerici sit pro conclusione, quod beatus Emericus quanto coepit Deo deservire celerius, et a principio aetatis purius, tanto in caelo fulget praemio gloriosius. Declaratur, quia Salvator Mat. XVI. dicit: *Filius hominis reddet unicuique secundum opera sua.* 20 Sed quia ille, qui a principio semper Deo servivit, plura et mundiora opera bona fecit, ergo maiorem gloriam promeruit. Talis fuit beatus Emericus, ergo etc. Sed quaeritur, quomodo possit homo tam brevi tempore tantam gloriae excellentiam et felicitatem acquirere. Nam modico tempore beatus Emericus supervixit, scilicet annos circa XX a sua nativitate. Respondetur secundum doctores, quod brevi tempore potest homo magnam gloriam in caelo promereri et acquirere, sicut adquisivit iste beatus Emericus. Sic et beatus Stephanus, Agapitus, Chrysantus, Vitus, Ludovicus, Agnes et multi alii utriusque sexus, qui licet parum vixerunt, tamen maxima praemia adquisierunt in caelo. Et hoc ex tribus praecipuis provenit: · Primo ex Dei gratia magna · Secundo ex vitae



sanctimonia · Tertio ex divina dispositione et providentia Primo ex Dei magna gratia, quia sicut magna hominum malitia constituit et facit quosdam magnos peccatores in brevi descendere ad profundum inferni, adeo, quod iusto Dei iudicio non permittantur vivere in hac vita diutius, utpote indigni, iuxta illud Ps.: *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos*, 21 id est dimidium temporis suae aetatis, quod deberent supervivere, si bene viverent, non habebunt morte praeventi, sicut patet in his, qui suspenduntur pro furto vel alio modo occiduntur aut moriuntur pro peccatis, cum adhuc essent in iuventute. Item idem Psalmus dicit: *Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam*. 22 Sic per contrarium magna et specialis gratia Dei facit, ut aliqui in iuventute aut pueritia habeant perfectionem plenam et praemium magnae gloriae. Unde Hugo de Sancto Victore: *Secundum dona gratiarum sunt merita, et secundum quantitatem meritorum praemia*. Secundo ex vitae sanctimonia. Nam secundum Hieronymum: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudabile est*. Nec curandum est, quamdiu vivatur, sed quam bene vivatur, secundum sententiam sapientis. Ideoque sancti et boni homines parvo tempore superviventes et sanctae plurima meritorum cumula congregant, in quibus non tam diuturnitas temporis, quam charitatis firmitasque voluntatis pensatur, qua proponunt toto tempore vitae deservire Deo, et hoc quantum in se est, implent opere. Unde Gregorius III. q. VII. „In generibus” et XXIV. q. I. „Odi”: *Plus Deo placet affectus offerentis, quam munus, et voluntas pro facto capitur*. Tertio ex providentia divina. Nam quia vult Deus quosdam sanctos educere per mortem celerius ex hac vita utique, quia secundum quod praevidebat illos ad gradum gloriae caelestis pervenire debere, sic disponit, ut illam perfectionem gradus in brevi compleant, et completo meritorum gradu illo, ad quem sunt ab aeterno electi, mox educuntur a Deo. Unde Sap. IV. dicitur: *Consummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat anima illius, propterea properavit eum educere Deus de medio iniquitatum*. 23 Sic ergo Deus disposuit, ut beatus Emericus in brevi tempore vitae tanta merita acquireret, et tam sancte viveret, ut ad gloriam summam, ad quam electus fuerat, dignus celeriter haberetur, quam maximae autem sit gloriae, ostensum est in revelatione sancti Stephani facta Conrado, qui per illius merita obtinuit peccatorum maximorum remissionem, ut patet sermone I. „K”. O ergo homo, festina ad supernam gloriam pervenire per bonam vitam et merita sanctitatis. O si videres, qualis et quanta sit illa gloria, et quantum superabundat in secundo choro angelorum super primum chorum, et sic consequenter in tertio super secundum, et sic de aliis 24 usque ad nonum, libenter duceres centum annos in dura poenitentia et martyrio, ut saltem posses de inferiori ad superiorem secundum et quanto magis ad altiora pervenire, ut patet per Augustinum. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut beati Emerici meritis det nobis gratiam et gloriam. Sermonem quartum de sancto Emerico vide ex communi de confessoribus 25.

---

1 Ecl 12,1 2 Mt 12,38 3 II Par 34,3 4 Dt 9,7 5 Iac 3,2 6 Apc 2,5 7 Is 38,16 8 Sir 7,40 9 Ecl 11,8 10 Prv 12,5 11 Sir 1,27 12 Hbr 2,16 13 Prv 22,15 14 Lam 3,27 15 Prv 13,24 16 Prv 22,11 17 Mt 5,8 18 Cf. Lc 7,47 19 Apc 14,3 20 Mt 16,27 21 Ps 54,24 22 Ps 72,19 23 Sap 4,13-14 24 Editio: et ceteris 25 Vide PA 117: De quocumque confessore communis sermo vel PA 118: De quocumque confessore communis sermo.

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XCIII.] Item de sancto Martino episcopo Sermo primus cum legenda *Elegit eum Dominus sacerdotem sibi ad sacrificandum ei hostiam laudis*. Haec verba originaliter scribuntur Ecc. XLV., 1 et Ecclesia transsumpsit ea canendo de sanctis pontificibus confessoribus, inter alios etiam de sancto Martino. (A) In quibus commendatur praecipue de tribus. Primo de divinali electione, cum dicitur: *Elegit eum Dominus*. De qua sanctis maximum est gaudium et honor ac gloria, quod ab aeterno sunt electi a Deo. Maius enim est hoc, quam si quis foret electus in regem terrenum vel imperatorem aut dominum quantumcumque magnum, utpote quia ista sunt transitoria, regnum autem caeleste, quod dat Deus, aeternum. Secundo commendatur de sacerdotali dignificatione, cum dicitur: *Sacerdotem sibi*. Et haec talis et tanta est, quod praecellat angelicam dignitatem in hoc, quod sacerdos habet consecrare et tractare corpus et sanguinem Christi, non autem angelus. Unde sanctus Franciscus dicebat, quod si obviaret sibi unus sacerdos et etiam unus angelus, prius vellet salutare sacerdotem, quam angelum. Tertio commendatur de laudis Dei sacrificacione, cum dicitur: *Ad sacrificandum ei hostiam laudis*. In quo nobis proponitur in exemplum. Unde haec verba de beato Martino convenienter accipiendo tria mysteria notemus ordine alio pro sermone. · Primum de divinae laudis sacrificio · Secundo de sanctitatis magno privilegio, ad quod electus est a Deo · Tertium de felicitatis glorioso praemio, quod sequitur ad praedicta (B) Circa primum de sacrificio laudis divinae inquirendum est pro simplicis populi aedificatione, de quibus et qualiter debeat fidelis homo sacrificare Deo, scilicet beati Martini exemplo. Ad quod respondetur, quod praecipue de quattuor generibus sacrificiorum tenetur homo, quae et sanctus Martinus obtulit fidelissime ipsi Deo. · Primo de sua re · Secundo de suo corpore · Tertio de potentiis animae · Quarto de sacrificio Eucharistiae Primo de sua re. Unde Prover. III.: *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum da pauperibus*. 2 Et Ecc. XIV.: *Fili, si habes, scilicet bona temporalia, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer, memento, quoniam mors non tardat*. 3 In quibus auctoritatibus Scripturae docemur, qualiter debeamus Deo sacrificare de rebus, si volumus acceptari a Deo talia sacrificia nostra. Nam primo omnium debemus Dei honorem praefere, scilicet ut non transgrediamur in aliquo eius praecepta, propterea dicitur: *Honora Dominum*. Nam ut dicit Augustinus: *Munera tua non placent Deo, nisi ex te bono*. Respexit enim Deus ad Abel, et deinde ad munera illius. Hoc contra illos est, qui in peccato perseverant, nec curant desistere, licet et de rebus suis aut actibus Deo offerant aliqua opera de genere faciendo, scilicet elemosynas vel orationes. De talibus Gregorius in Pastoralis dicit sic: *Qui escam aut vestimentum pauperibus largitur, tamen animae et corporis inquinamentis polluitur, quod minus est, offert iustitiae, quod maius est, culpae. Sua quippe dat Deo, et seipsum diabolo*. Haec ille. Secundo si volumus, ut placeant Deo sacrificia de nostris rebus, debemus illa ex propriis, non de alienis offerre. Unde Augustinus XIV. q. V.:

*Immolans – inquit – ex iniquo oblatio est maculata, dona iniquorum non probat Altissimus, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui enim offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Haec ibi. Et ibidem capitulo subsequenti idem Augustinus dicit: *Forte aliquis dicat: Multi sunt divites, avari, cupidi, non habeo peccatum, si suum illis abstulero et pauperibus dedero, unde enim illi nil boni agunt, mercedem sic habere per illa potero. Sed huiusmodi cogitatio est a diaboli calliditate, nam si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potius peccatum, quam minuat.* Haec Augustinus. Propterea dicitur in auctoritate supradicta: *Honora Dominum*, de sua substantia, non de aliena. Tertio debemus Deo sacrificare de melioribus rebus in oblationem vel distributionem pauperibus erogare. Unde subditur: *Et de primitiis frugum tuarum.* Lyra: id est de melioribus bonis da pauperibus, quia pauperes sunt membra Dei. Hoc contra illos, qui foetida cibaria et vilia quaeque ac defectuosa, quae nec sibi placent, nec servari valent, talia dant pauperibus. Quarto debemus haec ante mortem facere. Unde subditur in alia auctoritate, scilicet Ecc. XIV.: *Memento, quoniam mors non tardat, et ideo ante mortem benefac amico tuo.* 4 Lyra: id est proximo indigenti vel pauperi. Hoc est contra illos, qui tantum post mortem volunt dare. Nam tales multum stulte secum agunt. Primo quia intrare se ignem Purgatorii acerbissimum permittunt, et postea inde per tempus liberantur, qui tamen possunt praeservari, ne intrarent illum ignem, videlicet faciendo in vita de rebus, quod faciunt post mortem. Secundo quia minus meritum volunt habere, cum possent maximum in vita faciendo. Sic enim meretur homo gloriam et gratiam ac peccati expiationem. Sed post mortem faciendo elemosynas per illas meretur tantummodo a peccatis purgationem. Stultus autem est, qui ubi posset lucrari improportionabiliter plus, vult contentari de obolo. Tertio quia in dubio se ponunt, cum incertum sit, utrum suae res post mortem per alios fideliter exponantur ad suae animae liberationem. Ideo Augustinus in quodam sermone dicit: *Redime te, dum vivis, redime te, dum potes, redime te, dum pretium habes, ne dum mors amara te praevenerit, et vitam simul et pretium perdas.* Haec ille. (C) Secundo de corpore debemus sacrificare Deo. Ad quod hortatur Apostolus Ro. XII.: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam Deo viventem sanctam Deo placentem rationabile obsequium vestrum.* 5 Sed qualibus modis sacrificare debeat homo Deo de corpore suo, respondetur, quod primo membra in servitio Dei occupando. Nam cum cor occupas in peccatorum contritionem, Deo sacrificas. Ps.: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum* etc. 6 Item os in oratione, aures in verbi Dei auditione, pedes in ingressu ecclesiae, manus in elemosynae subventionem, oculos in lacrimatione poenitentiae, et vires corporis in bonis operibus expendendo sacrificas Deo. Ps.: *Sacrificate sacrificium iustitiae, id est bonorum operum, et sperate in Domino.* 7 Lyra: id est sic sperare potestis de praemio recipiendo a Domino. Nam quaero: Cur homines pigri sunt ad expendendum vires suas in servitio Dei? Huius utique potissima ratio est, quia non considerant nec sperant, quantum deberent de mercede, quae deberetur eis ex promissione Dei. Nam si scires et sperares, quod tibi pro uno Pater noster darentur a rege tres ducati, libenter orares quotidie Pater noster. Sic in proposito si scires et confideres, quod tibi regnum aeternum indicibilis felicitatis dabitur a Deo in caelo, libenter Deo servires. Gregorius super Ezech.: *Quantum credit quisque, tantum sperat, et quantum credit ac sperat, tantum operatur et amat.* Secundo corpus nostrum debemus sacrificare Deo carnis concupiscentias mortificando. Ambrosius in Hexaemeron: *Hoc est verum Christi sacrificium, pudicitia corporis.* Item Bernardus in Meditationibus: *Quotiens peccato resistimus, totiens diabolum superamus, angelos laetificamus, Deum honoramus, et coronam habebimus.* Sed heu multi sacrificium faciunt de suo corpore diabolo. Origenes: *Quotiens peccamus, diabolo sacrificamur.* Tertio debemus sacrificare corpus Deo poenitentiam tempestive agendo et non differendo. Unde Dan. III.: *In animo contrito et spiritu humilitatis fiat sacrificium nostrum hodie in conspectu tuo, Domine, ut placeat tibi.* 8 Notanter dicit: 'hodie' non differendo, scilicet vel tardando de die in diem, ut heu multi faciunt, quia tanto magis placent Deo sacrificia poenitentiae, quanto sunt accelerata. Ecc. V.: *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, et disperdet te.* 9 O ergo iuvenis, sacrificia Deo tuam iuventutem, sic et tu, adolescens, et tu, puer. Nam ut ait Augustinus: *Maledictus, qui offert florem iuventutis diabolo, et faecem senectutis Christo.* Quarto debemus corpus Deo sacrificare flagella corporis patienter sufferendo, scilicet infirmitates corporis et huiusmodi. Unde David I. Reg. XXVI. dixit in sua adversitate: *Odoretur sacrificium.* 10 Lyra: sacrificium patientiae acceptum est coram Deo ac si offerretur holocaustum super altari suo, immo ut Gregorius ait: *Maioris est meriti adversa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare.* O ergo homo, gratias age Deo in infirmitate, et sic Deo sacrificas. Tertio de mente sive anima debemus Deo sacrificare, scilicet memorando Dei beneficia cum gratitudine, et intellectum mancipando in eius fidei obsequio, ac voluntate plena adhaerendo Deo firmiter per eius amorem et laudis confessionem, iuxta quod Ps. dicit: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* 11 Et sic debemus Deo de anima offerre fidei, spei ac charitatis sacrificium. Unde ad hoc debemus sacrificare memoriam nostram cogitatumque Deo et omnes potentias animae in meditatione passionis Christi et devotione. Quarto de sacramento Eucharistiae debemus sacrificare Deo, quod est summi honoris et laudis Dei sacrificium. Unde dicit Deus per Ps.: *Sacrificium laudis honorificabit me.* 12 Lyra: id est sacrificium Eucharistiae, quod immolatur laudibus divinis, hoc enim summe honorificatur Deus, si recipiatur digne, et administretur, ut debet. Sequitur: Illic iter, scilicet salutis habetur. Unde et subditur: Quo ostendam illi, scilicet homini, salutare Dei, id est virtutem aeternam, et in virtute sacrificii habetur. Ioh. VI.: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* 13 Debent ergo fideles assistere huic sacrificio frequentius. (D) Quaeritur hic, utrum quilibet Christianus debeat et teneatur missam audire. Respondetur secundum Hostiensem, necnon fratrem Angelum de Clavasio in Summa sua, quod de praecepto diebus Dominicis et festis ab Ecclesia praeceptis tenetur audire missam quilibet, qui non est excommunicatus, nec interdictus, aut legitime impeditus, et tenetur totam missam vel integram audire, ita quod benedictionem sacerdotis accipiat, ut patet de consecratione dist. I. „Missas” et c. sequenti et c. „Omnes fideles”, nisi excusetur quis magna necessitate, unde Richardus in Quodlibeto I. q. XIX. dicit, quod si ex vero contemptu vel interpretativo omittitur, est peccatum mortale, et vocat contemptum interpretativum, quando sine aliqua causa legitima ad non audiendum missam in festis assuefacit. Si autem omittit ex aliqua passione animi vel pigritia vel non causa rationabili, si tamen ad omittendum non est

assuetus, est veniale peccatum. Si vero ex legitima causa, nullum erit peccatum. Quod etiam dicitur de toto, dic de parte notabili, scilicet quod peccat, si notabilem partem missae dimittit, secus de modica, puta introitu et huiusmodi. Sed de diebus non festis et non praeceptis ab Ecclesia respondet frater Angelus, quod non tenetur tunc homo de praecepto audire missam, tamen de bona honestate quilibet omni die, maxime episcopus vel religiosus aut ecclesiasticus debet audire, ar. c. fi. de privil. li. VI. Nimirum ad audiendam missam inducunt plura bona ex hoc consequentia, scilicet peccatorum expiatio, gratiae augmentatio, orationis exauditio, malorum remotio, periculorum defensio, poenae Purgatorii mitigatio, mortis securatio et gloriae caelestis cumulatio, de quibus alibi egimus. Ad propositum: Beatus Martinus de praemissis omnibus sacrificavit Christo fideliter, videlicet de rebus pauperibus distribuendo, de corpore Christo munde serviendo, de anima devotae orationi semper vacando, et de Eucharistia missas dicendo. (E) Circa secundum de sanctitatis magno privilegio, ac circa tertium insimul prosequendo pro brevitate sit conclusio, quod beatus Martinus merito canitur ab Ecclesia *gemma sacerdotum* pro magnitudine privilegiorum et praemiorum. Nam vide ABC: Primum privilegium accelerationis divinae servitutis. Nam legitur, quod Martinus Savariae Pannoniorum oriundus, sed intra Italiam Papiae alitus cum patre suo, tribuno militum caesari militavit, non tamen spontanee, quia ab infantia divinam semper servitum aspiravit. Et cum esset duodecim annorum, invitis parentibus ad ecclesiam confugit, et se fieri catechumenum postulavit, et ex tunc eremum concupivit, ac voto satisfacisset, si carnis infirmitas non obstitisset. Secundum est benignitatis. Cum enim caesares decrevissent, ut veteranorum filii pro patribus militarent, Martinus cum esset annorum quindecim, ad militandum urgetur, uno tantummodo contentus servo, cui viceversa serviebat, et calciamenta extrahebat, et detergebat saepe, sequendo humilitatem Christi. Nil de stipendiis praeter quotidianum victum servabat, sed pauperibus erogabat. Unde quodam tempore hiemali per portam Ambianensium transiens cum militibus quidam pauper nudus, ut sui miseretur, postulans, cum nullus ei subvenisset, Martinus arrepto ense chlamydem, quae tantummodo supererat, dividit, et partem pauperi tribuens reliqua parte rursus induit. Sequenti nocte Christus cum angelis apparuit sibi vestitus illa chlamydis parte, et dixit ad angelos: „Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.” Unde vir sanctus non est in gloriam elatus, sed Dei bonitatem recognovit. Tandem cum esset annorum XVIII, baptizari se fecit. Et sic patet. Tertium castitatis, quia virginitatem mundissimam tota vita servavit. Nam canitur de eo: *Corpore quidem virgineo blandum habebat eloquium, gravis, id est maturus erat in moribus, intenta mente caelo suspensus est, ut rosa fulget.* (F) Quartum constantiae fortis. Nam cum iam deinceps militare vellet Christo, saeculari militiae renunciens caesar Iulianus contra barbaros pugnaturus pecuniam militibus erogare coepit. At Martinus dixit: „Christi miles ego sum, donativum non recipio.” Indignatus Iulianus dixit, quod metu belli hoc faceret. Cui intrepidus Martinus ait: „Si hoc ignaviae, non fidei ascribitur, crastina die ante aciem inermis astabo, et in nomine Christi signo crucis, non clipeo protectus aut galea hostium cuneos penetrabo securus.” Unde custodiri iubetur, ut sic inermis obiceretur barbaris. Sed die sequenti hostes se et sua omnia dantes legationem miserunt, ut huius sancti merito sine sanguine victoria a Deo daretur. Exinde relicta militia ad sanctum Hilarium, episcopum Pictaviensem accessit, et acolitus est ordinatus. Tunc a Domino monitus per soporem proficiscitur ad visitandum parentes gentiles, et inter Alpes incidit in latrones. Cumque unus eorum securim in caput Martini vibrasset, ictum dextrae alter sustinuit, vinctis post tergum manibus uni eorum custodiendus traditur. Quo percontanti, an timuisset, respondit numquam se ita securum fuisse, quia sciret Dei misericordiam maxime in temptationibus affuturam. Incipiensque latroni praedicavit Christum, et ipsum convertit, qui postea laudabiliter vixit. Martinus dimissus ab eo in via recta, diabolus apparens quaerit, quo tenderet. At ille: „Quo – inquit – Dominus vocaret.” Diabolus ait: „Quocumque iveris, tibi adversabor.” Respondit Martinus: „Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi caro.” Et sic ille evanuit. Itaque transiens matrem convertit, pater vero in errore mansit. Tunc haeretici Ariani ipsum caesum de civitate eiecerunt. Et sic tandem rediens iuxta Pictavum monasterium ordinavit. Et sic patet constantia. (G) Quintum dignificationis, quia Christus ipsum in episcopum Turonensem omni populo petente ordinari voluit plurimum renitentem. Et insuper ipsum Christus tantum dignificavit, ut par apostolis dici mereretur, unde saepe ab apostolis et Beata Maria ac sanctis virginibus Agne et Thecla visitabatur, quas secum in cella colloquentes discipuli prae foribus audiebant. Sed quare dicitur par apostolis? Respondetur, quod ideo potissime, quia sicut ad apostolos, sic ad Martinum Spiritus Sanctus visibiliter in specie ignis descendit. Nam dum in quadam festivitate in ecclesiam ad sollemnizandum missam iret, quendam pauperem videns praecepit archidiacono, ut illum egentem vestiret. Sed cum haec ille distulisset, ad sacrarium Martinus intrans tunicam suam illi pauperi tribuit, et continuo abscedere iussit. Cumque archidiaconus moneret, ut ad sollemnia peragenda procederet, ille dixit se ire non posse, donec pauperi vestis afferatur. Tandem compulsus ad forum ille vadit, et emit paenulam tunicam, scilicet brevem et vilem, quasi paene nullam, ac ante pedes Martini proiecit iratus, quam ille secreto induit, et sic processit ad missam. Dum autem missam celebraret, globus igneus quasi sol super caput eius apparuit, et a multis visus fuit. Cumque ut moris est, manus levaret, secundum quod Iohannes Belehth dicit, ex quo brachia eius nuda manserunt, quoniam tunica non nisi usque ad cubitum protendebatur, et lineae manicae retro defluxae tenues manus nudatas reddiderunt. Ecce miraculose torques aurei et gemmati deferuntur ab angelis, et decenter brachia Martini operiuntur. O ergo quam mirabilis Deus in sanctis. (H) Sextum privilegium excellentis virtutis et potestatis. Nam de eo canit Ecclesia: *Hic est Martinus, electus Dei pontifex, cui Dominus post apostolos tantam gratiam contulit, ut in virtute Trinitatis deificae mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus.* Nimirum quendam catechumenum, quem habebat in monasterio, discedens parumper a monasterio et rediens defunctum repperit sine baptismo. Quem in cellam ducens sua oratione resuscitavit, qui referebat, quod dum super eum sententia obscuris locis deputatus fuisset, vidit, quod duo angeli suggerebant iudici hunc esse, pro quo Martinus oraret, qui iussit illum reddi Martino. Alium insuper, qui laqueo vitam finierat, vitae restituit. Et sic patet magna potestas, cum tales damnabiles liberavit. Tertium denique legimus quendam iuvenem defunctum, pro cuius resuscitatione mater cum lacrimis ipsum rogabat. Unde in medio campi, ubi erat innumerabilis multitudo gentilium, Martinus genua flexit, et cunctis videntibus resuscitavit. Quapropter omnes illi gentiles ad fidem Christi conversi sunt. Praeterea legitur de eo, quod tantae



erat virtutis et potestatis, ut oboedirent sibi insensibilia, vegetabilia et irrationalia, de quibus ad praesens prosequi longum foret, et ideo pertranseo. Sed ex quo ut praemissum est, Ecclesia canit, quod *Martinus est electus Dei pontifex* ad tantam gratiam meritorum post apostolos. (I) Ideo quaestio hic occurrit: Cur Deus sic ordinavit, ut aliquos eligere voluerit ad gratiam, aliis relictis ad poenam, et aliquos elegerit ad maximam gratiam et gloriam, ut patet de hoc sancto Martino et magnis sanctis. Respondet Alexander I. parte q. XIII. ar. III.: *Ratio est manifestatio divinae iustitiae, simul et bonitatis et sapientiae*. Unde Augustinus: *Bene – inquit – Deus dispensavit, ut nec omnes damnarentur, nec omnes liberarentur. Si enim omnes damnarentur, lateret, quid peccato pro iustitia deberetur. Si nemo salvaretur, lateret, quid gratiae largiretur*. Item De civitate Dei li. XI. ponit exemplum, quod *sicut pictura cum colore nigro suo loco posita et varietas colorum pulchritudinem facit, et bonum pictorem ac sapientem commendat, solus autem color niger eam deformem faceret, nec sola albedo tam pulchram redderet, sic varietas gratiarum et praemiorum ac nigredo peccatorum suo loco, id est: in Inferno posita facit ad pulchritudinem universi ac commendationem sapientiae et iustitiae et bonitatis divinae*. O ergo homo, age poenitentiam. Septimum est ferventissimi amoris, quia flagrans amore Christi sanctus episcopus extra urbem monasterium intravit, ubi cum octoginta discipulis in multa abstinentia vixit, ibi vinum nemo bibebat, nisi infirmitate coactus, mollior habitus pro crimine erat, ibi Martinus nuda humo superiecto cilicio cubabat, omni hora orationi vacabat aut lectioni. Octavum est gloriae magnae felicitatis. Nam obitum suum Martinus longe ante praesciens fratribus revelavit, qui eum flerent dicentes: „Cur nos, pater, deseris?” etc. Oravit Martinus dicens: „Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.” Iacebat autem supinus in cilicio et cinere. Cumque discipuli vellent sibi stramentum ponere, dixit: „Non decet, o filii, Christianum nisi in cinere et cilicio mori, si vobis aliud exemplum relinquo, ipse peccavi.” Cumque in caelum iugiter aspiceret, vidit ecce diabolum assistere, et dixit: „Quid hic stas, cruenta bestia, nil in me funestum reperies, Abrahae sinus me recipiet.” Et sic spiritum Deo reddidit circa annum Domini CCCCXLVIII., vitae ipsius LXXXI., vultusque eius resplenduit tamquam iam glorificatus foret, ac chori angelorum cum dulci melodia audita a multis deduxerunt in caelum, ubi maximis gloriae praemiis regnat cum Christo. Rogemus ergo Christum, ut ipsius meritis det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Cf. Sir 45,20 2 Prv 3,9 3 Sir 14,11-12 4 Sir 14,12-13 5 Rm 12,1 6 Ps 50,19 7 Ps 4,6 8 Dn 3,39-40 9 Sir 5,8 10 I Sm 26,19 11 Ps 115,7-8 12 Ps 49,23 13 Ioh 6,59

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XCIV.] De sancto Martino episcopo Sermo secundus *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum suum confirmavit super caput eius*. Ex Eccl. XLIV. 1 (A) Transsumit Ecclesia et canit de sanctis confessoribus pontificibus, et inter eos convenienter accipiuntur de sancto Martino episcopo, cui Deus dedit omnium sanctorum benedictionem, ut videbitur in sermone isto. Nimirum sancti viri in hac vita summe desiderant gratiam Dei et in ea perseverationem, quia ut Augustinus in Glossa II. Cor. ultimo dicit: *Gratia Dei est, qua sola liberantur homines a malo, et sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo et amando faciunt bonum*. Haec ibi. Nil ergo ardentius quaerunt sancti, pro nullo maiores gratias Deo referunt, quam pro gratiae gratuita dono, quod est excellentissimum inter omnia Dei dona in praesenti secundum Augustinum. Summa ergo gloria est ipsis esse in gratia Dei. Hanc beatus Martinus abundantissime habuit adeo, ut in gratia omnium ordinum sanctorum participaverit. Ideo convenienter de eo dicit: *Benedictionem omnium gentium*, id est ordinum sanctorum, *dedit illi* etc., *et testamentum*, id est pactum caelestis repromissionis *confirmavit super caput* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone, secundum quod de his in eis commendatur. · Primum de divinali benedictione, ibi: *Benedictionem* · Secundum de multiplici dotatione, quia *omnium gentium benedictionem dedit ei* · Tertium de finali confirmatione secundum testamentum et pactum Dei: *super caput eius* (B) Circa primum de divinali benedictione tres quaestiones pertractemus, quae sunt utiles ad populi aedificationem. · Prima quaestio de quidditate · Secunda de necessitate · Tertia de probabilitate Prima quaestio est: Quid est ipsa benedictio Dei, qua benedicit, scilicet Deus homini? Ad hoc respondetur secundum doctores, quod licet generaliter dicatur benedictio Dei quorumcumque donorum etiam naturalium, tamen specialiter loquendo est beneficiorum vel donorum gratuitorum collatio. Unde Glossa Eph. I. dicit: *Aliter benedicitur Deus ab homine, aliter benedicitur homo a Deo. Deus benedicitur ab homine, cum laudibus dignis extollitur. Homo benedicitur a Deo, cum Deus ei gratiae suae bona impertitur*. Haec Glossa. Ex quo docemur, quod quidam sunt in plena ac perfecta Dei benedictione, ut sunt beati in patria, quia in praesenti per bona opera meruerunt beneficia divinae gratiae et consequenter gloriae, iuxta quod Apostolus dicit II. Cor. IX.: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet 2 vitam aeternam*. Quidam autem sunt in plena et totali maledictione Dei, ut sunt in Inferno damnati, quibus Christus dicturus est in iudicio: *Ite maledicti, in ignem aeternum*, Matth. XXV. 3, quia illi omnino carent et longe sunt a beneficiis et donis gratiae divinae et gloriae. Sed in hoc mundo mixtim sunt quidam in Dei benedictione, ut sunt iusti in gratia viventes et a peccato abstinentes. Quidam autem sunt in Dei maledictione, ut in peccatis viventes. Unde Prover. X.: *Benedictio Domini super caput iusti, os autem impiorum operit iniquitatem*. 4 In huius figuram Deus in Paradiso benedixit Adae et Evae, Gen. I., existentibus in statu innocentiae. Sed postquam peccaverunt, maledixit dicens: *Maledicta terra in opere tuo*, Gen. III. 5 Patet ergo. (C) Secunda quaestio: Qualis benedictio est necessaria et a Deo semper exoranda? Ad hoc respondet Bernardus, ut notatur li. Originalium dicens sic: *Benedictio triplex est nobis necessaria: praeveniens, adiuvens, consummans. Prima est misericordiae. Secunda gratiae. Tertia gloriae. Misericordia praevenit conversionem, gratia adiuvat conversionem, perficit gloria consummationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non potest terra nostra dare fructum salutis*. Haec ibi. Unde patet, quod homo semper debet petere has

benedictiones, scilicet misericordiae, ut converti valeat a peccatis, gratiae, qua conservetur et proficiatur, ac gloriae, quae dabitur post hanc vitam in patria. (D) Tertia quaestio: Qualibus effectibus vel signis probatur quis fore a Deo benedictus. Ad hoc Apostolus Eph. I. insinuat tres effectus divinae benedictionis, quibus potest probari, ubi dicit sic: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate.* 6 Ubi Lyra dicit: In caelestibus, id est quae finaliter habebitur in caelestibus, in Christo, id est per Christum, per quem proveniunt nobis dona divina tamquam per mediatorem Dei et hominum, ut essemus sancti per gratiam in mente, et immaculati per puritatem in conversatione, in charitate, sine qua non prosunt alia dona. Ex quibus patet, quod Dei benedictio efficit in nobis sanctitatem mentis et castitatem corporis. Unde et subditur: *Et immaculati*, et charitatem ad Dominum et proximum. Unde per haec tria probatur quis a Deo fore benedictus: Primo si homo est ab omni peccato mortali mundus. Secundo si in corpore est castus, scilicet secundum statum suum, utpote virginalem, coniugalem vel vidualem. Tertio si vere Deum diligit et proximum observans omnia praecepta. Unde Ioh. XIV.: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.* 7 O ergo homo, quid iaces in peccato, an nescis, quod tam diu es in ira et maledictione Dei, in qua si mors te occupaverit, peribis in aeternum? Age ergo poenitentiam, cave peccata, ut consequaris benedictionem exemplo beati Martini. (E) Circa secundum principale de multiplici dotatione divinae benedictionis accipiamus pro conclusione, quod benedictus Dominus dotavit sanctum Martinum generaliter omnium beatorum benedictionibus. Declaratur de singulis ordinibus: · Primo angelorum · Secundo patriarcharum · Tertio prophetarum · Quarto apostolorum · Quinto martyrum · Sexto confessorum · Septimo virginum · Octavo militum · Nono religiosorum · Decimo omnium electorum Primo inquam benedictionem angelorum, quae consistit in hoc, quod mundissimi sunt ab omni peccato ministrantes Deo fidelissime et iugiter laudantes Deum. Unde Ps.: *Benedicite Dominum, omnes angeli eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius* etc. 8 Sed beatus Martinus haec habuit. Nam creditur, quod numquam peccavit mortaliter. Unde et legitur de eo, quod ipsum numquam vidit quis maerentem, numquam ridentem, numquam irascentem. Fidelissime etiam Deo ministravit, oboedivit et ipsum laudavit, semper orationi intentus aut lectioni, ab infantia enim divinam aspiravit ad servitatem. Unde cum esset annorum XII, invitatus parentibus confugit ad ecclesiam, et eremum concupivit, animusque eius semper intendebat ad monasteria et laudandum Deum. Secundo patriarcharum, qui benedictionem Dei consecuti sunt per pietatem, et filiorum in fide Christi educationem, de quibus Ecc. XLIV.: *Hi sunt viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt, et cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotum eorum.* 9 Hanc beatus Martinus habuit, quia fuit ipse multae pietatis, ita quod sibi etiam necessaria pauperibus divideret, ut dicitur in legenda de chlamyde. Item multorum fuit pater monachorum, quos in monasterio omni sanctitate erudit. Tertio prophetarum benedictionem habuit, scilicet in futurorum et secretorum revelatione. Nam dum quidam pauper venisset ad monasterium, et Martinum requireret, Briccius, eius diaconus dixit illi: „Si illum delirum quaeris, ille est, qui quasi amens caelum respicit.” Cumque pauper quod petebat, a beato Martino accepisset, vir sanctus Briccium ad se vocans dixit: „En tibi delirus videor?” Quod cum ille dixisset se negaret prae verecundia, tunc ait Martinus: „Nonne aures meae ad os tuum erant, quando hoc loquebaris? Amen dico tibi, quia a Domino obtinui, ut mihi in episcopatu succedas, sed scias multa te in episcopatu passurum.” Quod postea impletum est. Item cum quidam sub nomine martyris coleretur, et a Martino nil de eius vita inveniri posset, quadam die super sepulchrum illius stans oravit Dominum, ut quis esset, vel cuius meriti indicaret, viditque ad laevam umbram nigerrimam stare, qui a Martino adiuratur, et dixit se latronem fuisse, et ob scelus percussus esse, continuo ergo Martinus altare illud destruxit. Item obitum suum longe ante praescivit. Quarto apostolorum benedictionem habuit in episcopali dignitate. Nam sicut apostoli fuerunt episcopi consecrati a Christo, sic Martinus fuit episcopus ordinatus. Unde dist. XXI. „In novo” Anacletus dicit, quod episcopi in Ecclesia sunt loco apostolorum, et typo vel vice eorum habentur, presbyteri autem loco septuagintaduorum discipulorum. Item benedictionem apostolorum in Spiritus Sancti missione visibili habuit, ideo par apostolis dicitur, ut patet sermone I. „G”. Denique apostolorum benedictio fuit in potestate faciendi miracula ac oboeditione omnium creaturarum. Unde Christus dixit eis Luc. X.: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nil vobis nocebit.* 10 (F) Sed beatus Martinus potestatem habuit a Deo datam super creaturas. Primo super mare et aera. Navis quaedam dum periclitaretur in mari per ventum, quidam negotiator necdum Christianus exclamavit dicens: „Deus Martini, eripe nos.” Et statim facta est magna tranquillitas. Secundo super terrena vegetabilia. Cum enim quandam arborem pini diabolo dedicatam vellet excidere rusticis obsistentibus gentilibus, unus eorum dixit: „Si de Deo tuo confidis, nos hanc succidemus, et tu eam suscipe.” Quo annuente, succisae arbori et super Martinum ibi ligatum iam cadenti signum crucis opposuit, et in aliam partem rediens rusticos in tuto positos fere oppressit, et sic gentes ad fidem conversae sunt. Tertio super ignis incendia. Dum enim in quadam villa hospitatus clerici sibi lectum plurimo stramine praeparassent, ipse requiescens ibi insuetam mollitiem horrescit, quippe qui nuda humo uno tantum cilicio superieco cubare consueverat, itaque permotus surgens stramentum omne proiecit, et se super nudam humum collocavit. Nocte media palea illa igne accenditur, et excitatus Martinus vidit se ab igne captum nec exire posse, oravit, et crucis signum emisit, et sic in medio ignis intactus permansit, flammam sentiendo rorantes, super quo omnes monachi sunt admirati et clerici. Quarto super animalia irrationalia. Cum enim vidisset canes lepusculum insequentes, imperavit, ut desisterent, mox illi quasi vincti in suis vestigiis fixi constiterunt. Item serpens cum fluvium transiret, Martinus ei ait: „In nomine Domini iubeo te redire.” Mox se retorsit in ripam aliam. Martinus ingemiscens ait: „Ecce serpentes me audiunt, et homines non audiunt.” Quinto super dominia. Nam pro quadam necessitate Valentinianum imperatorem adiit, sed ille sciens eum petere velle, quod nollet dare, fores sibi claudi fecit. Martinus ergo semel et iterum passus repulsam in cilicio et ieiunio oravit, tunc monente angelo adiit palatium, et nullo prohibente ad imperatorem usque pervenit. Tunc iratus imperator, quia fuisset admissus, assurgere ei noluit, donec sellam regiam et imperatorem a parte posteriori ignis divino miraculo succenderet. Tunc assurgens virtutem divinam se sensisse confessus est, omnia, quae rogavit, concessit, multaque munera obtulit, sed Martinus illa non accepit. Sexto

super mortuos et infernaliam, quia tres mortuos, qui debebant damnari et ad Infernum iudicari, resuscitavit, ut patuit sermone I. „H”. Septimo super daemones. Nam saepe daemones expulit ex hominibus, saepe confudit et increpavit. Quadam vice diabolus in forma regia purpura et diademate et aureis caligis ornatus sibi apparuit dicens: „Martine, agnosce, quem colis, Christus ego sum, qui tibi manifestare me volui.” Tunc ille a Spiritu Sancto inspiratus ait: „Dominus Iesus non se purpuratum, nec diademate renitentem manifestare voluit, ergo Christum nisi in forma, qua passus est, videam, non credam.” Ad hanc vocem confusus diabolus disparuit, et totam cellam foetore complevit. (G) Quaestio hic occurrit, utrum homo possit sine peccato aut debeat adorare adversarium apparentem in forma Christi aut alicuius sancti. Respondetur secundum doctores, praecipue fratrem Angelum de Clavasio in Summa, quod non, etiam si Christus fore credatur, nisi interius vel exterius conditio exprimat actualiter, quia ipsa novitas rei insolitae considerationem et attentionem actualem requirit, sicut et de Beata Virgine dicitur, quod cogitabat, qualis esset ista salutatio. Unde in tali casu non sufficit conditionem habere habitualiter tantum. Haec ibi. Quinto martyrum benedictionem habuit Martinus per patientiae virtutem. Fuit enim multae patientiae. Nam neminem, a quo laedabatur, a sua charitate repellebat, numquam irascebatur, numquam in eius ore nisi Christus, et in corde non nisi pax et misericordia inerat, et pro Christo mortem pati desiderabat, propterea de eo canitur: *O sanctissima anima, quam et si gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.* Secundum enim doctores super IV. palma debetur voluntati. Sexto confessorum per virtuosam operationem, ut confiteretur Christum non solum corde, sed et ore et opere. Fuit enim magnae sobrietatis et artissimae vitae in cibo et potu et lecto, fuit etiam magnae devotionis iugiter orando, fuit magnae pietatis in pauperes, fuit etiam magnae humilitatis. Nam leprosum quendam cunctis horribilem obvium habens osculatus est atque benedixit, et statim mundatus est. In ecclesia etiam numquam cathedra usus est, sed sedebat in sede rusticana, quam tripodem vocant. Fuit etiam multum misericors in peccatores magnos, ut nullum respueret. Unde diabolus quadam vice de hoc ipsum reprehendit, ad quem Martinus ait: „O miserabilis, si tu ipse poenitentiam ageres et desisteres a malis, ego tibi misericordiam pollicerer a Christo.” Et sic patet magna misericordia. Septimo virginum. Nam virginitatem incorruptam semper servavit, propterea Beata Virgo Maria cum virginibus Agnete et Thecla eum saepe visitavit. Octavo militum per iustitiae observationem, quam omnes milites debent servare, ut benedictionem consequantur. Ad quod tres regulae sunt necessariae, quas illis Iohannes Baptista praedicavit, Luc. III. dicens: Prima est: *neminem concutiatis.* Secunda: *nemini calumniam feceritis,* scilicet ut sic bona alicuius extorquatis. Tertia: *contenti estote stipendiis vestris,* 11 scilicet ne rapiatis aliena. Haec beatus Martinus observavit, qui nulla rapuit, sed sua erogavit. Nono religiosorum per observantiam trium votorum, scilicet paupertatis, oboedientiae et castitatis. Decimo omnium electorum, quorum benedictio consistit in perseverantia vitae bonae usque ad mortem. Nam teste Ps.: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* 12 Et quia beatus Martinus sanctissime vixit usque in finem, ergo omnem benedictionem obtinuit. O ergo tu, homo, diligenter considera, cum quo ordine sanctorum vis habere benedictionem, et qualiter possis obtinere ac imitari, ut possis gaudere cum angelis et sanctis patriarchis, prophetis et omnibus beatis. (H) Circa tertium de finali confirmatione, scilicet divinae benedictionis, quam Deus in testamento, id est pacto repromisit electis et implevit beato Martino. Quaeritur propter simplicem plebem, quales homines merentur in morte confirmari perpetue in Dei benedictione. Ad quod respondetur secundum dictum Ps. CXIII., quod praecipue tria genera hominum hoc merentur, quae ibi mystice designantur, cum dicit Ps.: *Dominus memor fuit, et benedixit nobis. Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron. Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum maioribus. Benedicti vos Domino, qui fecit caelum et terram.* 13 Lyra: quod dicit, quod Deus istos suos benedicit in terra per gratiae infusionem, et confirmabit in caelo per gloriam. Primum genus hominum est fidem formatam charitate habentium, quod significat, cum dicitur: *Dominus memor fuit nostri* etc. Nam in morte Deus recordabitur, et ad memoriam nostram reducet omnia opera nostra, ut reddat unicuique secundum opera sua iudicando, Math. XVI. Ibi reprobi pro malis factis maledicentur teste Christo et dicente Matth. XXV.: *Ite maledicti in ignem aeternum* etc. 14 Ibi vero boni benedicentur. Unde de his Ps. subdit: *Benedixit domui Israel,* quod secundum Hieronymum interpretatur ‘vir videns Deum’. Et quia per fidem formatam Deus videtur a fidelibus, ergo benedicentur, et infideles maledicentur. Unde Marci. ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non* etc. 15 Proinde in morte maledicentur omnes infideles perpetuo, et omnes haeretici ac schismatici, propter quod concilium I. q. I.: *Non liceat – inquit – ab haereticis benedictiones accipere, quia maledictiones sunt magis, quam benedictiones. Neque liceat cum haereticis aut schismaticis orare.* Haec ibi. Secundum genus in bono usque in finem perseverantium, ideo subdit: *Benedixit domui Aaron,* quod secundum Hieronymum interpretatur ‘mons fortis’. Nam Matth. XXIV.: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* 16 Unde qui fortiter perseverant in observantia praeceptorum, benedicuntur, qui autem declinant, maledicuntur in vita et in morte. Eccli. XLI.: *Vae vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Altissimi, et si nati fueritis, in maledictione nascemini, id est in peccato et ad peccatum perpetrandum vestro arbitrio, et si moriemini, in maledictione erit pars vestra.* 17 Tertium genus Dominum timentium, scilicet timore filiali, et ad poenitentiam redeuntium. Addit ergo Ps.: *Benedixit omnibus, qui timent Dominum.* 18 Et Eccli. I. scribitur: *Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suae benedicetur.* 19 Sed per contrarium Deum non timentes maledicentur. In cuius figura Moyses dixit filiis Israel Deut. XI.: *En pono vobis maledictionem et benedictionem.* 20 Et c. XXVIII. dicit: *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias omnia mandata eius, venient super te omnes benedictiones istae. Benedictus tu in civitate, benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae, et fructus iumentorum tuorum. Benedicta horrea tua, et benedictae reliquiae tuae. Benedictus eris ingrediens et egrediens,* 21 scilicet ex hoc mundo. Et infra: *Quia si non audieris vocem Dei tui, ut timeas et custodias mandata eius, venient super te omnes maledictiones istae, scilicet: Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae et fructus iumentorum tuorum, maledictum horreum tuum, et maledictae reliquiae tuae, maledictus eris ingrediens et maledictus eris egrediens.* 22 Haec et plura terribilia ibi scribuntur. O ergo homo, adverte et provide tibi, ne aeternaliter a Deo maledicaris et pereas, sed pertimesce Dominum, et age poenitentiam, ut benedicaris a Deo. Accipe exemplum beati Martini, qui Deum verum, Christum credidit,



quem multum dilexit, et in eo perseveravit perfecto timore filiali, et talem benedictionem ac tantam in morte promeruit, ut omnes angeli et beati congratularentur. Sicut de eo canit Ecclesia dicens sic: *O beatum virum, cuius ala Paradisum possidet, unde exsultant angeli, laetantur archangeli, chorus sanctorum proclamant, turba virginum invitat, mane nobiscum in aeternum.* Rogemus ergo Christum etc.

---

1 Sir 44,25 2 II Cor 9,6 3 Mt 25,41 4 Prv 10,6 5 Gn 3,17 6 Eph 1,3-4 7 Ioh 14,21 8 Ps 102,20-21 9 Sir 44, 10-12; cf. abbreviationes editionis: *iusti. ob. non ac. (?) cum se. e. per. b. h. sa. ne. e.* Editio alia Hagenau 1499, Sajó-Soltész 2554/d) sequitur Vulgatam. 10 Lc 10,19 11 Lc 3,14 12 Ps 115,6 13 Ps 113,20-23 14 Mt 25,41 15 Mc 16,16 16 Mt 24,13 17 Sir 41,11-12 18 Ps 113,21 19 Sir 1,13 20 Dt 11,26 21 Dt 28,1-6 22 Dt 28,15-19

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XCV.] De sancto Martino episcopo Sermo tertius *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est iustus.* Eccl. XLIV. 1 originaliter sunt scripta, et ab Ecclesia transsumuntur de sanctis confessoribus pontificibus, et sic de sancto Martino convenienter dicuntur. (A) Nam beatus Martinus fuit sacerdos magnus adeo, ut gemma omnium sacerdotum reputetur. Unde canitur: *Martinus episcopus vivit in Christo gemma sacerdotum.* Item ipse placuit Deo multum, et omnibus angelis ac beatis, ipse *inventus est iustus*, immo iustissimus et omni sanctitate plenus. Merito ergo de eo canitur: *Ecce sacerdos magnus*, tam dignitate magnus, quam sanctitate, *qui in diebus suis* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notemus, secundum quod de his tribus commendatur, et in exemplum nobis proponitur. · Primo de magna sanctitate. Unde dicitur: *Ecce sacerdos magnus* · Secundo de divina placibilitate, cum dicitur: *Qui in diebus suis placuit Deo* · Tertio de secura felicitate, quia *inventus est iustus*, scilicet in morte, quod est iustus magnae securitatis de caelesti felicitate propter Christi sententiam Matth. XXV.: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* 2 (B) Circa primum de magna sanctitate, scilicet beati Martini episcopi, ut sciamus eius exemplo et nos in sanctitate promoveri vel crescere et magis placere Deo, quaeritur: Quae faciunt hominem esse magnae sanctitatis? Ad quod secundum Scripturas et doctores respondetur, quod praecipue quattuor. Nam quaecumque res dicitur fore magna vel maior altera quadrupliciter mensurando per dimensiones, videlicet: · Primo secundum altitudinem · Secundo secundum bassitudinem · Tertio secundum longitudinem · Quarto secundum latitudinem Sic spiritualiter dicitur quis magnae sanctitatis. Primo secundum altitudinem puritatis. Secundo secundum bassitudinem humilitatis. Tertio secundum longitudinem stabilitatis in adversis. Quarto secundum latitudinem charitatis. O homo, si vis placere Deo, observa haec quattuor, quibus quanto maior fueris, tanto plus Deo placebis. Primo inquam dixi, quod una res est maior alia secundum altitudinem, sicut videmus caelum esse maius, quanto altius, sic etiam alta arbor vel cedrus est maior quercu. Haec altitudo signat puritatem spiritualiter, per quam homo inaltatur proximando caelestibus et ipsi Deo, iuxta illud Sap. VI.: *Incorruptio facit esse proximum Deo.* 3 Nam videmus, quod quanto corpora puriora, tanto sunt secundum ordinem naturae superiora et ampliora, ut patet in elemento aquae respectu terrae, et aeris respectu aquae, et ignis respectu aeris, et caeli crystallini respectu aetherei ac caeli empyrei, quod est mundissimum et luminosissimum respectu aliorum, et ideo est altissimum et amplissimum super omnia, sic homo quanto est purior a peccatis, tanto est altioris et maioris sanctitatis et conversationis caelestis. Unde Phil. III.: *Nostra conversatio est in caelis.* 4 Unde Auctor li. De spiritu c. XXVI. dicit: *Anima eo magna, quo capax est aeternorum, eo recta, quo appetens supernorum, eo bona, quo Deo unita.* Ideoque et Salvator ait Matth. V.: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* 5 ergo magis et maxime mundi magis et maxime Deum videbunt per Topicam regulam: *Sicut simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis, et maximum ad maxime.* O ergo homo peccator, recognosce teipsum, quia quanto es sordidatus peccatis, tanto longius distas a Deo. Ps.: *Longe a peccatoribus salus.* 6 Et sic diabolo assimilaberis, et periculosius cum diabolo in aeterna tormenta ibis. Sed quanto tu te mundiore reddis a peccatis per poenitentiam, tanto Deo eris puritate similior, vicinior et amabilior. Unde Bernardus super Cantica: *Similis similem sibi quaerit.* Beatus autem Martinus fuit purissimus, quia numquam peccasse dicitur mortaliter, et virginitatem mundissimam servavit. Nam a pueritia Christo servire incepit parentibus invitatus, ut patet in legenda, sermone I. „E”. (C) Secundo aliqua res dicitur magna, ut dixi, secundum bassitudinem, id est profunditatem, sicut puteus profundus vel fossatum profundum dicitur magnus vel maius minus profundo. Spiritualiter humilitas profunda per hoc significatur. Unde Gregorius XVIII. Moralium dicit: *Tanto unaquaqueque anima fit pretiosior et acceptior coram oculis Dei, quanto pro amore veritatis despectior fuerit et humilior in oculis suis.* Unde et Salvator Lucae XVIII. dicit: *Qui se humiliat, exaltabitur,* 7 ergo qui se magis humiliat, magis exaltabitur, per regulam Topicam supradictam. Sed beatus Martinus fuit magnae humilitatis. Cum enim esset filius tribuni, uno tantum servo contentus illi viceversa serviebat, ut patet in legenda. Et hanc humilitatem semper tenuit, etiam in episcopatu, ut patuit in sermone II. „G”, ergo fuit magnae sanctitatis. Unde Isidorus: *Descende, ut ascendas, humilia te, ut exalteris, qui enim extollitur, deicietur* etc. (D) Tertio dicitur aliqua res esse magna secundum longitudinem, quemadmodum via centum miliariorum respectu unius dicitur magna, per quod spiritualiter accipe longanimitatem in adversis perseverando. Nam quanto quis longiori tempore animoque longanimo Deo servit perseveranter in omnibus adversis et persecutionibus, tanto apud Deum est maior, iuxta illud Matth. V.: *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos mentientes, gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* 8 Unde Gregorius in homilia de apostolis: *Libens – inquit – beatus Andreas persecutoribus suis respondit: „Tanto enim meo regi ero acceptior, quanto pro eius nomine fuero permanens in tormentis confessor.”* Haec Gregorius ibi. Sic etiam de aliis bonis operibus perseveranter faciendis usque in finem est intelligendum, quod merita augent pro modulo. Unde Mat. XXIV.: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* 9 Sed beatus Martinus a principio suae pueritiae usque in diem obitus aetatis suae vitae anno LXXXI.

continuavit Dei servitia, et in multa patientia adversitatis, ut patet ex legenda, ubi dicitur, quod in pueritia parentes sibi adversabantur, ne serviret Christo, sed ipse eos relinquens invitis ipsis confugit ad ecclesiam. Item in adolescentia cum esset miles, transiens cum multis in porta Ambianensium, pauperi obvius divisit suam Martinus chlamydem, et partem illi dedit, de quo risere multi, quod se habitu truncasset, sed nil de risu hominum curavit. Item postquam fuit baptizatus, ad divinam monitionem voluit visitare parentes, ut eos converteret ad Christum, et in via passus est a latronibus, et daemon sibi apprensus comminatus est, sed nil curavit, nec cessavit a bono, tandem ab haereticis captus et usque ad mortem caesus et eiectus est, ut patuit sermone I. „F”. Denique factus episcopus multa adversa patiebatur a clericis, sed in omnibus patientissimus fuit, nec umquam irascebatur, nec umquam maerens visus est aut ridens, sed continue Deo servivit laetus. (E) Quarto dicitur aliqua res magna secundum latitudinem, sicut campus spatiosus dicitur magnus. Sic spiritualiter homo per latitudinem charitatis dicitur et est magnae sanctitatis. Nam ut Ps. dicit: *Latum mandatum tuum nimis*, 10 loquendo de mandato charitatis, quod debet esse tam latum, ut Deum et omnes proximos et amicos diligere secundum Deum et in Deo debeamus. Anima ergo talem charitatem habens magna est. Unde Bernardus super Cantica sermone XXVIII. dicit: *Quantitas cuiusque animae extimatur de mensura charitatis, quam habet. Verbi gratia: Quae multum habet charitatis, magna est, quae parum, parva, quae nihil, nihil est.* Haec Bernardus. Sed sanctus Martinus fuit magnae charitatis, ergo magnae sanctitatis. Nam ipse habuit magnam charitatem erga Deum, quia *totis visceribus diligebat Christum Iesum*, ut canitur de eo. Item erga proximum, quia sua etiam necessaria vestimenta indigentibus tribuebat, ut patet in legenda, quando chlamydem condivisit et propriam tunicam pauperi dedit, prosequere sicut habetur sermone I. „G”. Denique erga inimicos habuit charitatem, quia ut legitur, cum iret per viam Martinus episcopus super asellum, pendulo pallio nigro et hispido circumtectus, equis de contra venientibus expavefactis milites in terram saltu praecipiti se dederunt, et Martinum graviter verberaverunt, ille autem quasi mutus caedentibus terga praebat, sed magis furebant illi, eo quod quasi non sentiens verbera illata contemnere videbatur. Tandem illis ascendentibus equos suos adeo humo fixi permanebant equi illi, ut quantumcumque flagellati moveri non possent, velut saxei. Unde redeuntes ad Martinum milites peccatum suum, quod ignoranter commiserant, confitentes, ille ex charitate indulgens, licentiam procedendi dedit eis, et sic gradu concito properaverunt. Et sic patet, quod scilicet beatus Martinus fuit sacerdos magnus, id est magnae sanctitatis. O ergo homo, et tu stude imitari eum pro tuo modulo, ut sis magnus. (F) Circa secundum de divina acceptabilitate sit pro conclusionem, quod beatus Martinus probatur Christo carus et caelesti curiae placidus et acceptissimus ex crebris visitationibus. Haec conclusio claret per dictum Philosophi IX. li. Ethicorum ac per experientiam, ubi dicitur, quod *actus amicitiae est consolari in amici visione et sermone*. Sed quoniam legitur, quod beatus Martinus in vita et in morte visitatus est et consolatus a Deo et Christo Iesu, a Beata Virgine, a sanctis angelis et a caelestibus beatis, ergo habetur propositum. Primo namque Sancta Trinitas ostendit ipsum sibi dilectum, quoniam Deus Pater ipsum in suis petitionibus et faciendis miraculis exaudivit, et sibi in omnibus affuit, cuius potentia tres mortuos suscitavit. Item Dei Filius Christus ipsum dilexit et visitavit ac coram angelis commendavit dicens: „Martinus adhuc catechumenus hac veste me contexit.” Denique Spiritus Sanctus eum dilexit et visitavit, quia in specie ignis super caput eius apparuit. Secundo ipsum dilexit et carum fore ostendit Beata Virgo Maria cum sanctis virginibus visitando. Nam legitur, quod cum Martinus esset in cella reclusus, auditus est a discipulis loqui cum pluribus, et interrogatus ab eis respondit, quod Beata Virgo Maria et beatae virgines Agnes et Thecla ad eum venerunt, et quod non tantum pro tunc, sed saepius eum visitaverunt, et perhibuit se saepe videre Petrum et Paulum apostolos, ac petivit eosdem discipulos, quibus haec dicebat, ut nulli haec revelarent. Tertio ipsum dilexisse ostenderunt omnes angeli caelestes, quoniam in vita ipsi missam celebranti astiterunt, et eius manus nudatas torquibus aureis gemmatis ornaverunt, et etiam quando ad eius obitum convenerunt, ac eius animam in caelum cum laudibus deduxerunt, patet in legenda. Quarto ipsum ostendit acceptum tota caelestis curia, quando laetanter hodie in suum collegium accepit. Unde ipse beatus Martinus in morte dixit: „Sinus Abrahae me laetus suscepit.” Ultimo praeterea tota Ecclesia ostendit et approbat ipsum fore dilectum Deo et omnibus sanctis ac beatis, quia per totum orbem festive eum colit magna veneratione. (G) Sed quaestio hic occurrit, scilicet: Qualiter et per quae beatus Martinus tales consolationes divinas supernae visitationis obtinuit, et eius exemplo qualiter quisque fidelis devotus obtinere valeat? Ad quod respondetur secundum Scripturas et doctores, quod praecipue per assimilationem ad Deum, angelos et beatos hoc obtinuit. Nam scribitur Ecc. XXVII.: *Volatilia ad sibi similia conveniunt, et veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur, leo venationi insidiatur semper, sic peccata operantibus iniquitatem.* 11 Haec ibi. Quibus verbis notantur tria praecipua puncta. Primum est, quod volatilia, id est angeli caelestes ad sibi similia conveniunt libenter, quia *omne animal diligit sibi simile*, Ecc. XIII. 12 Boethius: *Simile simili congaudet*, et II. De anima: *Omne ens tendit ad sibi simile*. Item secundum est, quod veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur. Lyra: *Veritas vitae, quae est iustitia, revertetur ad eos, qui operantur illam, quia Christus, qui est veritas et vita, dabit se illis in praesenti per gratiam inhabitando et in futuro per gloriam, sicut promisit Ioh. XIV.: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* 13 Tertium est, quod sicut leo insidiatur semper venationi, quia videlicet proprium est sibi comedere carnes animalium, sic diabolus peccatoribus insidiatur in morte, ut mordeat et devoret morte gehennae. Et sic patet, quod sicut ad peccatores diabolus venire habet et visitare ad decipiendum eo, quod iacent in peccatis, et sunt daemones in hoc similes, sic boni homines, qui per vitae sanctitatem assimilantur Deo et angelis ac beatis, visitari solent ab eisdem pro consolatione. (H) Sed adhuc restat quaerendum, in quibus debeat homo assimilari Deo et angelis ac beatis, ut mereatur visitari saltem in morte. Respondetur, quod primo in similitudine puritatis. Unde Hieronymus in sermone assumptionis: *Bene – inquit – angelus ad Virginem mittitur, quia angelis semper cognata est virginitas. In carne enim praeter carnem vivere non terrena vita est, sed caelestis.* Secundo in similitudine pietatis et charitatis. Nam *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, I. Ioh. IV. 14, et omnes angeli ac beati pleni sunt charitate et pietate, qua nobis subveniunt. Augustinus: *Charitas propria virtus est electorum, sic et homo cum fuerit plenus charitate et pietate, meretur consolationem visitationis supernae.* Tertio

in similitudine divinae laudis, quia beatorum officium est semper laudare Deum in caelo, sic homo semper occupatus divinis laudibus, orationibus et devotionibus meretur consolari et visitari a Deo et angelis vel beatis, sicut videmus, quod homines consimilis artis libenter invicem conveniunt, et consolantur. Ars autem beatorum est laudare Deum. Ps.: *Beati, qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te.* 15 Beatus Martinus fuit similis Christo et Beatae Mariae ac angelis et beatis in puritate virginali, in charitate et pietate, et semper Deum laudavit, quoniam invictum ab oratione spiritum non relaxabat, ergo visitabatur. O ergo homo, disce in his imitari, ut saltem in morte visiteris, si in vita visitari non mereris, et saltem post mortem cum beatis iucunderis. (I) Circa tertium de segura gloria vel felicitate sit pro conclusione, quod canit Ecclesia dicens: *Martinus Abrahae sinu laetus excipitur, Martinus hic pauper et modicus caelum dives ingreditur, hymnis caelestibus honoratur* etc. In quibus quadruplex praerogativa felicitatis et gloriae beati Martini tangitur pro exemplo nostrae imitationis. Prima est, quod in spiritus securitate et laetitia transit. Unde dicitur: *Martinus Abrahae sinu laetus excipitur.* Homines quippe communiter moriuntur cum timore et maestitia, praecipue peccatores. Ps.: *Mors peccatorum pessima.* 16 Bernardus: *Mors peccatorum mala et amara in separatione animae a corpore, peior in damnatione, pessima in aeterna cruciatione.* Sed beatus Martinus laetus transiit et securus, propterea, quia tria in se habuit, quae securitatem in morte praestant. Primo securam conscientiam a peccato mortali mundam. Prover. XV.: *Secura mens quasi iuge convivium.* 17 Unde diabolo astanti dixit: „Quid hic stas, cruenta bestia, nil in me funestum reperies.” Secundo habuit desiderii ad Christum ferventiam, qua cupiebat dissolvi et esse cum Christo, et ideo mori gaudebat, sicut et Apostolus de seipso dicebat Phil. I. Tertio, quia habuit consolationem angelicam, ut patuit II. articulo. O tu homo, stude haec habere in morte, et securius exhibis. Secunda praerogativa est, quia Martinus dives magnis meritis in caelum volavit. Nam dicitur: *Hic pauper et modicus caelum dives ingreditur.* Sunt heu multi nullius boni meriti vel paucorum, sed multorum malorum demeritorum, et hi descendunt in Infernum. Sunt alii plurimorum meritorum bonorum, sed aliqua habent purgabilia, hi descendunt in Purgatorium. Paucissimi autem sunt tam perfecti, secundum quod dicit Augustinus, ut statim evolent in caelum. Beatus autem Martinus etiam inter perfectos fuit ditissimus in meritis. Tertia est, quia cum hymnis caelestibus a multitudine angelorum translatus fuit. Unde Ecclesia canit de eo: *O beatum virum, in cuius transitu sanctorum canit numerus, angelorum exultat chorus, omniumque caelestium virtutum occurrit psallentium exercitus.* Quarta est, quia magnae gloriae corona multiplici honoratus exstitit, ideo subdit: *honoratur.* Habet enim auream gloriae essentialis. Et insuper aureolas coronas, scilicet virginitatis et praedicationis, ac etiam palmam martyrii pro desiderio et voluntate moriendi pro Christo, sicut de eo testatur Ecclesia in officio. Accedamus ergo, carissimi, et beatum Martinum precemur, ut apud Christum intercedat pro nobis quatenus eius meritis, et precibus det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen. Pro sancto Martino sermo quartus habetur in communi<sup>18</sup>.

---

1 Cf. Sir 44,16-17 2 Mt 25,46 3 Sap 6,20 4 Phil 3,20 5 Mt 5,8 6 Ps 118,155 7 Lc 18,14 8 Mt 5,11-12 9 Mt 24,13 10 Ps 118,96 11 Sir 27,10-11 12 Sir 13,19 13 Ioh 14,23 14 I Io 4,16 15 Ps 83,5 16 Ps 33,22 17 Prv 15,15 18 Vide PA 113: De confessoribus pontificibus communis sermo vel PA 114: De confessoribus pontificibus communis sermo.



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XCVI.] Sequitur de sancta Elisabeth Sermo primus cum legenda *Mulier gratiosa inveniet gloriam.* (A) Haec verba scribuntur Proverb. XI., 1 et inter sanctas ceteras mulieres convenienter dicuntur de sancta Elisabeth, quae in vita fuit multum gratiosa, immo plena gratia Dei, et nunc in caelo regnat gloriosissima, cuius exemplo et nos docemur per verba praecepti thematis, quod si volumus invenire caelestem gloriam, quam per peccatum perdidimus in primis parentibus, debemus diligenter quaerere in gratia Dei vivendo. Nam videmus, quod ad inveniendam rem perditam necessarium est primo, ut sollicitate requiratur. Secundo ut per lumen aliquod quaeratur, quia *lumen est medium videndi* per Philosophum II. De anima, et per consequens inveniendi rem perditam, quae in tenebris minime videretur. Ad propositum: gloria caelestis est quasi quidam thesaurus pretiosissimus et dragma perdita, secundum quod in figura Christus Lucae XV. dicit, ideo omni cum sollicitudine est requirenda mediante lumine gratiae. Unde dicit, quod *mulier habens dragmas decem si perdidit unam, accendit lucernam, et quaerit diligenter, donec inveniat.* 2 Lumen mediante quo debeat quaeri, est lumen gratiae Spiritus Sancti, sine quo non videbitur lumen gloriae. Unde Ps.: *In lumine tuo – id est tuae gratiae – videbimus lumen – scilicet gloriae.* 3 Sic quaesivit beata Elisabeth, scilicet in lumine gratiae, et sic invenit gloriam. Merito ergo haec verba de ea accipiuntur pro sermone. Iuxta quae tria mysteria notabimus, secundum quod de his tribus commendatur beata Elisabeth in eisdem. · Primo de divinali gratiositate, cum dicitur: *Mulier gratiosa* · Secundo de meriti fructuositate, cum dicitur: *Inveniet*, scilicet meritis quaerens · Tertio de praemii gloriositate, cum addicitur: *Gloriam*, scilicet caelestem (B) Circa primum de gratiositate divina quaeritur, unde vel ex qualibus effectibus probari valet, quod sit Deo gratiosa anima fidelis quaelibet, sicut et beata Elisabeth. Ad quod respondetur secundum doctores et Scripturas, quod hoc probari et agnosci valet praecipue per quattuor clariores effectus gratiae vel signa, quos facit in anima, in qua est. In quibus sancta Elisabeth a pueritia fuit multum privilegiata. Primus effectus abominatio offensionis, quia gratia et peccatum vel culpa sunt contraria. *Contrariorum autem natura est, ut unum expellat reliquum* per Philosophum II. perihier. Sicut ergo calor expellit frigiditatem, sanitas aegritudinem, vita mortem, sic gratia omne mortale peccatum. Unde Bernardus: *Angustum est cor humanum, non possunt simul in eo cohabitare Deus et diabolus.* Et Gregorius: *Non potest in nobis habitare Deus et gratia eius, quamdiu peccati desiderii deservimus.* Item Anselmus in orationibus: *O quam amara res et mala est peccatum, quam faciles habet actus et difficiles exitus ac interminabiles cruciatus.* Propterea merito peccatum assimilatur veneno mortifero, quod quidem facilem habet introitum in gustu. Quia Constantinus li. VI. Medicinalium dicit, quod *venenum dum bibitur, dulce extimatur, eo*



quod inficit linguam, ut non discernat inter dulce et amarum, quamvis in se amarum sit, ita ut linguam scindat. Sed postquam sumptum fuerit, tunc amarissimum iudicatur, et tandem si citius curari negligitur, mortem incurabilem operatur. Sic est de peccato. Unde homo gratosus quasi a facie colubri fugit et horret peccatum, plus quam omnem mortem corporalem. (C) Nimirum gratosi homines in corde saepius versare solent hanc quaestionem, scilicet quid est in toto mundo super omnia amarum et pessimum, et propterea summopere cavendum. Ad quod licet Philosophus III. Ethicorum dicat, quod *terribilissimum omnium est mors*, quia loquitur ut paganus tantum de corporalibus. Sed gratosae animae respondent cum Ps., quod bonorum et *sanctorum mors pretiosa in conspectu Domini*, 4 sed tantummodo *mors peccatorum pessima*, 5 et super hoc est cruciatus Inferni, sed adhuc super utrumque est peccatum, iuxta illud Eccli. XXVIII.: *Mors illius – id est peccati mors – nequissima, et utilis potius Infernus, quam illa*. 6 Lyra: id est minus mala est gehennae poena, quo ad cruciatu tantum loquendo, quam peccatum mortale. Malum enim peccati mortalis est privatio boni divini, quod est infinitum bonum. Poena autem Inferni est privatio boni creati, ergo minus habet de ratione mali. Adverte haec, o homo, ut caveas tibi et accedas ad acquirendum Dei gratiam, ne pereas! Beata Elisabeth magnum privilegium gratiae habuit, quia cum esset filia regis Hungariae, a pueritia cum adhuc esset quinquennis, Christo servire coepit, et omnia mundana ac vitia horrere et cavere et semper cavisse legitur, ut dicatur numquam culpam de delectationi subiacuisse etiam in aetate adulta, ergo dicitur mulier gratosae. Secundus effectus est poenitentia verae humiliationis. Nam ubi Dei gratia advenit, ad poenitentiam veram humiliat et Dei servitum. Unde Dominus Esa. LXVI. dicit: *Ad quem respiciam – scilicet dando gratiam –, nisi ad contritum spiritum et trementem sermones meos*. 7 Chrysostomus: *Vera poenitentia, scilicet quam operatur Dei gratiam, est auro rutilantior et cunctis thesauris melior*. Item Hieronymus super Mat.: *Humilitas est meritum gratiarum, custos virtutum*. Nil enim est, quod ita gratum facit Deo et hominibus, quam si vitae merito magni, sed infimi nobis humilitate videamur, ideo quando homo se humiliat ad poenitentiam, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem. Hoc clarum argumentum est gratiae divinae. (D) Unde si quaeras, de quo possit homo summe confidere, quod sit in gratia Dei et meritis, et quod non cadat, respondet Bernardus dicens: *Insanus est, quicumque in aliis vitae meritis, quam in sola humilitate confidit*. Exempli gratia: Quis est homo, qui non potest cadere corporaliter, nisi qui iacet in imo? Qui enim stat, aut ambulat, aut etiam qui sedet, cadere potest. Sed iacens non habet, quo cadat, cum iacet in terra infima. Sic in proposito de humilitate, beata Elisabeth privilegium habuit maximae humilitatis, quia cum esset regis illustrissimi filia, regalibus nutrita deliciis, omnes fastus et pompam saeculi coepit in puerili aetate contemnere, et tandem se mancipavit servitiis leprosororum et infirmorum in hospitali. Tertius effectus est contemptus mundanae vanitatis. Ideo Gregorius super Ezech. dicit: *Dulce est esse in humana rebus, sed ei tantummodo, qui spiritualia non gustavit. Gustato autem spiritu desipit omnis caro*. Unde Apostolus Phil. III. dicebat: *Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrum faciam*. 8 Item Varro in sententiis: *Cuncta postponat, qui lumen beatitudinis aeternae consequi adoptat*. Item Augustinus super Ps. XXVI.: *Nihil dulce est praeter Deum* (scilicet animae in gratia existenti). *Ideo quicquid mihi – inquit – Deus dare vult praeter se, auferat totum, et det mihi se*. Haec ille. Beata Elisabeth in hoc effectu gratiae fuit multum privilegiata, quia a pueritia contempsit semper omnia mundana. Nam cum esset quinquennis, ludos spernebat, et successus mundi prosperos fugiebat. Sed cum cogeretur a puellis ludere, spem in Deo totam ponebat, et quae lucrabatur, pauperibus erogabat inducens eas, ut saepe Orationem Dominicam et Ava Maria orarent. Et in ludis ac in choris cum unum circuitum coacta cum ceteris peregisset: „Sufficiat, iam reliquum propter Deum dimitto.” Vestimentorum etiam lascivos usus semper abhorruit et honestatem amavit. Quartus [effectus] est diligentia devotionis et arduae operationis. Nam ut Gregorius homilia XXIII. dicit: *Amor Dei, scilicet gratuitus, non est ociosus, operatur enim magna, si est, si vero operari renuit, amor non est, probatio ergo dilectionis est exhibitio operis*. Haec ille. Proinde Prosper de poenitentia dist. II. § „Charitas est” dicit, quod *dilectio Dei, scilicet gratuita ubicumque fuerit, facit peccato resistere, bonis operibus abundare, saeculi blandimenta contemnere, et omnia, quae humanae fragilitati sunt difficilia, perficere*. Haec ibi, quibus tanguntur dicti quattuor effectus. Nota, quod pro themate potest etiam poni illud Proverb. ultimo: *Fortitudo et decor indumentum eius – scilicet feminae –, et ridebit in die novissimo*. 9 In quibus commendatur de fortitudine, scilicet boni operis. Secundo de decore gratiae sanctitatis. Tertio de gaudio felicis consummationis, ut patet. Et secundum haec prosequere. (E) Beata Elisabeth in hoc magnum privilegium habuit devotionis, scilicet ardentis, et operationis. A pueritia enim supra naturam Deus sibi dedit puerilia contemnere et obsequio divino se devotius mancipare et studiis bonis assuescere. Nam a quinquennio coepit in ecclesia orandi gratia tam sedula permanere, ut sodales vel ancillae vix eam avellere possent. Saepe etiam cum eam observarent, aliquam de illis causa ludi versus capellam insequeretur, ut ex hoc intrandi ecclesiam opportunitatem captaret. Saepe psalterium coram se expandebat, cum litteras nesciret, ut legere se fingeret, ne impediretur occupata. Item ex devotione dulcia oscula parieti figebat, ac si Christi vulnera oscularetur. Beatam Virginem et sanctum Iohannem evangelistam in suos custodes castitatisque patronos elegit, quorum nomine petentibus nil negabat. Certum quoque numerum orationum sibi indixerat, quem si quandoque occupatione aliqua praeventa perficere non poterat ad lectum intrare per ancillas coacta, Christo vigilanter ibi solvebat. Item dies sollemnes tanta devotione colebat, ut manicas sibi nullo modo pateretur consui, antequam missarum sollemnia complerentur, nec cyrothecas die festo portare volebat. Officium divinum tanta reverentia audiebat, quod cum legerentur evangelia, vel conficeretur Eucharistia, manicas, si forte consutae essent, solveret, monilia et capitis ornamenta deponens in imo locaret. Denique fertur, quod ciborum reliquias aut panum fragmenta reservans, pauperibus ad castrum illud pro elemosyna petenda accedentibus in suo gremio parvula Elisabeth deferebat distribuendo. Quadam autem vice casu a patre, scilicet rege Andrea occurrente est deprehensa, qui mirans, quod sola parvula Elisabeth sine comite ancilla curreret versus castrum portam, vidensque eius gremium fore repletum, interrogavit, quo curreret, et quid in gremio portaret. Illa pertimescens patris iram dixit se rosas collectas portare. Tunc pater sciens, quod pro tali tempore hiemali non invenirentur alibi rosae, putavit, quod illa ex timore mentiretur. Dixit ergo: „Ostende mihi has rosas in gremio tuo!” Cumque vi quadam pater illius gremium aperuisset, ecce divino miraculo omnes illae elemosynae conversae in rosas pulcherrimas

visae sunt. Tunc pater admirans cognita rei certitudine gratias cum lacrimis egit Deo, et dixit: „Vere si haec puellula vixerit, aliquid magni erit.” Nam magnae sanctitatis est signum in pueritia, scilicet facere miraculum, ut patet etiam in sancto Benedicto. Quo miraculo Deus ostendit, quod elemosynae Elisabeth forent sibi gratae, et in conspectu angelorum delectabiles, ut rosae odoriferae. (F) Circa secundum de meritorum fructuositate sit pro conclusione, quod beata Elisabeth adquisivit meritorum magnos fructus in singulis tribus salvandorum statibus. Pro declaratione notandum, quod sicut doceret Christus Dominus Mat. XIII., et eius verbis doctores accipiunt, scilicet quod tres sunt status salvandorum, scilicet coniugatorum, viduarum et virginum, quibus varii correspondent fructus meritorum et praemiorum. Unde Christus dicit, quod *semen cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum*. 10 Glossa: *Fructus centesimus refertur ad virgines, tricesimus ad nuptas, sexagesimus ad viduas*. Quicumque autem extra hos status sunt, ipsi sunt in statu damnationis, sicut sunt, qui nec matrimonii iura tenent, nec castitatem servant. (G) Sed occurrunt quaestiones. Prima, qualiter meretur homo praemium, fructus in caelo? Respondetur secundum doctores, praecipue Thomam in IV. dist. XLIX. ac Petrum de Palude, quod *fructus debetur homini ex hoc, quod per Dei verbum consurgit in vitam spiritualem, abdicans a se carnalem affectum, et continens carnem suam a venerea voluptate illicita. Et ideo homo hoc gaudium in caelo, quod dicitur fructus, promeretur per continentiam victoriosam sive virginalem, sive vidualem, sive coniugalem*. Secunda quaestio, quare virginibus assignatur fructus centesimus? Respondetur secundum doctores, praecipue Ludolphum li. De vita Christi, quia *centenarius est numerus perfectissimus consurgens ex ductu numeri denarii in seipsum, quia centum sunt decies decem. Sic virgines prae ceteris hominibus perfectam vitam gerunt, nolentes multiplicari in aliis per generationem, tantummodo in seipsis multiplicant merita, et ideo per centenarium significantur*. Tertia quaestio, quare coniugatis assignatur fructus tricesimus? Respondetur, quia XXX consurgit ex ternario ductu in decem. Coniugati autem habent salvari in fide Trinitatis cum observantia Decalogi, et per tria bona matrimonii, de quibus Augustinus XVII. q. II. „Omne” dicit: *Triplex est bonum matrimonii, fides, proles et sacramentum*. Quarta quaestio, quare viduis assignatur fructus sexagesimus. Respondetur, quia LX consurgit ex ductu senarii in denarium. Viduae autem habent salvari per observantiam Decalogi cum sex operibus misericordiae, quae sunt visitare infirmos, alere egentes, hospitare peregrinos, redimere captivos, vestire nudos, sepelire mortuos. Sed beata Elisabeth in his perfectissime se exercitavit, ut patebit, ergo etc. (H) Circa tertium de gloriosis praemiis scilicet beatae Elisabeth sit pro conclusione, quod beata Elisabeth gloriosissimis fulgens meritis et praemiis data est in exemplum omnibus mulieribus coniugatis ac viduis. Et hoc licet ostendi ex eius meritis, in quibus debent eam imitari mulieres coniugatae ac etiam viduae, ut possint esse Deo gratae. Primo quia fuit affectuosissima devotionis, ita ut omnes ancillas in surgendo ad orationem nocte praeveniret, abundantia lacrimarum cum quadam laetitia vultus se irrigabat. Ipsa autem fuit nupta landgravio Thuringiae duci, non causa libidinis, quia castitatem virginalem servare optaverat, sed compellente patre consensit praecepto invita, quod Deus sic ordinavit, ut esset in sanctitatis exemplum coniugatis. Secundo quia fuit boni operis, sedulae exercitationis. Nam corpus tam sedule vigilando in oratione ac ieiunio maceravit, ut miraretur suus maritus, et rogaret eam, quatenus parceret aliquando corpori, sed ipsa non parcebat. Cum autem maritus abesset, noctes insomnes in orationibus perducebat, necessitate imminente nuda humo somnum capiebat una tapetia strata. Item per ancillas in cubiculo fortiter se verberari faciebat saepius, ut Salvatori flagellato vicem rependeret. Inter diversa fercula in mensa mariti solo pane saepe contentabatur, licet cibos contractaret manibus et divideret, ut comedere videretur, ne alios turbaret. De quibus autem ferculis sanam conscientiam non habebat, contingere volebat, ob hoc sibi vir suus iustos redditus assignaverat, ex quibus cum ancillis vivebat. Tertio, quia fuit bassae humilitatis. Nam in praedicatione sedebat inter pauperulas, tamquam pauper et humilis. In purificatione post partum non se ornabat gemmis, ut ceterae solent, sed se conformans Beatae Virgini cum agno et candela propriis ulnis filium gestando ad ecclesiam vestimenta, quibus processerat, pauperibus tribuebat. Denique ut humili oboedientia conformaret se Christo passo, vovit oboedientiam cuidam magistro Conrado presbytero, pauperi confessori in omnibus licitis. A quo cum sibi imponebantur verbera fienda per ancillas, libenter sustinebat. Nam semel a quadam marchionissa adveniente impedita ad praedicationem non ivit beata Elisabeth, propterea fecit ille eam fortiter verberari per ancillas. Item cum semel intrasset claustrum monialium invita ab illis, non habita licentia a suo magistro, fecit eam tam graviter verberari, ut post tres hebdomadas vestigia viderentur. (I) Quarto, quia fuit compassionis magnae et pietatis. Nam omnia opera misericordiae semper exercuit. Ipsa enim nudos vestiebat, et saepe cum ancillis manibus propriis lanam filabat, et inde vestimenta fieri faciebat pauperibus. Item alebat egentes, nam in Caristia absente viro omnem annonam fame periclitantibus ministravit. Cum ecce pecunia sibi deficiebat, propria ornamenta vendebat, et multa ab ancillis retrahebat, ut pauperibus erogaret. Item sitientes potabat. Unde vice quadam cervisiam distribuens sufficienti unicuique pauperum, repertum est vas sine diminutione. Item peregrinos recipiebat hospitio in domo et hospitali, quam fecerat sub castro. Ibi infirmos refovebat multos, quos quotidie non obstante descensus et ascensus gravitate visitabat, quorum corruptiones pro Deo non horrebat, sed manibus propriis saniem de eorum ulceribus educebat, ac velo proprii capitis tergebat, balneabat, et ad secessum impotentes ipsa ducebat, filios etiam parvulos pauperum tamquam mater nutriebat, et eis olliculas ac vitrea saepe emebat pro solatio, unde eam matrem vocabant. Denique mortuis sepulturam exhibuit, adeo ut etiam quandoque proprium velum concideret ac pauperis corpus defunctum ipso involveret, et sic patet. (K) Quinto, quia fuit dilectionis fortis et constantis in adversis. Nam fertur, quod cum tot et tam ardua pietatis opera faceret, aemuli eam prodigam reputantes apud maritum accusarunt. Cum ergo ille permotus fuisset animo contra Elisabeth, accidit quadam vice, quod absente marito quemdam leprosum Elisabeth balneavit, et super lectum mariti posuit dormiendum. Et ecce marito superveniente aemuli coeperunt murmurare de hoc. Ad quod iratus vir suus irruit in domum, et super lectum repente gladio evagiato accurrit, ut occideret illum in lecto iacentem. Quo pervento abiiciens linteamen, vidit ecce Christum Iesum in cruce affixum et cruentatum iacere in lecto, et territus veniam petiit, ac potestatem dedit Elisabeth, ut faceret omnia salutifera. Post haec accidit, quod quidam baro Hungariae advenisset Romam profecturus per illam viam, quem dux laetissime suscepit. Ille autem petivit ducem, ut videre

mereretur hanc sanctam, de qua multa et magna insignia sanctitatis audierat. Dux ergo hoc annuit, et mandavit sanctae Elisabeth per internuncium se praeparare et exire, sed illa respondit se non licere ostentare, tum quia laudes fugiebat humanas, tum potissime quia omnibus ornamentis erogatis in pauperes non habebat, unde decenter ad honorem viri sui indueretur, et confusionem mariti timebat. Iteratis autem a marito mandatis interius cubiculum intravit et oravit, et ecce angelus Domini astitit, et vestem pulcherrimam cum corona sibi praesentavit a Domino missam ac induit, progressa autem cum ancillis ad domum convivii venit, et in eius aspectu faciei et indumenti omnes mirati sunt, quia fulgere videbatur ex angelico conspectu, et ipsa coepit eis loqui de amore Dei tam suaviter, ut omnes essent in auditione verbi attoniti et mente suspensi, et finito sermone valedicens rediit in camera, et omnes Deum laudaverunt. Denique maritus consilia salutis ab ea requisivit, ipsa autem persuasit illi ire pro defensione fidei ad Terram Sanctam, quo cum ivisset devotione plenus et fide, spiritum Deo reddidit ibidem. Unde Elisabeth viduata a vasallis, tamquam scilicet esset dissipatrix, est eiecta. Nocteque superveniente in loco quodam, ubi porci iacuerant, se cum ancillis recepit Deo gratias agens pro adversis. Mane pergens ad fratres minores petivit „Te Deum laudamus” cantari, dum etiam per quandam viam strictam lutosam super lapides ibi positos pergeret vetula quaedam, cui iam ante multa beneficia praestiterat, obviando cedere sibi recusavit, et ipsam in lutum detrusit. Sed ipsa ridens et gaudens vestimenta sua abstersit. Cumque affines vellent eam secundis nuptiis tradere, ipsa Deum lacrimose orabat, ne hoc permetteret, et ancillis dicebat, quod numquam de hoc vellet consentire, et si „aliud remedium – inquit – non possem habere, proprium nasum mihi detruncarem, ut quilibet me sic deformem abhorreret.” Voluit autem mendicando ire ostiatim amore paupertatis, sed non est permissa. (L) Sexto quia fuit evangelicae sectatrix perfectionis. Nam mundum et omnia contempsit, et religionem ordinis tertii sancti Francisci intravit ad vivendum in castitate, oboedientia et paupertate tam arcta, ut griseas vestes ac repetiatas portaret. Pater autem, scilicet rex Hungariae audiens ad tantam paupertatem eam devenisse, comitem quendam misit ad reducendam in Hungariam. Qui cum vidisset eam in griseis et filantem, exclamavit, dicens: „Numquam filia regis Hungariae tam vili habitu filare apparuit.” Tunc illa nullo modo adquevit reduci ad divitias, sed in paupertate mansit. Septimo quia fuit fruitionis divinae consolationis et supernae revelationis. Apparuit enim saepe sibi Christus. Primo cum peteret in oratione haec tria, scilicet contemptum omnium rerum temporalium, item ut filiorum suorum dilectionem a corde eius avelleret, et ut in iniuriis et contumeliis patientiam sibi daret. Haec autem petebat, ut animus eius liberius totus in Deum elevaretur. Fusa oratione audivit Iesum sibi dicentem: „Exaudita est oratio tua, sponsa.” (M) Item quadam vice defixis oculis ad sacramentum altaris intenta visa est, ac si ibi praesentiam Dei intueretur, et per magnum spatium divina consolatione est refecta. Deinde domum reversa dum prae debilitate appodiasset in gremium ancillae, respiciens per fenestram in caelum nimia hilaritate vultus eius perfunditur, ut etiam maxime rideret. Diu sic iucunda tandem in lacrimis est conversa, et sic pluribus vicibus alternatim iam iucunditate perfruitur, iam oculos claudens lacrimis irrigatur. Talibus consolationibus divinis usque ad completorium immorata exstitit, diu tacens, et ultimo in haec verba prorumpens: „Ita, Domine, tu vis esse mecum, et ego tecum, et numquam volo a te separari.” Postea rogata, ut visiones istas ad Dei honorem et ancillarum aedificationem exponeret, importunitate devicta ait: „Vidi caelum apertum, et Iesum ad me vultum benignum ostendentem, de cuius visione iucunditate perfundebar, et vultum interea absentabat, et tunc plorabam. Qui mei misertus iterum sui vultus visione laetificabat, usque quo ultimo post multas iteratas vices ait: «Si vis esse mecum, ego ero tecum.» Cui ego respondi, sicut audistis: «Ita, Domine, tu vis.» Cumque rogaretur, ut visionem iuxta altare exponeret factam, respondit: «Ibi multo gaudio fui, et miranda conspexi, quae non expedit enarrare.»” Denique ultimo apparuit sibi Christus in hora mortis, dicens: „Veni, dilecta mea, in praeparata tibi tabernacula!” Dum ergo febre correpta esset, coepit canere dulcem melodiam. Interrogata respondit: „Avicula quaedam ante me se ponens cecinit tam suaviter, quod me ad simile provocavit.” In illa autem aegritudine semper hilari vultu orans tandem dixit ancillis: „Quid acturae essetis, si diabolus ad vos veniret?” Post paululum alta voce dixit „Fuge, diabole!” tribus vicibus. Postea dixit: „Ecce appropinquat media nox, qua Christus natus est.” Et sic animam Christo commendans obdormivit in pace anno Domini MCCXXVI. Tunc de corpore aromaticus odor cunctos refecit, et tandem corpus in sepulcro positum oleum redundavit. Tunc etiam aviculae multae congregatae super cacumen ecclesiae canebant iubilantes, quas credimus fore angelos Dei. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut eius meritis det gratiam in praesenti etc. Amen.

---

1 Prv 11,16 2 Lc 15,8 3 Ps 35,10 4 Ps 115,6 5 Ps 33,22 6 Sir 28,25 7 Is 66,2 8 Phil 3,8 9 Prv 31,25 10 Mt 13,8

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XCVII.] De sancta Elisabeth Sermo II., scilicet de mundi contemptu *Vendit universa, quae habuit, et emit eam* (scilicet caelestem gloriam). Haec praedicta verba sunt Salvatoris Mat. XIII., 1 quae leguntur in evangelio huius festivitatis de sancta Elisabeth. (A) Sicut Hilarius super Mat. dicit: *Qui aeternam beatitudinem desiderat, necesse est, ut mundanorum delectationem renuat, eo quod ista duo simul stare non possunt.* Bernardus: *Sicut ignis et aqua simul stare non possunt, sed unum extinguit alterum, sic nec amor temporalium vel delectatio mundanorum stare potest cum amore divinatorum et spiritualium deliciarum.* Sed ut dicit Ambrosius: *Qui contemnit temporalia, merebitur sempiterna.* Haec advertit beata Elisabeth, et ideo omnia mundana tamquam vana et caduca contempsit amore Christi, ut habeat caelestem thesaurum pretiosissimum et gloriam aeternam. Ideo de ipsa convenienter dicuntur haec verba: *Vendit omnia, quae habuit, et emit.* Iuxta quae verba tria mysteria notemus, secundum quod commendatur, et nobis in exemplum proponitur beata Elisabeth de tribus: · Primo de saeculi contemptu, quod notatur, cum dicitur: *Vendit omnia* · Secundo de sequelae Christi conatu, quia Christi exemplo et amore contempsit omnia ·



Tertio de caelestis regni mercatu, quia dicitur, quod *emit eam* (B) Circa primum de contemptu mundi huius quaeritur, cur sancti Dei homines et eorum exemplo fideles merito debeant mundum contemnere et relinquere, cum sit bona creatura pro usu hominis facta. Ad quod respondetur, quod pluribus rationibus inductivis, ut colligitur a doctoribus. Primo quidem mundus est merito contemnendus, quia plenus est alteratione et vana pertransitione. Unde I. Io. II.: *Filioli, nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt.* 2 Lyra: id est vitia mundi. Nam creaturae mundi sunt factae a Deo, et ideo in eis natura utpote bona est diligenda, sed vitia sunt odienda et fugienda. Unde subdit: *Omne, quod est in mundo, id est in hominibus mundanis, concupiscentia carnis est, quae viget in voluptuosis, et concupiscentia oculorum, quae est in avaris, et superbia vitae, quae est in ambitiosis, quae non est ex Patre, sed ex mundo. Nam vitiositas in rebus non est a Deo, sed ex hominum malitia et usu malo.* Sequitur: *Et mundus transit et concupiscentia eius, scilicet per mundanorum hominum mortem. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum, quia de statu gratiae transit ad statum gloriae.* Augustinus: *Mundus et concupiscentia eius transit. Vide, homo, ne sic haereas, ut cum mundo pereas.* Idem in quodam sermone: *Sic est vita ista misera, quasi sit homo in domo aliena, et nescit, qua die vel hora dicetur ei, veni foras, quia non est domus tua, in qua habitas.* Haec Augustinus. Ideoque Apostolus Heb. ultimo hortatur: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquiramus.* 3 Accipe exemplum, quia mundi fortuna depingitur sub figura rotae volubilis, in signum, quod homo semper alteratur, hodie dives, cras pauper, vel minus habens, et tandem in morte omnia perdens. Propterea Boethius De consolatione li. III. prosa I. dicit: *Mundus dicitur arcus Fortunae, ergo non est in eo confidendum.* Secundo quia plenus est coinquinatione, ideo est contemnendus. Chrysostomus: *Mundus numquam est mundus, sed semper immundus.* Ideoque est contemnendus, quia ut scribitur Eccli. XIII.: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* 4 Sic qui tangit mundum per amorem, inquinabitur in conscientia. Augustinus: *Si te delectat mundus, semper es immundus.* Item Chrysostomus super Mat.: *Difficile est virum in mundo positum iustitiam servare immaculatam, sicut in mari tempestuoso difficile est fluctuum procellis non mergi.* Tertio quia mundus plenus est deceptione, quia ut Hieronymus dicit: *Si mundus cultello veritatis aperitur, nil in eo nisi falsitas reperitur. Omnia enim, quae in mundo sunt bona, apparentia tantummodo sunt, et non existentia in praesenti, ideo sunt fallacia. Nam quicquid est boni in mundo, aut est praesens, aut praeteritum, aut futurum. Si praesens est, instabile, si futurum, incertum, si praeteritum, iam nihil est. Sola ergo perpetua bona in caelo vera bona sunt, quae sunt semper stabila et certissima ac felicitate perpetua.* (C) Nam si quaeritur: Quid est illud, quod quanto magis amatur, tanto magis perdit hominem, et nocivum efficitur, quanto blanditur? Respondet Augustinus ad diascoron. dicens: *Mundus de quanto blandior, de tanto periculosior. Nam cum arridet, fallit et periculose decipit.* Idem sermone Domini in monte: *O munde immunde, quantos seduxisti, quam multos decepisti, quot certe iam per te sunt in Inferno positi!* Merito ergo mundus est contemnendus tamquam fallax deceptor. Quarto quia plenus est excaecatione, scilicet mentis humanae. Nam excaecat homines, ne videant, quod per mundum blandientem ducuntur ad mortem aeternam, tamquam ad patibulum. Prover. VII.: *Sequitur stultus quasi bos ad victimam ignorans, quod ad vincula trahitur, donec transfigat sagitta, scilicet divinae ultionis et mortis aeternae cor eius.* 5 Gregorius: *Qui per saeculi huius delectamenta ducitur, quasi per amoena prata, ad suspendium trahitur.* Augustinus: *Gaudium mundanorum est gaudium phreneticorum, qui ridendo currunt ad praecipitandum se in ignem vel fluvium.* Quinto quia mundus plenus est finali perditione et frustratione. Nam si quis etiam mille annis viveret in mundo, finaliter omnia delectamenta nullius utilitatis fuisse monstrabuntur, sed quod solum gravaverunt conscientiam et strictissimam obligaverunt ad rationem in iudicio reddendam. (D) Unde Hier. XVII. scribitur: *Perdix fovet, quod non peperit. Sic homo fecit divitias, et non in iudicio in medio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens.* 6 Haec ibi. Lyra: Perdix furatur aliena ova, et fovet ea, ideo dicit: *perdix fovet, quod non peperit.* Sed tandem pulli inde nati audientes vocem propriae matris quadam industria naturali currunt ad eam, alienam dimittentes, et tunc perdix percipit se fatue egisse in furto et fotu alienorum ovorum. Sic homo, qui fecit divitias, id est aggregat non in iudicio, id est non modo licito, in medio dierum suorum relinquet eas per mortem, et in novissimo suo erit insipiens, id est tunc percipiet insipienter egisse, quia haec terrena non iuvant ipsum, quorum amore perdidit animam suam. Unde Bernardus in Meditationibus: *Tu, homo, quem fructum exspectas in mundo, cuius fructus ruina, scilicet peccatorum et gehennae, cuius finis mors amara, scilicet in ratione reddenda. Utinam saperes, et intellegeres, ac novissima tua provideres!* Haec ille. Idem: *Quid valent divitiae saeculi aut deliciae, quid honores et pompae, cum non liberant corpus a morte, nec animam eripiunt ab infernali igne, sed potius gravant in supplicio gehennae aeternae. Quantum enim quisque se glorificavit et in deliciis fuit, tantum dabitur illi tormentum, ut scribitur Apoc. XVIII.* 7 Sexto quia mundus plenus est gravi miseria et labore. Unde Gregorius libro Dialogorum dicit: *Despiciendus profecto foret hic mundus, etiam si blandiretur, si rebus prosperis semper demulceret animum. Nunc autem quia tot calamitatibus viget, tot periculis et miseriis inundat, quid aliud, nisi ut contemnatur, clamat.* Haec ille. Item Hieronymus de vita Nepotiani: *Ubique luctus, ubique gemitus, et plurima mortis imago.* Idem in testamento dicit: *Nulla hora est, in qua vivens homo in mundo liber a dolore transeat. Si dives, undique angustiatum timore, ne quod possidet, amittat. Si pauper, numquam quiescit, ut inveniat. Si bonus, diaboli timet periculum, sicque mundus totus in maligno positus est.* Chrysostomus: *Miser est mundus, et miserrimi, qui eum sequuntur et diligunt.* Bernardus: *O vere miserabiles miserrimi, quos huius vitae miseriae seducunt, ut in bonis dies ducant, et in puncto ad Inferna descendant, ubi non uno aut decem, non mille aut centum milibus annorum cruciabuntur, sed sine fine saeculorum.* Septimo quia mundus plenus est horrenda morte. Augustinus: *Quid est vita nostra, nisi cursus ad mortem, in qua nec ad momentum quiescere possumus, sed sive comedamus, sive dormiamus, sive sedeamus, semper aequa lance ad mortem festinamus.* Ideo Hieronymus in testamento dicit: *Vita mundi non vita, sed mors, vita fallax, vita mendax, nunc florens et statim arescens, quae quanto crescit, tanto decrescit, scilicet morti appropinquando.* Unde posito, quod cuncta feliciter amatoribus mundi ad votum succederent, tamen vana sunt, caduca et breviter transeuntia. Unde Hugo li. I. De anima et Bernardus: *Dic mihi, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt, comederunt, biberunt, riserunt, ubi risus, ubi iactantiae vana gloria, ubi divitiarum copia? Transierunt omnia velut umbra,*

*nil remansit ex eis, nisi cinis et vermis.* Sic et propheta Baruch III. ca. clamat dicens: *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, qui in avibus caeli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum, et non est finis acquisitionis eorum.* Et respondet: *Exterminati sunt, scilicet per mortem, et ad Inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt.* 8 Haec ibi. (E) O ergo amatores mundi, loquar vobis, dicite mihi, ubi sunt tot domini et praeclari viri, qui leguntur fuisse ante nos multi imperatores, multi reges in diversis regnis per orbem, multi principes provinciarum, multi marchiones, multi duces, multi strenui et milites, multi nobiles, quos numerare non sufficimus. Item dicite, ubi sunt multi summi pontifices, episcopi, cardinales, archiepiscopi, praepositi, decani et huiusmodi. Sed et dicite, ubi sunt doctores et magistri, ac quique periti et philosophi, qui fere mundum sapientia sua totum illuminaverunt. Dicite, ubi sunt omnes artis medicinae, physici et sapientes, qui innumerabiles medicinas descripserunt, et alios curaverunt. Nonne seipsos curare et a morte praeservare potuerunt? Dicite, ubi sunt tot cives, iudices, potestates, ubi famosae feminae, et omnes homines a principio mundi per orbem diffusi. Ecce una omnium sententia, quia exterminati sunt, et mortui sunt. Beati ex eis, qui sic vixerunt, quod ad Inferna non descenderunt, sed in caelum pervenerunt. Dicam ergo cum Ecclesiaste c. I., *quia vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* 9 Vanitas est superbia, pompa, divitiae, gloria, luxuria, gula, ira, invidia et quaeque vitia. *Vanitas est omnis caro et totus mundus, praeter amare Christum Deum omnia vanitas,* ut dicit Bernardus. Ideo Chrysostomus super Ioh. dicit: *Hunc versiculum, scilicet „vanitas vanitatum, et omnia vanitas” si saperent, qui in potentia versantur, in parietibus omnibus et vestibis scriberent in domo, in foro, in egressibus, et ante omnia in conscientiis suis, ut semper eum oculis cernerent et corde sentirent. Istud oportet quotidie carmen salutare et in prandiis et in cenis et in omnibus conventibus canere, quia vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Haec Chrysostomus, et ponderosa sunt. Ultimo quia mundus est plenus illaqueatione damnationis aeternae, quia teste Gregorio *momentaneum est, quod in mundo delectat, sed aeternum, quod propter hoc in Inferno cruciat.* Ideo et Augustinus in quodam sermone: *Nulla maior insania, quam pro delectatione momentanea perdere aeterna gaudia, et obligare se ad aeterna supplicia.* Ut ergo loquar verba Hieronymi in testamento: *O vita mundi, vita mendax, o vita plena laqueis, quot in mundo homines illaqueas, scilicet ad sustinendum poenas pro te aeternas, quot iam per te sustinent tormenta gehennae, quot animas perdidisti, solus Deus novit, quot barathro praecipitasti. O quam beatus, qui de tuis non curat blanditiis, o quam beator, qui tuas, o nequam munde, agnoscit fraudulentias, o quam beatissimus, qui te bene privatur, ut ex te exire valeat ad caelestes divitias veras, et sempiternas delicias.* Haec omnis beata Elisabeth diligenter consideravit, et ideo mundum contemnere studuit ab aetate adhuc puerili, ut patuit sermone I. „E”. Ac tandem adulta facta perfectissime contempsit, ut patet in legenda, perseguere, ut placet. (F) Circa secundum de conatu sequendi Christum in contemnendo mundum pro conclusione sit sententia Hieronymi in epistola: *Non sufficit contemnere mundum et relinquere omnia, quia hoc et Socrates et multi philosophi fecerunt, sed requiritur Christum sequi, quod est credentium.* Nimirum ut idem Hieronymus dicit XII. q. II. „Gloria”: *Socrates quondam ditissimus cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putavit se posse et virtutes et divitias simul possidere, et subdit, quod: nos multo magis non possumus sequi pauperem Christum sub sarcina divitiarum.* Item refert Hieronymus et etiam Seneca de Diogene philosopho, *quod tam maxime mundum contempsit, ut solum baculum, quo se sustentavit, et cyphum, quo de fontibus bibebat, secum in eremum portavit. Cum autem semel vidisset simeam manibus bibentem, cyphum fregit dicens: „Nesciebam, quod natura cyphum haberet.” Et sic de baculo. Nec domum possedit, sed in deserto in quadam vegete morabatur, cuius fundum soli in aestate opponebat, in hieme vero os ad solemolvebat. Cumque Alexander imperator venando illum repertum conspiceret, umbramque sibi faceret, dixit illi, si vellet, ut aliquid sibi donaret, respondit: „Volo, ut mihi non auferas, quod mihi dare non potes.” Hoc dixit de radiis solis. Tandem cum astantes dicerent: „Iste est imperator, cur non times eum?” – respondit: „Servum servi mei non timeo”, id est ipsum servientem mundo, qui – scilicet mundus – mihi servit, non timeo.* Ecce pagani contempserunt mundum, fortius debent contemnere Christiani Christi amore, ut sequantur perfectius Christum. (G) Sed quaeritur, utrum Christianis mundum diligere sit peccatum damnabile, eo quod repugnare videtur Christi vitae et doctrinae. Et posset rationem quis talem dare, quia Iac IV. dicitur: *Adulteri nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Deo. Quicumque amicus huius saeculi voluerit esse, inimicus constituitur Dei,* 10 ergo etc. Respondet frater Angelus de Clavasio secundum Alexandrum II. II. tractatu de avaritia, quod *si mundus diligitur ad necessitatem, sic non est peccatum.* Unde Beda super Ioh. II.: *Utimini mundo ad necessitatem, non ad voluptatem.* Si autem diligitur ad voluptatem et superfluitatem, sic est prohibitum a Christo. Licet enim ordinate possit quis amare mundum, tamen hoc difficile est, quoniam est occasio peccatorum. Unde et secundum Lyrum auctoritas praedicta Iac. IV. intelligenda est, quod amicitia, scilicet inordinata huius mundi, qua quis inordinate adhaeret delectabilibus mundi, inimica est Deo. Sic etiam dicitur I. Ioh. II.: *Si quis diligit mundum, id est mundi delectabilia inordinate, non est charitas Patris, id est Dei in eo.* 11 Unde Gregorius homilia XXIII. dicit: *Tanto quisque a superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur.* Si vero diligitur mundus sic, ut finis in eo constituatur et propter se, quia videlicet extimatur in mundanis sufficientia, cum non sit vere, sic etiam est prohibitum et damnabile. (H) Sed quid de hominibus, qui adeo mundum diligunt, quod omnino vellent in eo stare, nec separari vel exire ab eo. Respondetur secundum fratrem Angelum iuxta Petrum de Palude in IV. dist. XXI., quod *velle stare in mundo longo tempore propter delicias, sic est veniale peccatum, dum tamen hoc appetatur sub Deo, secus si supra vel contra Deum, quia hoc esset peccatum mortale. Sed perpetuo velle stare in mundo non potest esse sine peccato mortali, si est deliberatio voluntatis, si autem quis vult stare in mundo longius, ut magis mereatur et melius operetur, nullum peccatum est, sed meritorium.* Haec secundum fratrem Angelum. Beata Elisabeth in mundo stans multa merita cumulavit. Nam nil mundanum inordinate concupivit, sed perfecte mundum reliquit, ac habitum religionis suscepit, omnium, etiam filiorum amorem abdicavit. De his patet ex legenda praecipue sub littera „L” sermone primo. (I) Circa tertium de mercatione regni caelestis quaeri potest, qualiter possit homo emere, et quali pretio habere regnum caeleste, sicut emit et beata Elisabeth. Nimirum hoc nobis est valde utile scire, qualiter, scilicet cum Deo et Christo Iesu forum constituamus et emere valeamus beatum regnum perpetuo

possidendum. Ergo o homo, erige hic aures tuas, quia si hoc regnum emere studueris, gaudebis. Sin autem perpetuo exul eris, et Inferni cruciatibus deputatus lugebis. Ad hoc nempe quaesitum respondet Augustinus, in persona Dei pulchre dicens sic: *Venale habeo. Quid, Domine? Regnum caelorum. Quo emitur? Respondit: Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, ignominia gloria et morte vita.* Haec Augustinus. Ad propositum: Beata Elisabeth his pretiis emit. Primo paupertate emit regnum, cum omnia pro Christi amore contempsit, et saeculum reliquit, ac pauperrimam vitam elegit ordinis tertii sancti Francisci. Secundo dolore emit gaudium, quia semper vixit in dolore verae poenitentiae, et etiam quia sustinuit dolores adversitatum et penuriae pro Christi amore. Prosequere, si placet, hic legendam sermone I. „H” et „K”. Tertio labore emit requiem, scilicet laborando in operibus misericordiae, „I”. Quarto ignominia emit gloriam multum se humiliando. Nam cum esset filia regis et uxor ducis, se fecit ancillam leprosorum. Quinto morte emit vitam, quia perseveravit in bonis operibus usque in finem, et felici morte migravit. Prosequere legendam sermone I. „M”. Unde bene ipsa potest dicere, quod canit Ecclesia dicens: *Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsit propter amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi* etc. O itaque sanctissima domina Elisabeth, te rogamus, ora pro nobis ad tuum dilectum Iesum, ut tuis meritis det nobis gratiam contemnendi omnia et cavendi peccata in praesenti, et gloriam in futuro perpetuam. Amen.

---

1 Mt 13,46 2 I Io 2,15 3 Hbr 13,14 4 Sir 13,1 5 Cf. Prv 7,22-23 6 Ier 17,11 7 Apc 18,7 8 Bar 3,16-19 9 Ecl 1,2 10 Iac 4,4 11 I Io 2,15

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XCVIII.] De sancta Elisabeth Sermo tertius pro viduis *Vidua haec pauper plus quam omnes misit*, id est: dedit munera Deo. Haec verba sunt Salvatoris Luc. cap. XXI. 1 (A) Ubi commendavit quandam viduam pauperulam, quae duo minuta aera misit in gazophylacium Domini, cum plus non haberet, et quia totum, quod habuit, dedit, ideo Christus illam commendavit, quod prae omnibus divitibus dederit, quia divites magna quidem munera dederunt, sed ex abundantia. Haec autem de penuria totum dedit, quod habuit. Unde Hieronymus XXIV. q. II. „Odi” dicit, quod *non sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium merita causasque Deus diiudicat, propterea vidua ista prae omnibus a Salvatore praefertur, quae in carbonam duo tantum minuta miserat.* Haec ibi. Sed haec verba, ut etiam canitur in officio proprio de beata Elisabeth, optime dicuntur. Tum quia ipsa vidualem continentiam post mortem sui viri duxit sanctissime observando. Tum quia paupertatem vovit religiosam et servavit in ordine tertio sancti Francisci vivendo. Tum quia duo minuta dando Deo in sacrificium servitutis, id est animam simul et corpus, vel seipsam et sua omnia totum, quod habuit, Deo dedit, ergo convenienter dicitur de ea, quod *vidua haec pauper plus quam omnes misit*, quoniam merita prae multis sanctis cumulavit. Iuxta haec ergo verba tria mysteria notemus pro sermone, quod de istis commendatur tribus in themate: · Primo de sanctimonia viduali, cum dicitur: *vidua* · Secundo de observantia regulari, quia *vidua haec pauper* religiose vivendo in ordine tertio Francisci · Tertio de meriti copia praemiali, quia *plus* aliis obtulit (B) Circa primum de sancta viduitate, scilicet qua in exemplum proponitur beata Elisabeth omnibus utriusque sexus hominibus, quaeritur, qualiter unaquaeque vidua exemplo beatae Elisabeth debeat se Deo sacrificare, ut sit sancta et Christo Iesu accepta. Ad quod respondendo secundum Scripturas et doctores notandum est, quod viduae sunt in quadruplici differentia. Nam primo quaedam sunt viduae totaliter diaboli, quia corpus et animam offerunt diabolo, ut quae non sunt in coniugio, et luxuriis aliisque vitiis vacant. Tales quidem nomine solo dicuntur viduae, quia vidua generaliter dicitur omnis vir vel mulier, qui vel quae virginitatem amisit, sive per licitam, sive per illicitam corruptelam, si tamen non est in statu coniugii, quamvis proprie dicatur vidua, cuius maritus mortuus est, ut patet dist. XXXIV. c. „Vidua” per Hieronymum. Sed tales viduae, scilicet quae vitiis vacant et luxuriis, sunt viduae diaboli, sicut Apostolus docet I. Timoth. V. dicens: *Adolescentiores viduas devita. Cum enim luxuriatae fuerint, scilicet frangendo continentiam vidualem in Christo nubere volunt habentes damnationem.* Et infra: *Iam enim quaedam conversae sunt retro post Satanam.* 2 Haec Apostolus. Tales non verae sunt viduae coram Deo, sed meretrices, licet coram mundo videantur viduae. Secundo quaedam sunt viduae mundi, quia mundo se offerunt, ut quae non propter Deum, sed tantummodo propter mundum continent honeste viventes, et suo tempore nubere intendentes, et istae licet non sint in statu damnationis, tamen non merentur fructum viduitatis sexagesimum, etiam si in viduitate tali interim decedant. Sicut enim aureola virginalis non debetur tali virgini, quae suo tempore habet propositum nubendi, etiam si interim in virginitate moriatur, licet de hoc habeat aliquod gaudium, minus, quam sit aureola, sic nec fructus dabitur sexagesimus tali viduae, quia debetur fructus victoriae excellenti, et non cuilibet virtuti minores delectationes spernenti, ut patet per Antoninum Florentinum III. parte Summae tit. II. c. III. (C) Sed quaeritur, quid de illis hominibus, qui virginitatem quidem amiserunt, et de cetero numquam nubere volunt, sed hoc non pure propter Deum intendunt. Respondetur secundum doctores, praecipue Antoninum ibidem, quod quicumque non propter Deum principalius, sed magis propter mundum continent, puta ut vitent molestias coniugii, vel ut sint dominae rerum suarum et huiusmodi, tales et si caste vivant, non tamen habebunt fructum sexagesimum viduitatis, nisi contineant principalius propter Deum. Unde Gregorius homilia de confessoribus dicit: *Nec castitas magna est sine bono opere, scilicet propter Deum facto, nec bonum opus est aliquid sine castitate, sed si utrumque agitur, restat, ut quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat, nequaquam se a vitiis pro mundi huius honestate contineat, qui etsi quiddam aliquando boni pro honestate inchoat, in eius tamen intentione non debet permanere, nec pro bono opere praesentis mundi gloriam quaerere, sed totam spem in Redemptoris sui adventu constituat.* Haec Gregorius. Tertio quaedam sunt viduae partim diaboli, partim Christi, quia partim se offerunt Christo, scilicet per castitatem continendo a luxuria, sed partim se offerunt diabolo sacrificantes, scilicet non continendo se ab aliis vitiis, puta: detractionis, invidiae, irae et superbiae et huiusmodi. Unde Augustinus



dicit, quod *superba virginitas, sic et viduitas superba prostibulum est diaboli*. Item Gregorius li. Dialogorum refert, quod *quaedam sanctimonialis casta quidem corpore, sed detractionis et loquacitatis vitio subiecta, cum defuncta fuisset in ecclesia Sancti Laurentii Romae sepulta, custos ecclesiae vidit nocte strepitum daemonum multorum, qui eam extraxerunt et dividerunt, dicentes: „Pars inferior non est nostra, quia castitatem tenuit, sed pars superior nostra est.” Et illam combusserunt in signum damnationis*. Hinc Hieronymus li. I. Contra Iovinianum dicit, quod *Dei templum esse debet mundum, et totum holocaustum offerre debet homo in castitate Deo et sanctum esse corpore et spiritu*. Haec ille. Quarto quaedam sunt viduae vere et totaliter Dei, quia se totaliter Deo sacrificant corpore et mente abstinentes, deinceps a coniugio et ab omni actu venereo propter Christi amorem. Tales sunt honorabiles et Deo acceptae, I. Timoth. V.: *Viduas honora, quae vere viduae sunt. Quae vere vidua est, et desolata, speret in Domino, et instet orationibus die ac nocte*. 3 Tales autem sunt in triplici differentia, quia quaedam se totum Deo offerunt perpetuo continentes sine voto, solo firmo proposito et effectu. Aliae autem sunt perfectiores, quae hoc faciunt vovendo. Ideo Augustinus li. De viduitate dicit: *Si non vovisti continentiam, exhortor, ut voveas. Si vovisti, exhortor, ut perseveres*. Aliae autem sunt, quae perfectissime hoc implent religionem intrando et sollemni professione castitatem tenendo. Sic enim est firmius castitatem tenere maiorisque perfectionis et praemii secundum doctores et per Antoninum ubi supra patet. Unde dicit Anselmus li. similitudinum, quod *sicut qui dat fructum cum arbore regi, plus dat et acceptius est, quam qui fructum tantummodo sine arbore praebet. Sic melior est continentia castitatis cum voto, quam sine voto, quia in voto offert homo Deo arborem, id est totam voluntatem cum fructu operum*, ergo etc. (D) Quaeritur, utrum vidua in saeculo manens et sine voto continens consequatur fructum sexagesimum in caelesti praemio. Respondetur secundum Antoninum ubi supra et doctores, quod ad consequendum fructum non requiritur necessario votum castitatis, sed hoc est de perfectione, quia desponsata Christo per votum est perfectius obligata. Sed sufficit firmum propositum perpetuo continendi etiam sine voto, si contineatur cum effectu ita, quod non cadat a proposito, quod si ceciderit, per poenitentiam potest habere praemium essenziale in proposito continendi de cetero, sed fructum non habebit, quia non debetur fructus cuilibet victoriae vel virtuti, sed excellenti, et in materia excellenti. Unde quia talis non continuit, ut debuit, ergo nec fructum debitum continentiae habebit, licet per poenitentiam salvetur, et per propositum de cetero continendi speciale praemium essenziale adquirat. O ergo homo, adverte, quia per incontinentiam tale et tantum bonum perdes, quod numquam recuperabis, scilicet aureolam et fructum. Nam si virgo es, et perdis virginitatem, numquam aureolam virginalem recuperabis. Item si vidua es, et continentiam violaveris, numquam fructum sexagesimum obtinebis. Si autem coniugata es, et adulteraveris, licet per poenitentiam salveris, numquam fructum tricesimum habebis. Ad propositum: Beata Elisabeth primo quidem servavit virginitatem castissime, tandem in vita tradita est a patre in coniugium, ubi votum fecit, quod post mariti mortem contineret. Demum viduata tam perfectissime castitatem tenuit, quod scilicet religionis habitum suscepit, et sollemniter vovit, et perseveravit. (E) Circa secundum de observantia regulari, ut omnes generaliter viduas in Christo doceamus, quaeritur, qualem vitam regulariter observare debeat vidua, ut magnam scilicet gratiam a Christo obtineat exemplo beatae Elisabeth viduae. Ad quod sciendum est, quod septem regulas debent viduae observare. Prima regula dicitur sperationis. Unde dicit Apostolus I. Timoth. V.: *Quae vere vidua est et desolata, speret in Deo*. 4 Nam viduae mulieres paene omnes sunt desolatae, quia frequenter molestantur et destituuntur bonis temporalibus, et variis modis opprimuntur in hoc nequam et maligno mundo, ideo totam spem debent ponere in solo Christo et ipsum orare, qui eas tamquam sibi desponsatas per continentiam utique non derelinquet. Unde Eccli. II.: *Quis speravit in Domino, et derelictus est?* 5 Quod dicit: nullus. Sit ergo pro regula viduarum, quod in tribulatione omnem spem ponant in Domino, nec dubitent de auxilio. (F) Sed unde probatur, quod Deus viduas semper paratus sit iuvare et consolari in eo sperantes, cum videamus saepius illas in hoc saeculo ab impiis totaliter oppressas, et rarissime defensores habere experientia docet. Respondetur, quod hoc satis probatur ex signis quattuor. Primo ex signo exemplificationis, scilicet Christi, quia ipse Christus Dominus mulieri viduae solatium impendit corde, ore et opere, ut patet Lucae VII., ubi dicitur, quod cum intraret Christus in civitatem Naim, ecce defunctus efferebatur mortuus filius unicus matris suae viduae, quam cum vidisset Iesus, misericordia motus est super eam. Ecce compassio cordis Christi super viduas. Et dixit illi: „Noli flere!” Ecce consolatio oris. Et accessit, et tetigit loculum ac resuscitavit eum, et dedit matri suae. Ecce beneficium operis. In his ergo exemplum nobis dedit Christus, quia ut Gregorius ait, *omnis Christi actio est nostra instructio*, et per hoc docuit, quod ipse Christus semper est paratus consolari viduas. Secundo ex signo gratificationis, quia a tempore Veteris Testamenti legitur, quod Deus viduis fecerit miras gratias. Nam tempore Eliae, ut legitur III. Reg. XVII., cum esset fames, misit Deus Eliam ad viduam Sareptanam, quae postquam dedit comedere Eliae iuxta verbum eius, hydria farinae eius non defecit, et lecythus olei non est imminutus omnibus illis diebus miraculose. Item Iudith viduae fecit Deus talem gratiam miraculose, ut interficiendo Holofernem populum Israel liberaret, ut habetur libro Iudith. Item Novo Testamento Anna prophetissa vidua Iesum parvulum videre et consolari meruit, Lucae II. Denique oblationem viduae pauperulae Christus commendavit prae oblationibus divitum, et filium viduae suscitavit, ut patuit supra. Denique matri propriae, scilicet Virgini Mariae viduatae in morte crucis constitutus Christus Dominus solatium reliquit, cum Iohannem ei in filium commendavit, Ioh. XIX. Nam dicit Ambrosius, quod *tunc Virgo Maria iam mortuo suo sponso Ioseph viduata fuit, alioquin non fuisset commendata alteri*. O ergo viduae, consolemini in Christo, qui gerit curam vestram, state ergo fortiter. Tertio ex signo praeceptionis, quia Deus praecepit specialius de viduis omnibus, regibus, principibus, iudicibus, advocatis ac cunctis hominibus, scilicet ut viduas defensarent, et earum causas tuerentur, et ne eas opprimerent vel molestarent. Unde Esa. I. praecipitur iudicibus: *Quaerite iudicium*. 6 Lyra: *id est executionem debitae iustitiae, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, scilicet contra calumniantes*. Item principibus et regibus ac praelatis spiritualibus praecipitur Hiere. XXII.: *Facite iudicium et iustitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris, advenam et pupillum et viduam nolite contristari, neque opprimatis inique*. 7 Unde Hieronymus super Ieremiam, ut habetur XXIII. q. V. c. [„Regum officium”]: *Regum – inquit – est proprium facere iudicium et iustitiam, et liberare de manu calumniantium vi oppressum,*

*pupillum et viduam.* Item dist. LXXXVII. c. „Licet dicit Gelasius papa”: *Licet omnibus debeamus, inquantum possumus, patrocinium non negare, plus tamen viduarum causas exsequendas divina manifestat assertio.* Denique omnibus Christianis praecipitur Iac. V.: *Religio (scilicet Christiana secundum Lyram) munda et immaculata apud Deum haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum.* 8 Sed heu hodierna die nedum visitantur, quin potius vexantur, inique turbantur et exspoliantur. O viduarum persecutores, o lupi rapaces, iudices, falsi advocati, testes iniqui, non utique effugietis vindictam. Quarto ex signo vindicationis probatur. Nam Exo. XXII. Dominus dicit: *Viduae et pupillo non nocebitis. Si laeseritis eos, vociferabunt ad me, et ego exaudiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio.* 9 Item Eccli. XXXV.: *Nonne lacrimae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentem eas?* 10 Unde hoc est unum peccatorum clamantium. (G) Ad id exemplum de eo, qui rapuit vaccam viduae, quae cum repeteret, ille respondit: „Si ego non accipiam, alius utique rapiet tibi.” Is post obitum cum esset in tormentis, et unus daemon crudelius eum vexaret prae ceteris, dixit ei ille: „Cur tu me tam crudeliter affligis?” Daemon respondit: „Si ego non affligerem, alius utique te affligeret. Haec sunt verba, quae dicebas, dum vaccam viduae rapiebas, ergo etc.” Unde claret, quod Deus diligit et consolatur bonas viduas sperantes in se. Secunda regula, scilicet viduis servanda dicitur orationis. I. Timoth. V.: *Quae vere vidua est, speret in Domino, et instet orationibus et obsecrationibus nocte ac die.* 11 Augustinus: *Quamvis ad omnes Christicolos orare pertineat, specialis tamen cura orationis competit viduis.* Haec observavit beata Elisabeth, quae cum marito suo mortuo foret viduata, in tribulationibus sperans in Domino gaudebat. Nam a vasallis tamquam prodiga eiecta est, et cum ancillis in stabulo porcorum pernoctans rogavit fratres minores, ut „Te Deum laudamus” cantarent pro sua tribulatione. Denique orationi et contemplationi semper fuit intenta, saepe in oratione facies eius mire splendebat, et ex eius oculis instar solis radii prodibant, et erat tanti fervoris, ut eius oratio etiam alios inflammaret. Cum enim quendam iuvenem saeculariter indutum increpasset, ille orationem pro se petivit fieri ab ea. Cum autem orationi se dedisset, coepit ille clamare dicens: „Domina, cessate, quia totus comburor.” Ac vestes coepit abicere. Unde plerique accurrentes et manus apponentes aestum ferre non poterant, ut autem beata Elisabeth orationem complevit, ille aestuare cessavit, et divina gratia illustratus ordinem minorum intravit. Tertia regula dicitur refrenationis, scilicet linguae et verbositatis. Iac. I.: *Si quis putat se religiosum non refrenans linguam suam, huius vana est religio.* 12 Verbositas enim turpis est in mulieribus, magis in viduis, et maxime in virginibus. Hieronymus: *In verborum pondere consistit probatio vitae.* Beata Elisabeth fuit sancta, ergo etc. Quarta regula operationis, ut scilicet non sint viduae otio deditae. Unde I. Timoth. V. reprehendit Apostolus viduas otiose discurreres per domos et verbosas. Ideoque Hieronymus dicit: *Semper aliquid boni operis facito, ut te diabolus inveniat semper occupatum.* Nam Bernardus dicit, quod *omnium vitiorum et temptationum sentina est otium.* Beata Elisabeth filabat, ut pauperes vestiret. Quinta regula rigidae mortificationis carnis. Unde I. Timoth. V.: *Vidua in deliciis vivens mortua est.* 13 Sancta Elisabeth ieiunabat, et carnem per ancillas verberari faciebat, ipsa cultellas et ollas lavabat, et ne prohiberetur ab ancillis, eas alias destinabat. Sexta regula viscerosae miserationis. I. Timoth. V.: *Vidua eligatur bonis operibus,* 14 scilicet misericordiae testimonium habens, si filios educavit, scilicet erudiendo ad salutem, si pauperes hospitio recepit. Beata Elisabeth omnia opera misericordiae diligenter exercuit, unde et dicitur, quam bene nobiscum agitur, quia Dominum sic balneamus et tegimus, scilicet in pauperibus. Septima regula meditationis crucis Christi et passionis. Nam I. Pe. IV.: *Christo in carne passo vos eadem cogitatione armamini.* 15 Augustinus: *Memoria Crucifixi crucifigit vitium.* Beata Elisabeth iugiter Christum in corde portabat, unde et Christus saepe sibi apparuit, ut patuit sermone primo „L”, „M”, et sic est in exemplum omnibus (H) Circa tertium de copia meriti et praemii sit pro conclusione, quod benedictus Iesus beatam Elisabeth suam sponsam monstravit fore meritis et praemiis magnam per multorum miraculorum honorem et gloriam, declaratur etc. Primo quia Christus sibi apparuit ante mortem evocando dicens: *Veni, dilecta mea, in praeparata tibi aeterna tabernacula.* Secundo quia angelum ad eam morientem misit pro solatio, scilicet in specie aviculae dulciter canentis coram ea, ut iucunde moreretur. Tertio quia diabolus confusus tunc recessit sanctitatem eius pertimescendo, nam diabolus advenit etiam ad sanctos in hora mortis, et cum ad eam morientem venisset, ipsa eum terruit, et aufugere compulit. Quarto quia odoris suavitate fragravit pro casto animo et corpore mundo. Quinto quia iubilose in eius transitu angelorum exercitus cecinit animam in caelum transferendo et corpus modulationibus honorando. Nam in specie avicularum multarum super cacumen ecclesiae visi sunt angeli suavissime modulantes, ut cuncti mirarentur. Sexto quia oleum de eius corpore tumulato emanavit pro misericordiae operibus, quae in vita exercuit, et pietatis magnae signo monstrando. Haec patent sermone I. ex legenda. Septimo quia clarificavit eam Christus multis miraculis illustrando, de quibus prolixum foret prosequi. Nam plurimos mortuos suscitavit Deus ipsius meritis, contractos caecosque etiam natos et varios infirmos curavit, daemónicos liberavit, contritos sanavit et gibbosos. Rogemus ergo, ut eius meritis det nobis Christum gratiam in praesenti, et tandem gloriam. Amen. De sancta Elisabeth quartum sermonem vide ex communi 16.

---

1 Lc 21,3 2 I Tim 5,11-12; 15 3 I Tim 5,3-5 4 I Tim 5,5 5 Cf. Sir 2,11 6 Is 1,17 7 Ier 22,3 8 Iac 1,27 9 Ex 22,22-24 10 Cf. Sir 35,18 11 I Tim 5,5 12 Iac 1,26 13 I Tim 5,6 14 I Tim 5,9-10 15 I Pt 4,1 16 Vide PA 123: De sanctis viduis mulieribus communis sermo vel Pa 124: De quacumque sancta muliere sive coniugata, sive vidua.



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Legenda sanctae Caeciliae] Item de sancta Caecilia sermonem accipere potes ex communi sanctorum applicando legendam. Caecilia quasi caeli lilia per virginalem munditiam fuit virgo praeclarissima, prosapia Romanorum nobilium exorta, a cunabulis in fide Christi nutrita, evangelium Christi gerebat semper absconditum in pectore suo, et non diebus, neque noctibus cessabat a

colloquiis divinis et oratione, suam virginitatem conservari a Domino flagitans. Cum autem cuidam iuveni Valeriano desponsata fuisset, et dies nuptiarum constituta, illa subter ad carnem cilicio induta erat, desuper deauratis vestibibus tecta. Et cantantibus organis ipsa in corde Domino cantabat, dicens: „Fiat, Domine, cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar.” Et biduanis ac triduanis ieiuniis orans commendabat Domino, quod timebat. Venit nox, qua cum sponso cubiculi secreti suscepit, et ita eum alloquitur: „O amatissime iuvenis, est secretum, quod tibi volo dicere, si iuras illud conservare.” Iurat ille. Tunc ait: „Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum. Hic si perceperit, quod tu me polluto amore contingas, statim feriet te, et morieris. Si autem sincero amore diligas, virginitatem meam custodiendo amabit te, sicut et me, et ostendet tibi gloriam suam.” Tunc Valerianus nutu Dei correptus ait: „Si vis, ut credam tibi, ostende mihi ipsum angelum, quem si probavero, quod vere angelus Dei sit, faciam, quod hortaris, si autem virum alium diligis, te et illum gladio feriam.” Cui Caecilia: „Si in Deum verum credideris, et te baptisari permiseris, ipsum videre valebis. Vade igitur in tertium miliarium ab urbe Via Appia, et pauperibus, quos illic invenies, dabis elemosynas, et dices: «Caecilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum episcopum Urbanum», ad quem habeo secreta perferre, illi autem indica verba mea, et postquam ab eo fueris purificatus, rediens angelum ipsum videbis.” Cumque Valerianus ivisset, et Sanctum Urbanum papam intra sepulcra martyrum latitantem invenisset, et haec omnia dixisset eidem, ille manus ad caelum expandens cum lacrimis oravit dicens: „Domine Iesu, suscipe seminum fructus, sc. castitatis, quos in Caecilia seminasti”, et subita apparuit senex niveis vestibibus indutus tenens librum aureis litteris scriptum, quem videns Valerianus prae timore cecidit quasi mortuus, levatus a sene mandatum cepit, ut in libro illo legeret, et legit sic: „Unus Deus, una fides, unum baptisma, unus Deus omnium, qui super omnes est, etc.” Dicit ei senior: Credis ita esse, an adhuc dubitas?” Tunc exclamavit dicens: „Non est aliud, quod verius credi possit sub caelo.” Statim illo disparente Sanctus Urbanus eum baptisavit, et rediens Caeciliam cum angelo loquentem in cubiculo invenit, angelus autem duas coronas ex rosis et liliis paradisi in manu habebat, et unam Caeciliae, alteram Valeriano tradidit, dicens: „Istas coronas immaculato corde et mundo corpore custodite, quare de paradiso Dei attuli, nec unquam marcescent, nec odorem amittent, nec ab aliis, nisi quibus castitas placuerit, videri poterunt. Tu autem, Valerianus, pete, quod vis, et sequaris.” Ait ille: „Nil mihi dulcius fratris unici affectu in hac vita, peto, ut ipse veritatem mecum cognoscat.” Cui angelus: „Placet Deo petitio tua, et ambo cum palma martyrii ad Dominum venietis.” Post haec ingressus Tiburtius, frater Valeriani dixit: „Miror hoc tempore hiemali rosae hic odor et liliorum unde spiretur, confiteor, ita sum refectus, ut totum me putem immutatum.” Valerianus dixit: „Coronas de rosis et liliis miro candore vernantes habemus, quas tui oculi videre non praevalent.” Tiburtius dixit: „In somniis loqueris, an in veritate?” Cui Valerianus: „Usque modo in somniis fuimus, sed iam nunc in veritate manemus.” Ad quem: „Quis te docuit hoc?” Respondit Valerianus: „Angelus Domini, quem et tu videbis, si purificatus fueris, et omnibus idolis abrenunciaveris.” Tunc Caecilia evidenter ei ostendit idola esse muta et insensibilia. Tandem misit eum pro baptisate cum Valeriano ad Sanctum Urbanum, et interim dixit Tiburtius fratri suo: „Obsecro te, frater, dic, ad quem me ducturus es.” Et ille: „Ad Urbanum episcopum.” Tiburtius ait: „Ille totiens damnatus est morti, et si inventus fuerit, cremabitur, et nos pariter peribimus.” Cui Caecilia: „Si haec sola esset vita, iuste hanc perdere timeremus. Est autem alia melior, quae numquam perditur, quam filius Dei nobis enarravit, et miraculis monstravit.” Tunc coepit ei de trinitate in divinis et de adventu filii Dei et eius passione praedicare, quod congruum fuerit Christum pro nobis pati, ut satisfaciendo redimeretur homo. Tandem Tiburtius ductus est ad Sanctum Urbanum, et baptisatus saepe angelos Dei videbat, et omnia, quae postulabat, mox obtinebat. Valerianus igitur et Tiburtius elemosynis insistebant, et sanctorum corpora, quos praefectus Almatius occidebat, sepulturae tradebant. Quod audiens Almatius eos ad se vocavit, et inquisivit, ac post plura verba praeceit, ut offerrent diis libamina. Responderunt: „Nos Deo vero sacrificium quotidie exhibemus.” Traduntur ergo in custodiam Maximi. Quibus ille ait: „O iuventutis flores fratres, quomodo ad mortem quasi ad epulas festinasti?” Cui Valerianus ait: „Promitte te crediturum, et videbis post mortem gloriam animarum nostrarum.” Et Maximus promisit, si hoc viderit. Dumque Aurora finem daret nocti, Caecilia dixit: „Eia milites Christi, abicite opera tenebrarum, et induimini arma lucis!” Quarto ergo miliario ab urbe sancti ducuntur ad statuum Iovis, et dum nollent sacrificare, pariter decollantur. Tunc Maximus cum iuramento asseruit se eorum angelos vidisse fulgentes et animas eorum quasi virgines de thalamo exeuntes et in caelum per angelos deductas. Credidit ergo Maximus in Christo, et omnis familia eius, ac universi carnifices, et baptisati sunt. Almatius audiens tamdiu plumbatis cedi fecit Maximum, donec spiritum excussit, cuius corpus Caecilia iuxta Valerianum et Tiburtium sepelivit. Post haec Caeciliam quasi coniugem Valeriani iussit Almatius sibi astare, iussitque, ut idolis immolaret, aut mortis sententiam incurreret. Cumque prompte se morti offerret, apparitores et multi assistentes flebant, quod tam decora et nobilis puella ultro morti se traderet. Sed Caecilia dixit ad eos: „Hoc non est perdere iuventutem, sed mutare, dare lutum et accipere aurum, dare vile habitaculum et accipere pretiosum. Nam Deus reddet centuplum.” Tunc crediderunt in Christo quadringenti, et baptisati sunt. Quo audito Almatius Caeciliam interrogavit: „Cuius conditionis es?” Et illa: „Ingenua sum et nobilis.” Cui Almatius: „Ego te de religione interrogo.” Et Caecilia: „Interrogatio tua stulta est, quae duas responsiones una putat inquisitione concludi.” Et Almatius: „Unde tibi tanta praesumptio respondendi?” At illa: „De conscientia bona et fide non ficta.” Cui Almatius: „Ignoras, cuius potestatis sim, quare vivificandi et mortificandi mihi tradita est potestas.” Cui Caecilia: „Contra veritatem publicam probo te nunc esse mentitum, vitam enim viventibus tollere potes, mortuis autem dare non potes, es ergo minister mortis, et non vitae.” Cui Almatius: „Ut quid cum tanta superbia loqueris?” Et illa: „Non est superbia, sed constantia. Nam nos scientes sanctum Dei nomen omnino negare non possumus. Melius est enim feliciter mori, quam infeliciter vivere.” Cui Almatius: „Iam depone amentiam, et sacrificia diis!” Cui Caecilia: „Nescio, ubi oculos amiseris, nam quos tu deos dicis, nos saxa esse videmus. Mitte manum, et tangendo disce, quod oculis non vides!” Tunc iratus iussit eam ad domum suam reduci, ibique tota die et nocte in bulliente balneo concremari, quae quasi in loco frigido mansit, nec modicum sudoris persensit, quod cum audisset Almatius, iussit eam in ipso balneo decollari, quam spiculator tribus ictibus in collo percussit, sed tamen caput amputare non potuit. Et quare decretum erat, ne



quartam percussione decollandus acciperet, eam semivivam cruentus carnifex reliquit, per triduum autem supervivens omnia, quae habebat, pauperibus distribuit, et omnes, quos ad fidem converterat, Urbano episcopo commendavit, dicens: „Triduanas mihi indutias a Domino poposci, ut hos tibi commendarem, et domum meam in ecclesiam consecrares.” Et sic fecit episcopus, ipsamque sepelivit circa annos Domini ducentos vigintitres. Rogemus ergo Christum, ut eius meritis det gratiam, et tandem gloriam. Amen.

---

1 Vide PA 110: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 111: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 112: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 119: De sanctis virginibus vel mulieribus sermo communis vel PA 120: De sanctis virginibus vel mulieribus sermo communis vel PA 121: De sanctis virginibus vel mulieribus sermo communis vel PA 122: De sanctis virginibus vel mulieribus sermo communis.

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Legenda sancti Clementis] De sancto Clemente sermonem vide ex communi applicando legendam. Clemens a clementia dicitur, quia misericors fuit, ex nobili Romanorum prosapia ortus patre Faustidiano, matre Matidiana, habuit duos fratres, quorum unus Faustinus, alter Faustus dicebatur. Cumque Matidiana esset multum pulchra, frater mariti eam concupivit, et quotidie molestabat, illa non consentiens cum hoc viro timeret revelare, ne inter duos fratres inimicitias suscicaret, cogitavit se per tempus a patria absentare, donec aspectu eius subtracto illius amor conquiesceret. Ut autem a viro suo impetrare posset, callide somnium confinxit dicens viro, quod scilicet per somnii visum vir apparuit praecipiens sibi, ut confestim cum duobus geminis, Faustino scilicet et Fausto ex urbe discederet, donec reditum idem imperaret, alioquin cum liberis periret. Maritus expavens misit eos Athenas, ut ibi interim filios faceret erudiri, minorem autem filium Clementem apud se retinuit. Cumque navigarent, naufragium passi sunt, et mater sine filiis a fluctibus eiecta evasit, clamores dans et ululatus, manusque lacerabat morsibus. Tandem apud quandam viduam recepta hospitio victum quotidie manibus quaerebat, sed modico post tempore manus eius sunt arefactae propter morsus crebros, nec operari potuit, sed et hospita eius paralysim incurrit. Sicque Matidiana mendicare compellitur, et ipsa cum hospita ex his, quae mendicabat, pascebantur. Completo anno vir missis viris coepit requirere semel, secundo et tertio, quo devenisset, nec inveniens ullum vestigium, ipsemet ad quaerendum ivit in navi relicto Clemente filio sub tutoribus. Et sic Clemens viginti annis orbus Romae stetit, studioque litterarum se contulit, et summum philosophiae apicem apprehendit, vehementer autem desiderabat, qualiter sibi animae immortalitas persuaderi posset. Denique cum Barnabas apostolus Romam venisset, et fidem Christi praedicaret, philosophi eum deridebant, et Clemens pro derisu Barnabae quaestionem fecit dicens: „Cum culex animal sit exiguum, quid est, quod sex pedes habet et insuper alas possidet; elephas autem cum sit immane animal, nec alas possidet, et tantummodo quattuor pedes habet?” Cui Barnabas respondit: „Stultae tuae quaestioni possem respondere, si causa discendae veritatis quaereret. Sed nunc de creaturis dicere vobis aliquid absurdum est, cum conditorem ignoretis. Nam iustum est, ut in creaturis erretis, qui creatorem non cognoscitis.” Hoc verbum cordi Clementis philosophi valde inhaesit, ita quod fidem Christi a Barnaba instructus suscepit, et postmodum in Iudaeam ad Petrum properavit, et eius discipulus factus est, qui de progenie interrogatus a Petro rettulit, quid matri et fratribus ac patri acciderit. Eo tempore Simon magus duos discipulos habebat, scilicet Aquilam et Nicetam, qui eius fallacias agnoscentes eum reliquerunt, et Petri discipuli sunt effecti. Accidit quadam vice Petrum cum discipulis advenire ad insulam, in qua Matidiana morabatur, scilicet mater Clementis, quam mendicantem videns, cur non operaretur manibus, increpavit. Illa dixit manus insensibiles habere, addiditque: „Melius mihi fuerat in mari mori, et utinam me praecipitasset, ut ultra non viverem.” Et narravit ei omnem suae fortunae eventum. Ad quam Petrus: „Est quidam apud nos adolescens nomine Clemens, qui haec refert matri et fratribus accidisse.” Illa audiens stupore percussa corruit, et tandem cum lacrimis ait: „Ego sum mater adolescentis, rogo, ut eum ostendas mihi.” Quam Petrus duxit ad navem. Videns autem Clemens Petrum manu ducere mulierem ridere coepit. Adveniens illa statim in amplexu Clementis ruit, et crebro osculari coepit, quam ille putans insanientem repellebat. Cui Petrus: „O fili Clemens, noli repellere matrem tuam.” Quam recognoscens flere coepit uterque, et quid patri acciderit ac fratribus enarrantes alternatim suspiria dabant. Tunc ad praeceptum Petri hospita illius, quae paralytica iacebat, adducta ab illo continuo liberatur. Interea Niceta et Aquila percunctantur, quae esset haec mulier, auditisque a Clemente et Petro rebus gestis obstupefacti dixerunt: „Domine Deus, quid est hoc, nos sumus – inquit – Faustinus et Faustus, quos ipsa mater nostra extimat in mari periisse.” Et in amplexu matris ruerunt, illaque prae gaudio velut amens effecta corruit, et spiritu resumpto ait: „Obsecro, dulcissimi filii, narrate, quomodo evasistis de mari.” Responderunt: „Resoluta nave nos cum super quandam tabulam veheremur, quidam piratae nos invenerunt, et mutatis nominibus vendiderunt cuidam honestae viduae, quae nos ut filios habuit et erudiri fecit. Tandem Simoni mago adhaesimus, cuius fallacias agnoscentes Petri discipuli effecti sumus.” Sequenti die Petrus assumptis tribus fratribus, scilicet Clemente, Aquila et Niceta intravit ad secretiora loca insulae causa orationis, quos videns senex quidam pauper alloqui coepit dicens: „Cur sic erratis, ut orandum putetis, cum in mundo nil sit divina providentia, sed fortuitus casus et genesis omnia agunt, sicut et ego omnia in me expertus sum. Sive ergo oret quis, sive non, quod genesis continet, implebitur.” Tunc ex mandato Petri coeperunt illi discipuli contra eum disputare apertis rationibus ostendentes divinam providentiam in mundo, eumque ob reverentiam crebro patrem nominabant in disputatione. Quibus Aquila dixit: „Cur eum patrem vocamus, cum Christus dixit neminem patrem super terram vocare?” Et mox intulit ad senem: „Non iniuriose accipe hos, pater!” Tunc omnes riserunt dicentes: „Facis id, de quo alios culpas, patrem vocans senem.” Tandem senex dixit: „Quomodo possim divinam providentiam credere, cum in mea coniuge et filiis expertus sum accidisse omne illud, quod genesis 2 dictabat?” Et narravit eis omne illud, quod supra dictum est

de Matidiana uxore peregre profecta cum duobus filiis et in mari periclitata. Re narrata filii volebant in amplexus eius ruere et rem aperire, sed Petrus prohibuit praecipiens expectare, et dixit seni: „Si ego coniugem tuam castissimam cum filiis tuis assignavero, credisne, quia genesis 3 nil sit?” Cui ille: „Impossibile est hoc fieri.” Tunc Petrus ait: „Ecce iste filius tuus Clemens, et hi sunt duo gemini filii tui, scilicet Faustinus et Faustus.” Tunc ruerunt in oscula, et omnia, quae acciderant, narrantes. Ecce et uxor advenit cum lacrimis clamitans: „Ubi est vir meus et dominus meus?” Et sic se cognoscentes in amplexus ruerunt lacrimantes. Haec et plura in legenda sunt scripta ex Itinerario Clementis, quae pertranseo. Post haec Petrus Romam veniens et ibi multo tempore praedicans dum praevidebat imminere suam mortem, ordinavit Clementem in papam successurum, mortuoque Petro cum fuisset electus, talibus moribus pollebat, ut Iudaeis et gentilibus ac omnibus Christianis complaceret. Inopes Christianos mendicare non sinebat, sed singulis nominatim scriptis subveniebat, per omnes regiones praedicabat et multos convertebat, inter quos Domicillam, scilicet virginem neptem Domitiani imperatoris sacro velamine consecravit, et Theodoram, uxorem Sisinnii, amici imperatoris ad fidem convertit, et in castitatis proposito manere fecit, et plura miracula faciens, quae pertransimus causa brevitas. Tandem comes sacrorum pecunia multis data concitavit seditionem contra Clementem, quem urbis praefectus coepit inclinare ad se et redarguere. Cui Clemens ait: „Non est curandum, quod multi canes latrant contra nos. Nam non possunt facere, ut non simus homines, et ipsi nihilominus manent canes.” Tunc Mamertinus praefectus seditionem populi non ferens scripsit imperatori Traiano, qui rescripsit, quod aut sacrificaret, aut trans mare in eremum Tersonae exsilio mitteretur. Missus est ergo in exsilium, et secuti sunt eum multi clerici et laici. Veniens autem ad insulam invenit ibi plus quam duo milia Christianorum iam dudum ad secunda marmora damnatorum, qui videntes eum in lacrimas proruperunt. Quos consolans ait: „Non meis meritis ad vos me misit Dominus vestris coronis participem fieri.” Et cum ab eis audisset, quod aquam a sexto miliario humeris deportarent, praecipit, ut orarent. Oratione facta vidit agnum stantem, qui pede dextro erecto quasi locum episcopo ostendebat, et percusso loco statim fons magnus erupit, et in fluvium crevit universis gaudentibus. Ad hanc famam multi confluebant, et una die amplius quam quingenti sunt baptizati, ac per totam provinciam illam infra annum idolorum templa destruentes septuagintaquinque ecclesias aedificaverunt, anno Domini centesimo Traianus coepit imperare, qui hoc audiens quendam ducem illuc misit, qui cum conspiceret omnes pro Christo libenter mori, multitudini cessit, et solum Clementem ligata ancora ad collum in mare praecipitavit dicens: „Iam non poterunt ipsum Christiani colere.” Stante autem omni multitudine ad litus Cornelius et Phoebus discipuli praeeperunt orare omnes, ut Dominus corpus sui martyris monstraret, statimque mari per tria miliaria recedente omnes per siccum ingressi invenerunt in modum templi marmorei habitaculum a Deo paratum, et ibi in arca corpus sancti Clementis et ancoram iuxta eum, revelatum est autem discipulis, ne inde tollerent corpus, omni namque anno tempore passionis eius per septem dies ad tria miliaria mare recedebat, et siccum iter advenientibus praebebat. Sed post multorum annorum curricula, ut refert Leo Hostiensis episcopus, miraculum marini recessus ob culpam inhabitantium cessavit, barbari etiam tempore marini recessus venientes templum destruxerunt, et arca cum corpore erat obruta marinis fluctibus, divina tamen revelatione ad orationem episcopi et cleri inventum est corpus et ancora, et deportatum Tersonam, et tandem Romam multis ostensis miraculis, ubi in ecclesia, quae nunc dicitur Sancti Clementis, honorifice est corpus collocatum ad laudem Domini Iesu, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, unus Deus in saecula saeculorum. Amen.

---

1 Vide PA 110: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 111: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 112: De martyre uno vel pluribus communis sermo vel PA 113: De confessoribus pontificibus communis sermo vel PA 114: De confessoribus pontificibus communis sermo. 2 Editio: *geneseos* 3 Editio: *geneseos*



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo XCIX.] De sancta Catherina Sermo primus cum legenda *Concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus*. Ps. XLIV. 1 Ad honorem huius festivitatis. (A) Sicut videmus, quod in mundo quanto aliquid est caelo propinquius, tanto est clarius, pulchrius et Deo pro conformitate proximius. Sicut patet in aqua respectu terrae, in aere et igne ac caelesti corpore stellisque et maxime caelo empyreo, quod super alia est clarius, pulchrius et pro Dei habitaculo ac beatorum gloria convenientius est proximo, sic hominis anima quanto est caelestis conversationis per castitatem, tanto est pulchrius coram Deo, et ad inhabitandum amabilius. Nam Augustinus dicit, quod *castis mentibus illabitur Deus*. Item Ambrosius De virginibus: *Pulchritudinem maiorem quis extimare poterit decore virginis, quae amatur a rege, scilicet Christo, probatur a iudice, dedicatur Deo*. Sed quoniam beata Catherina fuit virgo castissima, et ideo Christo dilecta, merito de ipsa dicuntur verba praemissa: *Concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus*. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone, secundum quod de tribus beata Catherina commendatur et in exemplum nobis proponitur: · Primo de Deo grata complacentia, ibi: *concupiscet rex Christus* · Secundo de decora munditia, cum subditur: *decorem tuum* · Tertio de praeclara patientia, scilicet amore Christi, ideo dicitur: *quia ipse est Dominus Deus tuus* (B) Circa primum de complacentia castae mentis, scilicet apud Christum quaeritur: Quare Christus concupiscit specialius mentem castam inhabitare? Respondetur, quod praecipue quadruplici ratione: · Prima ratio dulcis refectionis · Secunda ratio caelestis virtutis · Tertia ratio divinalis conformationis · Quarta reginalis desponsationis Prima ratio refectionis. Nam videmus, quod quilibet homo delectabiliter manet in hospitio, ubi reficitur cibo, potu, quiete, sed mens vel anima casta dulciter reficit Christum. Unde Can. II.: *Qui pascitur inter lilia, 2 id est virginalia et casta corda*. Augustinus: *O quam dulces sunt fructus charitatis, nam in eis singulariter reficitur Dominus maiestatis*. Nimirum legitur Heb. IX.,

quod in arca testamenti erat haec, scilicet *urna aurea habens manna, et virga Aaron, quae fronderat, et tabulae testamenti*, 3 scilicet in quibus erat Decalogus descriptus digito Dei. Ista autem arca significabat mystice cor humanum. Erat enim de lignis Setim imputribilibus et deaurata intus, et foris repraesentans locum divinum. Nam et Deus ipse ibi dabat responsa. Sic cor humanum debet esse imputribile per peccatum mortale, quia ut dicit Sap. I.: *Non habitabit Deus in corpore subdito peccatis*. 4 Debet etiam esse deauratum intus et foris per charitatem Dei et proximi. De quo Apoc. III.: *Suadeo tibi emere aurum, scilicet charitatem, ut sic sit locus Deo dignus*. 5 Sed in hoc hospitio cordis debet homo habere primo manna verbi divini, quo tamquam dulci cibo reficitur Christus, quanto melius decoquitur per ardorem charitatis. Gregorius homilia VIII.: *Cibus mentis est verbum Dei*. Unde Christus dixit Ioh. III.: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me*. 6 Et loquitur ibi de conversione animarum ad verbum Dei, secundum Lyram. Secundo debet habere homo virgam poenitentiae, quae est pro dulci potu Christi. Bernardus: *Lacrimae poenitentium vina sunt angelorum, quibus delectantur cum Deo*. Tertio debet habere quietem conscientiae bonae in observantia praeceptorum Decalogi. Bernardus: *Lectulus Christi floridus est bona conscientia, in qua dulciter requiescit*. Ex his patet, quod sicut in arca Domini fuerunt illa tria praedicta, sic in anima casta debent esse haec tria, scilicet verbum Dei, poenitentia et bona conscientia in observando omnia praecepta. Et ubi haec tria fuerint, Christus dulciter reficitur cibo, potu, quiete. Recedit autem, ubi haec non fuerint. Et quia casta mens haec observat, ideo Christus ibi habitat. Secundo ratione caelestis virtutis, quia caelestis vita est in virginitate. Unde Hieronymus in sermone de assumptione: *Profecto in carne sine carne vivere non terrena, sed caelestis vita est*. Deus autem in caelo habitare vult, sic et in templo castitatis. Ps.: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes eius*. 7 Unde Beda expresse super Luc. dicit, quod *Christus in summa pace et virginali utero incarnari ac nasci voluit, ut monstraret, quia pacem in hominibus et castitatem diligit*. Nam quare in caelo Christus Deus habitare diligit, nisi quia ibi est summa munditia et pax sempiterna in Dei charitate? Ps.: *In pace factus est locus eius*. 8 Et iterum: *Tu autem sancto in mundo habitas, laus Israel*. 9 Et sic patet, quod in pace et castitate habitare vult Deus, tamquam in caelo, sed in discordia et immunditia, sicut in Inferno, habitat diabolus. Tertio ratione divinalis conformationis, quia assimilatur homo per virginitatem Christo Dei Filio et Virgini Matri eius. *Similitudo autem est causa dilectionis* secundum Philosophum secundo De anima. Amabilis ergo virtus est, quia Sap. VI.: *Incorruptio proximum facit Deo*. 10 (C) Quarto ratione reginalis desponsationis. Nam ut dicit Cyprianus: *Virginitas est regina virtutum, soror angelorum, possessio omnium bonorum*. Sed quare castitas reputatur regina virtutum, cum fides et charitas praecellant, sine quibus nil valet castitas? Respondetur, quod primo propter dignitatem, quia est a Christo, rege omnium desponsata. Propter quod castitatem tenentes sponsae Christi nominantur. Unde canit Ecclesia: *Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus etc.* Secundo propter mirabilem sublimitatem. Nam ut Augustinus docet: *Rara et insolita faciunt mirari*. Et declarat: *Nonne maius est hominem creari in utero matris, quam mortuum hominem resuscitari?* Constat, quod maius est, quia in ortu hominis Deus ex nihilo creat animam, sed in resurrectione solum renuit ante creatam et tamen ortus vel nativitas hominis non reputatur pro miraculo, quia hoc est consuetum secundum cursum naturae. Sed mortui resurrectionem omnes mirantur, quia hoc est rarum et insolitum. Ad propositum: Virginitas vel castitas in hominibus est virtus valde rara. Unde Bernardus super Cantica sermone LXVII.: *Rara in terris est continentia*. Et Gregorius dist. L. „Quia sanctitas” dicit, quod *pauci inveniuntur sine carnali delicto, ergo est virtus mirabilis et regia, per quam regit anima corpus, ne in eo regnet luxuriae vitium*. Tertio propter coronam reginalem, quia virginitati debetur in caelo aureola secundum doctores super IV. Ad propositum: Beata Catherina virginitatem castissimam tenuit, et ideo a Christo rege dilecta et miraculose desponsata fuit. (D) Legitur de ortu, quod in Alexandria erat quidam rex, Costus nomine, praedives et gloriosus, sed multo tempore prole caruit. Unde diis impendebat multa sacrificia ut paganus pro prole habenda, sed quia daemones non possunt creare animam humanam, nil sibi haec profuerunt. Interea quidam philosophus, nomine Alphorabius fuit in Graecia, magnus et famosus. Quem rex audiens missis litteris ad se accersivit, et ipsum interrogavit, unde hoc sibi foret, quod prolem ex regina non haberet. Qui consideratis sapienter regis et reginae complexionibus iudicavit, quod non ex defectu naturae hoc esset, sed divina providentia. Consuluit ergo sacrificia fieri. Cumque rex dixisset sibi multa iam facta diis sacrificia, philosophus ait: „Licet plures deos dicamus, tamen unum esse prae omnibus ratio dictat.” Nimirum et Aristoteles concludit XII. li. Metaphysicorum, quod *mala est pluralitas principum, sit ergo unus princeps et rector omnium. Etiam enim nolunt male disponi, et ideo bonum universi consistit in uno primo principio, scilicet Deo, ad quod omnia ordinantur, a Deo namque dependet caelum, terra et tota natura*. Haec ibi. Consuluit ergo Alphorabius regi ex auro optimo fundere imaginem magno Deo deorum, et illi pro habenda prole sacrificare. Adquievit rex, et dedit aurum artificibus, qui disposuerunt fundere imaginem magni regis purpurati et coronati, ac nomen imposuerunt Deo deorum. Sed quod homo proponit, Deus aliter disponit. Excussa enim lima, in qua imago fuit fusa, ecce praeter artificis intentionem inventa est fusa imago crucifixi Salvatoris. Stupefacti omnes, cum vellet destruere, philosophus prohibuit dicens, quod ex quo magno Deo talis placuit imago, maneat sic. Cumque in templum idolorum induxissent erigendum, ecce omnia idola ibi existentia corruerunt. Sacrificiis completis visa est post aliquot dies regina a rege gravidata, et peperit puellam mirae pulchritudinis, quam laetus rex de consilio philosophi nominavit ab illo miraculo ruinae idolorum hoc nomine Catherina, quod interpretatur ‘universalis deorum ruina’. Quae educata talis fuit ingenii, ut usque ad XIII. annum aetatis omnes septem artes liberales sciret. Unde pro magnitudine scientiae magistrorum Graeciae gemma est nuncupata. Tandem pater eius ad mortem infirmatur, et vocata Catherina commisit sibi in testamento: Primo, quod illum magnum Deum deorum et eius imaginem coleret in sua vita. Secundo, ut sponsum non acciperet, nisi talem, qui generis nobilitate, corporis pulchritudine, scientia et divitiis similis sibi foret, et sic resignato regno ipsi pater migravit. Non multo post, ut in eadem historia legitur, etiam regina, scilicet mater Catherinae migravit a saeculo. Catherina autem gubernabat regnum prudentissime. Haec secum semper XXIV virgines et XII matronas centumque armigeros exceptis pedisequis et camerariis ad magnificentiam habuisse dicitur. (E) Accidit autem quadam vice, ut pro certis causis ad metas Alexandriae cum suo magno comitatu transeuntes inter silvas iter rectum amitterent, et



errando huc atque illuc divina providentia invenerunt quendam sanctum senem in cella orantem, qui supra cacumen cellae habebat imaginem Crucifixi erectam. Qua visa ait Catherina intra se dicens: „Iste senex et ego unum Deum colimus.” Tunc intrans cellam senis coepit eum de variis interrogare. Senex autem coepit eidem de perditione hominis et divina incarnatione ac passionis eius redemptione loqui. Cumque Catherina non curaret utpote pagana, senex inspiratus a Deo interrogavit eam, cur tanto tempore sponsum accipere nolisset. Quae narravit, quod sibi pater suus mandaverit, et quod ideo non acceperit sponsum, quia non inveniret sibi comparem nobilitate, formositate, divitiis et sapientia. Ad quem senex ait: „Quid te iactas de mundanis, numquid audivisti de quodam regis magni Filio, qui est super omnes reges et dominos, cuius pulchritudinem sol et luna et omnia mirantur, qui omnia scit praeterita, praesentia et futura, cuius divitiae numquam decrescunt, qui non vult habere sponsam nisi semper castam manentem, cuius mater virgo est, et pater feminam nescit, cui angeli serviunt?” Tunc nutu Dei coepit Catherina desiderare ardentem, quis esset ille, et ubi aut quomodo ad eius notitiam posset venire. Coepit autem senem de hoc rogare instanter, ut eidem hunc manifestaret. Ait senex: „Ecce in tabula parva imaginem matris illius virginis et filii tibi dabo, quam diligenter custodi, et nocte futura coram ista imagine provoluta genibus rogita matrem hanc virginem, ut tibi ostendat filium, nam benigna est, et te exaudiet.” Accepta tabula illa et a sene de recta via edocta venerunt ad villam in hospitia, et nocte eiectione omnibus Catherina coepit cum lacrimis coram imagine precari, et tandem lassata fletibus obdormivit, et videbat ecce quasi se in prato amoenissimo esse, et a longe virginem elegantem et filium in ulnis tenentem secundum similitudinem picturae in tabula. Appropinquans Catherina volebat videre faciem illius, sed ille divertit. Dixit ei mater: „Videsne, fili, quanto desiderio flagrat haec puella, Catherina te videre?” Respondit puer matri dicens: „Tu nosti, quod pedissequae nostrae praecellunt istam, et quomodo potest haec me videre, cum non sit lota facie, sed sordida.” Et visio disparuit. Evigilans ergo mane facto ardentiori desiderio ad senem rediit. Interim angelus seni apparuit dicens, quod eam de fide instrueret et baptizaret. Cum ergo venisset et visionem narrasset, senex respondit, quod nisi crederet et lavaretur baptismo, videre illum non posset. Baptizatam ergo dimisit mandans, ut in hospitio iteratis orationibus instaret coram dicta imagine. Quod cum fecisset, iterum obdormiens vidit se esse in prato amoeno, quo prius viderat, et ibi virgo cum filio eodem modo cum fulgore gloriae in multitudine angelorum apparuit. Et ait virgo filio: „Fili, videsne Catherinam mandatis oboedientem? Oro, ut eam exaudias, et in sponsam suscipias.” Filius ait: „Si placet tibi, mater mi, accipiam.” Tunc Virgo Maria anulum de filii sui digito accepit, et dextram manum Catherinae subarravit. Tunc Christus de gremio matris descendit, et apparuit quasi spinis coronatus, et apertis quinque vulneribus sanguinem fundens et dicens: „Ecce tanta passus sanguine te redemi. Si ergo venire vis post me, sequere me ad coronam perpetuam.” Et eidem Christus valedicens angelicis cantibus ascendit in caelum. Tunc Catherina evigilans anulum in manu repperit, et mira spiritus dulcedine repleta gratias egit Deo. Tandem quoque ad domum suam rediens coepit servos et ancillas in fide catholica informare, et suas facultates pauperibus distribuere, orationi et contemplationi iugiter vacare. Patet ergo etc. (F) Circa secundum de decora munditia sit pro conclusione verbum Bernardi in Epistola ad Senonem dicentis: *Nil castitate decorius, quae de homine facit angelum, scilicet Deo dilectum. Ideo Ecclesia canit illud ex Ps. CXXXI.: Elegit eam Deus, et praelegit eam.* 11 Haec pro themate. Sed iuxta hoc quaeritur, utrum Deus amet magis decorem angelicae puritatis, quam humanae castitatis, an e converso. Ad hoc respondet Magnus Albertus super „Missus est”, quod scilicet *virginitas in homine magis diligitur et praeponderatur quadruplici ratione.* Primo ratione multipliciter. Nam angelica virginitas est simplex, scilicet in eorum simplici natura spirituali, sed humana est duplex, scilicet in corpore et anima. Unde XXXII. q. V. „Sicut enim” dicit Chrysostomus: *Illa est gloriosa in corpore virginitas, quam complectitur sancti propositi voluntas.* Secundo ratione nobilitatis, quia virginitas vel castitas in homine est ex Dei gratia, in angelis autem est ex natura, sed nobilior est gratia, quam natura. Hinc Bernardus dicit: *Plus gaudeo, bone Iesu, angelis superferri ex gratia tua, quam angelum fuisse ex natura.* Haec ille. Tertio ex ratione gloriositatis, quia virginitas humana est cum gloriosa pugna victoriae, angelica autem est sine omni pugna. Unde Glossa I. Cor. VII. dicit: *Maior est victoria virginum, quam angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines in carne triumphant.* Item Hieronymus sermone de assumptione dicit: *In carne angelicam gloriam acquirere maioris est meriti, quam habere. Esse enim angelum felicitatis est, esse vero virginem virtutis.* Haec ille. Quarto ratione fructuositatis, quia angeli non merentur per virginitatem essentielle praemium, cum non sint in statu merendi. Sed homo meretur aureolam et stolam duplicem, scilicet corporis et animae. Et sic patet, quod castitas hominis est Deo multum grata et amabilis, ac per contrarium carnalitas est multum odibilis, plus quam daemonum perversitas, hisdem rationibus per contrarium. Primo, quia homo peccat in corpore et anima. Secundo, quia abicit gratiam Dei, quam posset habere, et promisit in baptismo se observare. Tertio, quia posset vincere, sed diabolus non potest bonum velle. Quarto, quia maiorem poenam demeretur homo, scilicet in corpore et anima, non sic diabolus. O ergo infelices carnales, cur poenitentiam non agitis? O casti, gaudete in Domino semper, quia magis vos diligit Christus, quam angelos pro puritate. Exemplum de sancta Catherina, cui propter munditiam angeli ministraverunt in vita pluries et in morte ac corporis tumulatione, ut patet. (G) Circa tertium de praeclara gloria passionis sit conclusio, quod beata Catherina inter omnium sanctarum virginum agmina fulget praeclara passionis gloria. Et sufficit prosequi ex legenda. Legenda de passione Cum enim Maxentius imperator, qui regnare coepit circa annos Domini CCCX, convocasset omnes ad Alexandriam, ut idolis immolarent, et Christianos immolare nolentes puniret, tunc Catherina XVIII annorum in palatio audiens mugitus animalium et plausus cantantium, et quid hoc esset, didicisset, assumptis secum aliquibus signo crucis se muniens illuc accessit. Videns quoque plures Christianos metu mortis ad sacrificia duci condoluit et imperatori ait: „Salutationem tibi proferre et dignitas et ratio praemonebat, si creatorem caelorum agnosceres, et a diis animum revocares.” Coepitque mira sapientia disputare et probare, quod idola sunt vana, et stulti, qui colunt ea. Sed Deus solus, qui creavit omnia, et cui famulantur caeli, sit adorandus verus ipse Deus, ac de incarnatione Filii Dei sapientissime prosecuta est plurima. Stupefactus imperator nec potens eidem respondere praecipit eam interim ad palatium duci et custodiri. Admirabatur namque eius pulchritudinem et prudentiam incredibilem. Tandem veniens imperator ad palatium interrogavit eam de

progenie. Cui illa ait: „Confiteor meam progeniem non ex iactantia. Ego enim sum Catherina Costi regis unica filia, quamvis in purpura nata et omnibus artibus liberalibus plene instructa, tamen omnia contempsi amore Christi, qui verus Deus solus est. Et quos colitis, nec se, nec alios iuvare possunt.” O quam infelices talium daemonum sunt cultores. Videns caesar, quod eius sapientiae non posset obviare, mandavit occulte per litteras, ut omnes doctores et rhetores Alexandriae in praetorium convenirent munera regia accepturi, si suis assertionibus possent Catherinam superare. Adducti sunt autem quinquaginta oratores, qui in mundana sapientia omnes mortales praecelebant. Qui cum ab imperatore rem hanc audissent, unus ait: „O quale hoc consilium imperatoris tot sapientes vocasse, cum unus ex nostris posset talem puellam confutare.” Interim Catherina haec cum audisset, Domino se totam commendavit, et ecce angelus Domini astitit dicens: „Constanter age, quia hos omnes vinctes, et ad martyrium destinabis.” Tandem Catherina adducta coram imperatore et oratoribus dixit imperatori: „En contra unam puellam quinquaginta oratores statuisti, quos pro victoria remunerandos promittis, et me sine mercede disputare compellis, erit tamen mihi merces Dominus Iesus.” Coeperunt autem philosophi arguere, quod impossibile est Deum fieri hominem passibilem. Qualia fuerint argumenta ista et responsiones ac obiectiones, in alio sermone prosequemur. Tam sapienter autem et apertis rationibus Catherina disputavit et omnes eos confutavit, ut penitus muti fierent non inveniunt, quid dicerent. Iratus imperator ait: „Cur tam turpiter vinci vos permittitis ab una puella?” Responderunt: „Antea non fuit, quem continuo non vicissemus, haec autem puella spiritu Dei loquitur, et tam veraciter, quod nil contradicere possimus, ecce ergo omnes in Christum credimus.” Tunc furore repletus caesar iussit omnes illos in medio civitatis concremari. At virgo confortavit eos. Positi autem in ignem nec capillis aut vestimentis sunt adusti, sed animas Domino reddiderunt. (H) Post haec ait caesar ad Catherinam: „O virgo generosa, consule tibi et adquiesce mihi et post reginam in palatio meo secunda vocaberis, et imaginem tuam faciam, et a cunctis velut dea adoraberis.” Cui virgo: „Desine talia dicere, quae scelus est cogitare. Ego me Christo sponsam tradidi.” Tunc eam iussit scorpionibus caedi, et post in obscurum carcerem includi ac fame cruciari. Interea rex processit extra regionem, et regina amore videndi succensa cum principe militum Porphyrio media nocte ad carcerem virginis intravit, videruntque carcerem inextimabili claritate fulgentem, et angelos plagas virginis perungentes. Incipiensque virgo Christum praedicavit, et reginam ac Porphyrium cum ducentis militibus convertit. Infra autem duodecim dies de caelo missa columba candida caelesti cibo Catherinam refovebat. Deinde Dominus cum multitudine angelorum et virginum eam visitavit et dixit: „Agnosce creatorem tuum, constans esto, quia tecum sum.” Tandem rediens imperator sibi Catherinam praesentari iussit, et videns splendidiorem coepit custodes torqueri, putans, quod eam aliquis pavisset. At illa: „Christus per angelum me nutrit.” Cui imperator: „Aut sacrificia diis, aut tormentis peribis.” Et virgo: „Parata sum omnia sufferre pro Christo Deo meo.” Tunc consilio cuiusdam iussit rex quattuor rotas serris ferreis et clavis acutissimis circumsaepas praeparari, quae mutuo sibi ordine contrario volverentur, et Christianos applicatos discinderent horribiliter coram beata Catherina. Quae videns oravit Dominum, ut ad laudem sui nominis et conversionem circumstantis populi ipsam machinam contereret. Mox angelus Domini impetu concutiens quattuor milia gentilium per partes molae illius interemit. Tunc regina descendit, et imperatorem durius increpavit. Rex iratus cum sacrificare illa contemneret, iussit, ut extra civitatem duceretur, et mamillis cum ferreis hastilibus prius extractis decollaretur. Cuius corpus Porphyrius rapiens sepelivit. Quo audito caesar quasi amens rugiebat dicens: „Ecce et Porphyrius unicus animae meae custos deceptus est.” Ad quem commilitones ducenti dixerunt: „Et nos Christiani sumus.” Omnes ergo cum Porphyrio decollari praecepit. Post haec persuasit Catherinae, ut sacrificaret, et prima in palatio fieret. Illa contempsit. Unde caesar sententiam dedit, ut decollaretur. Educta ergo oravit dicens: „O salus credentium, o decus et gloria virginum, Iesu, obsecro te, ut quicumque passionis meae memoriam egerit, seu in exitu animae aut quacumque necessitate me invocaverit, tuae propitiationis consequatur effectum.” Facta est vox ad eam dicens: „Veni, dilecta mea sponsa, ecce tibi ianua caeli aperta est, et tibi devotis optata promitto praesidia.” Deinde decollata ex eius corpore pro sanguine lac emanavit. Angeli autem corpus eius accipientes ab illo loco ad montem Sinai itinere plus quam viginti dierum deduxerunt, et ibi honorifice sepelierunt. Ex cuius ossibus indesinenter oleum manat, quod cunctorum languidorum membra sanat. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut ipsius meritis det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Ps 44,12 2 Ct 2,16 3 Hbr 9,4 4 Sap 1,4 5 Apc 3,18 6 Ioh 4,34 7 Ps 10,5 8 Ps 75,3 9 Cf. Ps 21,4 10 Sap 6,20 11 Cf. Ps 131,13

---



[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo C.] De sancta Catherina Sermo II. *Adamavit eam rex, scilicet Christus, super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite eius.* Hester II. 1 (A) Ista verba leguntur de sancta Ester regina, quae interpretatur 'elevata in populis', et optime possunt dici de beata Catherina. Primo quia ipsa fuit genere et regni regimine regina. Secundo quia fuit et est elevata in populis, ut sit in caelesti gloria exaltata et in patronam data a Christo omni populo Christiano. Tertio quia ipsam Christus specialius adamavit, ut miraculose in sponsam eam acceperit virginali dignitate et observantia. Licet enim Christus omnes virgines in sponsas spiritualiter accipiat, unde canit Ecclesia de unaquaque: *Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum*, tamen prae ceteris maiori dono gratiarum Catherinam adamavit. Ideo de ea haec verba pro sermone accipiuntur, scilicet: *Adamavit eam rex*, qui fuit Assuerus, et interpretatur 'beatitudo', ut dicit Hieronymus. Ergo significat Christum, beatitudinis aeternae regem, qui adamavit Catherinam magnis gratiis. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone, secundum quod de his tribus commendatur beata Catherina in ipsis verbis: · Primo de speciali Iesu adamatione, cum dicitur: *Adamavit eam rex* · Secundo de virginali Mariae assimilatione, quia *super omnes mulieres* dicitur coronata,

quod est privilegium Mariae · Tertio de caelesti coronatione, quia *diadema regni in capite* (B) Circa primum de speciali adoratione Christi quaeritur, unde probari possit, quod beata Catherina inter omnes sanctas virgines sit post Christi matrem primiceria tamquam sponsa Christi praedilecta. Ad quod respondetur, quod hoc satis clare probatur praecipue triplici ratione sumpta ex donis magnae gratiae, quod sic declaratur, quia secundum sententiam Bonaventurae super III. dist. XXXII. q. III.: *Dilectio Dei ad aliquem mensuranda est in communicatione alicuius boni potius, quam in affectione, ita quod dilectio Dei est potius dilectio effectus, quam affectus*. Unde Deus illum dicitur diligere, cui vult communicare, et dat bona gratiae in praesenti et gloriae in futuro. Nam et Philosophus VIII. Ethicorum et II. Rhetoricae dicit, quod *amicitiae dilectio fundatur in benevolentia*. Illum autem Deus dicitur odire, cui non dat bona gratiae suae, sicut patet de peccatoribus. Nam scribitur Eccli. XII.: *Altissimus odio habet peccatores, et misertus est poenitentibus*. 2 Inter sanctos ergo illum dicitur Deus praemare, cui dedit maiora dona gratiae et gloriae. Sed quoniam inter omnes sanctas virgines post Virginem Matrem Christus Dominus dedisse videtur beatae Catherinae maiorem et specialiolem gratiam ac gloriam, ergo habetur propositum, quod scilicet ipsa super alias virgines probatur praedilecta triplici gratia: · Prima gratia desponsationis · Secunda illuminationis · Tertia gratia praecellentis dignificationis Primo amavit Christus Catherinam gratia desponsationis mirabilis. Licet quippe omnes virgines sint sponsae Christi, immo generaliter etiam omnes animae Christianae castitatem pro suo modo status tenentes sunt sponsae Christi, secundum quod Apostolus II. Cor. XI. dicit ad omnes: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. 3 Sed miraculosius et specialius beata Catherina prae ceteris est desponsata. (C) Pro quo notandum, quod quaedam sunt animae humanae omnino desponsatae diabolo, scilicet per fidem alienam a Christo, ut sunt animae paganorum et Iudaeorum, haeticorum et schismaticorum. Unde Augustinus super Gen. ad litteram dicit: *Omnis anima aut diaboli est adultera, scilicet per infidelitatem, aut Christi sponsa, scilicet per fidem*. Secundo autem sunt aliae animae, quae licet sint desponsatae a Christo per fidem in baptismo iurantes abrenunciare Satanae et omnibus pompis eius et omnibus operibus eius, tamen fidem violant et cum diabolo adulterantur per varia peccata mortalia, scilicet iram, superbiam etc. Has Christus pie revocat ad poenitentiam, Iere. III. dicens: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, et ego suscipiam te – dicit Dominus*. 4 Tertio sunt adhuc animae quaedam, quae omne peccatum cavent, et omne carnale abhorrent amore Christi, quem praediligentes in sponsum eligunt sibi, ut sunt virgines et castitatem diligentes secundum gradum varii status, de quibus Hieronymus in epistola ad Victoriam dicit sic: *Locum habet in regno Christi virginitas, castitas et etiam coniugalitas continentia, ut sit virginitas aurum, castitas vidualis argentum, coniugalitas velut paupertas stanni vel plumbi. Vel virginitas sol, castitas luna, coniugium stella*. Sed super omnes coniugatos, viduas et virgines singulari privilegio beatam Catherinam miraculose desponsavit Christus Dominus sibi visibiliter apparendo, et anulo sibi per virginem Mariam dato, ut patuit in historia sermone primo „E”, ergo est praedilecta. Quid ergo, o anima Christiana, tibi de carnali vita dicam cum Bernardo in Meditationibus, ubi exclamat sic: *O anima insignita Dei imagine, desponsata fide, redempta Christi sanguine, deputata cum angelis in beatitudine, quid tibi cum carne, numquam maius sterquilinum invenisti, insuper aeternum supplicium per eam incurristi, ut quid pro vili sterquilino animam pretiosissimam perdis et cruciatum sempiternum eligis*. Secundo dilexit Christus Catherinam gratia magnae illuminationis, quia prae aliis virginibus eam replevit sapientia, intantum, quod ipsa superaverit sua disputatione quinquaginta philosophos et oratores toto orbe peritissimos. (D) Sed quomodo in Catherina probatur fulsisse prae ceteris sapientia vera, cum istam victoriam super philosophos ipsa obtinuit per miraculum Christo hoc faciente, ut impleat illud Lu. XXI.: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*; 5 unde hoc Christus per quemcumque simpliciolem aequo potuisset facere? Respondetur, quod quamvis Christus potuit talem victoriam fecisse per alium, tamen pro privilegio speciali hoc Catherinae voluit donare, ut monstraretur toto orbe mirabilis in sapientia non solum humana, sed etiam divina. Notandum ergo, quod sapientia est triplex, prima infima, secunda media, tertia summa. Infima est contemnenda, de qua Iaco. III.: *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis et diabolica*. 6 Terrena quidem in rerum cupida exquisitione, animalis, id est bestialis in voluptatum expletione, et diabolica in fraudis et variorum peccatorum adinventione vel sollicitatione. Hanc ergo omnis vere sapiens contemnere debet, sicut contempsit beata Catherina, quae cum esset iuvenula pulchra, dives et libertate praedita ac potestate nobili alta, quae mulieribus sunt causa ruinae, sed haec omnia amore Christi repressit, nec umquam peccato consensit. Praeterea cum ipsa sollicitaretur ab extra, scilicet ab imperatore, ut sibi iungeretur, et per omnia, quae mulieres multum appetunt, puta divitiarum copia, dignitatis magnificentia, ut esset in palatio imperatoris secunda vel prima, et honoris gloria, qui statuam sibi erigere et adorari facere promittebat. Sed Catherina haec omnia contempsit pro Christo, ut sponsa eius per castitatem semper permaneret. Insuper sollicitabatur per minas et tormenta, nisi consentiret, sed pro Christo mori non timuit. Et sic ipsa fuit plena charitate divina, et per consequens divina sapientia. Unde Bernardus: *Invenisti plane sapientiam, si non modo tibi sapiant vitia ut pessima, bona ut bona, et sic Deus super omnia*. Secunda est sapientia media, quae est in scientia humana. Et ista quaedam est physica, ut sunt septem artes liberales, quas Catherina perfecte scivit. Quaedam est ethica, quae docet morum honestatem. Catherina omnibus virtutibus fuit decorata. Quaedam est oeconomica, quae docet domum et familiam regere. Ipsa palatium et familiam sapienter gubernavit. Quaedam autem est politica, quae docet urbes et regna pacifice gubernare. Catherina ut regina regnum optime rexit, ergo ista sapientia plena fuit. Tertia est sapientia summa, scilicet divinia, quae consistit in Dei cognitione, secundum veritatem fidei catholicae, ac vitae sanctitate, secundum observantiam divinatorum praeceptorum, ac perfecta charitate. Augustinus: *Infelix ille, qui etsi omnia alia sciat, te Deum nescit*. Idem: *Sapientia Dei est non tantum eloquia Dei scire, sed secundum eloquia Dei vivere*. Beata Catherina verum Deum Christum novit plena veritate fidei, et dilexit charitate. Insuper tanto lumine sapientiae a Deo est repleta, ut etiam prophetiae spiritum habuit. Nam legitur in historia ab Alphorabio descripta, quod in sui conversione Christus sibi apparuit, et eam miraculose sibi desponsavit, et tunc revelavit sibi, quod pro eius amore esset martyrium passura. Item in legenda: Dum volebat disputare cum oratoribus, angelo revelante didicit, quod illos superatura foret, et ad martyrium



destinatura. Item ibidem dicitur, quod dum reginam convertisset ad fidem, futuram eidem martyrii coronam praedixit. Ex quibus patet, quod prophetiae spiritum habuit et sapientiae plenitudinem. O virgo sapientissima, gaude nunc cum Christo, et ora pro nobis! Tertio Christus dilexit Catherinam gratia mirae dignificationis, quia multis praerogativis privilegiorum eam inter omnes virgines specialius dignificavit, ut patebit articulo subsequenti. (E) Circa secundum de virginali assimilatione Beatae Mariae sit pro conclusione, quod beata Catherina virginitate sacra prae ceteris Virginem Mariam est imitata, et similitudine eius privilegiorum decorata, et ostenditur ex multis privilegiis. Primum privilegium, quia regina fuit et pulcherrima, sicut et Beata Virgo Maria, quae est regina mundi et domina angelorum ex stirpe David regis. Sic et Catherina, licet non aequali dignitate, tamen regis filia, quia fuit Costi regis filia, cui regnum successit paternum, quod rex ut regina. Et secundum Albertum super „Missus est”: *Virginalis castitas tanto est commendabilior in femina, quanto est nobilioris generis et pulchra*. Unde puritas in purpurea veste pretiosior est, et per contrarium macula turpior, quam in veste rusticana. Sic in proposito. Secundum, quia electa Christi sponsa, ut Virgo Maria, quae fuit Dei sponsa electa et dedicata, ut iam supra dictum est. Unde de ea canitur: *Elegit eam Deus, et praelegit* etc. 7 Tertium, quia gratia plena, ut Beata Maria, quae fuit omni gratia plena. Sic et de beata Catherina legitur, quod Deus sibi dedit omnia privilegia gratiarum universaliter, quae concessit aliis sanctis in passione specialiter, quia per Christum est in caelum evocata, sicut Iohannes evangelista. Cibo caelesti refecta, sicut et legitur de Magdalena. Nam angelus in specie columbae duodecim diebus cibo caelesti eam pavit in carcere reclusam. Item caelum sibi apertum fuit, ut beato Stephano. Ipsa etiam habuit angelicum obsequium, sicut Martinus, lactis pro sanguine effusionem, ut Paulus, sepulchri praeparationem, ut Clemens, olei emanationem, ut beatus Nicolaus, orationis exauditionem, ut sancta Margaretha, et sic de aliis. Quartum, quia illuminata divina sapientia, sicut et Beata Maria, ut dictum est. Quintum, quia nominatur daemonum ruina, ut Beata Maria, quae omnium daemonum caput contrivit. Iuxta illud Gen. III.: *Ipsa conteret caput tuum*. 8 Sic et Catherina interpretatur 'universalis deorum ruina' a 'katha', quod est 'universum', et 'theos' – 'deus', et ruina, quia omne vitium ruit ab ea, et virtutes floruerunt in ea. Nam superbiam contrivit per humilitatem, carnis concupiscentiam per virginitatem, cupiditatem mundanam per mundi contemptum. Sextum privilegium quia ab angelis amabiliter visitata, ut et Beata Virgo Maria. Unde Hieronymus in sermone de assumptione dicit: *Bene angelus ad virginem mittitur, quia semper angelis cognata est virginitas*. Septimum est, quia est fructuosissima, ut Beata Maria, per quam omnibus credentibus salus provenit. Ipsa autem Catherina multos ad Christum convertit, et ad salutem aeternam perduxit. Non tantummodo populares, ut fecerunt aliae quaedam sanctae virgines, sed etiam doctores ac philosophos, reginam, principem, Porphyrium et milites. Octavum, quia refectio caelesti pasta, ut Maria, de qua Hieronymus dicit, quod quotidie angelus sibi de caelo afferebat cibum. Sic Catherina in carcere posita XII diebus caelesti cibo, quem portabat angelus in specie columbae candidae, pascebatur miraculose. Nonum visitata a Christo et consolata ac in caelum evocata, ut Beata Maria, quam ipsemet Christus cum multitudine angelorum occurrens in caelum assumpsit, sicut dicit Hieronymus in sermone. Beata quoque Catherina cum esset in carcere, Dominus cum multitudine angelorum et beatarum virginum sibi apparuit dicens: „Agnosce creatorem tuum, constans esto, quia tecum sum.” Tandem cum decollaretur, et oraret, Christus eam in caelum evocavit: „Veni, dilecta sponsa mea! Ecce tibi caeli ianua est aperta.” Decimum, quia corpus eius, cum esset decollata, fudit lac pro virginitate mundissima declaranda, et in hoc quodammodo Mariae est assimilata, quae lac virginalis sugendum dedit Christo miraculose. Undecimum est, quia translata est ab angelis in montem Sina, et ibi honorifice tumulata, ut et Beata Maria per angelos honorifice in caelum corpore et anima est assumpta cum laetitia. (F) Queritur: Cur voluit Christus Catherinam sepeliri in monte Sina? Respondetur, quod ad commendandum magnam in ea sapientiam et Christi familiarem charitatem. Ideo voluit eam sepeliri in eodem monte, ubi Deus dedit decem praecepta et legem sapientiae divinae Moysi, cum quo ibi familiariter loquebatur ut amicus ad amicum. In quo et nos mystice docemur, quod si volumus Christum habere amicum, debemus sapientiam decem praeceptorum diligenter observare. Unde Ioh. XIV.: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me*. 9 Duodecimum, quia venerabilis est in totius mundi Ecclesia, et omnibus subvenit invocantibus sua suffragia, ut Beata Virgo Maria, quae est *mater misericordiae et gratiae ac omnium advocata a Deo constituta*, ut canit Ecclesia. Nam quodammodo sibi beata Catherina in hoc est assimilata, ut patet primo ex hoc, quod ex eius sepulchro oleum manat valens in salutem languidorum ad designandum, quod ipsa valet omnibus invocantibus misericordiam a Deo impetrare. Secundo ex hoc, quod dum decollaretur, oravit Deum, ut quicumque memoriam sui ageret, sive in exitu animae, sive in quacumque necessitate eam invocaret, misericordiae effectum consequeretur. Et facta est vox de caelo: „Tibi devotis optata promitto praesidia.” Et sic ipsa, sicut et Beata Maria, habet privilegium suffragandi in exitu animae, ut de hoc leguntur multa miracula, quod hic amore brevitate pertranseo. O gloriosa virgo, laudetur in te Christus, et sanctissima Maria, mater eius. O praedilecta Iesu sponsa, propter amorem Iesu et sanctissimae eius matris misericordiam nobis impetra! (G) Circa tertium de corona regni caelestis inquirendum est, quodupliciter, et quam gloriosa corona regnat in caelis sancta Catherina inter omnes virgines praeefulgens post Mariam Virginem ex primiceria. Ad quod notandum est, quod ipsa beata Catherina praeefulget septuplici corona inter ceteras post Virginem Gloriosam, propter quod corona regni dicitur positata in capite eius. Prima est corona reginalis, quam promeruit per hoc, quod fuit specialis sponsa aeterni et summi regis Christi. Unde ipsa potest dicere illud Isa. LXI.: *Circumdedit me Dominus indumento iustitiae, et tamquam sponsum, decoravit me corona*. 10 Hanc quaelibet anima pro suo modulo fidei et charitatis possidere poterit, per quam a Christo desponsatur: Oseae II.: *Sponsabo te mihi in fide, sponsabo te in misericordia et iustitia*. 11 Et perditur per peccatum. Secunda est corona virginalis, quia virginibus debetur aureola, ipsa autem virgo mundissima, ergo etc. Hanc homo imitatur per castitatem. Tertia est corona praedicationis. Nam et praedicatoribus debetur aureola secundum doctores super IV. Ipsa autem praedicavit fidem Christi, et multos convertit, ergo etc. De hac Caesarius: *Quot et quantis animabus, o homo, exemplum salutis praebueris, cum tot et pro tot et tantis coronam vitae possidebis*. Per contrarium de malis Gregorius: *Tot mortibus, quisque dignus est, quot pravitatis exempla reliquit*. Quarta est corona passionis, quae debetur pro

martyrio secundum doctores. Quinta est corona victorialis, de qua Iac. I.: *Beatus vir, qui suffert temptationem, quia cum probatus est* etc. 12 Bernardus: *Quotiens temptationes vincis, totiens coronaberis*. Sed beata Catherina multis sollicitationibus est temptata, quas omnes vicit, ut supra dictum est, ergo etc. (H) Sexta est corona gloriae officialis. Nam ipsa est virginum primiceria, post virginum Virginem, Mariam secunda, ut creditur, et patet per praedicta. Ergo habet coronam gloriae specialis, tamquam primiceria, et hoc persuadetur ratione tali: Quia ut Bernardus sermone de innocentibus ait: *Christi pietas maior est, quam cuiuscumque tyranni impietas, ut quos tyrannus trucidat, Christus coronet*. Sed quia tyrannus Maxentius promittebat Catherinae, si sibi consentiret, hanc dignitatis coronam, ut esset secunda post reginam, sed illa pro amore Christi hoc contempsit, et omnia insuper tormenta, cum ergo meritum correspondeat *praemio in caelesti regno sequitur*, quod Christi pietas hanc sibi coronam feliciter praestiterit, ut esset secunda post Mariam omnium reginam. Septima est gloriae aurea corona essentialis. De qua Innocentius in sermone dicit, quod *aurea gloriae corona consistit in tribus dotibus animae, scilicet visione Dei, fruitione et tentione*. Ex quibus redundant quattuor dotes corporis, scilicet claritas, agilitas, subtilitas, impassibilitas. Haec autem omnia Catherina promeruit excellentissime pro magna sua sanctitate inter virgines. Merito ergo de ea dicitur, quod iuxta verba thematis Christus *eam adamavit super omnes mulieres*, scilicet post Mariam, *et posuit diadema regni in capite eius*. O ergo charissimi, accedamus et oremus dicentes: O virgo gloriosissima Catherina, per tua merita et praemia praeclarissima impetra pro nobis gratiam in praesenti finemque bonum in exitu animae ac gloriam in futuro. Amen.

---

1 Est 2,17 2 Sir 12,3 3 II Cor 11,2 4 Ier 3,1 5 Lc 21,15 6 Iac 3,15 7 Cf. Ps 131,13 8 Gn 3,15 9 Ioh 14,21 10 Is 61,10 11 Cf. Os 2,19-20 12 Iac 1,12

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CI.] De sancta Catherina Sermo tertius *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine et in sensu verborum*. Iudith c. XI. 1 (A) Haec verba ad litteram de Iudith casta sunt dicta, tamen optime conveniunt praedicari et dici de sancta Catherina. Primo quia ipsa legitur fuisse speciosa valde, et incredibili pulchritudine omnium oculis admirabilis videbatur et gratiosa. Secundo quia in ea apparuit admirabilis sapientia et eloquentia facundissima adeo, quod superavit quinquaginta philosophos et oratores sapientissimos in orbe. Tertio quia ipsa per amorem castitatis virginalis maximas praeter ceteris sanctis virginibus et mulieribus obtinuit a Deo praerogativas et privilegiorum gratias, ut super omnes post Virginem Matrem Christi fuerit dignificata. Unde de ea convenienter pro sermone accipimus haec verba: *Non est talis mulier* etc. In quibus commendatur beata Catherina praecipue de tribus, et secundum haec ad honorem eius tria mysteria pro sermone notemus: · Primum de pulchritudine puritatis, ibi: *Non est talis mulier in pulchritudine* · Secundum de altitudine sagacitatis, ibi: *Et in sensu verborum* · Tertium de suffragamine celebritatis, ibi: *In aspectu*, scilicet devotorum (B) Circa primum de pulchritudine puritatis quaeritur: Quare in castitate dicitur consistere pulchritudo animae, ut quanto homo castior, tanto coram Deo iudicetur pulchrior? Haec quaestio elicitur ex hoc, quod iuxta praemissum thema iudicatur beata Catherina prae ceteris mulieribus pulchrior, nedum ob pulchritudinem corporis, sed potius ob amorem castitatis, ut notat Franciscus de Mayronis in sermone. Nam ex Scriptura Sacra pulchritudinem castitatis admirabilem insinuat dicens Sap. IV.: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate*, 2 scilicet sapientiae divinae, quae consistit in cognitione fidei Christi. Sequitur: *Immortalis est enim memoria illius*, quia et apud Deum nota est, et apud homines, et sic patet. Sed ad haec respondetur, quod ut colligitur ex doctorum dictis ac Sacra Scriptura, omnis animae Christianae pulchritudo merito attribuitur castitati ratione quadruplici: · Prima accipitur ex parte diligentis Dei · Secunda ex parte conformitatis Christi · Tertia ex parte pulchritudinis humanae faciei · Quarta ex parte similitudinis angeli Primo quia Deus et Dominus Iesus in castitate hominis delectari legitur tamquam in floribus delectabilibus et pulcherrimis, iuxta illud Canticorum II.: *Qui pascitur inter lilia*, 3 scilicet castitatis, ut exponit Bernardus. Unde Augustinus: *O quam dulces sunt fructus castitatis et charitatis, quia in eis singulariter reficitur Dominus maiestatis*. Item Chrysostomus super Matth.: *Bonae voluntates, scilicet et castae, sic suaves sunt apud Deum, quemadmodum odoriferi flores*. Sed certum est, quod Deus veritatis non potest delectari nisi in vero bono sancto et deiformiter pulchro, quia *Deus non potest errare*, ut patet per Anselmum, ergo vere pulchra est castitas, et vere pulchrificat animam, ut sit Deo amabilis. Prover. XXII.: *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem*, 4 scilicet Christum Deum. Sed per contrarium Deus abominatur immundos ut putrida cadavera et foetida in stercore suis iacentia. De quibus Iob. I.: *Computruerunt iumenta in stercore suo*. 5 Gregorius: *Iumenta computrescere in stercore suo est carnales homines in foetore luxuriae vitam finire*. Secundo ex parte conformitatis Christi. Nam castitas est divinae pulchritudini conformativa et per gratiam assimilativa, ac Christi Iesu et eius matris imitatrix specialissima, ergo est pulchrificativa. Unde Hieronymus de decem abusionibus dicit: *Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, purpura regalis, augmentum omnis pulchritudinis*. Nimirum quanto aliquid assimilatur summe pulchro, Deo et Christo, qui est *candor lucis et speculum sine macula et bonitatis divinae imago*, Sap. VII., 6 tanto constat esse clarius et pulchrius. Sic in proposito. Ad id accipe exemplum tale: videmus, quod si persona aliqua de se non sit tam pulchra, tamen vestibibus regiis ornata cultioribus pulchra redditur. Sic anima ornata veste regia Christi et reginali Mariae, hoc est decorata castitate praefulgentem sumit pulchritudinem. Unde Hieronymus ad Nataliam dicit: *Virginitas purpura est regalis, scilicet Christi, qua quisque indutus fuerit, eminentior ceteris erit*. Sed per contrarium immunditia luxuriae reddit hominem deformem et turpissimum, sicut nudum hominem iacentem in luto et scaeno vel cloaca diaboli. Unde Isidorus De summo bono li. II. dicit: *Principaliter diabolus dominatur homini per luxuriam, qui teste Iob dormit in locis humentibus*, hoc est lutosus et scaenosis carnis spurcitiis. Exemplum de Magdalena, in qua prout dicitur in evangelio, habitaverunt septem daemonia, quo universaliter omnia comprehenduntur secundum Gregorium, quia ipsa plene possidebatur a daemonibus, quamdiu vixit in luxuria, sed posteaquam Christus eam convertit, per vitae sanctitatem Christo accepta et Mariae pedissequa divini splendoris

pulchritudine mirabiliter refulsit. Tertio pulchritudo castitatis ostenditur ad similitudinem pulchrae, scilicet faciei humanae. Nam videmus, quod hominis pulchritudo praecipue consideratur et agnoscitur in facie ipsius hominis, et ibi relucet. Sic pulchritudo castitatis agnoscitur et relucet in facie animae exsistentis in Christi fide. Unde canit Ecclesia de virginibus et castis sic: *Pulchra facie, sed pulchrior es fide, beata Catherina, respuens mundum, laetaberis cum angelis, intercede pro nobis.* (C) Sed quare Ecclesia commendat sanctas virgines et castas mulieres de pulchritudine? Nam et de eis adaptat et cantat illud Ps.: *Specie tua et pulchritudine tua intende prospere.* 7 Lyra: *Id est: ad prosperitatem tui et aliorum te imitantium procede per viam mortalis vitae et regna feliciter in caelo cum Christo, qui est speciosus forma prae filiis hominum,* ut eodem Ps. 8 dicitur. Respondetur, quod potissima ratio huius est, ut per pulchritudinem faciei exterioris discamus acquirere et desiderare pulchritudinem interiorum castitatis. Unde in eodem Ps. dicitur: *Omnis gloria filiae regis, id est virginis et castitatis, ab intus,* 9 scilicet in virtute animae, per quam regnum cum Christo acquiramus. Advertendum ergo, quod secundum Augustinum li. De Trinitate aliosque doctores ad pulchritudinem faciei requiruntur praecipua tria, sic spiritualiter in pulchritudine castitatis haec tria requiruntur: Primo requiritur, ut facies sit bene proportionata et pariliter dimensionata. Secundo, ut facies sit serena et vivaciter affecta. Tertio, ut sit luculenter colorata sine aliqua macula. Spiritualiter ut anima casta sit et pulchra coram Deo, requiritur primo, ut sit in virtutibus pariliter et bene proportionata, scilicet in fide, spe et charitate ac bono opere. Unde Apoc. XXI.: Iohannes vidit, quod *civitas superna erat in quadro posita pulchra aequalitate laterum.* 10 Glossa ibidem dicit, quod *quattuor latera sunt fides, spes, charitas et bona operatio, quae debent esse aequalia, ut quantum quis credit, tantum speret, et quantum sperat, tantum diligat, et quantum diligit, tantum operetur.* Unde si unum horum defuerit in anima, non dicitur pulchra, quia non bene dimensionata. Secundo requiritur, ut anima casta sit vivax et serena per puram conscientiam, ita quod nullo peccato sit infecta. Unde Ps.: *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Dominus tuus oleo laetitiae.* 11 Tertio requiritur, ut sit luculenter colorata habens candorem puritatis et ruborem ignitae charitatis Christi et cogitationis sanguinis Christi. Unde Cant. V. scribitur, quod *dilectus est candidus et rubicundus.* 12 Hinc etiam sancta Agnes virgo dixit: *Sanguis Christi ornavit genas meas.* Talis ergo castitas, scilicet sine macula et operibus probata ac charitate devota pulchram reddit animam. Quarto pulchritudo castitatis ostenditur ex similitudine angelica, quia ut Chrysostomus dicit: *Licet omnes sint res spirituales, praecipue tamen castitas res angelica est, per hanc enim singulariter homines angelis assimilantur.* Haec Chrysostomus super Matth. Ideoque et Augustinus dicit: *Qui non nubunt, nec nubuntur, sicut angeli Dei in terris sunt.* Sed quia Dionysio De divinis nominibus c. VI. teste *angelus deiformi pulchritudine praeclarissimus, ergo anima ineffabilem pulchritudinem habet per castitatem, ut sit deiformis, sicut angelus beatus.* Propterea solent angeli saepe visitare et consolari virgines et castos homines in terris. Exemplum de beata Catherina, quam angeli septem vicibus visitaverunt, immo et ipse Christus eam cum virginibus visitavit. Patet in legenda: Primo quidem angeli Catherinam visitaverunt, quando cum Christo et virgine Maria sibi apparuerunt, et Christus eam sibi desponsavit. Secundo in carcere, quando angelus sibi praedixit, quod superaret oratores. Tertio, quando fame est cruciata, angelus in specie columbae candidae quotidie cibum afferebat. Quarto, quando fuit verberata et in carcerem posita, angeli multo in lumine eius vulnera perungebant. Quinto, quando Christus cum angelis et virginibus sibi apparuit dicens: „Agnosce, filia, creatorem tuum, pro cuius nomine certamen subiisti.” Sexto, quando oravit Christum, ut rotas comminueret, tunc angelus apparuit confortans eam et rotas destruens. Septimo, quando est decollata, tunc angeli eius corpus deportarunt et sepelierunt. (D) Sed quare haec, nisi quia eius puritas septem donis Spiritus Sancti fuit plena, et similis angelis? Hieronymus de assumptione dicit: *Bene angelus ad virginem mittitur, quia semper angelis est cognata virginitas, et per consequens multum dilecta propter similem pulchritudinem castitatis.* Unde Eccl. XXVII.: *Volatilia, id est angeli ad sibi similia conveniunt, et veritas, id est Christus ad eos revertetur.* 13 Sed per contrarium fornicatores et immundos daemones visitant propter immunditiam peccati septuplici malo. Primo quidem in vita saepius temptando, et ad varia peccata incitando. Secundo in morte animam rapiendo. Tertio in iudicio divino terribiliter accusando, et sententiam damnationis contra eos expetendo. Unde Heb. XIII.: *Fornicatores et adulteros iudicabit Deus,* 14 scilicet durius. Quarto ad Infernum pertrahendo, et utpote tortores solent, crudeliter tractando. Quinto in Inferno animam affligendo. Sexto exprobrando et confundendo publice, ac maledicendo. Naum III.: *Revelabo pudenda tua in faciem tuam.* 15 Septimo post resurrectionem etiam in corpore torquendo. Gregorius: *Quos incentes habuimus in culpis, tortores habebimus in poenis.* O ergo peccator, age poenitentiam, refrena carnem, dilige castitatem, alioquin peribis in aeternum. (E) Circa secundum de altitudine sapientiae, quae fuit in beata Catherina, sit pro conclusione, quod in sancta Catherina commendatur altissima et mirabilis sapientia in suae disputationis victoria. Declaratur, nam si unus sapiens disputans cum alio sapiente magno vincat eum, magnus illi honor est. Si autem in una disputatione, ubi sunt multi sapientes et doctores, unus convincat omnes, maior honor est. Quia autem una iuvenula puella convincat quinquaginta oratores sapientissimos et philosophos toto orbe clarissimos, numquam hoc auditum fuit, nisi de ista sancta Catherina. Propterea bene de ea dicitur, quod *non est talis mulier super terram* in sapientia. Sed quaeritur: Quales conclusiones et qualia argumenta vertebantur in ista disputatione oratorum cum Catherina? Ad hoc respondetur, sicut narratur in historiis quibusdam, quod quattuor erant conclusiones. Nam cum ventum fuisset ad disputandum, unus sapientum dixit: „Proponat Catherina coram omnibus, quid dicere velit, ut audiamus, quoniam propter eam nos sumus hoc vocati, ut disputemus.” Tunc sancta Catherina dixit: „Initium sermonis mei est de Domino Iesu crucifixo, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus mundum creavit, et in eo hominem condidit. Quem diabolus invidens decepit et in peccatum induxit, ac aeternae morti obligatum reddidit. Cumque non posset homo aliter liberari, misertus eius Dei Filius Christus carnem assumpsit, in qua multis miraculis comprobavit se vere Dei Filium pro nostra salute incarnatum, et sua passione ac morte pro peccato hominis satisfaciens hominem redemit, et in caelum reduxit.” Ex his ergo philosophi acceperunt quattuor praecipuas conclusiones improbandas: · Primam de mundi creatione · Secundam de Dei vere unitate · Tertiam de personarum in Deo trinitate · Quartam de divina incarnatione et passione Prima ergo conclusio fuit de mundi



creatione. Contra quam philosophi arguunt sic: Deus habuit voluntatem producendi mundum, vel ergo illa voluntas in Deo fuit ab aeterno, vel non. Si dicis, quod ab aeterno fuit, ergo mundus ab aeterno fuit, quia Dei voluntas semper impletur et posita causa sufficienti et actuali ponitur effectus, II. Physicorum. Sicut ergo Deus voluit ab aeterno, ita fuit ab aeterno. Si autem dicas, quod voluntas illa in Deo non fuit ab aeterno, sequitur, quod Deus de non volente factus est denuo volens, ergo Deus mutatur in voluntate. Mutatur etiam ab otio in actum, quia incepit creare aliquid, qui antea nil creaverat, sed haec sunt impossibilia in Deo. Ergo sequitur, quod mundus numquam est creatus. Ad haec respondit Catherina, sicut respondent etiam catholici doctores, praecipue Bonaventura super II. dist. I. q. II. ar. I., quod Deus id, quod vult facere, ab aeterno voluit illud, sed non nisi in tempore secundum suam sapientiam praeordinato producere in effectum, et tunc producit. Sicut si ego a principio adolescentiae semper habuissem voluntatem intrandi religionem, anno aetatis meae XXX. ita, quod illud non faciam ante, et sic in Deum nulla cadit mutatio voluntatis, quia ab aeterno voluit facere, sed sic et isto tempore, quo perficere illam voluntatem decrevit, et ab aeterno, ut non antea produceret. Nec etiam Deus de otio mutatur in actum, cum de non producente fit producens, sicut non mutatur et nunc quotidie aliqua denuo producendo. Quia Deus est ens simplicissimum agens seipso, quidquid agit. Unde Boethius De consolatione dicit: *Stabilis in se manens dat cuncta moveri*. Exemplum tale ponitur secundum Scotum: *Videmus, quod Sol semper luminosus, si cras habebit cristallum vel vitrum aut huiusmodi sibi obiectum, illuminabit illud ita, quod nil novum erit in Sole ad hoc, quod ab ipso fiat nova illuminatio, sed fit in vitro*. Sic in proposito. (F) Quia autem mundus sit creatus, probatur sic, quia si mundus esset sine principio, durasset in infinitum. Scilicet secundum Philosophum I. Caeli c. ultimo: *Infito nil plus potest addi, quia quod recipit additionem, fit maius. Infito autem nil potest maius fore, ergo durationi mundi nil potest addi*. Sed constat hoc esse falsum, quia omni die additur revolutio caeli revolutioni, et mira semper succedit variatio mundi ex tempore. Ergo mundus non est aeternus, sed temporalis. *Nam nullum mutabile est aeternum, quia mutabile et aeternum contraria sunt*. Item: *Infito comprehendere est impossibile*, VIII. Physicorum in fine. Si ergo mundus est aeternus, ergo sequitur, quod in eo fuerunt infinita iumenta et animalia per continuam generationem, et infiniti homines, cum mundus numquam fuit sine homine et animalibus. *Nam propter hominem sunt omnia*, II. Physicorum. Et sic sequeretur, quod essent infinitae animae intellectivae eo, quod sunt incorruptibiles, quarum numerum nec Deus numerare posset, alia essent determinato numero. Sequeretur etiam, quod omnia corpora animalium et hominum cum sint infinita, nec caelum, nec terra capere possent. Ergo sequitur, quod mundus est factus, et quia non a se, quia nil habet fieri a se, ergo a Deo. Et sic convicti sunt de hoc philosophi. Secunda conclusio de Dei veri unitate, contra quam philosophi arguebant sic: Plura bona sunt meliora paucioribus, sed de Deo est credendum omne, quod melius. Ergo melius est ponere plures, immo innumerabiles deos, quam unum, sicut philosophi et gentiles ab antiquo tenuerunt. Ad haec Catherina, sicut Bonaventura super I. dist. II., respondit, quod *in creaturis, ubi est augmentum bonitatis per additionem alterius boni, veritatem habet, quod plura bona sunt meliora, quam pauca. Non autem habet veritatem in bono infito, quod est Deus*. (G) Unde quod unus solus est Deus omnium, probatur sic, quia Deus est summum bonum, quo maius excogitari non potest. Si ergo plures essent dei, aut unus haberet aequalem bonitatem, quam alter habet, aut non. Si haberet, sequitur, quia quod per superlativum dicitur, uni soli convenit, et unus non est melior altero. Ergo neuter esset summum bonum. Et per consequens non esset deus nec ille, nec iste. Si autem non habet unus aequalem bonitatem alteri, ergo iste non est deus. Item cum Deus sit omnipotens. Si ergo unus poterit facere de alio, quod ille nil possit, ergo ille alius non erit deus. Vel si non potest, ipse non est omnipotens, et per consequens nec deus. Ideo Philosophus XII. Metaphysicorum dicit: *Entia nolunt male disponi*, et ideo omnia ordinantur ad unum primum principium, a quo dependet caelum et tota natura. Mala est enim pluralitas principum, sit ergo unus princeps omnium Deus. Et sic convicti sunt. Tertia conclusio de trinitate personarum in unitate essentiae divinae, contra quam philosophi arguebant sic: Deus est simplicissimae naturae, ergo non potest ibi esse trinitas personarum. Ad quod Catherina respondit, sicut et doctores catholici, quod hoc non repugnat divinae simplicitati, quia divina essentia unica est in tribus personis, quae suis proprietatibus distinguuntur. Sicut in unica anima humana sunt tres potentiae distinctae suis proprietatibus, scilicet memoria, intellectus et voluntas. (H) Quod autem trinitas personarum sit in Deo, probatur, quia Deus ab aeterno habuit in se sapientiam vel verbum, sicut concipiens habet in se conceptum, et hoc verbum est Dei Filius. Est etiam amor, quo Deus ab aeterno dilexit suam sapientiam, id est Filium, et Filium Patrem. Sed *in Deum nullum potest cadere accidens*, VII. Metaphysicorum, ergo sapientia et amor in Deo sunt eadem essentia divina. Sed tantum distinguuntur suis notionibus et proprietatibus personalibus, ergo in uno summo Deo colimus summam sapientiam et summam bonitatem amoris, unicum Deum omnium. Et sic philosophi convicti sunt. Quarta conclusio fuit de Filii Dei incarnatione et passione. Contra quam philosophi arguebant sic: Deus est impassibilis, et immortalis est, et incomponibilis et impermixtibilis, ergo non potuit incarnari, nec pati aut mori. Ad hoc respondit Catherina, quod Deus sine omni diminutione maiestatis assumpsit humanam naturam manens in sua gloria. Sed in natura humana passus est et mortuus pro nostra redemptione et salute. Et sic suam ineffabilem misericordiam et charitatem nobis exhibuit, ac iustitiae divinae satisfecit, quando poenam pro peccatis nostris in corpore pertulit super lignum crucis. Unde et vester Plato ait *deum circumrotundum*, et Sibylla: *Felix ille Deus, ligno qui pendet ab alto*. Concluit ergo, quod ipse est solus Deus verus, qui fecit omnia. Omnes autem dii gentium daemonia. Et sic omnes philosophos convicit adeo, ut nil possent contradicere, ac eos ad Christum convertit. Quos impius caesar ignibus tradi iussit, ac tandem Catherinam decollavit, prosequere legendam de passione. (I) Circa tertium de suffragatione devotorum honorantium beatam Catherinam et eius festum celebrantium sufficiat causa brevitatis narrari unum miraculum, quod refert Discipulus in suo sermone, quod scholaris quidam in Anglia, civitate Cantuariensi sanctae Catherinae devote servivit, et festum eius cum diligentia celebravit, petivitque, ut sibi impetraret a Deo gratiam, quatenus proficeret in scientia ad honorem Dei et proximorum aedificationem, et in moribus. Contulit autem se ad generale studium, et in brevi profecit mirabiliter, ac adeptus est magisterium. Unde rex Angliae audita fama eius ipsum ad se vocavit, et filium sibi commisit ad instruendum. Cumque diligenter illum instrueret, sed ille esset

duri ingenii ac rebellis, accidit, ut die quadam vellet disciplinare eum virga. Filius autem regis interim, quod iste virgam quaereret, exsiliit de camera, et per pontem currens cecidit in aquam, et submersus est. De quo territus magister recommendavit illum et se sanctae Catherinae. Tunc piscatores statim accedentes cum navibus requirebant illum, sed non est inventus. Magister ergo incarceratur, et omnis familia regis turbatur. Ille autem in carcere continuo invocabat sanctam Catherinam. Ecce autem hora tertia diei sequentis, cum cantaretur missa in parochia, filius regis ecclesiam intravit habens camisiam albam, in qua aureis litteris scriptum erat illud Ps.: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* 16 Haec ergo rex et regina audientes accurrunt, et cum gaudio susceperunt filium sanum. Qui interrogatus coram omnibus narravit, quod sancta Catherina eum sustentavit dulciter in aqua per diem et noctem propter sui magistri orationem. Et postmodum idem filius regis optimum semper ingenium studendi habuit. Rex ergo cum omnibus suis gavisus est, et magistrum illum exaltavit ad magnos honores et dignitates. Et rex ac regina eorumque filius ammodo omnibus diebus vitae suae fideliter servierunt sanctae Catherinae. Tunc magister composuit illam collectam *Deus, qui dedisti legem Moysi* etc., quae canitur de sancta Catherina. Unde claret, quod beata Catherina servientibus sibi suffragatur in omni necessitate. Novi et ego quendam studentem in universitate Cracoviensi, qui cum non bene posset proficere in studio, beatam Catherinam invocavit, et tandem mirabiliter profecit. O ergo gloriosissima virgo Catherina, laetare regnans cum Christo, et ora pro nobis, ut per tua merita det nobis gratiam in praesenti, et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Idt 11,9 2 Cf. Sap 4,1: Melior est generatio cum charitate, immortalitas est enim in memoria illius. 3 Ct 2,16 4 Prv 22,11 5 Ioel 1,17 6 Sap 7,26 7 Ps 44,5 8 Cf. Ps 44,3 9 Ps 44,14 10 Cf. Apc 21,16: Civitas ... posita est, et longitudo eius tanta est, quanta est latitudo. 11 Ps 44,8 12 Ct 5,10 13 Sir 27,10 14 Hbr 13,4 15 Na 3,5 16 Ps 118,73

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CII.] De sancta Catherina Sermo quartus *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Prover. ultimo, 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Legimus multas fore sanctas virgines et filias Dei adoptivas, quae multas sibi congregaverunt divitias spirituales. Quarum quaedam congregaverunt per meritum virginitatis et castitatis. Quaedam merito caritatis et contemplationis. Quaedam merito boni operis exterioris. Quaedam etiam merito praedicationis. Nam licet sit inhibitum mulieribus officium praedicandi, tamen quibusdam sanctis virginibus et mulieribus fuit a Spiritu Sancto concessum quadam praerogativa specialis gratiae, ut patet de Martha et Magdalena. Quaedam insuper virgines congregaverunt divitias spirituales merito passionis, quia propter Christum sanguinem fuderunt. Sed quoniam beata Catherina his omnibus modis praecellenter inter omnes congregavit, quia esse meruit virgo castissima, sapientia et bonis operibus plena, praedicatrix et martyr, et ideo convenienter de ea haec verba dicuntur: *Multae filiae congregaverunt etc.* Iuxta quae tria mysteria notabimus, de quibus commendatur: · Primo de spirituali thesaurizatione, ibi: *Multae filiae congregaverunt divitias* · Secundo de virginali appetitione, cum dicitur: *Filiae pro virginibus capiendo* · Tertio de speciali sublimatione, cum dicitur: *Tu supergressa es universas* Propter haec bene de ipsa dicitur illud Iudith XIII.: *Benedicta est tu, filia, a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram.* 2 Et hoc pro alio themate. (B) Circa primum de spiritualibus divitiis quaeritur, quales divitias adquisierunt sanctae virgines, et exemplo earum quales debeant acquirere quique fideles. Ad quod respondendo notandum, quod divitiae sunt in differentia triplici: · Quaedam sunt temporales · Quaedam sunt spirituales · Quaedam sunt caelestes Primo quaedam divitiae sunt temporales, de quibus Ps.: *Divitiae si affluent, nolite cor apponere.* 3 Glossa: *Divitias licet habere, sed non licet eis corde inhaerere, quia sic ad peccatum inducunt.* I. Timo. V.: *Qui cupiunt divites fieri, incidunt in temptationes et in laqueum diaboli, et in desideria multa et nociva, quae mergunt hominem in interitum,* 4 scilicet gehennae. Ista non licet congregare Christiano, sed potius dispergere pauperibus, ut homo sic per eas veras divitias caelestes acquirat. Iuxta illud Ps.: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum etc.* 5 Unde Chrysostomus super Mat. homilia ultima dicit: *Si vere bonum esset aurum habere, hoc utique dedisset Christus discipulis suis. Nunc vero non solum non dedit, sed et habere prohibuit. Ergo nec verae divitiae sunt temporales divitiae, nec bonae, nisi sint moderatae ad usum necessitatis et pietatis.* Has ergo sanctae virgines et sancta Catherina non congregaverunt, sed contempserunt et pauperibus erogaverunt. Secundae sunt divitiae spirituales, et istae sunt verae bonae, quae vere divites faciunt homines, et consistunt in tribus: Primo in sapientia, secundo in virtutibus, tertio in gratia. Primo inquam in sapientia, de qua Sap. VII.: *Invocavi et venit in me spiritus sapientiae, et praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nil esse duxi in comparatione illius.* 6 *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.* 7 Sed hoc intelligitur non de humana, sed de divina et vera sapientia. Sapientia enim dicitur quasi 'sapida scientia', quia per ipsam sapiunt homini omnia, secundum quod mala vel bona sunt. Unde Bernardus: *Invenisti plane sapientiam, si tibi sapientia singulari, ut sunt. Mala ut mala et detestanda, bona ut bona, et optima ut optima.* (C) Unde etiam apud philosophos et gentiles sapientia reputabatur in cognitione divinorum consistere et multum honorabatur. Nam Philosophus I. Metaphysicorum dicit: *Sapientia est scientia primarum et altissimarum causarum.* Et infra dicit, quod *sapientia divina res est, quia solus deus eam maxime habet.* Et secundum Simonidem 8 *solus deus habet hunc honorem,* id est sapientiam. Haec Philosophus I. Metaphysicorum. Ad quod Valerius li. IV. refert exemplum, quod in Milesia regione dum quidam piscarentur in mari et rete proiecissent, unus homo superveniens dixit: „Vultisne mihi vendere istum tractum?” Aiunt: „Volumus.” Et conventionem facta piscatores in reti traxerunt unam magnam mensam auri, in qua erant sculptae imagines deorum. Orta est autem contentio inter illos. Nam piscatores dicebant: „Nos non vendidimus tibi nisi pisces trahendos.” Ille vero dicit: „Ego emi fortunam huius iactus.” Cumque venissent coram civitate, consuluerunt de hoc deum in suo idolo. Qui respondit, quod dari deberet illi, qui sapientia prae ceteris in mundo esset praecellentior in signum honoris. Cumque fuisset missa uni de sapientibus mundi, ille noluit tenere reputans se minus sapientem, misitque alteri, et ille tertio. Et dicitur in

expositione Prologi Bibliae, finaliter pervenit ad Solonem, qui consecravit deo suo eam, quae dicitur famosissima solis mensa, de qua meminit scilicet Hieronymus in Prologo Bibliae I. c. Si ergo pagani philosophi divinam sapientiam sic humiliter venerabantur, et se indignos reputabant, ac aurum contemnebant, multo fortius Christiani debent esse humiles et mundi contemptores amore sapientiae Christi, scilicet fidei, qui se diligentibus vitam promisit aeternam. Ideoque Catherina et sanctae virgines hunc thesaurum sapientiae verae congregare curaverunt, per quam placuerunt. Secundo spirituales divitiae consistunt in virtutibus et earum operibus ac sanctis meritis. Unde Gregorius: *Verae divitiae non opes sunt, sed virtutes, quas qui possidet, in Deo dives est.* Item Augustinus de moribus Ecclesiae: *Virtus facit animam esse optimam.* Et Seneca in epistola: *Virtus extollit hominem et super omnia cara mortalibus collocat.* Has congregaverunt virgines. Tertio spirituales divitiae consistunt in gratia Dei, quae realiter idem est, quod charitas secundum Scotum. Unde Augustinus super Ioh. sermone IX. dicit: *O quam dives est charitas, quae si desit, frustra habentur cetera, si assit, recte habentur omnia.* Propterea Apoc. III.: *Suadeo tibi emere aurum ignitum, scilicet charitatis, ut locuples fias.* 9 (D) Sed quaeritur, qualiter possit homo acquirere vel lucrari virtutes et gratiae Dei thesaurum. Ad quod respondetur secundum doctores, quod *virtutes et gratia Dei sunt tam nobilissimi effectus, quod non potest ex propriis laboribus eos habere, sed solus Deus confert et operatur in homine,* sicut ait Augustinus super Gal. III. Possumus tamen nos Deo cooperari, ut habeamus, quia Deus semper praesto est dare, si tamen homo velit suscipere faciendo, quod in se est. Ideoque inexcusabilis est homo, si non habet gratiam vel virtutes. Debemus ergo cooperari Deo, ut largiatur et operetur in nobis virtutes et gratiam. Et hoc facimus quadrupliciter. Primo divinis inspirationibus, per liberum arbitrium consentiendo. Secundo vitiis reluctando. Tertio humiliter nos recognoscendo, quia *omnis nostra sufficientia ex Deo est,* II. Cor. III. 10 Quarto Deum exorando, ut det nobis virtutes et gratiam. Si haec fecerimus, in virtutibus divites erimus. Tertiae divitiae sunt caelestes, scilicet quae consistunt in gloriosis praemiis beatitudinis aeterna, et istae sunt felicissimae et veracissimae. Unde Gregorius in homilia Dominicae sexagesimae dicit: *Fallaces divitiae sunt, scilicet mundanae, quae nostrae mentis inopiam non expellunt. Solae divitiae verae sunt, quae nos divites virtutibus faciunt. Si ergo, fratres carissimi, divites esse cupitis, veras divitias amate, si culmen honoris quaeritis, ad caeleste regnum tendite, si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia ascribi festinate.* Haec Gregorius. De istis divitiis hortatur nos Christus Matth. VI. c. dicens: *Thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi nec tinea erugo demolitur, et ubi fures non effodiunt.* 11 Augustinus: *O quam felices et beati, qui in hac peregrinatione sunt solliciti, ut bona eorum in aeterna patria conserventur.* Quia hic habere est virtutis, sed ibi esse est felicitatis. Sanctae virgines has divitias congregaverunt summo studio, in quibus Catherina supergressa est ceteras specialibus privilegiis, ut infra dicemus, ergo etc. (E) Circa secundum de pretiositate virginitatis quaeritur, utrum ex pretiositate virginali omnis virgo sit melior et praeamabilior Deo, quolibet homine existente in statu viduali et coniugali. Ratio quaestionis, quia status virginalis praecellit statum coniugalem et vidualem. I. Cor. VI.: *Qui matrimonio iungit virginem, bene facit, qui non iungit, melius facit.* 12 Ergo omnis virgo praecellit. Sed ad haec respondetur secundum Rainerium in Summa iuxta sententiam sancti Thomae II. II. q. CLII., quod *quamvis virginalis status sit melior de se et simpliciter, quam status coniugalis et vidualis, tamen ex hoc non sequitur, quod omnis virgo omni coniugata vel vidua sit melior et Deo carior, sicut a simili gradus sacerdotalis melior est laicali, non tamen omnis sacerdos melior est omni laico, immo quandoque aliquis laicus reperitur maioris sanctitatis pluribus presbyteris. Item status religionis melior est et sanctior statu saeculari, sed quandoque contingit, quod unus saecularis sanctior est et Deo carior pluribus religiosis.* Sic licet virginalis status sit melior et sanctior coniugali et viduali 13, potest tamen coniugata aliqua vel vidua esse melior et sanctior ac Deo carior pluribus virginibus. Sed quomodo hoc possit quis facere, ut melior sit coram Deo, quam virgo, notandum, quod praecipue propter tria contingit meliorem esse coniugatam vel viduam multis virginibus et praeferrari: · Primo propter fortiorem observantiam castitatis · Secundo propter aliquam excellentiam virtutis · Tertio propter maiorem gratiam charitatis Primo inquam propter fortiorem observantiam castitatis, quia potest esse, quod coniugalis vel vidua habeat animum magis paratum et fortiorem ad servandam castitatem suam, ita quod si oporteret se morti exponere pro servanda castitate, magis prompte et constanter exponeret, quam illa, quae est actu virgo. Et sic talis melior est tali virgine. Unde Augustinus li. De coniugali bono dicit: *Ego non sum melior, quam Abraham, licet melior sit castitas caelibum, quam castitas nuptiarum.* Et subdit rationem dicens: *Quod enim ego nunc ago, ille melius egisset, si tunc temporis agendum fuisset.* Haec Augustinus. O ergo homo, ama fortiter castitatem! Secundo propter excellentiam alicuius virtutis. Potest esse, quod ille, qui non est virgo, habeat aliquam in se virtutem excellentiorem, quam non habet virgo, et tunc ille scilicet praefertur tali virgini. Sed quae sint tales virtutes, notandum, quod una est peccati spiritualis immunitas. Unde Hieronymus: *Quid prodest carnem habere virgineam, si mentem quis habeat peccato inquinatam.* Sicut exempli gratia multae sunt modo virgines et castitate voventes, quae tamen ira, invidia, detractatione plenae sunt, vana gloria et huiusmodi, aliqua autem coniugata ab his munda est, et talis praefertur etc. Alia est humilitas, quia ut Augustinus dicit: *Humilis coniugata praefertur superbae virgini.* Tertia est oboedientia. Augustinus De viduitate dicit: *Quis nesciat oboedientem mulierem virgini inoboedienti praeponendam?* Quarta est monastica vita. Augustinus: *Nemo, quantum puto, virginitatem praeferre ausus sit monasterio.* Quinta est martyrii gloria, per quam coniugata praefertur virgini secundum Augustinum li. de virginitate. Tertio propter magnitudinem charitatis praefertur corrupta virgini quoad praemium essenziale, ut patet de Petro apostolo et de Magdalena, qui praeferruntur multis virginibus. Unde Bernardus super Cantica sermo XXVIII.: *Uniuscuiusque animae quantitas ex charitatis quantitate pensanda est.* Idem in epistola: *Tolle charitatem, castitas Deo non placet.* Ex istis accipe hoc documentum, quod quicumque amisit virginitatem, licet illam recuperare non possit quoad aureolam, tamen potest tanta merita acquirere, ut aequiparetur virgini, vel etiam praecellat. Et haec potest per ardua virtutum opera et per magnam charitatem. Unde Hugo De arrha sponsae dicit: *Amor fervens ipsius Dei consuevit corruptis integritatem reddere et integris castitatem conservare. Si olim peccasti, et meretrix fuisti, noli desperare, cum iam Deum amando possis paria merita virginitati recuperare.* O mira Dei nostri benignitatis, qua nobis providit misericorditer peccatoribus, ut



valeamus ad caelestia sublimari! Accipiamus ergo, o carissimi, exemplum de sancta Catherina et sanctis virginibus, ut earum exemplo congregare studeamus thesauros meritorum. (F) Circa tertium de speciali sublimatione, scilicet Catherinae sit pro conclusione, quod beata Catherina quasi cara regina speciali honore super ceteras virgines a Christo est sublimata. Et patet per plures honores eius prosequentes ex legenda. Primo honoravit eam in originis nobilitate, quia filia fuit regis et nobilissima regina, et quia a Christo Iesu data miro modo ad ruinam idolorum, patuit sermone I. „D”. Secundo in conversione, quia Christus cum matre et multitudine angelorum sibi apparuit, ut patuit sermone I. „E”. Tertio in desponsatione, quia mirabiliter eam anulo sibi dato desponsavit, patet ibi. Quarto in disputatione, quia sibi dedit victoria super omnes sapientes mundi oratores, ut claruit sermone I. „G”. Quinto in carcere, quia ipsam visitavit cum multitudine angelorum et virginum, patuit sermone I. „H”. Sexto in fame, quia caelesti cibo per angelum refecit apparentem in specie columbae. Septimo in orationis exauditione. Octavo in evocatione caelesti et apertione. Nono in decollatione, quia lac pro sanguine fudit. Decimo in sepulturae exhibitione, quia angeli corpus eius transtulerunt in montem Sina, ubi sibi sepulchrum fecerunt, et honorifice tumulaverunt. Haec clarent sermone I. „H”. Undecimo in miraculorum illustratione, quia ex eius ossibus indesinenter de sepulchro oleum manat, quod cunctorum languidorum corpora sanat. (G) Dicitur etiam, quod sepulchrum eius religiosi servant, et quod claves sepulchri non dantur nisi fratri virgini, quia nullus potest custodire corpus ipsius, nisi sit virgo, ut hoc refert etiam Franciscus de Mayronis in suo sermone. Nam si alius accesserit, diu vivere non potest, sed virgo debet custodire. Cum autem mortuus ille fuerit, eligunt alium fratrem sanctum, et oratione ac ieiunio praemissis manus illius lavant, et ex oleo, quod manat de ossibus sanctae Catherinae, in eius palma mittitur, si sine laesione oleum illud manum pertransit, et opposita parte effluit, claves et cella illi assignantur. Si autem oleum in manu stat, nec pertransit, alius eligitur, donec virgo dignus inveniatur. Quae divino miraculo Christus ad honorem sanctae Catherinae facere dignatur. (H) Duodecimo Christus honorat Catherinam in suorum devotorum suffragatione. Ut enim refert Discipulus in sermone, beata Catherina a Christo hoc pro honore privilegii habet, ut numquam vel raro permittat damnari sibi servientes. Unde legitur, quod quidam canonicus malae vitae fuit habens plura beneficia, sed beatam Catherinam in devotione magna habuit. Quadam nocte huius canonici capellanus, vir devotus in visione vidit, quod scilicet canonicus ille simul cum quodam presbytero, quem saepe commensalem habuit, et saeculariter viventem ambo ad iudicium tracti sunt. Iudex autem sententiam voluit dare, ut ambo illi decapitarentur. Sed beata Catherina intercessit pro suo devoto, scilicet canonico apud iudicem, ut sententiam adhuc per annum differret, et sic se emendaret. Sed ille presbyter non habens intercessorem decapitatus est. Mane facto narravit capellanus visionem canonico, et ad domum presbyteri illius accedentes eum subitanea morte defunctum invenerunt. Quo viso canonicus perterritus beneficia plura resignavit, et ordinem Cisterciensis intrans vitam bene finivit. Item ipsa habet etiam meretrices salvare. Unde legitur, quod quaedam meretrix per XX annos perdurans in meretricio nil boni faciebat, nisi quod vigiliam sanctae Catherinae ieiunabat, et in eius festo ad ecclesiam ibat, et cum contritione beatam Catherinam invocabat, et se emendare promittebat. Sed iterato tandem recidivabat. Anno autem XX. sic coram imagine sanctae Catherinae plorans ecce imago illa magna cecidit super caput eius, et mortua est. Cumque populus videns sepelire eam curaret, ecce surrexit, et narravit, quod beata Catherina ostendit ei poenas damnatorum et gaudia bonorum, et impetravit a Christo, ut revivisceret ac poenitentiam ageret et confiteretur, et confessa est sacerdoti. Postmodum autem numquam mortaliter peccavit, sed in bono finivit. Item in hoc regno frater quidam devotus ordinis minorum vicariae Hungariae, ut a fidedignis fratribus audivi, dum in vita foret devotus sanctae Catherinae, in hora suae mortis astantibus fratribus dixit, quod beata Catherina adesset consolans, et sic spiritum feliciter emisit in gratiarumactione et oratione. (I) Praeterea narratur in legenda inter superadditas legendas, quod episcopus quidam Mediolanensis, Sabinus nomine, vir vitae venerabilis, sicut refert Petrus Ravennas li. gestorum notabilium, post matrem Domini sanctam Catherinam in devotione ab infantia habebat, et ipsam omnibus sacris virginibus praeferre solebat, utpote adiutricem fidelissimam. Cum ergo praedictus praesul cum abbate Theodoro de Monte Cassino et duobus capellanis ac militibus et XV servis sepulchrum Domini visitassent, inde Montem Sina adierunt. Et ecce dux quidam Thurcorum ferox a Soldano rediens cum multis armatis illis occurrit, ac eos peremit. Episcopum autem et abbatem lingua, oculis, auribus, naribus, manuum et pedum summitatibus privavit, et sic semivivos ut veherentur ad tumbam virginis praecepit dicens: „Nunc videbo, quid vobis valet huius sepulchri visitatio.” Cumque ad tumbam virginis venissent, abbas continuo exspiravit. Episcopus vero, ut potuit, oravit. Et ecce circa noctis medium mons totus contremuit, ducemque cum suis tantus pavor invasit, ut cum fugere vellent, nequirent, tantum etiam lumen resplenduit, ut dies clara crederetur, et Mons Sina ut sol radiaret. Interea sancta Catherina ex tumulo processit, et sui devoti omnia vulnera illa tangens sanavit. Ille pulchritudinem eius videns et ferre non sustinens corruit, quoniam ipsa per duos angelos iuxta eam stantes praecepit de terra elevari, et dixit: „Scito, mi care, quod Dominus Iesus, sponsus meus te et omnes me honorantes hic et futuro paratus est honorare. Et quia perdidisti propter me linguam tuam, vix in proprio idiomate expeditam, ecce commodavi tibi linguam meam in Graeco et Latino peritissimam. Praeterea noveris omnes animas familiae tuae esse in sinu Abrahae. Facta autem die crastina, cum missarum sollempnia celebraveris, de oleo, quod exsudat de tumulo meo singula membra abbatis mortui perunges et suscitabitur, ac ad vigorem pristinum reformabitur.” His dictis sancta virgo pontifici anulum pretiosum dedit, et chartulam aureis litteris scriptam, et disparuit, ac mirus odor ibi mansit. Chartula vero tres verborum lineas habebat, hoc ordine scriptas: Prima: Sabine, hae litterae sunt inter me et te signa dilectionis perpetuae. Secunda: Fecit tibi meritum ingens dolor, faciet tibi gaudium vehemens amor. Tertia: Ducem baptizabis, sanus ad propria remeabis. Sicque decennio expleto laudabiliter mecum eris in caelesti palatio. Tunc vir Dei consolatus gratias immensas egit. Facto ergo die dux montem ascendit, et videns episcopum sanum celebrantem obstipuit. Vidit etiam, quod abbatem mortuum de oleo perunxit, et mox omnibus membris renascentibus sanatus est. Compunctus ergo et lacrimis perfusus fidem amplectitur, et cum multis nobilibus baptizatur. Omnia, quae habuit, vendidit, et illius ecclesiae monasterio fratribusque ac pauperibus distribuit. Monasterio quoque virginum constructo et ditato possessionibus, postremo habitum monachalem suscepit a

Christo et Mariae ac sanctae Catherinae devotissime militavit tota vita. Sanctus vero Sabinus cum post decennium ad extremum venisset, dignum Deo spiritum efflavit. Sed cum lingua eius in ore minime appareret, nulli dubitum, quin gloriosa Catherina eam tulit, quae suo devoto per decennium mutuavit. In huius gloriosi episcopi memoriam anulus et charta apud Mediolanum usque hodie servantur. O ergo carissimi, accedamus et oremus, ut Dominus Iesus per merita sanctae Catherinae det nobis gratiam in praesenti, et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Prv 31,29 2 Idt 13,23 3 Ps 61,11 4 Cf. I Tim 6,9 5 Ps 111,9 6 Sap 7,7-8 7 Sap 7,14 8 Editio: Simoniadem  
9 Apc 3,18 10 II Cor 3,5 11 Mt 6,20 12 I Cor 6,38 13 Editio: virginali

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CIII.] De dedicatione ecclesiae Sermo primus *Elegi et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et maneant oculi mei et cor meum cunctis diebus.* II. Paral. VIII. 1 (A) Haec verba dixit Dominus de templo, quando Salomon aedificavit illud, apparuitque ei Dominus dicens: *Elegi et sanctificavi mihi locum istum*, id est templum, hoc applicavi et dedicavi meo cultui. In quibus verbis Dominus commendat subsequenter templum et fideles devote visitantes illud de tribus. Primo de divini nominis portatione, quia posuit Deus nomen suum in templo, et ideo qui illud frequentant, nomen Dei portant, et sub nomine Dei censentur electi tamquam filii. Unde Chrysostomus: *Proprium est boni filii domum patris sui frequentare.* Qui autem potius volunt ire ad tabernam, quam ad templum, signum est, quod sunt de numero filiorum diaboli et damnationis. Secundo commendavit de speciali dilectione, quia posuit Deus cor suum, id est amorem erga orantes in templo, diligit ergo Deus tales. Tertio de orationis exauditione, quia dicit, quod posuit oculos suos in templo, scilicet ad aspiciendum et exaudiendum orationes fidelium inibi fusas. Unde et ibidem ait Dominus: *Oculi mei erunt aperti et aures meae erectae ad orationem eius, qui in loco isto oraverit.* 2 O ergo anima sancta, templum Dei frequenta ad orandum, quia dicit Dominus: *Elegi et sanctificavi locum istum* etc., et quia hodie celebratur dedicationis huius ecclesiae festum, merito accipimus pro sermone haec verba thematis. Iuxta quae tria mysteria notabimus: · Primum de ecclesiae electione, quia dicit Dominus: *Elegi*, scilicet ad Dei cultum · Secundum de ecclesiae consecratione, quia subdit: *et sanctificavi locum istum* · Tertium de ecclesiae visitatione, quia ibi invocatur nomen Dei, et gratia invenitur (B) Circa primum de ecclesiae vel templi electione quaeritur: Quare debuit eligi et deputari aliquis locus ad cultum Dei, sicut claret in deputatione templi. Et ratio, quia Deus loco non concluditur, sed ubique est secundum essentiam, potentiam et praesentiam, unde versus: *Enter, potenter, Deus est ubique praesenter.* Ideoque Deus ubique potest aequae bene adorari. Hinc Act. XV.: *Deus, qui fecit mundum et omnia, quae in eis sunt, hic caeli, terrae cum Dominus non in manufactis templis habitat* etc. 3 Mirum ergo videtur, quare Deus sibi specialem locum elegit. Respondendo ad haec secundum Thomam Prima Secundae, q. CIII. et II. II. q. LXXXIII. notandum est, quod in adoratione Dei et orationibus fiendis duo praecipua considerari possunt. Unum ex parte Dei, qui colitur et adoratur, qui est ubique, et ideo quoad Deum, non est necessarius locus aliquis ad orandum deputandus, quia ubicumque, sive in agro, sive in domo, sive etiam in lecto, quo iaces, aut in carcere optime et aequae bene adorari potest Deus, qui omnia prospicit. Nam et rex Ezechias in lecto adoravit, et Manasses in carcere, et multi alii in Novo Testamento martyres, qui miraculose exauditi sunt. Secundo in adoratione consideratur ex parte hominis adorantis. Et sic determinatus locus eligitur ad orandum Deum, non propter Deum, sed propter adorantes homines triplici ratione, ut adoratio hominum magis exaudiatur. Primo propter devotionem, quia in ecclesia vel templo magis incitatur populi devotio ad adorandum et Deum invocandum, tum ex consecratione ecclesiae et loci sanctitudine, tum ex imaginum devota repraesentatione, quae ibi continentur, tum ex praesentia corporis et sanguinis Domini in Eucharistia, quae ibi servatur, tum propter sacra mysteria divinae laudis, quae ibi aguntur. Secundo propter orationis auxiliacionem, quia oratio facta in ecclesia adiuvatur multipliciter, ut exaudiatur a Deo magis, quam si alibi fieret. Primo adiuvatur et maxime per sacramentum Eucharistiae, quod in ecclesia servatur reverenter, quia ut dicit Henricus de Hassia, sicut oratio latronis iuxta Christum in cruce pendens amplius est exaudita, cum dixit: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*, 4 quia Christus non solum sibi veniam, sed ad Paradisum eodem die sibi concessurum se repromisit dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso*, 5 id est deitatis visione. Hoc autem sibi Christus non praestitisset, si alibi, quam in praesentia Christi passi tunc exorasset. Sic homo quando orat coram praesentia Eucharistiae, quae est memoria passionis Christi, facilius et amplius exauditur in quacumque oratione, et adiuvatur exaudiri virtute passionis Christi. Secundo adiuvatur per omnium sanctorum illorum intercessionem, quorum ibi reliquiae habentur vel sepulchra. Quis enim scit, quot salvati in illo coemiterio vel ecclesia sunt sepulti, qui tamen omnes orant pro illis, qui in ecclesia devotizant, et etiam si quorum canonizatorum sanctorum reliquiae vel corpora ibi habentur, unde Eccli. XLIX.: *Ossa prophetarum pullulant de loco suo*, 6 scilicet per suffragia. Tertio adiuvatur oratio in ecclesia per omnes sanctos, quorum imagines ibi habentur, qui in eis venerantur. Quarto pro sanctum vel sanctos, in cuius nomine ecclesia est consecrata. Ex quibus patet, quod oratio hominis in ecclesia facta multipliciter iuvatur. Tertio propter multorum populorum concursum et aggregationem. Ex quo fit, ut Christus in medio eorum exauditor assit, iuxta illud Mat. XVIII.: *Ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ego in medio eorum sum.* 7 Ideo Leo papa: *Si duos velit exaudire, multo amplius ubi multa milia orant.* (C) Ad praemissa possumus pro exemplo ponere, quod dicit Aristoteles li. X. De animalibus, quod scilicet apes in alvearibus suis solent naturali instinctu regi aedificare domum et habitationem in medio eorum, et custodiunt eum. Et cum egreditur, omnes exeunt post eum, et faciunt sonum cum gaudio conducentes eum. Si quae autem offenderit regem, accedit, et proprio aculeo se mordens coram rege se occidit, ut patet etiam per Ambrosium in Hexaameron, nam mori pro rege – inquit – pulchrum putant. Spiritualiter per apes intelliguntur fideles, qui debent regi, id est Christo aedificare in corde domum, et etiam domum materialem, id est ecclesiam ornando, et debent Christum laudare ac imitari. Si autem offenderit quis, debet proprio aculeo, scilicet doloris et poenitentiae malitiam in se perimere abnegando se, et sequi debet

Christum usque ad mortem. Unde Ecc. XI.: *Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet eius fructus*, 8 quod dicit secundum Lyram: *Apis habet quidem in respectu volatilium corpus breve, id est parvum, et tamen facit meliorem fructum dulcoris, quam facit milvus, sic frequenter ille homo, qui est minoris apparentiae (quia se humiliat), est melioris existentiae, scilicet apud Deum. Et sic fidelis, qui se et suas offensas recognoscit, et humiliter ecclesiam Dei frequentat, dulciorem habet devotionis gratiam, et melior est coram Deo, quam homo magnae dignitatis et dives, qui raro vadit ad ecclesiam, raro se humiliat Deo. Luc. XVIII.: *Omnis, qui se exultat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.* 9 (D) Circa secundum de ecclesiae sanctificatione sive consecratione quaeritur: Quare ecclesia consecratur? Respondetur secundum doctores, quod huius plures sunt rationes, quae ad tres reducuntur, quia aliquae accipiuntur. Primo ex parte Dei. Secundo ex parte templi. Tertio ex parte nostri. Primo ex parte Dei accipitur ratio, scilicet quare ecclesiae consecrantur? Prima propter sanctam Dei laudem et honorem, quia ibi Deus specialius laudatur in septem horis canonicis, iuxta illud Ps.: *Septies in die laudem dixi tibi (Domine) super iudicia iustitiae tuae.* 10 Primo quidem laudatur officio matutinali, quia in media nocte Christus natus est, et in media nocte captus est a Iudaeis, et tunc coepit nostram redemptionem. Adduntur etiam laudes matutinales pro laude in aurora, quia tunc Christus surrexit. Et in Veteri Testamento tunc Aegyptiis submersis filios Israel liberavit. Secundo laudatur Deus in ecclesia pro hora prima diei, quia tunc Christus Pilato praesentatus est, et quia tunc resurgens apparuit mulieribus. Tertio laudatur hora tertia, quia tunc Christus a Iudaeis acclamatus est, ut crucifigatur, tunc ad columnam est ligatus et flagellatus. Et tandem hora tertia Spiritum Sanctum misit discipulis. Quarto laudatur hora sexta, quia tunc elevatus est in cruce, et tenebrae factae sunt in universa terra. Et quia tunc in die Ascensionis cum discipulis discubuit. Quinto laudatur hora nona, quia tunc Christus spiritum emisit, et miles lancea latus aperuit, et quia tunc Christus in caelum ascendit. Sexto laudatur in vespertina hora, quia tunc Christus mortuus de cruce est depositus, et pedes discipulorum lavit. Et corpus ac sanguinem in Eucharistia instituit. Tunc etiam discipulis in Emmaus in specie peregrini post resurrectionem se ostendit. Septimo laudatur completorii hora, quia tunc Christus in monumento est inclusus, et tandem die resurrectionis discipulis tunc apparens pacem nunciavit. Cum ergo praedictae horae sint prae aliis horis diei privilegiatae certis divinis beneficiis exhibitis, ergo in his Deus laudatur. Secundo consecratur propter Dei et angelorum inhabitationem, ergo dicit Ps.: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* 11 Nam specialius Deus manet in sancto templo, scilicet per specialis gratiae et beneficii inibi exhibitionem, iuxta illud Apoc. XXI.: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* 12 Item realiter manet Christus in sacramento Eucharistiae, quod in ecclesia consecratur et conservatur, sicut ipse Christus promisit Matt. ultimo dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* 13 Denique ibi angeli assunt coram Domino, sicut et in caelo. Unde sicut caelum empyreum, ubi Deus cum angelis habitat, est sanctissimum, ita quod *nil coinquinatum intrare poterit in illud*, Apoc. XXI. 14, ita templum debet esse sanctificatum, quia Deus non nisi in sancto habitat. Ps.: *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.* 15 (E) Sed quaeritur, qualiter angeli Dei in templo assistunt, aut quid ibi facere habent. Respondetur, quod ibi habent facere angeli praecipue tria. Primo quidem Eucharistiae reverenter astare, unde Gregorius de consecratione dist. II. „Quid sit” dicit sic: *Quis fidelium dubitat in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem caelos aperiri, atque in illo Iesu mysterio angelorum choros adesse, summa imis sociari?* Secundo in ecclesia angeli habent psallentibus et orantibus se sociare. Ps.: *Praevenuebant principes coniuncti psallentibus*, id est angeli sociati psallentibus *in medio iuventutis tympanistarum*, 16 id est animarum iubilose Deum laudantium. Tertio in ecclesia habent angeli orationes et devotiones coram Deo offerre, et pro exauditione interpellare. Unde angelus dixit Tob. XII.: *Quando orabas cum lacrimis, ego offerebam orationes tuas Domino.* 17 Bernardus: *O si videremus oculis, quomodo principes*, id est sancti angeli *praeveniunt, coniuncti psallentibus offerunt Deo orationes et vota, referunt dona, discurrunt inter sponsum*, id est Christum *et sponsam*, id est animam sanctam, *et interpellant pro nobis aures divinae pietatis.* Tertio ecclesia consecratur propter templi vel loci emundationem et diabolicam potestatis inde expulsionem, ne ibi latitare possit serpens antiquus. Refert enim Gregorius in Dialogis, quod *cum Arianorum quaedam ecclesia fidelibus reddita consecraretur ab episcopo, populus ibidem congregatus subito porcum inter pedes suos huc illucque discurrere sensit, et per ianuam exivit, nec ab ullo videri potuit, omnesque in admirationem commovit, quo Dominus ostendit, quod immundus habitator de loco exierit. Sequenti nocte in tectis eiusdem ecclesiae magnus strepitus factus est, ac si aliquis ibi errando discurreret. Et tertia nocte adhuc gravior et terribilis sonus increvit ibidem, statimque recessit, nec amplius apparuit, quo innotuit, quod a loco, quem diu tenuerat, quam coactus exibat.* Haec Gregorius. Quarto consecratur ecclesia propter nostram sanctificationem per sacramentorum inibi administrationem ac orationum nostrarum faciliorem inibi exauditionem, ac beneficiorum Dei inibi receptionem. Nam ibi ecclesiastica sacramenta recipimus, ibi misericordiam et gratiam suscipimus, ibi sepelimur, et ibi corpora nostra ad generale resurrectionem reservantur, propterea Ps. dicit: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* 18 Hinc III. Reg. IX.: *Cum Salomon perfecto et dedicato templo orasset Dominum, ut scilicet quicumque in templo illo Deum exoraret pro quacumque necessitate ac tribulatione et pro peccatis, Deus illum exaudiret in caelo, tunc Deus apparuit Salomoni dicens: Audivi orationem tuam et deprecationem, quam deprecatus es, sanctificavi domum hanc, et erunt oculi mei et cor ibi.* 19 (F) Sed quaeritur cur ecclesiae dedicandae sic aedificari soleant, ut sanctuaria sint ab oriente, et Christiani versa facie orent in eis ad orientem. Cum enim olim apud Iudaeos templum Salomonis fuerit sic aedificatum, ut scilicet Iudaei orarent versus occidentem, conversi ad sanctuarium, quod erat a parte occidentali. Denique Saraceni orant conversi ad meridiem. Cur ergo Sancta Ecclesia Christiana orare soleat ad orientem, mirum est. Sed recolligendo secundum Richardum super III. dist. IX. q. II. ar. ultimo, concordantem Rainerium in Summa, necnon Lyram, respondetur, quod Deus in Veteri Testamento voluit, ut Iudaei adorarent versus occidentem, propter quod in tabernaculo et in templo Sancta Sanctorum versus occidentem erant, Exod. XXVI., hoc ideo, ut a Iudaeis Deus excluderet idolatriam, quia idolatrae in reverentiam solis orabant ad orientem, ut patet Ezech. VIII. Et etiam mystice ideo, ut figuraretur, quia Christus venturus advesperascente mundo per suum occasum, id est per mortem erat redempturus genus humanum. Et haec redemptio expectata pro tunc a sanctis patribus desiderabiliter exorabatur*



impleri. Quod autem Saraceni orant ad meridiem, hoc ex eorum errore est, et falsitatis ratione, sicuti sunt decepti et a veritate alieni. Sed Christianos voluit Spiritus Sanctus orare in ecclesiis ad orientem, ut notat Damascenus li. IV. c. V. propter tres rationes, propter quas etiam ecclesiae sic aedificantur. Primo quia Paradisus plantatus est versus orientem, unde exsules facti ex occidente positi ad orientem aspiciendo oramus, ut ad patriam caelestem, quam perdidimus, redire quaeramus per orationem. Secunda ratio, quia Christus venit et nos redimens in cruce sic erat positus, quod ad occidentem respiciebat. Et ita nos adoramus ad Christum crucifixum respicientes, ut per eius passionis merita exaudiri mereamur, qui est sol iustitiae nobis credentibus exortus. Tertia ratio, quia Christum ascendentem adoraverunt apostoli ad orientem, et ita veniet ad iudicium omnium, quod videbimus eum ad orientem, quomodo viderunt eum discipuli euntem in caelum, ergo sic ecclesiae fiunt, ut oremus versus orientem, quatenus Dei gratiam, misericordiam ac caelestem patriam impetremus. O ergo peccator homo, quando oras, vel ecclesiam intras, recordare, quia propter peccata perdidisti Paradisum, et aspice Christum passum pro te, ac pertimesce eius iudicium, si poenitentiam non egeris. Age ergo poenitentiam. (G) Circa tertium de ecclesiae visitatione quaeritur: Qualia bona vel quales fructus acquirit homo ex visitatione ecclesiae. Ad quod secundum quod colligitur ex Scripturis et doctorum dictis respondetur, quod praecipua bona octo acquirit. Primo acceptance Dei et amorem. Unde Dominus ait III. Reg. IX.: *Sanctificavi domum hanc, quam aedificasti, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* 20 Nam Augustinus dicit, quod *ubi amor, ibi versatur oculus.* In hoc ergo designatur, quod Deus amat orantes in ecclesia, et ideo addit: *Et cor meum ibi*, quod enim valde amatur, super illud cor poni dicitur. Secundo beatorum angelorum et sanctorum suffragationem, quia ut supra dictum est, angeli associantur nobis in templo, et orationes nostras perferunt in caelum, ac pro nobis intercedunt omnes, etiam beati et omnes salvati, quorum corpora ibi sunt, vel reliquiae eorum, Deo intercedunt pro visitantibus, ipse sanctus, in cuius nomine est ecclesia etc., et quorum imagines ibi honorantur. Nam Thomas super IV. dist. XLV. dicit, quod *si sanctos honoramus, ipsos intercessores ad Deum pro nobis constituimus. Nam aliquis ex hoc ipso efficitur dignus, ut sancti pro eo orent, si ad ipsos cum pura devotione recurrit.* Haec ille. Tertio culpae compunctionem et per consequens remissionem, iuxta illud Ezech. XVIII.: *Quaecumque hora ingemuerit peccator, amplius non reminiscor omnium iniquitatum eius.* 21 Nam in ecclesia compungitur homo, tum ex visione monumentorum, Augustinus: *Monumentum quasi 'monens mentem' dicitur pro memoria mortis,* tum ex aquae benedictae aspersionem, tum ex imaginum Crucifixi et sanctorum aspectu. Proinde II. Paral. VII.: *Si quis de populo fuerit de Domino deprecatus, cognoscens plagam suam in domo hac, exaudies de caelo.* 22 Quarto devotionem dulciorem, quia ibi homo advertit esse se coram praesentia Christi in Eucharistia et in societate angelorum ac sanctorum, ubi ut scribitur Eccli. XXII.: *Pro reverentia accedet tibi bona gratia,* 23 scilicet devotionis. Experientia quoque testis est in hoc. Quinto ex hoc acquirit homo exauditionem, scilicet in omni oratione. Unde II. Para. VI.: *Quicumque oraverit in loco isto, audi de caelis et propitiare.* 24 Sexto filiationis Dei demonstratio. Unde Chrysostomus et Glossa super Matt. XXI. dicit, quod *proprium est boni filii, ut quando ingreditur civitatem, prius visitet inibi suam patrem, ideoque Christus, Dei Filius ingressus Ierusalem primo templum Dei adiit, dans nobis formam religionis, ut quaecumque imus, primum domum orationis, si ibi est, adeamus, et sic Deo commendati post ad agenda negotia secedamus.* Haec Glossa. Qui ergo domum Dei visitat, se filium esse Dei demonstrat. Septimo gratiae et gloriae cumulationem, quia homo visitans ecclesiam totiens merita et praemia cumulat, quotiens et quanto crebrius illam visitat amore Dei et ex devotione sanctorum. (H) Ad id narratur exemplum, quod quidam villanus dum ecclesiam haberet in remotis, quam solitus erat quotidie visitare et ibidem orare, antequam ad opus suum manuale transiret, fractus taedio propter distantiam magnam ecclesiae proposuit animo, ut de cetero non visitaret eam, nisi semel in hebdomada. Dum ergo proponens iret illo die ad ecclesiam illam, vidit ecce post se sequentem quendam virum speciosum, et rosas pulchras in quolibet vestigio plantae ipsius villani recolligentem. Qui admirans, quid hoc foret, tandem dixit ille se angelum Dei eius passus numerantem, et Deo rosas meritorum offerentem. Et tali revelatione gavisus effectus de hoc, quod Christus coronas rosarum talium, scilicet meritorum libenter suscipit. Deinceps usque ad mortem non destitit visitare ecclesiam. Ultimo acquirit indulgentiae consecutionem, quia certae indulgentiae datae sunt visitantibus, scilicet ecclesias aliquas praecipue secundum bullas apostolicas dotatas magnis indulgentiis, aliquae autem ut communiter ab episcopis dedicantibus solent dotari indulgentiis dierum XL, saltem pro anniversario dedicationis, extra de pe. et re. „Cum ex eo”, quas tunc homo consequitur. Sed de his ob brevitatem hic pertransimus alibi acturi. Rogemus ergo Iesum, ut infundat nobis gratiam, et tandem gloriam in caelo donet. Amen.

---

1 II Par 7,16 2 II Par 7,15 3 Act 17,24 4 Lc 23,42 5 Lc 23,43 6 Sir 49,12 7 Mt 18,20 8 Sir 11,3 9 Lc 18,14  
10 Ps 118,164 11 Ps 92,5 12 Apc 21,3 13 Mt 28,20 14 Cf. Apc 21,27 15 Ps 21,4 16 Ps 67,26 17 Tb 12,12  
18 Ps 47,10 19 Cf. I Rg 9,1-3 20 I Rg 9,3 21 Cf. Ez 18,21-22 22 II Par 6,29-30 23 Sir 32,9;14 24 II Par 6,21

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CIV.] In dedicatione ecclesiae Sermo secundus *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudine dierum.* Ps. XCII. 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) Scimus, carissimi, quoniam regiam magnificentiam non decet habere ad manendum sibi domum foedatam et squalore ac sordibus et foetore infectam, sed mundam et ornatam purpura, aurea ac omni decore, quanto magis domum summi regis, Christi decet esse mundam ab omni sorde vitiorum, et sanctam ac virtutum decore ornatam. Unde Sap. I.: *In malivolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis,* 2 sed in animas sanctas se transfert. Et Ps.: *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.* 3 Idcirco ecclesia materialis consecratur, quia ut Ps. dicit in themate, *domum tuam decet sanctitudo,* et addit: *in longitudine dierum,* quia numquam debet ecclesia consecrata reverti ad saecularem habitationem vel profanos usus, sicut concilium dicit XII. q. III. „Quae semel” et capitulum sequens. Proinde et Christus ait Ioh. II.: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* 4 Et iterum Matt. XXI.: *Domus mea domus orationis vocabitur.* 5 Merito ergo ad honorem

huius dedicationis verba praemissa accipimus: *Domum tuam* etc., iuxta quae tria mysteria notabimus declaranda pro hoc sermone: · Primum de domus Dei sanctitate, quia dicitur: *domum tuam, Domine, decet sanctitudo* · Secundum de mysteriali exemplaritate, scilicet: Qualiter Sancta Ecclesia Christi significatur in templo? · Tertium de indulgentiali utilitate, quae largitur in ecclesia (B) Circa primum de sanctitate domus Dei quaeritur: Quotuplex est domus Dei, quam decet sanctitudo. Ad quod respondetur secundum Innocentium in sermone aliosque simul doctores, quod quadruplex distinguitur domus Dei, in qua invenitur habitare Dominus Iesus. Et idem quaelibet istarum debet esse valde sancta. · Prima est domus spiritualis · Secunda est domus materialis · Tertia est domus universalis · Quarta est domus aeternalis Prima domus spiritualis. Et haec est quaelibet fidelis anima, sive quilibet bonus Christianus, cuius cor dicitur secundum etymologiam litterarum camera omnipotentis regis, quia Deus in eo manet, unde I. Cor. III. Apostolus dicit: *Nescitis, quia templum Dei estis vos, et Spiritus Sanctus habitat in vobis?* Subdit: *Si quis autem templum Dei violaverit, scilicet peccando mortaliter, disperdet illum Dominus*, 6 scilicet damnando aeternaliter. Haec ibi, ergo haec domus debet esse sancta, ut inhabitet Deus. Damascenus: *Sanctitas est puritas animae sine omni conscientia criminis*. O ergo homo, sanctifica animam tuam pro habitaculo Dei. (C) Sed qualiter debeat anima sanctificari, ut vere sit templum Dei? Notandum est, quod homo circa suam animam debet observare, scilicet spiritualiter, ea, quae solent observari circa ecclesiam materiale, ut docet Bernardus in sermone „Festivitas”. Et haec praecipue sunt septem. Primum est, quod ecclesia aedificata consecratur vel dedicatur, sic anima a Deo creata debet Deo dedicari et consecrari, quod fit in baptismo, unde Glossa I. Cor. III. dicit sic: *In nemine habitat Deus, quem non ante Spiritus Sanctus sanctificet et purget, scilicet in baptismali gratia*. Et subdit: *Diceret aliquis: Antequam Deus faceret caelum et terram, antequam faceret sanctos, ubi habitabat? In se habitat Deus, apud se habitat, et apud se est. Non ergo sancti sic sunt domus Dei, ut ipsa subtracta cadat Deus, immo sic Deus habitat in sanctis, ut si ipse discesserit, cadant*. Haec Glossa. Secundum est, quod reliquiae sanctorum reconduntur, scilicet in altari, quia reliquiis sanctorum reconditis altare consecratur. Nam concilium de consecratione dist. I. c. „Placuit” dicit, quod altaria evertantur, quae sine reliquiis sanctorum esse probantur. Sic spiritualiter anima debet virtutibus et exemplis sanctorum tamquam reliquiis sanctitatis esse probata, Ps.: *Custodi innocentiam, et vide aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico*. 7 Bernardus: *Anima virtutibus ornata est deitatis cathedra*. Nam sicut in altari, ubi reliquiae sanctorum reconditae sunt, corpus Christi et sanguis consecratur et servatur, sic in virtuosa anima Christus manet. Tertium est, quod ecclesia durabitur, dedicatur et veneratur. Nam amplius numquam potest transferri ad alium usum vel saecularem habitaculum, ut supra patuit, nec potest alienari. Sic anima deberet semper usque ad mortem in sanctitate Christiani nominis manere, unde Lu. I.: *In sanctitate et iustitia scilicet serviamus coram ipso omnibus diebus nostris*. 8 Quartum, quod excommunicatus in ecclesia dedicata non sepelitur nec infidelis aut paganus vel haereticus, nec quicumque publicus aut notorius peccator, nisi per poenitentiam Ecclesiae reconcilietur. Patet XIII. q. II. „Quibus peccata” et c. „Non extimemus”. Sic in anima nullum debet peccatum sepeliri, id est admitti vel admissum abscondi, sed debent confiteri vere poenitendo coram Deo et sacerdote omnia peccata mortalia. Unde de poenitentia dist. I. dicit Ambrosius c. [„Non potest quisquam”]: *Non potest quisquam a peccato iustificari, nisi illud fuerit confessus*. Quintum est, quod festum dedicationis domus Dei singulis annis peragitur, de consecratione dist. I.: *Sollemnitates – inquit – ecclesiarum dedicationum per singulos annos sunt celebrandae, ipso Domino exemplum dante, qui ad festum dedicationis templi advenit, omnibus dans formam iuxta scriptum scilicet Ioh. X.: Facta sunt encaenia in Hierosolymis et hiems erat, et ambulabat Iesus in templo*. 9 Gregorius: *Spiritualiter: anima debet singulis annis ad minus semel in anno celebrare suam dedicationem spiritualem confitendo et communicando*, de pe. et re. c. „Omnis”. Sextum est, quod violata ecclesia vel coemeterium reconciliatur per aquam benedictam, sic spiritualis domus animae per aquam lacrimarum verae poenitentiae. Ps.: *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealabor*. 10 Nam per hyssopum significatur poenitentia, quia ut dicit Augustinus et Cassiodorus: *Hyssopus purgat pulmonem, et radicibus saxorum viscera penetrat, quamvis sit herba humilis*, et quia secundum Lyram in Veteri Testamento fieri solebat emundatio leprosi cum hyssopo, ergo poenitentiam significat, quae purgat pectoris peccata et lepram per suam humilitatem. Septimum est, quod iugiter Deus in ecclesia colitur et laudatur ac a fidelibus invocatur. Sic in animae domo debet semper Deus memorari et laudari, iuxta illud Ps.: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus* etc. 11, unde Hugo li. I. de claustro animae dicit: *Sicut nullum est momentum, in quo non utimur Dei bonitate, sic nullum momentum debet esse, in quo in nobis non esset Dei memoria*, patet ergo, quomodo anima est templum Dei. (D) Secunda domus Dei materialis est ipsum templum ex lignis et lapidibus fabricatum, cuius hodie in hoc loco dedicationem colimus, et hanc etiam decet sanctitudo. Unde de immunitate ecclesiarum c. „Decet domum Dei” li. VI. dicitur: *Decet domum Dei sanctitudo, decet ut cuius in pace factus est locus, eius cultus etiam sit debita veneratione pacificus. Sit itaque ad ecclesias humilis et devotus ingressus, sit in eis devota conversatio Deo grata, insipientibus placita*. Unde non debent ibi fieri risus vel ioci aut confabulationes et huiusmodi, sed omni sanctitudine debet homo ibi se gerere propter plures rationes. Primo propter praesentiam summi regis et divinae maiestatis, unde Gen. XXVIII.: *Vere non est hic aliud, nisi domus Dei et porta caeli*. 12 Secundo propter reverentiam divinae laudis et adorationis, quia ibi Deus specialiter laudatur et adoratur. Ps.: *In templo eius omnes dicent gloriam*. 13 Et Matt. XXI. ac Isa. LVI.: *Domus mea domus orationis vocabitur*. 14 Tertio propter efficaciam nostrae exauditionis, quia Deus tam in Veteri Testamento, quam in Novo promisit, quod quidquid homo in suo templo a Deo postulaverit, exaudiet, ut patet III. Reg. VIII., ubi legitur, quod completo templo dum Salomon inibi Deum orasset, ut scilicet quicumque in templo Deum exoraret, exaudiretur, tandem apparuit sibi Dominus (secundum Lyram in somnis), et dixit: *Audivi orationem tuam, quam deprecatus es coram me. Sanctificavi domum hanc, ut ponerem nomen meum ibi, et erunt oculi mei et cor meum ibi, et apertae aures meae*, 15 scilicet ad audiendum. Item in Novo Testamento promisit Christus Luc. XI. dicens: *Omnis, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur*. 16 Glossa: *Omnis, qui quaerit per affectionem cordis, qui petit per oris supplicationem, et qui pulsat per operationem, sine dubio exaudietur per salutem*. (E) Sed quaeritur: Unde hoc accidit, quod aliquos Deus in templo orantes quandoque

non exaudit? Respondetur, quod cum Deus sit summa veritas, et ipse promisit, quod exaudiet, nulli esse potest dubium, quin exaudiet omnes in templo orantes. Sed quod quandoque non exauditur aliquis, hoc est ex culpa hominis vel ex defectu suae orationis. Ex culpa hominis est, quando homo Deum praecipientem non vult audire, sed in peccatis iacet. Unde Gregorius: *Non mirum, quod tarde aut numquam exaudimur, quia nos Dominum praecipientem non audimus.* Item Augustinus: *Qua fronte postulas, quod Dominus promisit, si non facis, quod promisisti Deo?* Denique ex defectu orationis est, quando scilicet homo non petit debito modo. Ad quod secundum Lyrum super Lu. XI. nota, quod *quando haec tria concurrunt in oratione, semper exauditur, videlicet quod aliquis petit primo pie, id est de pertinentibus ad salutem, quia de impertinentibus ad salutem non semper exauditur, eo quod non expedit exaudiri in tali petitione. Secundo pro se, quia pro alio aliquando non exauditur quia, etiam in salutaribus, propter defectum illius, pro quo petit. Tertio perseveranter, quia si petit pie et pro se, non tamen perseveranter, impeditur effectus propter defectum orationis. Praedictis itaque tribus concurrentibus semper homo impetrat, quod petit a Deo, non tamen semper statim datur, sed aliquando differtur, ut congruo tempore detur illud, quod petitur.* Haec Lyrus. (F) Tertia domus Dei est universalis Ecclesia, quae est congregatio fidelium, de qua I. Timo. III.: *Scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi etc.* 17 Haec etiam debet esse et est sancta, quia per sanguinem Christi sanctificata per Spiritum Sanctumque dedicata, ut vivat tamquam corpus Christi mysticum sub capite uno, id est Christo, cui unitur per fidem et charitatem, ut patet I. q. I. „Multae”. Est etiam sancta, id est munda ab omni errore. Et ideo Romanae Ecclesiae, quae est mater omnium, est in omnibus oboediendum Christiano, ut dicit Callixtus papa dist. XII. c. I. Quaeritur hic, utrum Ecclesia possit errare in aliquo. Respondetur secundum fratrem Angelum in Summa, quod Ecclesia universalis, quae est collectio fidelium, non potest errare in fide seu eius articulis, neque in his, quae ad bonos mores necessarios ad salutem pertinent, quia Christus pro ea oravit, ut non deficeret fides eius. In aliis autem potest bene errare, quia sequitur opinionem, quae potest falli. Et sic intelligendae sunt auctoritates de hoc loquentes. (G) Quarta domus Dei est aeternalis, scilicet mansio caelestis, de qua Ps.: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* 18 Haec etiam est sanctissima, quia soli electi beati intrant in illud. Et sicut dicitur Apoc. XXI.: *Nil coinquinatum, scilicet peccato, intrabit in illud.* 19 O ergo peccator, desiste peccare, et age poenitentiam, alioquin in Infernum descendes. Sed multi dicunt: Quid mihi curae est de sanctitate, dummodo possim in fine salvari et beatus esse? Ad quod dico cum Augustino, quod *poenitentia serotina raro est vera.* Et ideo Fulgentius dicit: *Habe nunc sanctitatem, si vis habere beatitudinem, nam si carebis sanctitate, carebis et beatitudine, quia scriptum est Isa. IV.: Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vita in Ierusalem.* 20 O ergo carissime, ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, *subito enim veniet ira illius et disperdet te,* Ecc. V. 21 O Christiane, discite fore sanctum templum Dei, ut habitetis cum Christo in domo caelesti. (H) Circa secundum de mysteriali exemplaritate, scilicet quomodo Ecclesia Christi significatur in templo materiali, cuius dedicationem celebramus, sit pro conclusione dictum Augustini in sermone dedicationis, ubi dicit sic: *Quotienscumque, fratres carissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter et diligenter attendimus, ac sancte et iuste vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spirituali aedificatione completur.* Haec ille. Pro quo notandum recolligendo secundum et Wilhelmum in Rationali, necnon Richardum in exceptionibus suis parte II. li. X. aliosque doctores plurimos, quod ecclesia materialis Spiritu Sancto inspirante constructa est sic, quod significet et figuret exemplariter mysterium Ecclesiae Christi militantis et etiam triumphantis constructam ex lapidibus vivis et electis, ut etiam canit Ecclesia dicens: *Urbs beata Ierusalem, dicta pacis visio, quae construitur in caelis vivis ex lapidibus et ange[lis] coro[nata] ut spo[nsata] co[m]ite* etc. Et ideo advertendum, quod in ecclesia materiali plurima exemplariter sunt mysteria (secundum ABC etc., plerumque duplicando). Primo quidem altare, in quo sunt reconditae sanctorum reliquiae, significat Christum, in cuius visionis contemplatione requiescunt mentes sanctorum, beatorum quoque exsultantium in gloria caelesti. Et altare habet tres gradus, quia in fide Trinitatis ascenditur ad visionem deitatis. Secundo basis, id est fundamentum significat firmitatem fidei Christi, in qua fundatur universalis Ecclesia. Matt. XIX.: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae Inferi non praevallebunt adversus eam.* 22 Ideo et Apostolus I. Cor. III. dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, Christus,* etc. 23 Tertio basis continet omnes lapides parietum quadrilatrio ordine. Et hoc significat, quod omnes fideles tenentur in fide fundata per apostolos secundum quattuor evangeliorum observantiam, Eph. II.: *Superaedificati supra fundamentum prophetarum et apostolorum* etc. 24 Qui autem extra huius Ecclesiae unitatem sunt, non salvantur, ut haeretici et huiusmodi, unde Cyprianus XXIV. q. I. „Loquitur” dicit: *Ecclesia una est, quae in multitudine latius extenditur, quomodo multi radii sunt, sed unum lumen, et rami arboris multi sunt, sed robur unum radice tenaci fundatum ab arbore, frange ramum, fructus germinare non poterit, sic et qui separatur ab unitate Ecclesiae.* Quarto crux in ecclesia parietibus depicta vel in medio ecclesiae erecta significat, ut Christum sequamur in crucifigendo in nobis vitia et imitando eius exempla, I. Pet. II.: *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit,* etc. 25 Quinto campanae tam magnae, quam parvae significant praedicatores, qui sicut campanae excitant homines magis vel minus secundum gratias differentes, ut a vitiis surgant, et Deum laudent. Quibus dicitur Isa. LVIII.: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuncia populo scelera eorum,* etc. 26 Sed nota, quod campanae chorda dependente pulsantur ad significandum, quod praedicatores debent humilitatem tenere victu, amictu et moribus, ut sint in exemplum poenitentiae humilis audientibus, sicut fuit Iohannes Baptista et Christus et apostoli. Sexto differentia vel distinctio interstitiorum, quae triplex est, ut videmus, quod ecclesiae navis, id est corpus est pars latior templi, chorus autem est strictior, sed sanctuarium est strictissimum, ideo significat triplicem statum fidelium. Primum coniugatorum, qui sunt latioris vitae. Secundum viduarum, quae sunt artioris continentiae. Tertium virginum, quae sunt perfectioris et artissimae sanctimoniae. Qui autem extra hos status est, ut sunt luxuriosi, non sunt templum Christi. Septimo eminens turris significat praelatos et presbyteros Ecclesiae, qui debent aliis in sanctitate praeeminere, ut Hieronymus dicit I. q. I. „Hi quousque”, quod autem *supra turrim gallus super crucem ponitur, significat vigilantiam praelatorum super gregem*



*crucifixi*. Octavo fenestras sunt doctores illuminantes Ecclesiam doctrina. Unde canitur: *O doctor optime Ecclesiae sanctae, lumen beate N.* Nono gazophylacium sive sacristia significat thesaurum meritorum Christi et sanctorum. Decimo ostium cum clavibus est potestas sacerdotis, Matt. XIX.: *Tibi dabo claves* etc. 27 Porticus autem ostii est contritio. Undecimo imagines et picturae sunt exempla sanctorum a nobis imitanda. Duodecimo calx sive cementum significat charitatis unionem. Tredecimo columnae sunt septem sacramenta, Prover. IX.: *Sapientia aedificavit domum, excidit columnas septem*, 28 quia columnae fulciunt parietes ecclesiae, sic sacramenta fideles. Decimoquarto lapides testudinis et trabes sunt contemplativi et religiosi, qui relictis terrenis conversantur in altis, id est caelestibus. Decimoquinto laquearia et tectura sunt activi, qui expositi tempestatibus curarum mundialium tegunt et refrigerant alios per opera misericordiae. Decimosexto mortuorum coemeterium extra ecclesiam significat malos Christianos, qui sunt extra Ecclesiam merito, licet ad eam pertineant numero. Et sicut coemeterium consecratum est, sed sunt in eo foetida cadavera mortuorum, sic mali Christiani consecrati sunt in baptismo, sed foetent mortalibus peccatis multis. O ergo peccator, age poenitentiam, ut sis in Sancta Ecclesia. (I) Circa tertium de indulgentiis concessis pro praedicatione et visitatione ecclesiarum aliquae quaestiones tractantur. Prima quaestio, quae sunt impedimenta, propter quae homines visitantes ecclesias non consequuntur indulgentias. Ad quod respondetur recolligendo ex dictis doctorum super IV. dist. XX. et praecipue secundum fratrem Angelum de Clavasio in Summa sua atque Antoninum Florentinum I. parte Summae tit. X., quod huiusmodi impedimenta sunt praecipue quinque. Primum est ex parte dantis, videlicet si ille, qui dedit indulgentias, non habuit auctoritatem ad dandum tantam indulgentiam, sicut sonant. Nam papa quidem habet auctoritatem dandi plenariam indulgentiam et in toto orbe. Alii autem habent limitatam, ut patet de pe. et re. „Cum ex eo” et c. sequenti. In dedicatione enim ecclesiae episcopi possunt concedere indulgentias usque ad summam unius anni, et non plus, sive dedicetur ab uno episcopo vel archiepiscopo, sive a pluribus. In anniversario autem dedicationis quadraginta dierum indulgentias, et ideo si excedant hunc numerum, non valent, ut patet de pe. et re. c. „Indulgentiae” li. VI. Et secundum Glossam intelligitur non valere quoad accessum, quia valent quoad excessum numerum. Secundum est, quando quis non est subditus illius praelati, qui concessit indulgentias, quia episcopi non possunt concedere indulgentias, nisi suis subditis, et non illis, qui sunt de alia diocoesi. Nec legati papae possunt dare illis, qui sunt extra terminos suae legationis, sed solus papa potest quoad omnes, supradicto c. „Cum ex eo” et XXIV. q. I. „Quodcumque”. Tertium impedimentum est defectus fidei, scilicet quando homo non credit tantam potestatem esse apud Ecclesiam. Unde Augustinus De doctrina Christiana dicit: *Christus dedit claves Ecclesiae, ut qui credunt indulgentiam, percipiant, et qui non credunt eas, illis peccata non dimittantur*. Quartum est defectus gratiae, quia non contritis, sed in peccato mortali existentibus non prosunt indulgentiae. Ultimum est, quando homo non facit id, pro quo datae sunt indulgentiae. Nam ad solam voluntatem faciendi non consequitur, nisi in effectu faciat illud, ut est porrigere manus adiutrices et huiusmodi. Haec secundum praedictos doctores. (K) Secunda quaestio: Quid de illis, qui cum arripiunt iter ad ecclesiam, sunt in peccato mortali, sed postea, cum iam intraverunt ecclesiam, in ea coneruntur? Respondetur secundum Antoninum ubi supra, quod tales consequuntur indulgentias, nec est necessarium iterare ea, quae sunt peracta, sicut nec poenitentias in mortali peractas secundum Scotum. Tertia quaestio: Quid de eo, qui contritus est, sed nondum confessus? Respondetur secundum fratrem Angelum ubi supra ac Petrum de Palude et Antoninum ubi supra, quod confessus quis intelligitur secundum Ecclesiae interpretationem. Unde ille, qui fuit confessus in Pascha, et postea cecidit in peccatum mortale, si coneratur de ipso, et deliberet confiteri in quadagesima futura, censebitur contritus et confessus, et sic habebit indulgentiam. Et secundum fratrem Angelum additur, quod licet haec opinio sit pia et rationabilis, tamen tutius est – inquit –, ut confiteatur. Antoninus autem sequens Petrum de Palude dicit simpliciter non esse necessitatis, ut tunc confiteatur, etiam si sic in litteris habeatur, scilicet contritis vel vere poenitentibus et confessis, nisi cum aliter constat de mente concedentis secundum tenorem bullae, quia *cum forma det esse rei et cognosci*, VII. Metaphysicorum, ideo a forma concessionis et intentione concedentis non est recedendum, extra de iudiciis c. „Causam”. Unde quando in litteris sic exprimitur, quod qui infra mensem fuerint confessi, consequantur indulgentiam. Vel sic, quod eligantur confessores, qui ibi absolvant et tantam indulgentiam largiantur, tunc oportet confiteri, et sic consequentur. O ergo homo, stude ecclesias visitare cum contritione. (L) Legitur exemplum in Vitis patrum, et etiam in Promptuario Discipuli, quod abbas Paulus vidit ingredienti ecclesiam quosdam clara facie et angelos eorum gaudentes, unum autem nigrum, et daemones illum freno misso in naribus hincinde trahentes, angelumque eius delonge sequentem tristem. Super quo Paulus coepit flere et pectus tundere. Vidit tandem illum eundem egredi de ecclesia clarum et daemones a longe sequentes, sanctum eius angelum prope illum gaudentem. Tunc Paulus coepit vociferare gaudens et benedicens Deum. Super his senes admirati interrogarunt eum, et narrans requisivit illum hominem. Qui respondit coram omnibus, quod fuerit maximus peccator, sed in ecclesia compunctus poenitentiam egit, et sic de ecclesia tandem exivit. Omnes ergo audientes Dei misericordiam laudaverunt. Ex quibus patet, quod homo in ecclesia gratiam acquirit compunctionis et emendationis a peccatis. Rogemus ergo, carissimi, ut Christus det nobis gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen. De dedicatione alii sermones sunt descripti parte prima<sup>29</sup>, ut sic utrobique deserviant.

---

1 Ps 92,5 2 Sap 1,4 3 Ps 21,4 4 Ioh 2,16 5 Mt 21,13 6 I Cor 3,16-17 7 Ps 36,37 8 Lc 1,74-75 9 Ioh 10,22-23 10 Ps 50,9 11 Ps 33,2 12 Gn 28,17 13 Ps 28,9 14 Is 56,7; Mt 21,13 15 Cf. II Par 7,12-16 16 Lc 11,10 17 I Tim 3,15 18 Ps 83,5 19 Cf. Apc 21,27 20 Is 4,3 21 Sir 5,9 22 Mt 16,18 23 I Cor 3,11 24 Eph 2,20 25 I Pt 2,21-22 26 Is 58,1 27 Mt 16,19 28 Prv 9,1 29 Vide PH 95: De dedicatione ecclesiae vel PH 96: De dedicatione ecclesiae

*praecipio vobis.* Ioh. XV. 1 (A) In quibus verbis Christus miram benignitatem et charitatem ostendit erga omnes nos. Primo in eo, quod nos miseros vocat amicos suos pro praeceptorum suorum observantia, ad quam utique tenemur ut servi Deo obligati. Unde Augustinus super Iohannem pro hoc passu dicit sic: *Magna dignatio charitatis, quia cum servus bonus esse non possit, nisi praecepta Domini servaverit, hinc amicos suos voluit vocari, unde boni servi possint probari.* Haec Augustinus. Secundo quoque quod Christus tanta charitate voluit nostram amicitiam acquirendo contrahere. Magnum quippe foret, si rex vel imperator mitteret litteras per nuncium unum, ut velit tecum, qui es pauper, amicitiam contrahere, maius esset, si magna munera per sollemnes nuncios mitteret, et plura reprobmitteret, ut tecum amicitiam contrahere valeret. Adhuc maximum hoc esset, si per seipsum ad tuam domum accederet, et largissima dona, immo regni sui participationem offerret tibi pauperculo et despecto pro amore tuae amicitiae. Sic fecit nobis Christus Deus, qui primo litteras misit, scilicet Scripturas prophetarum et apostolorum in utroque testamento; secundo munera gratiarum et gloriae caelestis offert; tertio seipsum obtulit et ipsemet advenit in incarnatione omnia bona et aeternum regnum promittens in caelo, si tamen nos velimus eius amicitiam habere servando praecepta eius. O ergo carissimi, diligenter perpendamus tantam charitatem Christi, qua dicit nobis omnibus in apostolis: *Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone, secundum quod de istis commendatur hic sanctus. · Primum de Christi Iesu amicitia, ibi: *Vos amici mei* etc. · Secundum de salubri eius observantia, scilicet faciendo, quae Christus praecipit · Tertium de signi eius evidentia, ibi: *si feceritis*, quod dicit: hoc est signum etc. (B) Circa primum de Christi amicitia occurrit quaestio: Cur Christus suos fideles discipulos non servos voluit vocare, sed amicos, cum nullus principum hoc faciat suis famulis, ut claret ad experientiam? Unde et Philosophus VIII. Ethicorum dicit: *Domini ad servum non est amicitia, secundum quod servus, quia amicitia requirit aequalitatem.* Aequalis enim ad aequalem solet esse amicitia, inferioris vero ad superiorem est timor et reverentia, superioris vero ad inferiorem est instructio et disciplina. Mirum est ergo, quomodo Christus possit vere dici amicus suorum sanctorum et econverso. Mirum est etiam, quomodo ipse Christus dicit Ioh. XV.: *Iam non dicam vos servos, sed amicos* etc. 2 Sed ad haec respondetur secundum doctores per conclusionem, quod Christus Deus quamvis sit Dominus omnium, tamen ex speciali gratia inter ipsum et suos fideles contracta est vera amicitia. Et ostenditur pluribus rationibus. Prima ratio assimilationis, quia Christus cum esset Deus, factus est similis nobis homo mortalis et frater noster, immo inter servos, id est inter nos servus, iuxta quod Lu. XXII. dicit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* 3 Nam et Phil. II.: *Formam servi accipiens in similitudinem hominum factus dicitur*, 4 ergo etc. Unde et Bernardus: *Puto, quod iam spernere me non poterit Deus, os et caro et frater meus.* Nam et Philosophus VIII. Ethicorum docet, quod *vera amicitia habet esse inter similes.* Ideoque domini ad servum licet non sit amicitia, in quantum servus, quia sic est sibi inaequalis, sed secundum quod homo, est sibi similis, et ideo ut sic domini ad servum est amicitia. Haec ille. Unde ex quo Deus altissimus est Dominus omnium hominum, antequam fieret homo, numquam hominem vocavit amicum, sed postquam factus est homo similis nobis mortalis, Christus dignatur nos vocare amicos et fratres, si eum vere diligimus eius praecepta servando. Secunda ratio bonificationis, quia Christus servos facit bonos et participes divinae gratiae, et sic dignos amicitia sua. Nam Isidorus De summo bono dicit: *Amicitia tantum in rebus bonis habenda est. Nam qui ea in malo utuntur, non sibi amici existunt, sed inimici.* Haec ille. Et patet, quia tales sibi damnationem accumulantes et tormenta infernaliter sempiterna, ergo sese maxime odiunt. Ps.: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* 5 Hinc et Tullius li. De amicitia: *Hoc primum – inquit – sentio nisi in bonis amicitiam veram esse non posse.* Sequitur ergo, quod cum Christus suos sanctificat et bonificat, vera amicitia diligere illos probatur, propterea dixit Ioh. XIV.: *Iam non dicam vos servos*, Lyra: id est timore servili subiectos, ut sunt mundani servi, *sed amicos*, quia amore filiali debent iusti Deum diligere, et sic fiunt bonitatis divinae participes tamquam filii. Unde subditur: *quia servus nescit, quid faciat dominus eius*, secreta enim non revelantur servis, sed filiis, *vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre*, scilicet necessaria ad salutem, *nota feci vobis.* 6 (C) Ubi notandum, quod cum homo vult eligere sibi aliquem amicum hominem, debet in illo considerare haec septem. Primo ne sit superbus, quia talis nescit esse socius, sed vult dominari. Unde Prover. XI.: *Ubi superbia fuerit, ibi et contumelia erit.* 7 Secundo ne ille sit avarus vel cupidus scilicet rerum. Unde Hieronymus in epistola ad Castrutium 8: *In amicis non res quaeritur, sed charitas, quia illud et in inimicis saepe probatur, hoc voluntas tribuit.* Tertio ne sit luxuriosus, quia talis ad carnaliter te pertrahet. Prover. XIII.: *Amicus stultorum similis eis efficietur.* 9 Quarto ne sit iracundus, quia talis hominis amicitia non durat, sed modica ira violatur. Unde Proverb. XXII.: *Noli esse amicus homini iracundo, ne forte sumas scandalum animae tuae.* 10 Quinto ne sit revelator secretorum, quia prodit peccatum tuum revelando. Unde dicitur Eccli. XXVII.: *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, et non invenit amicum.* 11 Sexto ne sit iniustus, Augustinus li. I. Soliloquiorum: *Amicitiae legem iustitiam esse arbitror, qua praescribitur, ut non minus, nec plus quisque amicum quam seipsum diligit.* Haec ille. Ad id exemplum narratur, quod quaedam sapiens mulier habens filium unicum, quem plures petebant sibi sociari in mercimoniis, docuit sic. Dedit enim illi poma tria committens, ut in via cum esurirent, illis scindenda et tribuenda offerret, et sic fecit. Sed unum pomum scidit unus in duas partes inaequales, ac partem minorem dedit filio huius mulieris, maiorem partem sibi ipsi servavit. Alius scidit in partes inaequales dans illius maiorem partem filio huius mulieris. Tertius scidit in partes aequales, et aequaliter divisit. Ad quod mulier illa dixit filio, postquam narrasset sibi haec, quod tertium eligeret in socium, quia primus iniustus fuit alteri, secundus iniustus sibi, tertius iustitiam isti et sibi tenuit. Eccli. XIV.: *Qui sibi nequam, cui bonus est?* 12 Septimo ne sit animo instabilis. Nam Prover. XVII.: *Omni tempore diligit, qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur.* 13 Sic spiritualiter Christus tales homines diligit acceptare in amicitiam suam, scilicet humiles, mundi contemptores, castos, milites fideles, iustos et fixos in observantia praeceptorum, quales fuerunt apostoli, quibus ait: *Vos amici mei estis, si feceritis* etc. Tertia ratio, scilicet quare Christus suos discipulos vocat amicos, dicitur comprobationis, quia sicut amicus probatur adversitate, ut patet Eccli. XII.: *Non agnosceatur in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus;* 14 sic Christus suos sanctos vult probari tribulationibus et adversitatibus. II Tim. III.: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* 15 (D) Quaeritur namque, in

quibus possit homo probare aliquem fore sibi amicum fidelem usque ad mortem. Respondetur, quod potissime in tribus, scilicet: Primo in petitionibus licitis, si videlicet licita petenti amico adquiescit sine dilatione. Prover. III.: *Ne dicas amico tuo: vade et revertere, et cras dabo, cum statim possis dare.* 16 Secundo in cavendis illicitis. Unde Tullius li. De amicitia dicit: *Veri amici est nec turpia rogare, nec ad preces amici turpia facere.* Ecc. VI.: *Noli fieri pro amico inimicus,* 17 scilicet Deo peccando contra eum, vel proximo eum laedendo iniuste amore amici, sicut heu faciunt iudices mali. Tertio in sustinendis adversis. Augustinus de dono perseverantiae dicit: *Nil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.* His modis Christus Dominus probatur amicus noster fidelissimus. Primo quia omnes petitiones nostras licitas et ad salutem nostram necessarias exaudit. Ioh. XVI.: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* 18 Secundo quia nil vult a nobis fieri nisi bonum et salubre, scilicet praeceptorum Dei observantiam. Tertio quia animam suam posuit pro nostra salute. Sic etiam vult fideles suos in sua amicitia probari, si videlicet Christo fideliter offerunt omnia, quae habent, scilicet res, corpus et animam. Item si ab omnibus peccatis cavent, et si in Christi passione compatiuntur, et in adversis stabiles sunt. Matt. XXIV.: *Qui perseveraverit usque in finem* etc. 19 Quarta ratio dicitur divinae conformationis, quia ut dicit Hieronymus: *Amicorum est idem velle et idem nolle.* Ideoque homo, qui omnia ea vult, quae Deus vult, et non vult, quidquid Deus non vult, merito amicus Dei dicitur. Hinc Christus ait in themate: *Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis.* (E) Sed quare dicit: 'estis' in praesenti, non dicit 'eritis', nisi ad significandum certitudinem amicitiae Christi erga hominem servantem praecepta? Nam quod futurum est, dubium est, sed quod praesens est, certum est. Unde Bernardus De diligendo Deo dicit: *Nemo se amari diffidat, qui iam amat, Dei enim amor quem praevenit, subsequitur. Nam quomodo amare pigeat iam amantes, quos amavit nondum amantes?* Haec Bernardus. Ecce ergo mira charitas Christi, quae fideles servos amicos vocat, quia amari vult potius, quam timeri. O quantus honor homini esse amicum Dei regis summi. (F) Circa secundum de salubri observantia, scilicet amicitiae cum Christo Iesu investigandum est, quales rationes inducunt hominem exemplo sanctorum apostolorum ad servandum amicitiam cum Christo Iesu. Ad quod nota quattuor potissimas rationes, quas homo debet considerare. · Primo quia Christi amicitia est pretiosissima et inextimabilis · Secundo quia est verissima et invariabilis · Tertio quia est securissima et indubitabilis · Quarto quia est fructuosissima et utilis Primo inquam, quia amicitia Christi est pretiosissima et inextimabilis. Nam ut Ambrosius De officiis dicit: *Nil est in rebus humanis amicitia pulchrius, et per consequens pretiosius, quae in prosperis congratulatur, in tristibus 20 compatitur et in persecutionibus auxiliatur.* Sed haec summe habent esse in amicitia Christi, qui diligit fideles suos verissima charitate, et sollicitat ad bona gratiae et gloriae, in quorum prosperitate summe congratulatur, et in tribulationibus summe auxiliatur. Etenim alii amici quamvis auxilientur in vita, nequeunt tamen auxiliari in morte. Christus autem et in morte et in perpetuum auxiliatur. (G) Quaestio proinde versatur, utrum amicitia sit pretiosior, quam omnis thesaurus et pecunia. Ad hanc quaestionem respondet primo quidem Scriptura Sacra, Ecc. VI. dicens sic: *Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti* etc. 21 Idem ca. VII. dicit: *Noli praevaricari in amicum pecuniam differentem tibi, neque fratrem tuum auro spreveris.* 22 Haec ibi. Lyra: id est noli rumpere amicitiam pristinam, si differat tibi reddere pecuniam commodatam, quia maius bonum non est contemnendum pro minori, sed magis e converso. Amicitia autem est multum pretiosior, quam pecunia, et ideo amicus non est spernendus pro auro. Haec Lyra. Secundo ad idem concorditer respondet philosophia. Nam Aristoteles VIII. Ethicorum dicit, quod *amicitia multum pretiosior est, quam pecunia. Nullus – inquit – eligeret vivere sine amicis habens aliqua bona omnia, nisi foret stultus.* Et rationem dat, quia *bonorum temporalium quanto maior est fortuna, tanto minus secuta est de infortunio. In infortuniis autem refugium maximum est ad amicos.* Haec ibi. Et sic patet. Sed quoniam Christi amicitia est infinitus thesaurus hominibus et summum refugium in omni tribulatione et etiam in mortis hora, quia in ipsa consistit salus aeterna et consequenter beatitudo, ut tenet fides, ergo est pretiosissima. Secundo quia est verissima et invariabilis, aliorum quippe amicitia saepissime fallibilis est et variabilis, iuxta illud Ecc. VI.: *Est amicus socius mensae, et non permanebit in die necessitatis.* 23 Sed Christi amicitia est ex parte sui invariabilis. Unde Augustinus li. Confessionum dicit: *Te, Domine, nemo amittit, nisi qui te prius dimiserit, nullum derelinquit, nisi qui te prius reliquerit.* Item Christi amicitia est tam invariabilis et infallibilis, quod etiam si quis amiserit eam offendendo, quotienscumque conversus fuerit vere poenitendo, reconciliatur et semper suscipitur in pristinam amicitiam, nec offense recordabitur. Ezech. VIII.: *Quacumque hora ingemuerit homo, amplius non recordabor omnes iniquitates* etc. 24 Item Christi amicitia est tam invariabilis, quod usque in perpetuum manet. Ioh. XIII.: *Cum dilexisset suos, usque in finem dilexit eos.* 25 Propterea consilium bonum dat sapiens Ecc. IX. dicens: *Non derelinquas amicum antiquum.* 26 Lyra: scilicet probatum in amicitia, novus enim non erit similis illi. Vinum novum amicus novus. Lyra: quia sicut de vino novo nescitur, quale finaliter erit, sic de amico novo nescitur, qualem fidelitatem tenebit. Hinc et Alanus in Proble[umatum] versus: *Saepe viatorem nova, non vetus orbita fallit,* (versus:) *Sic socium socius non vetus, immo novus.* 27 Ad propositum: Amicus antiquus Deus est, qui ab aeterno nos dilexit, et in aeternum diligit, novus autem mundus est, non debemus ergo amicitiam Dei relinquere propter mundum deceptorem et variabilem. Tertio quia est securissima et indubitanter ducit ad vitam beatam, unde Ecc. VI.: *Amicus fidelis, id est Christus, medicamentum vitae et immortalitatis,* quia confert vitam gratiae et immortalitatem gloriae. Sequitur: *Qui timet Dominum, habebit amicitiam bonam,* 28 scilicet Christi. Unde Augustinus dicit: *O homo, elige tibi prae omnibus amicum, qui cum omnes te desererint, ipse solus te non relinquet, sed in regionem, quam ire debes, id est in vitam aeternam te deducet. Alii nempe amici omnes in morte te deserent. Christus autem tunc maxime suam amicitiam erga te ostendet, et ideo eius amicitia est securissima, quia tunc maxime proderit, scilicet in hora mortis protegendo ab inimicis, id est daemonibus, et ducendo in caelum qua hora maxime haberes timere, nec ullus mundalium amicorum poterit te iuvare.* (H) Quarto quia amicitia Christi est fructuosissima et utilis. Quaero namque, quid est illud, sine quo nil valet, quidquid est in mundo. Respondetur, quod amicitia Christi sive eius charitas. Augustinus: *Charitas est, quae valet ad omnia, sine qua nil valent omnia.* Amicitia ergo Christi utilis est ad omnia, quae possent ab homine desiderari. Nam valet ad acquirendum maximas divitias, maximos honores, maximas dignitates et consolationes. Et sine qua nil



valent quaeque mundi bona. Primo nempe valet ad maximas divitias possidendas, quia summum bonum, scilicet Deum habere facit, I. Cor. I.: *In omnibus divites facti estis in illo*. 29 Secundo maxime nobilitat et honorat, quia filios Dei et fratres Christi constituit, Ioh. I.: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* etc. 30 Tertio maxime glorificat, quia reges caelestes efficit, Matt. XXV.: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* etc. 31 Denique maximas consolationes confert, quia omnes angeli et omnes beati familiares amici sunt talibus, et tales honorant. Sicut enim videmus, quod cum rex alicui specialem amicitiam et familiaritatem exhibet, illum omnes milites et cives honorant reverenter, et dona offerunt. Sic beati in patria honorant Christi dilectos amicos, et dona gratiae a Deo ipsis impetrant. O ergo homo, considera, quam bonum est habere amicitiam Christi, et hanc tibi elige tenendam. Considera etiam, quod si non es amicus Dei, omnia bona et indicibilia perdis, ac tormenta infernaliter incurris, diabolo traderis, et omnibus beatis odio haberis. Unde Augustinus: *Domine, quid sum ego, ut mihi iubeas amare te, et nisi hoc faciam, irasceris mihi, et minaris ingentes miseras et cruciatus*. O ergo homo, ama Deum. (I) Circa tertium de signis amicitiae verae scilicet cum Christo Iesu benedicto inquirendum est, qualibus signis agnoscitur quis fore verus amicus Dei et Christi Iesu. Ad quod respondendo Gregorius homilia XXIII. dicit: *Ecce si unusquisque vestrum requiritur, an diligat Deum, segura mente respondet: diligo. Sed ad vosmetipsos, fratres, introrsum redite, si Deum vere amatis, exquirite. De dilectione Conditoris mens, lingua et vita requiratur, nec sibi quis credat sine operis attestazione*. Haec ille. Et sic assignantur plura signa verae amicitiae Dei quaedam in corde, quaedam in ore et quaedam in opere. Primum signum, quoad cor, est frequens de Deo cogitatio. Unde Augustinus super Iohannem dicit: *Ubi amor, ibi versatur animus et cordis cogitatio*. Unde qui delectatur in malis cogitationibus, Deum non diligit, Prover. XV.: *Abominationes Dei cogitationes malae*. 32 Secundum signum mundi contemptus et despectio. Iaco. IV.: *Quicumque voluerit esse amicus huius saeculi, scilicet adhaerendo eius delectabilibus, inimicus constituitur Deo*. 33 Tertium est voluntatis conformatio, unde Gregorius homilia XXIII.: *Deum profecto non diligit, qui ei in sua voluntate contradicit*. Et IX. Ethicorum: *Concordia ad amicitiam pertinet*. Item quoad os, quartum in ordine signum est libens de Deo locutio, quia Salvator Matt. XII. dicit: *Ex abundantia cordis os loquitur*. 34 Ad id faciunt versus: *Bis duo novi, quae non possunt plene celari; Cordis amor, ignis ardens, prurigoque tussis*. Unde verus amor Dei non potest corde celari, nisi saepe prorumpat in verba de Deo vel orationem aut laudem eius, sicut nec ignis potest celari, quin fumet, nec ardens prurigo in corpore, nec tussis in pectore. Quintum signum est oris frequens confessio, scilicet peccatorum propriorum. Nam amicorum est secreta sibi mutuo revelare. Ideo Christus dixit: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quae audivi a Patre meo, nota feci vobis, servus autem nescit, quid facit dominus eius*, Ioh. XV. 35 Et cum dicit 'omnia', intelligendum est de necessariis ad salutem. Et nos ergo si volumus esse vere amici Dei, debemus omnia secreta, scilicet peccata commissa revelare in confessione presbytero, qui est Dei vicarius. Prover. XXV.: *Qui confessus fuerit scelera sua, misericordiam consequetur*. 36 Sextum signum est verbi Dei auditio. Ioh. VIII.: *Qui ex Deo est, verba Dei etc.* 37 Item quoad opera, septimum in ordine signum est mandatorum Dei impletio, unde Ioh. XIV. dicit Salvator: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me*. 38 Item I. Ioh. II.: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata eius non custodit, mendax est et veritas in eo etc.* 39 Octavum est amoris in proximum exhibitio. Unde I. Ioh. IV.: *Si quis dicit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est*. 40 Hinc Philosophus IX. Ethicorum ait, quod *amicus ad amicum debet se habere, sicut genu ad tibiam*. Haec enim se mutuo amant adeo, quod unum iuvat alterum. Nam tibia supportat genu, per quod vitalis spiritus descendit ad tibias, et deficiente uno compatitur et deficit aliud. Nonum signum est adversorum pro Christo patiens tolerantio, unde Ioh. XV. Christus dicit: *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. 41 Debemus ergo animam libenter ponere pro Christo. Nam ut Gregorius in Moralibus dicit: *Poenam interrogat, si quietus quis veraciter amat*. Haec clarent in exemplo sanctorum apostolorum, qui passi et mortui sunt pro Christo. Prosequere legendam talis sancti, de quo praedicabis, ut placet. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut per sanctorum merita det nobis gratiam et tandem gloriam. Amen.

---

1 Ioh 15,14 2 Ioh 15,15 3 Lc 22,27 4 Phil 2,7 5 Ps 10,6 6 Ioh 15,15 7 Prv 11,2 8 Editio: *Castrimam* 9 Prv 13,20 10 Prv 22,24-25 11 Sir 27,17 12 Cf. Sir 14,5 13 Prv 17,17 14 Sir 12,8 15 II Tim 3,12 16 Prv 3,28 17 Sir 6,1 18 Ioh 16,23 19 Cf. Mt 24,13 20 Editio: *tristis* 21 Sir 6,15 22 Sir 7,20 23 Sir 6,10 24 Cf. Ez 8,21-22 25 Ioh 13,1 26 Sir 9,14 27 Cf. Alanus de Insulis, Liber parabolarum 422 (PL 210, 581A-B); WALTHER, Proverbia sententiaeque ... 27350; Lund University Library, Medeltidhandskrift 64: „Proverbiorum super probleumatum Alani liber explicat (...)”. 28 Sir 6,16-17 29 I Cor 1,5 30 Ioh 1,11 31 Mt 25,34 32 Cf. Prv 15,26 33 Iac 4,4 34 Mt 12,34 35 Ioh 15,15 36 Prv 28,13 37 Ioh 8,47 38 Ioh 14,21 39 I Io 2,4 40 Cf. I Io 4,20 41 Ioh 15,13

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CVI.] Item de apostolis Sermo communis *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei supraaedificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum*. Ephe. II. 1 et in epistola huius sollemnitatis, scilicet apostolorum. (A) In quibus verbis Paulus apostolus docet omnes nos recognoscere Dei magnam gratiam, quam exhibuit nobis Christus, ac proinde Deo referamus laudes et gratiarumactiones, ut tenemur. Primo quippe magnam gratiam exhibuit nobis Christus, quia *iam non sumus hospites et advenae*, id est alienae a Deo et sanctis Dei, *sed cives sanctorum*, id est de numero eorum. Secundo in hoc, quod fecit nos domesticos Dei, quia recepti sumus in Ecclesiam, scilicet Dei, et deinde recipiemur in regnum caelestis domus Dei. Tertio magnam gratiam exhibuit nobis Christus in hoc, quod in fide sua fundavit nos, ut simus templum Christi, et habitat in nobis per gratiam, iuxta illud ad Ephe. IV.: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris in charitate radicati et fundati* etc. 2 Et hoc est, quod dicit in themate: *Superaedificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum*, id est firmati in fide, quam docet Novum ac Vetus Testamentum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu loquitur secundum figuram, quam

insinuat Ps. dicens: *Lapidem*, id est Christum, *quem reprobaverunt aedificantes* id est Iudaei volentes suam synagogam aedificare, hic scilicet lapis Christus *factus est in caput anguli, a Domino factum est illud* etc. 3 Nam in aedificatione templi Salomonis, ut dicitur, fuit quidam lapis, qui pluries fuit reiectus ab aedificantibus, eo quod non conveniebat loco, cui applicabatur, sed finaliter optime sedit in summitate aedificii in angulo, scilicet duos parietes coniungente, et fuit figura Christi Iudaeos et gentiles tamquam duos parietes in unam fidem et Ecclesiam coniungentis. Unde subdit Apostolus: *In quo*, scilicet Christo *omnis aedificatio*, scilicet fidelium *constructa crescit* per augmentum virtutum *in templum sanctum in Domino*, id est quousque fit templum Domini sanctum, *in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu*. 4 Gratias ergo agamus Deo, qui nos elegit in numerum sanctorum pro habitaculo suo fundando in fide apostolorum. Unde ad honorem ipsorum haec canuntur verba. Accipiendo ergo pro sermone isto, iuxta haec tria mysteria notemus, secundum quod de his post sanctos apostolos fideles Christi commendantur. · Primo de domestica Dei familiaritate, ibi: *domestici Dei* · Secundo de civilica sanctorum societate, quia dicitur: *estis cives sanctorum* · Tertio de dignifica apostolorum praeclaritate, cum dicitur: *supra fundamentum apostolorum* (B) Circa primum de familiaritate domestica sanctorum et fidelium ac praecipue apostolorum cum Deo et Christo Iesu benedicti merito dicuntur et commendantur fore domestici Dei, ut patuit ex verbis Apostoli in themate. Nam licet beati, qui sunt in caelo, congrue domestici Dei possint dici, sed mirum est, unde hoc dicatur de fidelibus existentibus in hoc miserrimo saeculo, qui nondum stant in domo gloriae ipsius Dei. *Domesticus* autem dicitur quasi *'in domo eadem stans' vel habitans notus et familiaris*, ut dicitur in libro Catholicon, ergo quomodo possunt dici domestici Dei? Ad haec respondetur secundum doctores huius rei tractatores per conclusionem scilicet, quod omnes boni et fideles Christiani veraciter dicuntur domestici Dei et Domini Iesu Christi. Declaratur pluribus rationibus, secundum quod quis tenetur suis domesticis curam adhibere. Nam Apostolus dicit I. Tim. V.: *Si quis suorum, maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*. 5 Sed quoniam Deus misericors suis fidelibus adhibet curam praecipuam in omnibus, in quibus debet et solet quis suis domesticis, merito ergo domestici Dei sunt. · Primo quidem ratione provisionis quoad domum · Secundo ratione provisionis quoad vitium · Tertio ratione provisionis quoad amictum · Quarto ratione provisionis quoad documentum Primo quidem ratione provisionis quoad domum, quia domesticus quasi *'domo eadem stans'* dicitur, secundum quippe iura. Ut habetur extra de testibus et attest. c. „In litteris”. Ibi in glossa domestici familiares appellantur large omnes habitantes in domo, quibus ratione patriae potestatis vel dominicae imperari potest. Haec ibi. Sed quoniam omnipotens Deus et Dominus Iesus tam in praesenti, quam in futuro cum fidelibus habitat in eadem domo, ut paterfamilias et dominus. Et primo in eadem domo universalis Ecclesiae, de qua I. Tim. III.: *Scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi*. 6 Secundo in eadem domo materialis ecclesiae, in qua Christus realiter continetur in sacramento Eucharistiae. Tertio habitat nobiscum in eadem domo conscientiae, iuxta illud I. Cor. III.: *Nescitis, quia templum Dei estis vos, et Spiritus Sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus*. 7 Haec ibi. Vae ergo peccatoribus, qui corpus et animam peccato mortali inquinant, quia templum Dei violant, et ideo disperdet illos Dominus aeternaliter damnando. Nam in hoc maxima iniuria fit Deo, quod per peccatum eicitur de domo sua, id est de corde, et introducitur in illam hostis eius, scilicet diabolus, quia *turpius eicitur, quam non suscipitur hospes*, secundum quod dicitur communi proverbio. Denique quarto habitare dignatur tamquam Pater noster et Dominus, scilicet Deus cum filiis, scilicet fidelibus in eadem domo caelestis patriae, de qua Ps.: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*. 8 Et hanc domum Dei possidemus in spe, quia repromisit nobis Deus, et tandem post mortem habebimus in re, si fideliter perseveraverimus. Merito ergo propter haec dicuntur omnes fideles esse domestici Dei familiares per charitatem et oboedientiam praeceptorum, quibus providet Deus de cohabitationis domibus, ut patuit, tamquam paterfamilias. (C) Secundo ratione provisionis quoad victum, quia sicut dominus et paterfamilias providet victum sufficientem suis domesticis, sic Deus suis fidelibus providet quadrupliciter. Primo victum corporalem, scilicet necessaria quotidie ministrans. Matth. VI.: *Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus aut quid bibemus. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Primum quaerite regnum Dei, et haec omnia adicientur* etc. 9 Secundo providet victum spiritualem, quod est maius, sicut anima praecellit corpus, et huiusmodi victus est in verbo Dei. Matth. IV.: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. 10 Tertio victum sacramentalem, quod est maximum, quia dat suum corpus et sanguinem pro habenda vita aeterna in sacramento Eucharistiae nobis instituendo. Ioh. VI.: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*. 11 Quarto super haec providet victum in caelo beatificum et aeternalem. Luc. XXII.: *Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis supra mensam meam*. 12 Merito ergo dicimur domestici Dei ratione provisionis victus. Augustinus: *Pascit Christus infidelem contemnentem se, quomodo ergo deserit sequentem se*. Rabanus: *Quis rex devotis militibus non providet alimoniam, quis dominus famulis suis non ministrat cibaria, quis pater non dat filiis suis necessaria?* Haec ille. Sic ergo Deus nobis ut domesticis providet. Tertio quoad amictum providet Deus suis fidelibus tamquam domesticis. Primo quoad corpus. Matt. VI.: *De vestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri*. 13 Et infra: *Si ergo fenum agri, quod hodie est, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto [magis] vos* etc. 14 Secundo quoad animam vestimenta providet virtutum. Unde Ambrosius li. De Paradiso, ut notatur de poenitentia dist. II. § „Romanos” in fine: *Virtutes sunt animae tegumentum, sine quibus anima nuda est et despoliata culpa sua. Nam castitas est animae candor, charitas eius purpura aurea, humilitas eius decor quasi violei coloris, patientia purpura rubea, et sic de aliis*. Tertio in caelo providet amictum gloriae animae et corporis. Quarto ratione provisionis quoad documentum, quia Ambrosius, ut habetur dist. XLVII. § „Necesse” dicit, quod homo quilibet suis domesticis tenetur verbo et exemplo documenta salutifera virtutum sollicitate praebere, vitia corrigere, et illos enutrire in omni disciplina et correctione Domini, alioquin paterfamilias negligens punitur tam temporaliter, quam aeternaliter. Et ponit exemplum de Heli. Sic piissimus Deus suos fideles in praesenti vita castigat amore paternali pro vitiis, et erudit ad salutem multipliciter. Unde Heb. XII. ca.: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit*. 15 Unde Dei Filius Christus proprio exemplo in seipso docuit nos humilitatem, castitatem, patientiam, charitatem

etc., ac omnia necessaria ad salutem proprio ore praedicavit et nunc praedicat per suos sanctos et Scripturas. Merito ergo domestici Dei dicimur. O bone Deus, quantam nobis gloriam contulisti, ut Filii tui domestici nominemur et simus. O quantum deberemus, Iesu pie, te diligere pro tua tantaque charitate illa. Ecce, carissimi, exemplum nobis datur in istis apostolis, qui haec recognoscentes mortem pro Christo libenter sustinuerunt. (D) Circa secundum de civilica sanctorum societate quaeritur, qualibus signis quis agnoscitur fore dignus civis sanctorum supernae civitatis. Ad quod recolligendo doctorum dicta respondetur, quod per signa plura. Primum signum dicitur assimilatio in observando legem civitatis. Nam per hoc quis probatur esse civis alicuius civitatis, si videlicet legem illius civitatis observat. Sicut enim docet Philosophus II. et III. Politicorum: *Cives sunt socii civitatis unius non propter unitatem muri, sed propter eandem politiam et legem.* Sed quae est lex civitatis supernae? Respondetur, quod praecipue triplex est. Una est munditia ab omni peccato. Apoc. paenultimo: *Nil coinquinatum intrabit in illud.* 16 Secunda est obediencia et conformitas voluntatis Dei, ideo oramus Matth. VI.: *Fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra.* 17 Tertia est charitas vera. Unde Augustinus super Ps. LIV. dicit: *Duas civitates faciunt duo amores. Ierusalem supernam facit amor Dei. Babyloniam, scilicet infernalem facit amor saeculi. Interroget ergo quisque, quid amet, et inveniet, ubi civis sit. Et si invenerit se civem Babyloniae, exstirpet cupiditatem, et plantet charitatem. Si autem invenerit se civem Ierusalem, colat charitatem, et speret libertatem.* Haec Augustinus. Secundum signum boni communis amor et promotio. Unde Philosophus III. Politicorum ait: *Quicumque politiae intendunt utilitatem communem, recti cives sunt et iusti, qui autem intendunt propriam utilitatem, vitiosi sunt et iustitiae transgressores.* Haec ille. Hic etiam I. Cor. X. Apostolus dicit: *Non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis.* 18 Lyra: id est non quaerens proprium bonum, sed commune. Ad propositum: cum homo propriam gloriam et utilitatem quaerit, non est dignus civilitate caelestis civitatis. Sed si quaerit bonum commune illius civitatis, scilicet gloriam et laudem Dei, civis bonus est. Ideo Christus ait Matt. V.: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum in caelis.* 19 Lyra: id est nolite opera bona facere, ut videamini ad gloriam propriam, sed ad Dei gloriam et proximorum aedificationem, alioquin meritum in caelo non habebitis. Tertium signum dicitur conscriptio, scilicet civilitatis, unde cum nomen alicuius inter cives conscribitur ad civilitatem alicuius civitatis, civis illius est. Sicut legimus Act. XXII., quod Paulus dixit se natum civem Romanum, eo quod pater Pauli conscribi se fecerat magnis sumptibus, et nobilitatis insigne habuit apud Romanos. Sic cum per baptismum inscribitur in civitatem caelestem, civis efficitur, sed heu quia per peccatum subsequens deletur, iuxta illud Ps.: *Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur.* 20 Et Exo. XXXII.: *Quicumque peccaverit in me, delebo eum de libro vitae.* 21 Sed talis iterato conscribitur per poenitentiam. Matt. III.: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.* 22 Quartum signum domus aedificatio, scilicet in aliqua civitate pro suo habitaculo. Hoc enim signum est civilitatis, aut habitae, aut consequendae. Hoc spiritualiter pro caelo facit homo per exercitia misericordiae et pietatis. Unde sanctus Thomas apostolus dixit regi Indiae: *Innumerabilia – inquit – palatia sunt in caelo ab initio saeculi praeparata, quae fidei precibus et pretio bonorum operum et elemosinis comparantur, divitiae autem vestrae ad illa vos antecedere possunt, sequi omnino non possunt.* Haec ille. Ultimum signum expressa idiomatis locutio. Nam Chrysostomus dicit, quod unusquisque per linguagium cognosci potest, de qua gente existat. Sic in proposito, qui loquitur saepe de Deo et caelestibus ac salutiferis, signum est, quod sit civis sanctorum. Qui autem loquitur turpia et blasphemias ac vituperia, signum est, quod sit de numero damnandorum. Sic omnes mendaces, detractores Deo odibiles sunt et digni morte, ut dicit Apostolus, Ro. I. (E) Quaestio occurrit hic: De quibus et qualiter beati in caelo habent loqui? Ad quod notandum, quod in civitate caelesti locutio est multiplex, e quibus aliqua narremus pro simplicibus, unde Gregorius in *Moralium* li. II. dicit: *Aliter loquitur Deus ad angelos, aliter angeli ad Deum. Aliter Deus ad sanctorum animas, aliter animae sanctae ad Deum. Aliter Deus ad diabolum, aliter diabolus ad Deum.* Haec ille. Denique secundum alios doctores additur praeterea, quod aliter loquuntur in praesenti animae ad Christum, aliter Christus ad animas. Item aliter loquuntur sancti ad angelos, et aliter angeli ad sanctos, aliter angeli ad invicem, aliter sancti ad invicem. Et sic duodecim modi distinguuntur. Prima ergo locutio est, qua Deus loquitur ad angelos. De qua Gregorius ubi supra dicit: *Loquitur Deus ad angelos eo ipso, quo occulta sua iudicia eis ostendit, aut cum quid agere debeant, in contemplatione veritatis legunt.* Haec ille. Et sufficiat. Secunda locutio, qua econverso, scilicet angeli loquuntur Deo, de qua Gregorius ibidem dicit, quod *vox angelorum in laude conditoris est, et in contemplationis admiratione, de divina virtute et bonitate affectus suos praesentando Deo,* hoc addit Aureolus. Tertia locutio est Dei ad sanctorum animas. De qua Gregorius ibidem: *Loquitur Deus ad animas, cum eis dona sua infundit.* Bonaventura super II. dist. X. dicit, quod scilicet *Deus dicitur nobis loqui, quando revelando aliquam illustrationem in anima efficit.* Quarta est econverso, scilicet animarum sanctorum ad Deum, de qua Aureolus in *Compendio: Anima – inquit – loquitur Deo per desiderium, cuius affectiones nudae sunt et apertae coram oculis Dei.* Gregorius ubi supra: *Animarum verba sunt desideria.* Magnus quippe clamor coram Deo magnum est desiderium. Quinta est locutio Dei ad diabolum. Gregorius ubi supra: *Deus – inquit – loquitur diabolo quandoque eum redarguendo, electorumque suorum iustitiam proponendo, sicut dicitur Iob I.: Dixit Dominus ad Satan: Unde venis? Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo.* 23 Quandoque autem loquitur potestatem temptandi sibi dando et hanc arcendo. Unde ibidem dicit Deus diabolo, scilicet locutione vel verbo mentali: *Ecce universa, quae habet Iob, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam.* 24 Sexta econverso est locutio diaboli ad Deum. Gregorius: *Loquitur diabolus ad Deum electorum innocentiam falso accusando et potestatem temptandi postulando, ut patet in Iob, de quo dixit: Numquid Iob frustra timet Deum, sed extende manum, et tange, quae possidet,* id est da mihi licentiam exterminandi, nisi in faciem benedixerit tibi. 25 O ergo homo, quantum deberes cavere diabolum et peccatum, quia tibi semper nocere vult. Praeterea septima locutio est ipsius Dei et Christi Iesu ad animas electorum in praesenti vita existentium, scilicet quandoque per internam inspirationem, quandoque per Scripturas et exteriorem praedicationem vel exhortationem, aliosque modos, quibus vocat ad poenitentiam et Dei dilectionem. Octava est econverso animae ad Christum. De istis Bernardus super Cantica



sermone XXXIII. dicit: *Cum meditatur in lege Dei, sciamus pro certo adesse sponsum Christum et alloqui nos. Cum talia in animo tuo sentis bona, non tuam putes esse cogitationem, sed illum agnosce, et dic oboediendo: Audiam, quid loquatur in me Dominus. Cum autem mala in corde versamus, cogitatio nostra est. Itaque pacem, pietatem, iustitiam Deus in nobis loquitur.* Haec ille. Nona locutio est sanctorum ad angelos. Aureolus in Compendio dicit, quod anima sancta loquitur angelo in praesenti per voces corporis orando, quas bene percipit angelus, sicut et alia sensibilia. Item anima exuta a corpore habebit potestatem loquendi ad angelos, et haec est vox, scilicet gratiarumactionis, quia sancti gratias agunt angelis de custodia fideli. Decima econverso est locutio angelorum ad sanctas animas. Et hoc angelus facit quandoque in praesenti verbo vocali in assumpto corpore, et quandoque loquitur in mente vigilantibus vel dormientibus. Item in caelo loquitur voce mentali animae sanctae exutae a corpore, et haec est vox mutuae commonitionis ad gratiarumactionem pro Dei beneficiis, alternatim psallendo dicens: *Benedicite omnes angeli Domino Deo* etc. 26 Illisque, scilicet angelis dicens: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini, qui statis in domo Domini* etc. 27 Undecima locutio est, qua loquuntur angeli ad invicem. Aureolus in Compendio dicit: *Angelus loquitur angelo verbo mentis suae species ostendendo mediante illuminatione quadam spirituali irradiante ab ipso. Item angelus facit aliquid coram angelo, quo facto intelligit, quod non intelligebat, et sic loquuntur omnes omnibus, scilicet maiores inferioribus et econverso. Item loquitur etiam angelus angelo per communicationem divini luminis ipsum instruendo, sic non loquuntur omnes omnibus, nec omnia, sed tantum superiores inferioribus de his, quae per divinas theophanias perceperunt.* Haec Aureolus. Duodecima locutio est, qua loquuntur sancti ad invicem in caelo. Et haec est vox mutuae congratulationis, quia omnes congratulantur de bonis a Deo perceptis. Unde Gregorius: *Tanta vis dilectionis in illa pace nos sociat, ut quod quisque in se non accepit, in aliis accepisse gaudeat.* O quam iucunda ergo illa patria beata, quam felix etc., ubi tot consolationes, tot concurrunt amoris divini et mutui insignia. (F) Sed restant adhuc quaestiones de reprobis. Et prima, quomodo diabolo loquitur angelus? Respondet Aureolus in Compendio, quod angelus Dei loquitur diabolo species sui intellectus ei ostendendo sine aliqua illuminatione. Loquitur autem ei secundum imperium Dei coercendo a nocumento vel malo hominum, sicut legitur in epistola Iudae, cum Michael, princeps synagogae cum diabolo disputans de Moysi corpore altercando, eo quod diabolus Iudaeis ad idolatriam pronis volebat revelare corpus Moysi, ut adorarent eum tamquam Deum, quod Michael volebat impedire, et dixit diabolo: „*Imperet tibi Dominus*” 28, scilicet ut desistas ab ista revelatione. Secunda quaestio: Quomodo diabolus loquitur animae, et econverso, quomodo anima loquitur diabolo? Respondet Aureolus breviter, quod diabolus loquitur quandoque sensum immutando, puta: obiciendo visui similitudinem alicuius rei. Item quandoque imaginationem alicuius rei imprimendo, sive vigilanti homini sive dormienti, et sic immittit cogitationem mali, ut patet in phantasiatione de mulieris pulchritudine et huiusmodi. Sed consensum immittere non potest. Anima autem peccatoris loquitur diabolo, quando similitudines affectionum imprimuntur sensibus, ubi diabolus legit eas, praecipue cum videt eam consentire in peccatum. O ergo peccator, vide, quomodo te diabolus decipit. Tertia quaestio: Quid locutionis habent damnati cum diabolis et mutuo in Inferno? Respondetur secundum Scripturas, quod omnes maledictiones, blasphemias, mendacia, vituperia et impropria contra Deum, contra caelum et terram, contra sanctos, contra daemones, contra sese mutuo et contra semetipsum ibi perpetuo resonabunt. Apoc. XVI.: *Blasphemabant nomen Dei viventis in saecula saeculorum.* 29 Item Eccli. XLI.: *De patre impio conqueruntur filii, quoniam propter illum sunt in obprobrio. Vae vobis, viri impii, etc., in maledictione erit pars vestra* etc. 30 O ergo infelix, o miser tu, anima peccatrix, pertimesce tormenta. O peccator, age nunc poenitentiam. (G) Circa tertium de apostolorum dignitate, qua praecellunt inter sanctos, sit pro conclusione sententia Dionysii li. De ecclesiastica hierarchia, dicentis, quod inter omnes sanctos apostoli sunt praecellentiores, tamquam Christo Iesu viciniore. Et sic per consequens isti apostoli, quibus loquimur, sunt nobis maxime honorabiles. Declaratur ex pluribus privilegiis. Primum privilegium ecclesiasticae principalitatis, quia sunt Ecclesiae Sanctae principes et pastores. Unde de eis canitur illud Ps.: *Constitues eos principes super omnem terram.* 31 Bernardus: *Tales decebat humani generis pastores constitui, qui dulces essent et potentes et sapientes. Dulces, ut misericorditer suscipere peccatores. Potentes, ut fortiter protegerent, scilicet a daemonibus. Sapientes, ut ducere scirent ad civitatem supernam.* Secundum privilegium fidelitatis testimonialis, quia sunt testes Christi fidelissimi usque ad mortis passionem. Act. I.: *Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et usque ad ultimum terrae.* 32 Tertium privilegium utilitatis, quia totum mundum converterunt ad Christum. Quartum luminositatis, quia illuminaverunt orbem. Matth. V.: *Vos estis lux mundi.* 33 Quintum sanctitatis, quia fuerunt in gratia Spiritus Sancti plene confirmati et prae omnibus sanctis mundi maiores sancti et plus illuminati a Christo tamquam scilicet vicinissimi. Sextum iudiciariae potestatis. Matth. XIX.: *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes XII iudicantes XII tribus Israel,* 34 scilicet tamquam assessores Christi in iudicio secundum doctores. Septimum supernae glorificationis. Nam apostoli in caelo summam gloriam habent collocati summo ordine Seraphico secundum Franciscum de Mayronis, quia prae aliis ardentibus fuerunt in charitate, a quo ardore Seraphim denominantur. Et quia summo gradu sanctitatis apostolicae tamquam viciniore ad Christum debetur summus ordo caelestis, id est Seraphicus secundum Dionysium. O ergo carissimi, devote honoremus apostolos, ut per eorum merita det nobis Christus gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Eph 2,19-20 2 Eph 3,17 3 Ps 117,22-23 4 Eph 2,21-22 5 I Tim 5,8 6 I Tim 3,15 7 I Cor 3,16-17 8 Ps 83,5  
9 Mt 6,31-33 10 Mt 4,4 11 Ioh 6,59 12 Lc 22,29-30 13 Mt 6,28 14 Mt 6,30 15 Hbr 12,6 16 Apc 21,27 17 Mt  
6,10 18 I Cor 9,33 19 Mt 6,1 20 Ps 68,29 21 Cf. Ex 32,33 22 Mt 3,2 23 Iob 2,3 24 Iob 1,12 25 Iob 1,11 26  
Cf. Ps 102,20 27 Ps 133,1 28 Iud 1,9 29 Cf. Apc 16,9 30 Sir 41,10-12 31 Ps 44,17 32 Act 1,8 33 Mt 5,14 34  
Mt 19,28

*illos et magnificavit.* Rom. VIII. 1 (A) In quibus verbis mira Dei nostri charitas et gratia erga suos electos et praecipue erga apostolos commendatur. Primo in hoc, quod eos ab aeterno praedestinavit et elegit ad gratiam et gloriam perpetuam, et per consequens ab aeterno eos dilexit, quia praedestinatio praesupponit dilectionem. Secundo in hoc, quod illos, quos ab aeterno praedestinavit, vocavit ad fidem Christi, trahendo ad se liberum arbitrium, nam *sine fide impossibile est placere Deo*, Heb. XI. 2 Tertio in hoc, quod eosdem iustificavit per gratiam, quia gratia est arrha animae. Ista quippe bona, scilicet fides et gratia sequuntur aeternam praedestinationem, quae electis conferuntur in tempore, quia haec sunt media, per quae quis et non aliter pervenire potest ad gloriam. Quarto in hoc, quod eosdem magnificavit, scilicet per gloriam in caelesti patria. Et haec seriatim tangit Apostolus in themate dicens: *Quod praedestinavit etc.* Iuxta quae tria mysteria notabimus pro hoc sermone declaranda. · Primum de apostolica vocatione, nam dicitur, quod eos *praedestinavit et vocavit* · Secundum de benigna conversatione, scilicet Christi cum discipulis vocatis · Tertium de salvifica instructione in huiusmodi vocatione ad gloriam magnificam (B) Circa primum de vocatione apostolorum aliquae quaestiones aedificatoriae pro simplicibus occurrunt. Prima quaestio: Cur Dominus Iesus veniens propter salutem omnium voluit vocare ad suum apostolatam homines simplices plebeios, indoctos arte piscatores, ut praedicarent per mundum? Ratio quaestionis est, quia ut arguit Porphyrius philosophus, scilicet quod *ad promulgandam legem novam per totum mundum magis debuissent assumi viri sapientes, qui fuissent fidedigniores et potentes ac magnae famae, et scientes attrahere homines ad fidem.* Sed ad haec respondetur, quod miro ordine divinae sapientiae Christus elegit et vocavit ad apostolatam plebeios simplices et indoctos piscatores, qui praedicarent Christum. Et hoc pluribus rationibus, quas tradunt doctores sancti. · Primo propter commendandum Dei miraculum · Secundo propter fidei donum Deo attribuendum · Tertio propter prophetiae oraculum implendum · Quarto propter congruentiae mysterium Prima ratio propter commendandum divinum miraculum, scilicet in hoc, quod cum apostoli essent simplices, plebei et illitterati, subito per Spiritum Sanctum a Christo missum tanta sapientia et scientia ac eloquentia fuerunt repleti, ut omnium noscerent genera linguarum, quorum sapientiae omnes mundi sapientes non valerent restitere, ut patet Act. II. Voluit autem Christus sic, ne possent homines dicere, quod doctrina apostolorum potuit fore ab homine, vel aliquo modo a spiritu maligno, sed a solo Deo per miraculum tale, quod numquam homo simile facere potuit, immo nec spiritus fecisset in illis, qui fuerunt imbuti artibus magicis et philosophicis, qui daemones coluerunt et colere docuerunt. Apostoli autem persecuti sunt, et exterminaverunt universa idola daemonum, quibus plenus erat mundus, et praedicaverunt contra philosophos et cultores idolorum. Sequitur ergo, quod hoc factum fuit solo divino miraculo a Christo, iuxta quod promiserat Lu. XXI.: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui etc.* 3, unde Bernardus in epistola ad fratres de monte dicit: *Licet magna miracula Dominus in terris gessit, hoc tamen maximum super omnia enituit et cetera illustravit, quod in paucis simplicibus hominibus totum mundum et omnem sapientiae eius altitudinem sibi Christus subiugavit.* Haec ille. Secunda ratio propter fidei donum Deo attribuendum. Nam si per potentes divites et sapientes fuisset fides per mundum praedicata, ascribi posset eorum potentiae vel astutiae aut eloquentiae susceptio ipsa fidei per mundum et conversio omnium nationum. Nunc soli Deo attribuitur. Hinc I. Cor. I.: *Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.* 4 Super quo Augustinus dicit: *Si enim doctus eligeretur, fortasse diceret se ideo electum, quia propter doctrinam vel sapientiam eligi meruit.* Dominus ergo noster Iesus volens superbiorum frangere cervices non per oratorem quaesivit piscatorem, sed per piscatorem lucratus est imperatorem. Item Chrysostomus: *O beatos piscatores istos, quos Dominus inter tot mundi scribas, doctores et sapientes ad divinae praedicationis officium primos elegit, qui non per sapientiam verbi mundum caperent, sed per simplicem fidei praedicationem de errore mortis humanum genus liberarent. Non nobiles, nec divites elegit, ne suspecta fieret praedicatio, sed piscatores illitteratos, sed praecelesos fide, devotos et divites Deo, ut aperta esset gratia Salvatoris et virtus.* Haec ille. Tertia ratio propter prophetiae oraculum implendum, nam Isa. XXIX. fuit praedictum, quod discipuli Christi debuerunt esse pauperes, ubi dicitur sic: *In die illa audient surdi, id est gentiles populi, qui prius surdi erant ab auditione legis, utpote idolatrae, libro Veteris ac Novi Testamenti, et oculi caecorum, id est gentilium de tenebris et caligine errorum videbunt, scilicet per fidem. Sequitur: Et addent mites in Domino laetitiam et pauperes homines, id est discipuli in Sancto Israel, id est in Christo exsultabunt, scilicet de conversione gentilium, quoniam defecit, qui praevalebat, 5 scilicet coetus scribarum et Pharisaeorum. Denique quodam modo etiam impleta sunt illa verba Iere. XVI., ubi dicitur sic: Ecce mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos, et post haec mittam eis multos venatores. 6 Quia primi praedicatores Ecclesiae fuerunt piscatores, qui multas animas capiebant simpliciter verbum Dei praedicando. Sed posteri praedicatores sicut et moderni sunt quasi venatores multos clamores facientes in praedicatione, et tamen vix paucas animas capere possunt. (C) Quarta ratio propter congruentiae mysterium, unde Chrysostomus ait: *Eliguntur piscatores, quia erant futurae dignitatis gratiam sui officii sive artis opere perferentes, qui mutato in melius piscationis officio humanum genus de profundo gurgite erroris velut pisces capientes traherent ad portum salutis.* Sed quare Christus plures apostolorum vocavit de Galilaea, nam praeter paucos omnes erant Galilaei, ut dicitur Act. II. Respondetur, quod ideo sic, quia magis congruebat ministerio. Galilaea enim secundum Hieronymum interpretatur 'volubilis' sive 'transmeans' aut 'transmigratio mea'. Sed quia hi, quos Christus vocabat, et omnes eius electi debebant volvi vel transmigrare de statu vitiorum et damnationis ad statum virtuosum et aeternae salutis, excellentius autem apostoli, qui etiam alios per praedicationem facturi erant, ut transmigrarent a statu vitiorum ad statum virtutis et salutis, ipsi debebant prae aliis transmigrare ad statum summae sanctitatis et perfectissimae virtutis. Ideo Christus congrue Galilaeos vocavit ad apostolatam. O ergo peccator, si vis a Christo eligi et vocari ad vitam, desine peccare, et transmigra ad virtutes per poenitentiam. (D) Secunda quaestio circa hoc est ista: Utrum Deus apostolos vel alios electos praedestinaverit et vocaverit propter aliquod bonum meritorium in ipsis praevisum. Ad quod notandum, quod quidam putarunt, quod sicut rex dat equum militi, eo quod scit vel extimat ipsum bene usurum et fidelem, quod etiam Deus ab aeterno praecognoscens opera meritoria istius vel illius hominis propter huiusmodi bona eligeret illum et dare vellet illi*

homini gloriam caelestem. Sed hoc non est verum, nec exemplum valet, quia bonus usus equi non est a rege causaliter, sicut meritum est a Deo principaliter causalitate 7, quia Deus dat gratiam et opera meritoria tali electo, per quae possit mereri gloriam talem. Respondetur ergo ad quaesitum secundum Alexandrum I. parte Summae q. XIII. atque alios doctores concorditer, quod de electione divina loqui possumus dupliciter. Uno modo prout est ab aeterno in Dei praecognitione, et sic nullum bonum opus potest esse causa electionis vel praedestinationis, sed ex Dei tantum mera bonitate immensa, et non pro meritis quis eligitur. Unde Rom. IX. Apostolus dicit, quod Iacob et Esau cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni aut mali egissent, secundum electionem dictum est: *Iacob dilexi, Esau autem odio [habui]* etc. 8 Mira ergo Dei bonitas in hoc apparet, quod absque omni meriti causa liberaliter hominem eligit ad summam beatitudinem, quam quidem dare etiam pro meritis (sicut solet Dominus) servo remunerare maximum esset. Secundo modo loqui possumus de praedestinatione prout est temporalis, scilicet in quantum Deus ab aeterno electos ex mera liberalitate iam vocat in tempore ad fidem et gratiam, et sic licet universaliter omnia nostra bona opera non sint causa nostrae praedestinationis, secundum quod Augustinus in Glossa super illo verbo Apostoli „Elegit nos” dicit sic: *Elegit nos gratis Deus, non nostris meritis praedestinando*, scilicet propter opera etc. Nihilominus tamen particulariter loquendo opus aliquod bonum in nobis potest esse causa alterius boni, cum sit quidam ordo in divinis donis. Unde et ipsa Beata Virgo ut eligatur in matrem Dei, virtutibus promeruit de congruo, quia fuit humillima, castissima, et omni virtute ac gratia plena. Item Abdias est a Deo in prophetam electus ex merito eo, scilicet ut paverat CL prophetas in spelunca absconditos tempore Achab et Iezabel, ne occiderentur, sicut Hieronymus dicit in Prologo super Abdiam, et sic de aliis multis patet. Sic ergo de apostolis est dicendum, quod de congruo meruerunt per aliquas virtutes et merita ex Dei liberalitate vocationis gratiam, scilicet ad apostolatam Christi pro tantae sanctitatis dignitate. (E) Tertia ergo quaestio gratia horum praemissorum occurrit, videlicet qualibus virtutibus apostoli de congruo promeruerunt hanc gratiam electionis temporalis et vocationis ad apostolatam Christi. Nimirum hoc scire nobis est utile, ut discamus, qualiter et nos de congruo promereamur vocari a Christo ad suam gratiam et tandem gloriam, unde Augustinus super Ioh. dicit: *Si non es praedestinatus, fac ut praedestineris*. Quomodo ergo hoc possit homo, respondetur secundum doctores, quod ad gratiam apud Deum promerendam multum valent haec quattuor, quae fuerunt in apostolis disponentia ad Christi vocationem: Primum est simplicitas, quasi 'sine plica' dolositatis et iniustitiae erga omnes, unde Prover. III.: *Abominatio est Domini omnis illusor*, id est fraudulentus vel deceptor. Sequitur: *Et cum simplicibus sermocinatio eius*. 9 Secundum est humilitas. Unde Christus dixit Matt. XI.: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti haec*, scilicet caelestia secreta a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, 10 id est humilibus. Tertium timoris Dei virtuositas. Ps.: *Initium sapientiae timor Domini*, 11 quo praecepta servat quis timens offendere Deum. Quartum est paupertas, scilicet in spiritu, qua desipiunt homini mundanae cupiditates et vanitates. Unde Augustinus li. LXXXIII Quaestio dicit, quod *quantum crescit cupiditas, tantum minuitur charitas, et quantum crescit charitas, tantum decrescit cupiditas*. Apostoli fuerunt simplices, nullum fraudantes aut laedentes. Fuerunt humiles et paupertatem sectantes arte piscationis contenti pro victu et amictu necessitatis. Fuerunt etiam Deum timentes et permaxime eius offensam caventes, ergo vocari a Christo ad apostolatam promeruerunt per gratiam. O ergo homo, esto et tu nunc talis, ut misericordiam promerearis a Deo. O peccator, age poenitentiam, ne scilicet pereas in peccatis, sed consequaris gratiam tuae vocationis, scilicet Christianitatis verae. (F) Circa secundum de benigna conversatione ipsius, scilicet Christi cum discipulis vocatis quaeritur, quare Christus Dominus in mundo voluerit conversari inter homines etiam peccatores, qui tamen docuit contemptum saeculi. Mirum certe videtur, quod Christus, sanctus sanctorum voluerit ducere vitam penitus solitariam, sicut fecit Iohannes Baptista et plures sancti patres. Ad quod respondetur secundum sanctum Thomam III. parte q. XL. ar. I. alios quoque, quod conversatio Christi talis debuit esse, ut conveniret sanctae suae incarnationi secundum causam, qua venit in hunc mundum. Venit autem Christus in mundum praecipue tribus de causis, ut patet de Scripturis. · Primo ad manifestandum veritatem et salutis documentum · Secundo ad genus humanum liberandum et salvandum · Tertio ad peccatores convertendum et attrahendum, scilicet in caelum Primo namque venit Christus ad manifestandum veritatem salutiferae fidei et documentum, sicut ipsemet dixit Ioh. XVIII.: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, 12 scilicet fidei radicandae in cordibus fidelium, exstirpando errores idolatriae et aliarum sectarum. Et ideo debuit Christus conversari cum hominibus et docere ac praedicare in publico multitudini populorum et in templo, sicut fuit prophetatum per Ps., qui in persona eius dicit: *Annunciavi iustitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibeo* etc. 13 Secundo Christus venit ad redimendum genus humanum et salvandum, et ideo debuit inter homines conversari docendo sacrum evangelium, ut sciremus, quod non nisi per Christum tamquam mediatorem haberemus accessum ad Deum, unde dixit Christus Ioh. X.: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. Ego veni, ut vitam habeant*, id est per gratiam in praesenti ipsi fideles, et abundantius habeant, 14 scilicet per gloriam in futuro. Debuit ergo cum hominibus conversari, sicut prophetatum fuit Baruch. III.: *Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus*. 15 Tertio venit Christus ad convertendum peccatores, ad misericordiam attrahendum, ut possint ire in caelum, sicut medicus venit ad infirmum sanandum, ut ait: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam*, Matt. IX. 16 Et iterum Lu. XIX.: *Veni Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat*. 17 Ideoque debuit inter homines conversando perambulare et quaerere errantes ac revocare et attrahere verbo virtutis peccatores, sicut fuit prophetatum Ezech. XXXIV.: *Ecce ego ipse requiram oves meas et visitabo eas*. 18 Proinde Chrysostomus dicit: *Licet Christus in eodem loco sive in deserto manens posset ad se omnes trahere, non tamen hoc fecit, sed perambulavit circumeundo docendo, praebens nobis exemplum, ut perambulemus et quaeramus errantes, velut pastor ovem perditam et medicus pius infirmum*. (G) Sed qualiter et quanta dulcedine pietatis Christus discipulos vocaverit, et cum eis conversatus amabiliter fuerit? De hoc Ludolphus Carthusiensis li. De meditatione vitae Christi prosequitur dicens sic: *Considera et conspice Dominum Iesum in discipulorum vocatione et conversatione, quam affectuose eos vocat reddens eis affabilem, domesticum, benignum et obsequiosum, attrahens eos intus, scilicet in corde per amorem, et extra per dulcem praedicationem et conversationem cum*



*eisdem. Docebat enim eos et instruebat de mysterio divinae incarnationis et fidei articulis, ac curam praecipuam habebat de ipsis, sicut mater de filiis. Dicitur enim, quia beatus Petrus referebat, quod quando Christus in aliquo loco cum eis dormiebat, surgens de nocte eos re Cooperiebat, quia tenerrime eos diligebat, sciebat enim, quid de ipsis facturus erat. Nam quamvis essent homines rudis conditionis et humilis nationis, tamen principes mundi et duces omnium fidelium in bello spirituali eos erat constituturus.* Haec Ludolphus. Hinc etiam narratur in legenda Petri, quod quando dulcis allocutionis et praesentiae Domini memor erat, scilicet ipse Petrus, praenimia dulcedine amoris lacrimas continere non poterat. Et sic patet dulcissima benignitas Christi in conversatione cum hominibus. (H) Circa tertium de nostra instructione salvifica, quae exemplariter dicitur in apostolorum vocatione, nam quid prodesset singulis annis recitare vocationem apostolorum, si per eam non aedificaremur, unde sit pro conclusione dictum Bernardi dicentis sic: *Quod Dominus noster ac Salvator visibiliter tunc temporis dignatus est operari, hoc etiam nunc in cordibus electorum operatur invisibiliter.* Haec ille. Unde cum Christus vocavit apostolos, in hoc nos docuit, quomodo vocat spiritualiter. Et in hoc docemur de tribus: · Primo, a quibus vocat nos Christus · Secundo, qualiter vocat nos Christus · Tertio, ad quae vocat nos Christus Primo, inquam, in apostolis docemur, a quibus vocat nos Christus, quia legimus, quod apostolos vocando reliquerunt illi primo uxorem, si qui eorum habuerunt, vel saltem habere poterant. Secundo reliquerunt retia sua, tertio navem, quarto parentes, et sic secuti sunt Christum. Ab istis ergo nos spiritualiter vocat Christus. Primo a carnis concupiscentia, quae significatur per uxorem. Unde Gal. V.: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* 19 Secundo a cupiditatis avaritia, quae significatur per rete, quia per hanc illaqueat et capit diabolus animas. I. Tim. VI.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in temptationes et laqueum diaboli.* 20 Tertio a superbia, quae per navem significatur, quae elevatur in aqua, ita superbus vult elevari super alios. Unde Christus dicit Matt. XI.: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* 21 Quarto vocat a mundi malitia. Unde Marc. X.: *Omnis, qui reliquerit domum aut patrem, matrem aut fratres aut sorores aut filios etc., centupliciter accipiet etc.* 22 Ex his patet, quod sicut Augustinus in Enchiridion dicit, et notatur de consecratione dist. IV.c. „Ut ostenderet” et c. sequenti: *Christiani debent esse mortui omni peccato, ut vivant Deo in Christo Iesu.* O ergo peccator, dimitte peccata, et sequere Christum vocantem, alioquin ut dicit Ps.: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit etc.* 23 (I) Secundo docemur in apostolis, qualiter nos vocat Christus, quia apostolos vocando Christus attraxit eorum liberum arbitrium ad sequendum, non quidem per violentiam, sed per amorem et divinum verbum atque miraculum operando. Sic et nos trahit Christus. Pro quo est notandum, quod liberum arbitrium hominis trahitur et sequitur, sicut solet una res trahi ab alia et eam sequi pluribus modis. Uno modo per violentiam, sicut currus trahitur et currit post boves vel equos, qui quantumcumque sit volubilis, tamen numquam per se iret, nisi traheretur vel impelleretur aliunde. Sic currus liberi arbitrii per duas rotas currit, scilicet per rationem et voluntatem, quia liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, quae bonum eligitur gratia assistente, et malum gratia desistente, prout diffinit ipsum sic Magister cum Augustino, ut patet li. Sententiarum II. dist. XXIV. Sed quoniam iste currus liberi arbitrii numquam currit nec movetur in Deum, nisi trahatur per gratiam Dei teste Christo, Ioh. XII.: *Nemo – inquit – potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* 24 Boves ergo trahentes eum sunt misericordia Dei praeveniens sive gratia, et iustitia Dei puniens. Ideo multi trahuntur ad Deum per flagella, ut patet de Israelitis, Ps.: *Cum occideret eos, quaerebant eum.* 25 Secundo modo una res trahitur ab alia et sequitur per amorosam concupiscentiam. Unde Augustinus super Ioh. dicit: *Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam, nuces puero ostenduntur, et trahitur, et quo currit, amando trahitur, sine laesione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur, quoniam iuxta poeticum dictum: Trahit quemque sua voluptas.* Et iste modus trahendi est nobilior per Dei amorem. Tertio una res trahitur ab alia per virtutis efficaciam, sicut virtus verbi Dei trahit cor, et magnes sua virtute trahit ad se ferrum, solis calor vapores, panthera suo odore attrahit animalia ad sequendum, et plura huiusmodi. Sic Christus vocavit discipulos et eorum exemplo vocat nos spiritualiter quandoque per violentiam flagellorum vel comminationis poenarum infernalium et mortis memoriam, quandoque per amorositatem beneficiorum, quandoque per virtutem verbi divini et miraculorum, quae audimus. De his latius alibi. (K) Tertio docemur in vocatione apostolorum, ad quae nos vocat Christus moraliter et spiritualiter. Nam Christus vocavit discipulos praecipue ad quattuor. Primo ad sui et mysteriorum divinarum notitiam. Secundo ad virtutum et morum Christi sequelam. Tertio ad discipulatus et apostolatus gratiam. Quarto ad passionis comitantiam. Sic spiritualiter nos ad haec vocat Christus. Primo ad notitiam suae fidei et mysteriorum divinarum, ut patet Ioh. XV.: *Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia servus nescit, quid facit dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia, quae audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos etc.* 26 Unde exemplo apostolorum vocat nos Christus ad sui notitiam et mysteriorum divinarum, quando nos illuminat per fidem veram ad Dei notitiam et articularum fidei. Secundo vocavit Christus apostolos, et exemplo eorum vocat nos ad virtutum et morum Christi sequelam. Unde dixit Matt. I.: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis etc. Tollite iugum meum, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* 27 Unde Cyprianus li. de abusionibus dicit: *Non recte dicitur Christianus, qui Christo moribus non aequatur.* Tertio vocavit ad discipulatus et apostolatus gratiam. Sic et nos ad servandam suam doctrinam praeceptaque vocat tamquam discipulos. Unde Ioh. VIII. ait: *Si vos manseritis in sermonem, vere discipuli mei estis etc.* 28 Quarto ad passionis comitantiam, ut velimus mori pro Christo peccatis resistentes. Unde I. Pe. II.: *Invocati estis, quia Christus passus est pro vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius etc.* 29 O ergo Christiane, considera in Christo passo in cruce caput inclinatum et spinis coronatum, ut sequaris eius humilitatem contra tuam superbiam, considera Christum nudum contra avaritiam, vulneribus plenum in sua carne virginea flagellatum contra tuam luxuriam, pro inimicis orantem contra iram, ex charitate passum contra invidiam, aceto felleque potatum contra gulam, toto corpore distentum contra acediam. O anima devota, sequere Christum vocantem ad vitam aeternam, quam ipse praestare dignetur, qui vivit in saecula saeculorum.

---

1 Rm 8,30 2 Hbr 11,6 3 Lc 21,15 4 I Cor 1,26-27 5 Is 29,18-20 6 Ier 16,16 7 Editio: *causate*; Hagenau 1500.: *causalitate* 8 Rm 9,11-13 9 Prv 3,32 10 Mt 11,25 11 Ps 110,10 12 Ioh 18,37 13 Ps 39,10 14 Ioh 10,9-10 15 Bar 3,39 16 Mt 9,13 17 Lc 19,10 18 Ez 34,11 19 Gal 5,24 20 I Tim 6,9 21 Mt 11,29 22 Mc 10,29-30 23 Ps 7,13 24 Ioh 6,44 25 Ps 77,34 26 Ioh 15,15-16 27 Mt 11,28-29 28 Ioh 8,31 29 I Pt 2,21

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CVIII.] Sequitur de evangelistis sermo communis *Vidi angelum alterum habentem evangelium aeternum, ut evangelizaret sedentibus super terram.* Apoc. XIV. 1 et ad laudem huius festivitatis. (A) In quibus verbis ostenditur evangelistarum magna sanctitas, quia angelis merito comparantur propter magnam puritatem et sanctitatem. Unde Gregorius: *Saepe in Scripturis sanctos Dei angelos nominari comperimus.* Et hoc patet Malach. II. et Apoc. I., ubi sacerdotes et episcopi angeli nominantur. Inter omnes autem maxime convenit evangelistam nominari angelum, quia evangelista dicitur ab 'eu', quod est bonum, et 'angelus', quod est nuncius, quasi bonus nuncius, scilicet Dei, quod est proprium angeli. Secundo ostenditur in evangelistis officii dignitas, ibi: *habentem evangelium, ut evangelizaret sedentibus*, id est habitantibus *in terra*. Habentem, inquam, corde credendo, ore praedicando et scripto tradendo atque opere perficiendo. Unde Isa. XLI. Deus dicit: *Ierusalem evangelistam dabo.* 2 Ierusalem, id est Ecclesiae dabo evangelistam, ponens singulare pro plurali. Et potest esse aliud thema pro hoc sermone, si placet. Secundo ostenditur evangelii Christi aeternitas, quia dicitur *aeternum evangelium*. Tum quia ab aeterno, id est Deo datum, tum quia est de aeternis, id est caelestibus bonis, tum quia ad aeterna regna credentes perducit. Denique tum, quia evangelio Christi aliud non succedit, sed est usque finem mundi duraturum ad salutem. Merito ergo accipiuntur haec verba ad honorem huius evangelistae. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro hoc sermone, secundum quod de his commendari videntur sancti evangelistae de eis. · Primo de celebri praefiguratione, quia in themate per angelum significantur · Secundo de quaternali receptione, scilicet ab Ecclesia per omnem terram · Tertio de evangelicali imitatione, ibi: *habentem evangelium* etc. (B) Circa primum de praefiguratione evangelistarum sit pro conclusione, quod evangelistarum sanctitas in Sacra Scriptura multipliciter est praefigurata, et hoc pro nostrae salutis doctrina. Declaratur: Nam primo praefiguratur in quattuor fluminibus de Paradiso egredientibus, totam terram irrigantibus, Gen. II. Ut enim ait Hugo De arca Noe li. II.: *Paradisus est ecclesia sanctorum, quae per totum mundum irrigatur salubris sapientiae flumine quattuor evangeliorum.* Et sicut Basilius ait in Hexaemeron: *Illa quattuor flumina in Paradiso ex uno fonte procedunt, et in quattuor capita exinde dividuntur.* Sic quattuor evangelia ex uno fonte sapientiae Christi Iesu procedunt, et in quattuor divisa Sanctam Ecclesiam per totum mundum dilatam irrigant docendo illa, quae sunt necessaria ad salutem. Primum est fides Domini Iesu, *sine qua impossibile est placere Deo*, Heb. XI. ca. 3 Secundum observantia praeceptorum, Matt. XIX.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 4 Tertium est poenitentia et expurgatio peccatorum, Lu. XIII.: *Nisi poenitentiam egeritis* etc. 5 Quartum est imitatio virtutum Christi et morum. Unde I. Ioh. II.: *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* 6 Secundo quattuor evangelia praefigurantur in quattuor circulis arcae, scilicet testamenti, Exod. XXV., per quos portabatur. Sic Sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti per quattuor evangelia continetur et portatur. Tertio in quattuor cornibus altaris holocaustorum, Exod. XXV. Altare enim holocausti Christus est, qui et immolatus agnus est in cruce, et quotidie immolatur in sacramento Eucharistiae, de quo tractant quattuor evangelia. Quarto in quattuor ventis mortuos vivificantibus, Ezech. XXXVII., quia ut dicit Christus Ioh. XI.: *Qui credit in me*, scilicet secundum quattuor evangeliorum documenta, *etiam si mortuus fuerit*, scilicet per peccatum, *vivet* vita gratiae. 7 Sed ut alias plures figuras causa brevitas transeamus, denique clarius et principalius praefigurantur per quattuor animalia et facies Ezech. I. et Apoca. IV.: *Similitudo vultus eorum facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quattuor. Facies autem bovis a sinistris ipsorum quattuor, et facies aquilae desuper ipsorum quattuor.* 8 (C) Quaeritur hic: Cur quattuor evangelistae per talia quattuor animalia signantur. Ad quod plures rationes sunt traditae a doctoribus. Prima ex parte Christi. Nam per istas quattuor facies significatur ipse Christus, quem evangelistae descripserunt quadrupliciter, scilicet nascentem, morientem, resurgentem et in caelum ascendentem. Hanc rationem ponit Gregorius dicens: *Ipse unigenitus Dei Filius veraciter sanctus est homo nascens, ipse in sacrificio nostrae redemptionis dignatus est mori ut vitulus, ipse per virtutem suae fortitudinis resurrexit ut leo, ipse et ascendens in caelos est elevatus ut aquila.* Haec ille, ergo etc. Secunda ratio ex parte evangelii, quam etiam idem Gregorius ponit super Ezech. dicens: *Matthaeus ab humana generatione evangelium incepit, ergo iure per hominem figuratur. Sed Marcus incepit a clamore in deserto, scilicet Iohanne, ergo recte per leonem depingitur. Lucas vero a sacrificio sacerdotali est exorsus, bene ergo per vitulum signatur. Quia vero Iohannes a divinitate Verbi coepit, digne per aquilam designatur.* Haec ille. Tertia ratio ex parte electorum Dei. Ex quo enim Christus est omnium electorum caput, et ipsi electi sunt membra eius, ergo sicut membra in facie capitis cognoscuntur, sic electi debent imitari hoc caput, id est Christum, et in huius capitis facie sunt cognoscibiles, utrum scilicet sint vere membra Christi et vere electi, an non. Primum signum est, si Christianus habet cum Matthaeo faciem humanam, scilicet secundum rectam rationem vivendo, quia homo est animal rationale. Unde Rom. XII.: *Rationabile sit obsequium vestrum.* 9 Secundum, si Christianus cum Marco est tamquam leo per fortitudinem bona operando, sicut erat Apostolus dicens ad Phil. IV.: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* 10 Unde Prover. XXVIII.: *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit.* 11 Tertium, si Christianus cum Luca est tamquam vitulus, scilicet carnem suam per mortificationem sacrificando, Rom. XII.: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam Deo placentem sanctam* etc. 12 Gal. V.: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* 13 Quartum signum, si Christianus cum Iohanne tamquam aquila se levat devote contemplando et orando. Unde Augustinus dicit: *Ille Deum videt, id est Deum videre meretur in caelo, qui bene vivit, bene studet et bene orat.* O ergo homo, si vis esse Christi membrum cum sanctis evangelistis electum et beatificandum, haec observa. (D) Circa secundum de quaternali numero in

receptione evangelistarum a tota Ecclesia occurrit quaestio: Cur Deus voluit ab Ecclesia recipi tantummodo quattuor evangelia authentica, et non plura, nec pauciora? Nam primo posset quis obicere tali ratione, dicens: Cum sufficeret, ut unus evangelista omnia diceret, quare plura vel quattuor esse debuerunt? Sed ad hoc respondetur, secundum quod dicitur li. Originalium et allegatur Chrysostomus in homilia, videlicet quod licet bene sufficeret, ut unus evangelista omnia diceret, sed cum quattuor ab uno ore omnia loquuntur, non secundum eadem tempora, neque in eisdem locis convenientes et ad invicem colloquentes, maxima sit veritatis demonstratio, quia ab uno, scilicet Spiritu Sancto docente sunt locuti scribendo, quia ut probat Scotus in q. II. Prologi Sententiarum, in talibus non evidentibus ex terminis, nec ex principiis non possent consonare multi varii firmiter, nisi a causa superiore ipsorum intellectus inclinatur ad assensum, ut probatur per Augustinum XVIII. De civitate Dei de multitudine philosophorum, qui in innumerabilibus sibi mutuo dissentiant, etiam discipuli suis magistris, et quique posteriores prioribus, et quod non ab uno doctore communi, id est non a Spiritu Sancto sunt edocti. Sed evangelistae et sancti doctores in his, quae sunt ad informationem fidei et vitae, nec in parvo dissonant, licet in aliquibus videntur dissonare, cum tamen Matthaeus scripsit Evangelium in Iudaea sub tempore Caii Caligulae imperatoris secundum Remigium, Marcus in Italia Romae sub tempore Neronis secundum Rhodanum, item Lucas in Achaiae partibus, Iohannes in Epheso in Asia minori, ut patet li. Originalium, ergo etc. Secundo potest quis obicere, quia ut Ambrosius dicit super Lucam: *Fertur evangelium, quod est XII apostolorum, aliud Basilidis, et aliud secundum Thomam, aliud secundum Mathiam, item aliud Nicodemi.* Quare ergo tantum quattuor, et non plura sunt recepta ab Ecclesia? Respondet Hieronymus in Prologo super Matthaem dicens: *Dominus noluit numerum praefinitum cassari propter virtutem sacramenti.* Et ad id assignantur plures rationes. · Prima accipitur ex parte huius mundi · Secunda ex parte generis humani · Tertia ex parte fidelium Christi · Quarta ex parte figuralis mysterii · Ultima ex parte perfectionis numeri Prima ratio accipitur ex parte huius mundi ad innuendum, quod per quattuor mundi partes sive plagas, scilicet orientalem, occidentalem, australem et aquilonarem debebat fides Christi praedicari et publicari, et in eius unitatem gentes ex omni regione aggregari, sicut praedixerat Ps. dicens: *De regionibus congregavit eos a Solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari.* 14 Secunda ratio ex parte generis humani, quod quadruplici morte erat peremptum, et per quattuor evangelia vivificandum. Unde Hieronymus in Prologo super Matt. dicit sic: *Sunt – inquit – scilicet quattuor elementa, quasi quattuor rotae in quadriga Domini, quae vehit eum per praedicationem evangelii, et genus humanum quadrifida morte peremptum eorum erat praedicatione vivificandum.* Haec ille. (E) Sed quomodo dicitur genus humanum quattuor mortibus peremptum? Respondet Lyra ibidem distinguendo, quod scilicet in transgressione Adae peremptum fuit genus humanum. Primo morte culpae. Secundo morte naturae, quia per hoc incurrimus necessitatem moriendi. Tertio morte gehennae, quia ex hoc omnes descendebant ad limbum, usque quo liberatio facta est per Christum, Dei Filium. Quarto morte civilis poenae. Nam mors civilis est servitus vel exsilium, per quae scinditur quis a communitate. Item captivitas suo modo, sive incarcerationio, maxime perpetua. Haec patent ff. de ver. ob. l. ex ea parte, extra de rescrip. susceptum li. VI. in Glossa supra verbo „Non morte” etc. Sed quoniam per peccatum Adae genus humanum erat eiectum a civitate caelesti, et subditum servituti diaboli, exsilioque relegatum a caelesti civitate, et regno imo obligatum carceri perpetuo infernali de se, nisi misericorditer fuisset liberatum per Christum, igitur conveniens fuit numerus quaternarius evangeliorum, quia per ipsorum praedicationem genus humanum quadrifida morte peremptum et vivificandum designatur iuxta praemissa verba Hieronymi. O ergo peccator, considera et adverte peccati grave nocumentum, quoniam tot mortibus te occidit, scilicet morte culpae, morte naturae, morte gehennae, morte civilis et aeternae poenae, sicut et patrem tuum, Adam, et omnes posteros hic mortibus peremit. Ut quid ergo, o miserrime peccator, te sic perimis atrocissime, cur non misereris tuae animae, sed mori propter tua peccata velis, non una, sed quadruplici morte. (F) Ad id accipe exemplum ex Scriptura et philosophia. Nam Eccli. XXXI. hortatur Scriptura omnes, dicens: *Quasi a facie colubri, fuge peccatum. Et si accesseris ad illa, suscipient te dentes eius, dentes leonis interficientes animas.* 15 Iuxta hanc ergo Scripturam, ex quo comparat peccatum dentibus colubri et leonis dentibus. O peccator homo, quaero te, cum sic incederes casu aliquo in silva, ut scilicet mordere te haberet ex una parte coluber, et ex alia parte accurreret mordere te leo, nec alterum eorum posses evadere, cui illorum te mordendum libentius offerre velles, cum angustiae mortis sint undique, et timoris ac horroris. Videtur dicendum, quod *inter haec duo mala minus malum esset eligendum*, ut docet Philosophus III. Ethicorum et III. Topicorum. Sed quia minus videtur malum morderi a leone, quam a colubro, primo, quia leonis dentes non sunt intantum venenati, ut dentes colubri, qui statim appropinquantem intoxicat. Secundo quia devorans leo aliquas semper ex carnibus comedendis reliquias dimittit propter sui innatam nobilitatem, nec eas ulterius comedit, ut patet per Ambrosium in Hexaameron, quod non dicitur de colubro. Tertio quia horribilius animal prae leone est coluber, et multiplices habet dentes. Dicit enim Philosophus De animalibus, quod serpens et per consequens coluber habet quattuor ordines dentium, duos ordines habet in superiori mandibula, duos in inferiori. Spiritualiter tu, Christiane, quando facis peccatum, incidis in os et dentes ac morsus mortiferos tam colubri, quam leonis, id est diaboli, qui ut ait Augustinus: *Leo et draco est, leo propter impetu, draco propter insidias. Leo enim aperte irascitur, draco occulte insidiatur.* Et licet minus peccatum sit, cum quis timore persecutionis coactus peccat, quam qui voluntarie et ex malitia peccat, tamen utique hanc quadruplicem mortem incurrit omnis, qui peccat, videlicet: Primo mortem culpae vel animae per culpam, Ezech. XVIII. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur.* 16 Secundo mortem naturae, quo ad demeritum, quia peccator demeretur exterminium mortis, Iob XXX.: *Vita ipsa putabantur indigni.* 17 Ps.: *Viri sanguinum, id est peccatores, non dimidiabunt dies suos.* 18 Exemplum de Sodomitis. Tertio mortem gehennae. Quarto mortem servitutis diabolicae et captivitatis ac poenae infernalis aeternae, nam Io. VIII.: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* 19 O ergo miserrime peccator, qui non vis poenitere, mors tibi, mors tibi in anima et corpore, mors in praesenti, et mors in futuro in aeternum. Augustinus de poenitentia dist. ultima in fine: *In Inferno mors dicitur aeterna, quia numquam ibi mors moritur, sed cruciabitur iniquus sine fine.* O ergo peccator, age poenitentiam, ut vivendo secundum evangelium mortem evadas. (G) Tertia ratio, scilicet quare tantum sunt quattuor evangelia recepta, accipitur ex parte fidelium Christi



ad innuendum, scilicet quod fideles, qui volunt aedificari in superna civitate, debent tamquam lapides quadri et vivi esse, scilicet in his quattuor, quibus consistit vita spiritualis, videlicet in fide, in spe, in charitate et bono opere. Unde Gregorius super Ezech.: *Quantum credis, tantum speras, quantum credis et speras, tantum diligis, quantum credis, speras et diligis, tantum operaris*. Sic ergo commensurata quadrata debet esse vita Christiani secundum quattuor evangelia. Augustinus: *Vita Christiani crux esse debet, si vult vivere secundum evangelium*. Et haec crux quattuor cornua praedicta habet. Quarta ratio accipitur ex parte figuralis mysterii, quia designantur quattuor evangelistae per quattuor animalia, ut dicit Hieronymus in Prologo, quo supra. Et de hoc iam patuit articulo I. huius sermonis. Ultima ratio accipitur ex parte perfectionis numeri, scilicet quaternarii. Nam quaternarius est primus numerus quadratus, qui consurgit ex ductu primi numeri, scilicet binarii in seipsum. Bis enim duo sunt quattuor, binarius quippe primus numerus dicitur, quia unitas praecedens non est numerus, sed principium numeri. Itaque quaternarius est primus numerus quadratae perfectionis et virtutis. Unde Philosophus I. Ethicorum virtuosum vocat quadratum, dicens: *Qui utique vere bonus et quadratus sine vituperio*. Et dicitur vere bonus talis virtuosus et quadratus, quia sicut corpus quadratum in quolibet latere optime sedet, ut patet in taxillo, ita virtuosus in quolibet casu et fortuna bene se habet, nec facit vituperiosa, id est vitia. Hic notat Lyra in Prologo super epistolas canonicas, unde ad propositum: *Evangelistae et praedicatores evangelii Christi debuerunt esse quadrati, id est perfecti, ut essent vere boni, sine omni vituperio stabiles in fide per omnem varietatem casus et fortunae*. Ecce ergo, quam mira Dei sapientia, quae ad salutem docet nos per omnia. (H) Circa tertium principale de imitatione evangelistarum quaeritur pro simplicium aedificatione, quomodo Christiani debeant evangelistas imitari in doctrina et observantia sacri evangelii. Nam secundum sententiam Chrysostomi super Matt.: *Quid prodest – inquit – sanctos evangelistas colere, et sanctitatem evangelicam spernere? Ideo celebramus festa sanctorum, ut imitemur vestigia eorum* etc. Ad quod respondendo notandum est, quod sancti evangelistae secundum quattuor evangelia imitati sunt Christum Dominum, et hoc in pluribus, secundum quae et Christiani debent imitari exemplo evangelistarum. · Primo in scribendo · Secundo in praedicando · Tertio in vivendo · Quarto in perseverando · Ultimo in patiando Primo inquam in scribendo. Nam Christus in suo corde semper habuit scriptum quodammodo evangelium sacrum, scilicet quia semper scivit omnia a principio suae conceptionis. Sic evangelistae semper in corde portaverunt Christi evangelium, et instinctu Spiritus Sancti libris descripserunt pro documento fidelium. Et nos ergo Christiani debemus ipsum descriptum habere in corde nostro. Unde hortatur Sapiens Prover. III. in persona Dei dicens: *Fili mi, ne obliviscaris legis meae, et praecepta mea cor tuum custodiat*. Et infra: *Describe in tabulis cordis tui, et invenies gratiam coram Deo et hominibus*. 20 Exemplum habemus in Sancta Virgine Maria, de qua Luc. II. dicitur, quod *Maria conservabat omnia verba haec, scilicet evangelica, conferens in corde suo*. 21 Item in beata Caecilia, quae de hoc multum commendatur, quod evangelium Christi semper in pectore gerebat. Exemplum ergo in hoc datur Christianis, ne umquam obliviscantur verba et praecepta Christi evangelica. Sed heu multi licet saepe audiant, tamen mox obliviscuntur et corde et opere declinantes in peccata contraria. Contra quos Augustinus I. q. I. „Interrogo” dicit: *Non minus reus erit, qui verbum Dei de corde puro perire negligit, aliud cogitando aut loquendo, quam ille, qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit*. Haec Augustinus sententialiter. In figuram huius Dominus digito suo descripsit Decalogum in tabulis lapideis, ad innuendum, quod praecepta Dei, quae etiam in evangelio sunt confirmata, indelibiliter in memoria teneamus, nec obliviscamur. (I) Sed quaeritur: Cur Christus legem evangelicam non scripsit in tabulis materialibus aut chartis, ut sic daret eam scriptam discipulis, sicut dedit Decalogum scriptum in tabulis digito Dei? Ad hoc respondetur secundum doctores, quod huius una ratio est: propter prophetiae impletionem. Nam Iere. XXXI. scribitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda, id est fidelibus, foedus novum, id est legem novam, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris, 22 id est non secundum legem Veteris Testamenti, quia lex illa fuit timoris. Ista autem evangelica lex est amoris. Et ex hac propheta patet, quod illa lex vetus cessare debuit in adventu Christi. Sequitur infra: Sed hoc erit pactum, quod feriam post dies illos, dicit Dominus, id est post cursum Veteris Testamenti, dabo legem meam, scilicet novam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*. 23 Ex quo patet, quod Christus evangelicam legem non debuit scribere in tabulis vel chartis, sed in humanis cordibus, et hoc fecit, quando super credentes misit Spiritum Sanctum in die Pentecostes. Ideo subditur: *Et non docebunt ultra vir proximum suum et frater fratrem dicens: Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me*, etc. 24, quia omnes illi habuerunt a Deo immediate infusam scientiam. Et sic patet. Alia ratio propter mysticam significationem. Lex enim Moysaica fuit scripta in lapide, ad designandum, quod erat lex timoris et duri oneris vel servitutis. Sed lex Christi scripta est in corde, ad significandum, quod est lex amoris et adoptionis filialis. Rom. VIII.: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater*. 25 Tertia propter signandam promissionem. Lex enim Moysi videbatur promittere terrena, scilicet ingressum terrae promissionis, et ideo scripta est in lapide terrestri, licet pretioso, scilicet saphirico, ut dicitur. Sed lex Christi promittit spiritualia et animae salutem in caelo aeternam, ideo scripta est in anima. Debemus ergo, carissimi, in anima nostra describere iugi meditatione et servare evangelium. Nam Christus dicit: *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*. 26 Secundo debemus evangelistas imitari et Christum in praedicando, ut sicut Christus praedicavit evangelium suis, et evangelistae fidelibus, sic et nos Christiani nostris subditis exhibeamus ex evangelio doctrinam salutis. II. Tim. IV.: *Argue, obsecra, increpa*, 27 opus fac evangelistae, scilicet docendo. Tertio in vivendo. Sicut enim Christus et evangelistae vixerunt secundum evangelium, sic Christianus debet vivere secundum evangelium, ut dicit Augustinus, scilicet in cavendo omnia peccata mortalia, et servando omnia praecepta. Unde Christus dicit Ioh. XIV.: *Qui habet mandata mea, scilicet evangelica, et servat ea, ille est, qui diligit* etc. 28 Quarto in perseverando, ut sicut Christus et evangelistae perseveraverunt in observantia evangelii, sic debet facere et Christianus, Matt. XXIV.: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. 29 Ultimo in patiando, scilicet mortem et quaslibet persecutiones pro fide et observantia evangelii, si oportuerit etc. Nam et Christus passus est pro ipsa evangelica veritate, et evangelistae, similiter sic debent et Christiani, II. Tim. III.: *Omnes, qui pie volunt*

*vivere in Christo, persecutionem patientur.* 30 Rogemus ergo Christum, ut per merita sanctorum evangelistarum det nobis gratiam, ut imitando eos pervenire possimus ad gloriam. Amen.

---

1 Apc 14,6 2 Is 41,27 3 Hbr 11,6 4 Mt 19,17 5 Cf. Lc 13,3 6 I Io 2,6 7 Ioh 11,25 8 Ez 1,10; Apc 4,7 9 Rm 12,1 10 Phil 4,13 11 Prv 28,1 12 Rm 12,1 13 Gal 5,24 14 Ps 106,2-3 15 Sir 21,2-3 16 Ez 18,20 17 Iob 30,2 18 Ps 54,24 19 Ioh 8,34 20 Prv 3,1-4 21 Lc 2,19 22 Ier 31,31-32 23 Ier 31,33 24 Hbr 8,11 25 Rm 8,15 26 Lc 11,28 27 II Tim 4,2 28 Ioh 14,21 29 Mt 24,13 30 II Tim 3,12

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CIX.] Item de evangelistis, sive etiam de apostolis alius sermo communis *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* Ps. LXVII. 1 (A) Sicut Gregorius dicit: *In vanum laborat lingua praedicantis, nisi intus sit gratia Salvatoris,* sicut patet in exemplo de marmoreo lapide, qui licet ab extra lavetur et irrigetur aqua, intus manet siccus, nisi Deus, qui solus hoc potest, vel post Deum angelus faceret, ut scilicet per exteriorem infusionem etiam ab intra lavaretur penetrando, natura enim hoc non potest. Sic verbum praedicatoris exterius resonare potest, sed interius in corde vel anima non penetrat mundando, nisi assit gratia Dei animam ad verbum Dei vulnerans et penetrans et mundans. Bene ergo Ps. dicit: *Dominus ipse dabit verbum evangelizantibus virtute multa,* quia omnis virtus in verbo evangelii et praedicationis est a gratia Dei ipsius. Sed quoniam in virtute Spiritus Sancti evangelistae et apostoli evangelizaverunt verba Dei, et sic converterunt mundum, ideo ad honorem ipsorum merito haec verba accipiuntur pro sermone. Iuxta quae tria mysteria notemus pro sermone, secundum quod de his commendantur. · Primo de verbi Dei dono gratuito, cum dicitur: *Dominus dabit verbum* · Secundo de evangelii documento saluberrimo, cum dicitur: *evangelizantibus* · Tertio de nuncii bono superno et perpetuo, nam evangelizare est bona nunciare, et maxime bona caelestia (B) Circa primum de verbi Dei dono accipiamus hanc conclusionem, quod misericors et miserator Dominus ex amore, quo vult omnes homines fieri salvos, libenter dat verbum evangelicis praedicatoribus. Unde pro declaratione est notandum, quod sicut colligitur ex Scripturis et doctorum dictis, quaedam sunt, quae Deus numquam vult dare. Quaedam autem sunt, quae Deus dat non libenter, sed quasi invite. Quaedam vero sunt, quae Deus libenter dat ex amore. Primo inquam sunt quaedam, quae Deus numquam vult dare, ut sunt vitia et peccata. Unde Deus numquam dat homini facere peccatum, quia scribitur Iac.: *Nemo cum temptatur* (Lyra: id est cum per temptationem ad peccatum inducitur), *dicat, quoniam a Deo temptatur* (quoniam hoc est falsum), *Deus enim intemptator malorum est, ipse enim neminem temptat,* quia Deus non potest esse actor mali culpa. Sequitur: *Unusquisque vero temptatur a concupiscentia sua,* 2 scilicet inordinata, quoad temptationem in peccatum inducentem. Ex quo solvitur quaestio. Si quaeratur, quae sit causa peccati, vel unde habet ortum malitia, claret, quod non a Deo. Nam ut etiam Augustinus li. LXXXIII Quaestionum ait: *Deo auctore non fit homo deterior.* Sed causa peccati vel malitia non est nisi ipsa voluntas mali. Ideoque idem Augustinus XIV. De civitate Dei dicit, quod amor sui usque ad contemptum Dei facit civitatem diaboli, id est habitaculum peccatum. Et I. ac III. de libero arbitrio dicit, quod nulla re alia fit mens serva libidinis, nisi propria voluntate. Item de poenitentia dist. II. c. finali Gratianus dicit: *Nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, sed voluntate.* Et ratio, quia ut dicit Augustinus XXIII. q. IV. c. „Nabuchodonosor”: *Vasis irae numquam Deus iustus redderet interitum, si non spontaneum inveniretur homo habere peccatum, quia nec Deus peccanti homini iuste inferret iram, si homo ex praedestinatione Dei cecidisset in culpa.* Haec ibi. Ergo patet, quod Deus non dat peccare, alioquin quali iustitia puniret hominem pro peccato. (C) Sed forte petas, utrum diabolus possit esse causa peccati in homine. Respondetur secundum sententiam Bonaventurae super II. dist. XXII. in q. circa litteram, quod diabolus est quandoque peccati causa inducens, et quasi adminiculans, sed voluntas hominis est consummans. Unde Hieronymus super Iere. in Origi. dicit: *Quidquid peccamus, quidquid nocte et die malorum operum perpetravimus, imperium est daemonum.* Sed hoc non est sic accipiendum, quod omnia peccata hominum sint a diabolica suggestione, quia multa peccata proveniunt ex corruptione carnis et libertate arbitrii. Unde Augustinus li. De ecclesiasticis dogmatibus dicit: *Non omnes cogitationes malae a diabolo excitantur, sed aliquotiens ex motu liberi arbitrii emergunt.* Sed accipiendum est sic, quod omne peccatum procedit vel ex suggestione daemonum immediata, vel saltem ex suggestione primaria, qua scilicet primos parentes cadere fecit, quia omne peccatum, quod facimus, habet ortum quodammodo a peccato primo propter corruptionem, quae inolevit per originalis peccati transfusionem. Unde quamvis non omnis peccati causa directe sit diabolus, tamen indirecte et occasionaliter dicitur omnium nostrorum peccatorum causa inducens. Sicut ille, qui siccit ligna, est occasio combustionis ipsorum. Sed ad quaesitum advertendum est secundum Thomam Prima Secundae q. LXXX., quod cum omne peccatum sit voluntarium. Nam Augustinus De libero arbitrio dicit: *Omne peccatum adeo peccatum, in quantum voluntarium.* Quod si non est voluntarium, nullum est peccatum, ut patet XLV. dist. c. „De Iudaeis”, et XV. q. I. „Merito”. Ideo diabolus directe non est causa peccati hominis, quia licet possit incitare ad peccandum, non tamen potest voluntatem hominis movere ex necessitate. Nam ut Hieronymus ait: *Debilis est hostis, non potest vincere nisi volentem.* Et ideo non dicitur directe causa peccati diabolus, sed solum per modum proponentis appetibile, vel persuadentis et incitantis, sed nostrum est consentire vel dissentire per voluntatem. Unde sola hominis voluntas dicitur directe peccati causa perficiens et consummans. Ex quibus colligimus, quod nullus peccator potest conqueri de diabolo, sed tantum seipsum debet inculpare et accusare, patet etiam, quod Deus bonus non dat homini peccare. Unde gravis iniuria fit Deo, cum homo petit, ut adiuvet ipsum Deus ad perpetrandum vel posse perfici malum propositum. (D) Secundo dixi: sunt quaedam, quae Deus etsi dat petentibus, non tamen libenter dat, sed quasi invite. Et ista sunt quattuor. Unum est longa vita, maxime peccatoribus, qui nolunt converti, quia quanto tales plus vivunt, tanto maiorem sibi poenam acquirunt, et ideo Deus misericors non dat talibus longam vitam libenter, sed quandoque dat raro, ut insinuet, quod quasi dat non libenter, sed invite, pro suae iustitiae ostensione, qua, ut dicit Gregorius: *Deus quos peccatores diutius, ut convertantur, tolerat, si non convertuntur, durius damnat.* Sed tales (ut dicit Ps.) *subito deficiunt, perierunt*

*propter iniquitatem suam*, 3 et iterum: *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos*. 4 Denique bonis Deus libenter prolongat vitam. Ps.: *Longitudine dierum adimplebo eum*. 5 Ratio, quia quanto plus vivunt, plura merita adquirunt. Secundum est inimicorum vindicta, hoc etiam Deus non libenter dat, quia non est modo tempus vindictae, sed misericordiae. Unde et praecepit Matt. V.: *Diliges inimicum tuum* etc. 6 Sed in futuro retribuet. Rom. XII.: *Mihi vindictam et ego retribuam, dicit Dominus*. 7 Tertium est divitiarum copia, quam Deus non libenter dat, quia sunt occasio peccati, Eccli. XI.: *Si fueris dives, non eris immunis a peccato*. 8 Et I. Tim. VI.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in temptationem et laqueum diaboli*. 9 Quartum est saecularis potentia, hoc ideo, quia saepe quanto maiores sunt in potentia, tanto maiores sunt in malitia, et maiores erunt in poena. Sap. VI.: *Potentes potenter tormenta patientur*. 10 Unde Matt. XX., cum Iacobus et Iohannes matrem submittentem peterent, ut sederet unus eorum ad dextram, alius ad sinistram in regno Christi, ipse Christus reprehendit hanc petitionem dicens: *nescitis, quid petatis* etc. 11 (E) Tertio dixi, quod sunt quaedam, quae Deus libenti amore dat, et ista sunt quattuor. Unum est peccatorum venia, scilicet in vera poenitentia. Nam tam libenter dat, quod ipsemet praevenit peccatorem ad ostium cordis pulsans, Apoc. III.: *Ego sto ad ostium et pulso*, et promittit dicens: *Si quis aperuit mihi, scilicet poenitentiam, intrabo ad eum, et cenabo cum illo*. 12 Item Ps.: *Cor contritum et humiliatum* etc. 13 Secundum est gratia in praesenti vita, Luc. VI.: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester caelestis dabit spiritum bonum petentibus se*. 14 Tertium est gloria in patria. Ps.: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*. 15 Et Lu. XXII.: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. 16 Quartum est verbi Dei affluentia, quae est ad salutem necessaria. Iaco. I.: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et dabitur ei* etc. 17 Nimirum quam libenter Deus dat verbum salutis omnibus hominibus audire volentibus, hoc claret ex pluribus signis. Primo quia ob hoc ipsemet Dei Filius exiit de caelo, ut seminaret verbum suum per mundum, Lu. VIII. Secundo quia ob hoc a principio mundi patriarchas et prophetas misit. Tertio quia ob hoc apostolos et evangelistas destinavit per mundum universum. Quarto quia ob hoc usque ad finem mundi praedicatores et doctores mittere non destitit, ut ait Gregorius. Ecce ergo claret magna Dei charitas, qua tam sollicita quaerit per verbum nostram salutem. O ergo homo, disce cavere peccata, et salubria a Deo petere ac verba Dei audire. (F) Circa secundum de documento evangelii, scilicet ad salutem necessaria quaeritur: Quae sunt praecepta in doctrina evangelica, quae observare obligatur omnis Christiana anima pro aeterna salute necessaria? Ad quod respondetur, quod in sancto evangelio Christus tradidit plurima praecepta, quae possunt reduci ad haec decem praecipua (secundum alphabetum): Primum est praeceptum adhaesionis fidei catholicae. Unde Iohannis III. Christus ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Qui credit in eum, non iudicatur*. 18 Lyra: id est non habet causam, ut iudicetur ad damnationem. Et hoc dummodo credit quis in Christum fide formata charitate. Sequitur: *Qui autem non credit, iam iudicatus est*, 19 id est habet in se causam manifestam iudicii ad damnationem. Sicut ille dicitur mortuus, qui habet in se causam manifestam mortis. Secundum est praeceptum baptismi et sacramentalis gratiae. Unde Ioh. III. dicit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. 20 Unde baptismus est sacramentum necessitatis. Sed quid de aliis sacramentis, numquid omnia sacramenta sunt necessitatis? Respondetur secundum doctores, praecipue fratrem Angelum de Clavasio, quod ponuntur quinque sacramenta necessaria ad salutem, eo quod sine ipsis non potest quis salvari, si ex contemptu omittuntur, dum haberi possunt. Et sunt ista scilicet baptismus, confirmatio, poenitentia post peccatum mortale commissum, Eucharistia et extrema unctio, ut notatur I. q. I. § „Sed nondum”, et in c. veniens de transact. in glossa. Alia autem duo sacramenta, scilicet matrimonium et ordo dicuntur sacramenta voluntaria, quia sine ipsis potest salvari quis, si non vult ea. Tertium est praeceptum charitatis divinae amicitiae, de quo Matt. XXII. et Lu. X.: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo* etc. 21, hoc fac, et vives. Ubi nota, quod sicut Chrysostomus ait, in eo, quod dicit ‘toto’, non recipit sectionem, id est divisionem, ut scilicet partim diligas Deum, partim peccata, sed hoc excludit omne mortale peccatum, quia omne tale contrariatur Deo. Unde et Sap. XIV.: *Similiter Deo odio sunt impius et impietas eius*. 22 O ergo anima, dilige Deum finem ponendo peccatis. Quartum est praeceptum Decalogi observantiae. Nam Matt. XIX. Christus dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, 23 scilicet Decalogi, quia sine observatione illorum praeceptorum moralium non est salus, ut confirmavit Christus in evangelio. Quintum est Ecclesiasticae unionis et oboedientiae. Unde Matt. XVIII. dicit Christus: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. 24 Unde omnes schismatici et haeretici damnabiles sunt, ut dicit Augustinus extra de haere. c. I. Sextum est praeceptum fraternae dilectionis et misericordiae. Matth. XXII.: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*. 25 Et Matt. V.: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos* etc. 26 Lu. VI.: *Estote misericordes, sicut et Pater vester caelestis* etc. 27 (G) Quaeritur: Utrum omnis Christianus tenetur sub praecepto opera misericordiae exercere? Respondetur secundum sententiam Richardi in IV. dist. XV. et Thomae II. II. q. XXXII. aliorumque communiter, quod opera misericordiae exhibere proximo est praeceptum tam ex lege naturae, quam ex lege divina, quam ex lege canonica, LXXXVI. dist. „Non satis” et VII. q. I. „Omnes”. Unde I. Ioh. III. scribitur: *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo*. 28 Et Glossa I. Tim. IV. dicit: *Omnis summa disciplinae Christianae est in misericordia et pietate*. Sed quia hoc praeceptum est affirmativum, ideo non obligat ad semper, nisi pro loco et tempore. Unde considerandum est, quod homines sunt in differentia triplici. Quidam sunt defectum patientes in temporalibus, et tales non tenentur aliis erogare sua, quia ordinata charitas a seipso incipit. Alii autem sunt habentes sufficientiam necessariorum in temporalibus secundum sui status convenientiam quoad se et suos, quibus debet providere, nec habent aliquid superfluum, tunc non tenentur sub praecepto erogare sua aliis, nisi quis esset in extrema necessitate constitutus, quem posset sublevare sine sui et suorum notabili vel magno detrimento, tunc enim tenet. Unde Ambrosius LXXXVI. dist.: *Pasce – inquit – fame morientem*. Quisquis enim pascendo hominem servare poteris, si non paveris, fame occidisti. Denique alii sunt habentes etiam abundantiam et superflua in temporalibus, et tales tenentur sub praecepto misericorditer proximis subvenire etiam circa necessitatem extremam. Septimum est praeceptum gerendae crucis poenitentiae. Unde Luc. XIV.: *Qui non*



*baiulat crucem suam et sequitur me, non est me dignus.* 29 Et XIII.: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* 30 Est autem poenitentia secundum Gregorium et Ambrosium praeterita mala, id est peccata plangere, et plangenda iterum non committere, ut patet in IV. dist. XIV. Octavum est habendae in adversis patientiae. Lu. XXI.: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* 31 Et ca. VI.: *Benedicite maledicentibus vobis,* scilicet imprecando eis bona gratiae et gloriae, *et orate pro persecutoribus* etc. 32 Nonum est praeceptum iustitiae, de quo Matt. V. Christus dicit: *Nisi abundaverit iustitia vestra, plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum* etc. 33 Et VII.: *Omnia, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* 34 Nam quia haec est iustitia legis naturalis, a qua derivantur omnia praecepta, quae ordinant hominem ad proximum. Ideo subdit Christus: *Haec est enim lex et prophetarum* etc. 35 Decimum est praeceptum perseverantiae, de quo Matt. XXIV. Christus dicit: *Qui perseveraverit usque in finem,* id est usque ad mortem patiendam in fide formata charitate observando praecepta, *hic salvus erit.* 36 O ergo Christiane, discite haec praecepta evangelica servare in finem, ut salveris. (H) Circa tertium de nuncio bono, scilicet quod in evangelio annunciat per evangelistas, sit pro conclusione dictum Glossae Act. I., et Augustinus dicit sic: *Evangelium est bona nuntiatio, in qua nuntiatur requies post laborem, regnum post servitium, vita post mortem et gaudium post dolorem.* Declarari potest haec conclusio ex ipsis Scriptis evangelicis atque evangelistarum figuris consonantibus. Primo quidem dicitur, quod in evangelio annunciat requies post laborem, quia annunciat, quod Christus per multos labores et praecipue passionis pervenit ad requiem caelestis mansionis. Unde Luc. ultimo scribitur: *Oportebat pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.* 37 In quo docemur, quod ad caelestem patriam *nos quoque oportet intrare per multas tribulationes,* ut ait Paulus Act. XIV. 38 In huius figuram evangelicus vir Lucas in figura bovis signatur, quia bos est animal laboriosum et immolaticium speciale, eo quod maiora sacrificia de bobus fieri consueverant in lege. Ideoque in hoc docetur, quod evangelii sectatores, id est Christiani laborare debent in bonis operibus et passione adversitatum pro requie regni caelestis, ad exemplum Christi et beati Lucae aliorumque evangelistarum et sanctorum. Secundo dicitur, scilicet in conclusione qua supra, quod in evangelio annunciat regnum post servitium, scilicet Deo exhibitum et debitum. Unde Matt. XXV. Christus dicit servo bono et fideli: *Euge serve bone et fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini.* 39 Econtra subdit de malo dicens: *Inutilem servum eicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* 40 In cuius figuram consonat, quod Matthaeus in hominis facie figuratur. Homo enim factus est ad servandum Deo, ut serviendo fideliter mereatur, scilicet per hoc regnare cum Deo perpetuo, ut docet Magister in II. dist. I. Ideoque per hoc docemur, quod si nos volumus esse boni, et evangelici Christiani debemus servire Christo, ut regnemus cum Christo exemplo Matthaei et sanctorum. Tertio dicitur, quod in evangelio annunciat vita post mortem, vita, inquam, beatae resurrectionis et immortalis, ad quam Christus post mortem resurrexit, de qua inter evangelistas evidenter scribit Marcus, qui figuratur per leonem. De quo Rabanus dicit, quod leonis catulus natus tribus diebus et noctibus dormit quasi mortuus, sed deinde patris rugitu excitatur. In quo docemur, quod de morte culpae debemus resurgere per tres partes verae poenitentiae, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem ad vitam gratiae in praesenti, si volumus pervenire ad beatam vitam gloriae, quae promittitur in evangelio, et sic regnare cum Christo et sanctis. Quarto additur, quod in evangelio annunciat hominibus gaudium post dolorem. Nam Ioh. XVI. Christus ait: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* 41 Et secundum Lyram litteraliter loquitur de tristitia, quam habuerunt discipuli de passione et morte Christi. Ponitque ad id exemplum, dicens: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius, cum autem peperit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium* etc. 42 *Et vos quidem nunc tristitiam habetis, iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollit* etc. 43 Ecce ergo evangelium post dolorem compassionis cum Christo crucifixo, et etiam post dolorem de peccatis annunciat nobis gaudium sempiternum. Et hoc figuraliter docetur per aquilam in Iohanne, nam aquila, ut ait Augustinus super Iohannem, et Ambrosius in Hexaemeron, altissime volat super omnes aves, et iucundatur in aspectu Solis irreverberatis oculis intuendo, adeo quod pullos suos pater ungue suspendens radiis Solis opponit, qui si contemplatus Solem fuerit, filius verus agnoscitur et fovetur, si autem acie palpitaverit, tamquam adulterinus abicitur. Item Plinius dicit, quod aquila in nido ponit quendam lapidem pretiosum, qui ipsum iuvat in dolore partus ad pariendum faciliter. Per haec ergo docemur, ut condoleamus Christo passo pro peccatis nostris, et sic volare poterimus ad gaudium divinae visionis eius, quod nobis promittitur in evangelio. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut per merita sanctorum evangelistarum det nobis gratiam, qua vivamus secundum evangelium in praesenti, et tandem perveniamus ad caeleste gaudium. Amen.

---

1 Ps 67,12 2 Iac 1,13-14 3 Ps 72,19 4 Ps 54,24 5 Ps 90,16 6 Mt 5,43-44 7 Rm 12,19 8 Sir 11,10 9 I Tim 6,9  
10 Sap 6,7 11 Mt 20,22 12 Apc 3,20 13 Ps 50,19 14 Lc 11,13 15 Ps 83,12 16 Lc 12,32 17 Iac 1,5 18 Ioh  
3,16-18 19 Ioh 3,18 20 Ioh 3,5 21 Mt 22,37; Lc 10,27 22 Sap 14,9 23 Mt 19,17 24 Mt 18,17 25 Mt 22,39 26  
Mt 5,44 27 Lc 6,36 28 I Io 3,17 29 Cf. Lc 14,27; Mt 10,38 30 Lc 13,3 31 Lc 21,19 32 Cf. Lc 6,28 33 Mt  
5,20 34 35 Mt 7,12 35 Mt 7,12 36 Mt 24,13 37 Cf. Lc 24,46 38 Act 14,21 39 Mt 25,21-23 40 Mt 25,30 41  
Ioh 16,20 42 Ioh 16,21 43 Ioh 16,22

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CX.] De uno vel pluribus martyribus Sermo communis *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.* Luc. IX. c. 1 (A) Item aliud thema pro pluribus accipe hoc: *Dico vobis, amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus* etc., Lu. XII. 2, et ad laudem huius festivitatis. Sicut docet Augustinus, duo sunt amores, et duo sunt timores, qui sunt causae omnis boni, et causa omnis mali. Nam amor Dei est causa omnis boni, amor autem sui ipsius est causa omnis mali. Unde in li. De civitate Dei dicit, quod civitatem caelestis Ierusalem facit amor Dei usque ad contemptum sui crescens. Civitatem autem diaboli Babylonicam facit amor sui crescens usque ad contemptum Dei. Similiter timor Dei est causa omnis boni, timor autem mundi, quo timet sibi quis, ne ei sit male in saeculo isto, est causa omnis mali, ut

idem Augustinus dicit super Ps. Idcirco Christus Dominus voluit in cordibus hominum inserere amorem Dei et timorem Dei, ut excludet et amorem sui ipsius hominis, et timorem mundi, dicit ergo: *Qui perdidit etc.*, et iterum: *Dico vobis, amicis etc.* Iuxta quae verba commendatur sanctus iste martyr, sicut et ceteri martyres praecipue de tribus, de quibus erit hic sermo. · Primo de mortis tolerantia, ibi: *Qui perdidit animam*, id est vitam animalem sustinendo mortem propter Deum. Item in alio themate, ibi: *qui occidunt* · Secundo de passionis causa salutifica, ibi: *Qui perdidit propter me etc.* Item in alio themate, cum dicitur: *amicis meis*, quod dicit: pro amore meo patientibus · Tertio de perfectionis gloria, quia martyrium pati perfectionis est. Item in alio themate hoc notatur, cum dicitur: *ne terreamini*, quod est perfectionis. (B) Circa primum de morte constanter sustinenda pro amore Christi Filii Dei exemplo, scilicet sanctorum martyrum quaeritur, quare debeant omnes Christiani libenter animam ponere amore Christi, nec timere mori, videlicet sive certando pro fide Christi, sive reluctando contra consensum peccati. Ad quod respondendo secundum doctores plurimae rationes inductivae accipiuntur. Prima ratio accipitur ex parte Dei et eius voluntatis, quia persecutores nil possunt facere contra fideles Christianos, nisi quantum Deus vult vel permittit, et ideo considerantes, quod Deo volente patimur mortem, libenter sustinere debemus, ut illius voluntati conformemur. Hanc rationem fundat Chrysostomus in Originali super Matt. dicens sic: *Forte aliquis dicat, ut quid tanta licentia data est malis, ut etiam contra voluntatem Dei habeant in sanctis potestatem nocendi. Absit. Nihil enim possunt Deo nolente. Nonne duo passeret asse veneunt, et unus ex eis non cadet in terram sine voluntate Patris vestri, dicit Christus Matt. X. 3 Si ergo passeret in voluntate Dei positi sunt, non in potestate hominis, quos tamen Deus fecit ad gloriam suam. Si passer eventu non moritur, nec evadit, quia est opus Dei, quanto magis iustus homo, quia imago est Dei, sed aut a Deo traditus moritur, aut a Deo liberatus evadit. Si in passeribus nil sine ratione agitur, quorum duorum pretium est assis, quanto magis in vobis sine Deo nil agitur, quorum pretium est Christi sanguis.* Haec Chrysostomus. Secunda ratio ex parte electi fidelis, de quibus Christus dicit Matth. X.: *Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt*, 4 super quo verbo idem Chrysostomus fundat rationem talem dicens sic: (C) *Quid nobis prodest capillos numeratos habere, si occidimur et morimur. Sed ideo numerati sunt, ut in aeternum vivamus. Numquid ideo numerat Deus aliquid, ut numerum eius cognoscat, qui ab initio, ut dicit Sapientia, scilicet Eccli. I.: Omnia in pondere et numero et mensura creavit. 5 Sed ideo numerat, ne aliquid pereat ex ipsis. Unde dicit Ps.: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur. Vides ergo, quia non solum non minuuntur, qui numerati sunt, sed etiam multiplicabuntur, 6 hoc est: electi. Qui autem perdit sunt, non numerantur, peccatores enim ut quid numerentur, quos Deus non vult habere, illud autem numerat Deus, quod vult possidere, ideo non numerantur peccatores, ut quicumque ex illis perierit, non sentiat, neque curet Deus, sicut de non suis, sicut scriptum est videlicet Isa. XL.: Omnes gentes, scilicet peccatores quasi nihil et inane reputatae sunt coram Deo. 7 Melior est ergo coram Deo unus iustus, quam totus mundus peccatoribus plenus.* Haec Chrysostomus. (D) Tertia ratio accipitur ex parte persecutoris, quia persecutor nil potest, nisi quantum a Deo accepit potestatis. Augustinus: *Cupiditatem nocendi per te habes, potestatem autem nocendi non habes, nisi Deus det.* Ideo Christus ait iudici: *Non haberes adversus me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper*, Ioh. XIX. 8 Immo etiam ipse diabolus non potuit auferre etiam unam oviculam Iob, nisi diceret Deo: „*Sed nunc mitte manum tuam*” 9, id est da mihi potestatem. Magna est ergo consolatio filiis Dei, quando persecutor eorum est sicut virga in manu Patris ipsorum, qui est Pater misericordiarum, unde credendum est, quod non permittit eos affligi, nisi in quantum viderit eis utile esse. Ps.: *Quoniam non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* 10 Et I. Cor. X.: *Fidelis Deus, qui non patietur vos temptari super id, quod potestis, sed faciet cum temptatione proventum etc.* 11 Hinc Chrysostomus ubi supra dicit: *Non debetis timere, homines, non enim quando volunt impii, tunc possunt nocere, sed quando Deus illis nocendi tempus concesserit, ut provideat sanctis suis coronam. Deo namque liberante homo tibi nocere non potest, etiam si vult. Deo autem tradente homo tibi parcere non potest, etiam si vult.* Et ponit exemplum de Christo, quem Pilatus dimittere volebat, sed non potuit, quia Deus noluit. Quarta ratio accipitur ex parte nostri corporis, quia videlicet ipsum corpus nostrum non est nostrum proprium, sed nobis ad tempus accommodatum, et ideo illud exercere debemus ad nostram utilitatem. Unde Chrysostomus ubi supra dicit sic: *Ecce si mutuo aliquid accipis, ut puta bovem aut equum, nonne assidue opus tuum in eo operaris, ad quod mutuasti. Dicis enim apud te: Hodie aut cras tollendus est a me, quia non est meus. Et tu in corpore corruptibili et temporali quare non ad utilitatem animae tuae uteris, sciens, quia post modicum tollendum est a te, quia non est tuum. Quae est ista insipientia, odire, quod nostrum est, scilicet animam, et servare amando, quod nostrum non est, corpus scilicet.* Haec ille. Quinta ratio est ex parte animae respectu carnis, quia ut dicit Apostolus Gal. V.: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur*, 12 ergo caro est in nocumentum animae tamquam hostis familiaris. Sed ut dicit Boethius De consolatione li. III.: *Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus.* Ideo non est multum curandum, si occidatur pro animae salute propter Deum. Unde Chrysostomus ubi supra dicit: *Substantia hominis, scilicet principalior et dignior non est corpus, sed anima, hanc enim solam Deus ad imaginem suam fecit, hanc diligit, propter hanc fecit et mundum, propter hanc ipse Filius Dei venit in mundum. Corpus autem vestimentum est animae, quod si occidatur, damnus naturae suae anima non patitur.* Idemque: *Verius autem – inquit – non solum ad vestimentum animae caro creata est, sed magis ad temptationem eius, quasi domestica et naturalis inimica.* Haec Chrysostomus. (E) Sed posset quis quaerere: Cur Deus copulavit talem hostem familiarem et domesticum, ut in hac vita semper circumferat et nutriat, scilicet carnem, a qua impugnetur? Respondet ibidem Chrysostomus dicens: *Caro ad temptationem animae quasi domestica et naturalis inimica est copulata, ut dum expugnatur a carne, nec vincitur, a Deo coronetur, quia ut Paulus ait II. Tim. II.: Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit.* 13 Et tandem Chrysostomus subdit: *Si ergo caro animae inimica est, quis sapiens non intelliget, quia occisio corporis, scilicet pro salute animae optanda est magis, quam timenda.* Haec ille. Sexta ratio ex parte mortis et eius obligationis, quia homo obligatur mori propter primorum parentum transgressionem, Gen. III.: *Quaecumque hora comederitis, morte moriemini*, 14 id est necessitatem mortis

incurretis. Et ideo quando vult Deus et qualiter vult, sic a nobis mortem debitam exigit, sive occisione per hominem, sive per bestiae morsum, sive per ignem, sive per praecipitium, sive per quaecumque modum et casum, nec possumus effugere manum Dei. Ps.: *Domine, quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam* etc. 15 Et ideo cum necessario simus morituri optanter vel libenter, debemus mori ad Dei gloriam, ut de necessitate faciamus virtutem, et mereamur patriam. Unde Chrysostomus ubi supra hanc rationem fundat clare super illud dictum Salvatoris Matt. X.: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt*. 16 (F) Ut autem melius capiamus ac cordi imprimamus, quaero te, o homo, quid amittis, cum pro Christo vel iustitia morti traderis. Respondet Chrysostomus ubi supra, quod nihil perdis, nisi mortis dilationem, eo quod etiam si non occidereris propter Deum, nihilominus postmodum a teipso moriturus esses necessario, et ideo acceleratio illa mortis solam dilationem tollit. Item quaero: Numquid vere putandum est, quod in hoc homo non perdit etiam ipsam mortis dilationem. Ad quod respondet Chrysostomus dicens sic: *Magis credendum est nec ipsam mortis dilationem perdere. Si enim verum est, quia nec folium cadit de arbore sine voluntate Dei, quia dies numerati ad vitam nobis sunt dati a Deo, credere ergo debemus, quia nec morimur ante diem, nec transire possumus diem, scilicet a Deo praefixum*. Haec ille. Subdit quoque idem Chrysostomus dicens: *Nunc autem ponamus, quod ante diem morimur propter Deum. Si ergo gratis post modicum morituri sumus, quia non est melius antea mori in causa Dei cum gloria, ut fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, ut offeramus pro munere, quod requiritur a nobis pro debito*. Haec Chrysostomus. Septima ratio ex parte punitionis et praemiationis. Nam omnibus dicit Christus Matth. X.: *Magis autem timete eum, potest et animam et corpus perdere in gehennam*. 17 Nam revera ut ait Bernardus: *Melius est in praesenti pati modicum in tribulationibus, quam et aeternaliter cruciari in futuro tormentis gehennalibus*. Unde et ibidem Christus de praemio subdit dicens: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est*. O ergo homo, considera, quia per praesentem passionem, quam pro Christo sustines, aeterna tormenta evades, et beatitudinem perpetuam acquires, et ideo libenter mortem excipe peccatis resistens, sicut fecerunt sancti martyres. Et sic patet.

(G) Circa secundum de passionis causa salutifica quaestio occurrit, qualibus de causis debeat quis martyrium pati vel mortem tolerare, ut mereatur coronam habere. Ratio quaestionis est, quia ut Augustinus ait: *Martyrem facit non poena, sed causa*, ergo in passione multum observanda est causa ipsa. Ad quod respondetur secundum Franciscum de Mayronis ac Nicolaum de Gorra super Matth. II. aliosque doctores per quattuor veritates notatas a Francisco de Mayronis in sermone de sancto Stephano martyre. Prima veritas est, quod martyrium non est sustinendum propter evadendam aliquam miseriam temporalem, sicut faciunt quidam pessimi homines, qui se occidi procurant pro evasione poenae vel miseriae temporalis. Unde Augustinus I. De civitate Dei dicit, quod *interficere seipsum intuitu propriae personae, ut quis per hoc mortem acerbiorum vel turpiorem evadat, semper est illicitum*, ergo etc. Secunda veritas, quod martyrium non est sustinendum propter evadendam poenam aeternalem, scilicet principaliter et directe hac intentione patiendi, et non ob Dei amorem. Ratio huius est, quia talis patitur ex timore servili, et ideo non sufficit, ut martyr sit de directo. Unde I. Ioh. IV.: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*, 18 scilicet servilem. Verumtamen si quis patitur principaliter quidem pro amore Dei et propter cavendam eius offensam, licet minus principaliter, cum hoc etiam propter amorem poenae infernalis mortem susciperet, talis martyr esset patiendi ex causa debita. Tertia veritas, quod martyrium non est sustinendum principaliter intendendo propter retributionem caelestem. Ratio, quia talis amor erga Deum non est verae charitatis, sed est amor concupiscentiae. Nam charitas vera est, qua diligitur Deus mere propter se, et proximus in Deum et propter Deum, ut ait Magister in III. Licet quippe caelesti retributione Deus remuneret certitudinaliter homini patienti pro Deo debito modo, tamen homo non debet pati principaliter ob hoc solum, ut remuneretur, ita quod nollet pati, si non retribuere sibi, quia sic servilis esset actio vel passio, et non liberalis pure pro amore Dei, et ideo non sufficeret ad acquirendam gloriam caelestem, nisi principalis intentio esset pati ex charitate liberaliter, quamvis minus principalis intentio remunerationis vel spes praemiationis non vitiat. Unde Rom. VIII.: *Non accepistis spiritum servitutis etc., sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, quod si filii et heredes* etc. 19 Filius autem bonus voluntatem patris perficit, etiam si nullam sperat retributionem. Quarta veritas, quod martyrium sustinendum est pure propter Dei charitatem et ad Dei gloriam ob debitam causam concurrentem. Nam Richardus de arrha sponsae dicit, quod *si ovis ex charitate Dei in se poenam suscipiat, non poena, sed gloria est*.

(H) Sed occurrit quaestio: Quae sunt causae, ex quibus quis mortem patiens martyr efficitur? Respondetur secundum doctores praedictos, quod sunt plurimae. Prima causa, cum quis occiditur pro fide catholica. Unde Leo papa dicit: *Omni postposito dubio, qui pro fide Christi moritur, caeleste praemium consequitur*, patet in apostolis. Secunda est, quando quis occiditur pro iustitia et sancta vita, ut patet in Abel, quem occidit Cain, invidens, quod Deo esset acceptus. Tertia est, cum quis occiditur pro lege divina et observantia, ut patet in Machabaeis VII fratribus. Et sic quicumque non consentit peccato, eo quod est contra legem Dei, si ob hoc occiditur, fit martyr. Quarta cum quis occiditur pro iniquitatis redargutione debita et veritate praedicanda ac constantia, ut patet in Iohanne Baptista, quem occidit Herodes, eo quod arguebat de adulterio. Similiter in Ieremia, quem lapidavit populus, eo quod arguebat vitia eorum. Item in Isaia aliisque prophetis praedicantibus veritatem. Augustinus: *Melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione consequi beneficium*. Quinta cum quis occiditur occasione Christi principaliter seu ex eius odio vel inimicitia, ut patet in innocentibus ab Herode occisis. Similiter si quis propter nomen Christianum occiditur principaliter, fit martyr. Secus si propter res vel temporalia. Sexta cum quis occiditur pro oboedientia Ecclesiae iuridica in his, quae sunt ad salutem pertinentia, ut patet in beato Laurentio, qui martyrizatus est eo, quod ex iussu papae Sixti distribuit thesauros Ecclesiae pauperibus. Nam secundum sanctum Thomam II. II. *omnia opera virtutum, secundum quod referuntur in Deum, sunt protestationes fidei, et sic possunt esse causae martyrii*. Unde quicumque patitur pro opere bono faciendo et malo vitando propter Deum, est vere martyr, ceteris debite concurrentibus. Septima cum quis occiditur pro libertate Ecclesiastica, ut patet in sancto Thoma Cantuariensi. Octava cum quis occiditur pro virginitate servanda, patet in beata Agnete. Nona cum quis patitur pro salute fraterna, unde I. Ioh. III. scibitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis*



posuit, et nos debemus pro fratribus nostris animas ponere. 20 Et hoc praeceptum est, primo quidem praelatis, quando lupus, id est haereticus subintraret ad corrumpendum gregem in fide et moribus, ut pro ovibus se morti exponat. Secundo etiam his, qui viderent proximum periclitari in anima, et non possent aliter illi subvenire, nisi morte se exponerent, ut patet de sancto Vitali martyre, qui Ursicinum confortavit in fide, et pro hoc martyrizatus fuit. Haec Lyra. (I) Circa tertium de gloria martyrii sit pro conclusione, quod martyres Christi permaxima fulgent gloria caelesti. Nam primo fulgent in gloria essentiali, quae consistit in tribus. Primo in Dei visione. Secundo in Dei fruitione. Tertio in Dei perpetua tentione propter charitatem Christi perfectissimam. Nam gloria essentialis correspondet charitati, *non est autem maior charitas, quam ut quis animam suam ponat pro amico*, id est Deo, prout dicit Christus Ioh. XV. 21, ergo etc. Denique secundo ipsi gloriosi martyres praefulgent in gloria consubstantiali sive corporali, quam habebunt post resurrectionem, quae consistit in quattuor dotibus, scilicet claritate, subtilitate, agilitate et impassibilitate. Ut autem Augustinus De civitate Dei dicit: *In martyribus cicatrices mira gloria et decore fulgebunt post resurrectionem*, ergo etc. Insuper tertio ipsi praefulgent in gloria accidentali, quia habent aureolam specialem martyrii. Unde ut Bernardus ait: *Talis et tanta est illa gloria caelestis, quod etiam si donares, quidquid potes, quidquid es, non eris sicut stella ad solem, pulvis ad montem, stilla ad flumen. Nec sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*, ut dicit Apostolus Rom. VIII. 22 Rogemus ergo Dominum, ut per merita martyrum det nobis gratiam in praesenti et gloriam sempiternam in futuro. Amen.

---

1 Lc 9,24 2 Lc 12,4 3 Mt 10,29 4 Mt 10,30 5 Cf. Sap 11,21 6 Ps 138,17-18 7 Is 40,17 8 Ioh 19,11 9 Iob 2,5 10 Ps 124,3 11 I Cor 9,13 12 Gal 5,17 13 II Tim 2,5 14 Cf. Gn 2,17; 3,3-5 15 Ps 138,7 16 Mt 10,28 17 Mt 10,28 18 I Io 4,18 19 Rm 8,15-17 20 I Io 3,16 21 Ioh 15,13 22 Rm 8,18

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXI.] De uno martyre vel pluribus Sermo secundus communis tractans de martyrio *Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit* etc. Item aliud thema: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam*, Ioh. XII. 1 Item pro pluribus thema consimile sit hoc: *Martyres Domini, Dominum benedicite in aeternum*. (A) Haec verba canit Ecclesia in officio divino, et merito accipiuntur pro themate sermonis, quia ut Bernardus dicit: *Ecclesia Sancta est Christi sponsa, ideo eius verba sunt valde authentica*. Item Innocentius dist. XI. c. „Quis nesciat” dicit, quod ab omnibus observari debet, quod Romana servat Ecclesia. Nam ut ibidem c. „Ecclesiasticarum” Augustinus ait: *Ritus Ecclesiae a Scriptura et a traditione apostolica et a consuetudine sancta pullulaverunt*. Ideoque verba eius ad honorem huius sancti vel horum sanctorum martyrum, quibus verbis commendat nobis et proponit martyres in exemplum, cum devotione debemus audire pro sermone accepta, scilicet: *Hic est vere martyr* etc., vel illud: *Martyres Domini, Dominum benedicite*, immo et vos fideles Dominum benedicite in martyribus, ut scilicet per illorum merita adquiratis gratiam Dei et gloriam. Iuxta haec ergo verba sancti martyres commendantur de tribus, de quibus in hoc sermone tria mysteria tractabimus. · Primo de martyrii veritate, ibi: *Hic est vere martyr*. Item in alio themate cum dicitur: *Martyres* · Secundo de martyrii varietate, quia dicitur martyr Christi vel Domini, et non diaboli · Tertio de eius praemii felicitate, quae debetur martyribus in caelo, propter quod in aeternum benedicunt Dominum (B) Circa primum de martyrii veritate quaeruntur praecipua tria: · Primo de eius quidditate · Secundo de eius virtuositate · Tertio de eius gradus qualitate Primo ergo hic quaeritur, quid sit verum martyrium, ut sciamus, quis dicatur vere martyr Christi. Ad quod respondetur secundum Franciscum de Mayronis sermone de sancto Stephano protomartyre aliosque doctores, quod martyrium verum proprie dicitur a morte, quando quis moritur pro Deo et eius iustitia. Unde Augustinus super epistolam Iohannis dicit: *Martyr Graece testis dicitur Latine, quia morte sua testimonium fert veritati*. Est ergo martyrium mortis toleratio ab aliquo patienter propter Deum et iustitiam. Secundo quaeritur: Quae requiruntur ad martyrii virtutem? Respondetur: praecipua requiruntur quattuor. Primum est certa et debita causa, ut scilicet homo moriatur pro Deo vel pro iustitia, et non pro culpa propria. Iuxta illud I. Pet. II.: *Quae enim est gratia, si peccantes colaphizati suffertis, sed si beneficientes patienter suffertis, haec est gratia apud Deum*. 2 Et iterum: *Si quid patimini propter iustitiam beati*. 3 Unde si quis patitur mortem pro culpa, sicut latrones patiuntur, non esset martyr verus. Nam et latro iuxta crucem Christi pendens licet sit salvatus, tamen non est martyr, quia occisus est propter culpam suam. Secundum requiritur intentio recta, scilicet ut non patiat propter aliquam rem temporalem vel mundanam. Unde Iudas Machabaeus, qui propter verecundiam humanam noluit fugere de bello, et ibi interfectus est, I. Machab. IX., non est martyr, licet pro iustitia sit occisus. Similiter si quis daret se morti pro Christo non intentione gloriae Dei vel iustitiae aut aedificationis Ecclesiae, sed eo quod vitam suam habet exosam, non fieret martyr, sed mortalissime peccaret, ut notat frater Angelus. Et de hoc latius prosecutus sum sermone praecedenti articulo II. Tertium requiritur voluntas non coacta, ut scilicet sponte et non invitatus moriatur, quia alioquin non esset martyrium. Unde Ps.: *Voluntarie sacrificabo tibi*. 4 Verumtamen illi, qui non habent usum rationis, si occidantur, occasione Christi martyres fiunt, ut patet de innocentibus occisis ab Herode. Nam in talibus sufficit, quod non habent contrariam actu voluntatem. Quartum requiritur persona distincta, scilicet ut non ipse seipsum interficiat, sed alter ipsum occidat, quia ut Augustinus dicit: *Sceleratissimi sunt homines, qui se perimunt*. Unde numquam licet homini seipsum occidere aut mutilare, hoc enim non fit sine peccato mortali, quia nemo suorum membrorum est dominus, XXIV. q. V. „Si non licet”. Excipitur mutilatio, quae fit causa medicaminis, quia hoc licet, ut patet de hoc LV. dist. c. „Si quis”. (C) Sed hic potest quaeri, utrum liceat alicui occidere seipsum, ne aliquis cogat eum ad peccatum. Respondetur secundum doctores, praecipue fratrem Angelum de Clavasio, quod non licet, prout ait Augustinus li. I. De civitate Dei et habetur XXIII. q. V. „Si non licet”, ad idem XXIII. q. IV. „Displicet”, quod si quis dicat – quia Hieronymus XXIII. q. V. c. „Non est nostrum” contrarium videtur dicere, et ex hoc, ut dicit ibi glossa, quidam dixerunt, ubi fides Ecclesiae et castitas corporis impugnatur, licet alicui se occidere –, respondetur, quod ut Augustinus ubi supra dicit: *Ad quodcumque malum quis cogatur, non potest se*

*occidere licite.* Et ideo illud Hieronymi dictum, cum dicit sic: *Non licet mihi propria manu perire in persecutionibus absque eo, ubi castitas periclitatur* – intelligendum est, quod haec dictio absque ponitur inclusive, quod dicit: nec in istis casibus, in quibus magis videtur, licet alicui se occidere, sicut in simili ponitur Canti. IV. dicendo: *Pulchrae sunt genae tuae absque eo, quod intrinsecus latet.* 5 Sic haec dictio 'absque' pro etiam inclusive ponitur a Hieronymo ubi supra. Sed quid dicemus de Samsone, qui se interfecit cum Philisteis, et de pluribus talibus etiam sanctis martyribus, qui se praecipitaverunt in ignem ob amorem Christi et fidem vel huiusmodi. Ad hoc dicendum, quod haec fecerunt ex speciali revelatione Dei et opere Spiritus Sancti, ut dicit Augustinus dicto capitulo „Si non licet”, quae non sunt trahenda ad sequentia alia. Et sic patet ad secundum. 6 (D) Tertio quaeritur: Quot sunt gradus martyrii vel quales sunt? Ad quod secundum Franciscum de Mayronis ubi supra respondetur, quod potissime quattuor gradus possunt assignari. Primus est infantium, qui sine propria voluntate pro Deo occiduntur, ut patet in innocentibus ad Herode occisis, sicut supra tactum est. Secundus gradus altior est, infirmorum scilicet, qui non possunt effugere mortem, quam libenter vitarent, nisi mortaliter peccarent, et tamen plus eligunt bonam mortem, quam peccare. De hoc gradu dicit Christus Mat. X.: *Cum persequantur vos in civitate illa, fugite ad aliam.* 7 Tertius gradus perfectorum, qui mortem non fugiunt, sed expectant, quamvis fugere possint, ut patet de pluribus. Quartus est perfectissimorum, quando aliqui non solum mortem non fugiunt, sed desideranter pro Christo insequuntur, sicut Paulus ait Act. XXI., cum Agabus praedixisset sibi persecutionem in Ierusalem futuram: *Ego – inquit – non solum alligari, sed et mori paratus sum pro nomine Iesu.* 8 Nec potuit retineri a fratribus, quin ascenderet in Ierusalem. O ergo animae Christianae, considerate sanctorum martyrum exempla, qui se libenter tradiderunt in mortem pro Christo, ut et vos potius sufferatis quamcumque mortem, quam peccato consentiatis. (E) Circa secundum de martyrii varietate quaestio occurrit: Quot sunt genera martyrii? Ad quod respondetur secundum Franciscum simulque alios doctores, quod sunt multi, qui dicuntur martyres diaboli, et sunt multi martyres Christi, et horum aliqui corporales, alii spirituales. Primo inquam sunt multi in mundo martyres diaboli, ut qui sustinent poenas et mortem ad consequenda peccatorum desideria, de quibus Bernardus: *Sunt, qui laborem et dolorem sustinent, sed non est eis pars in Domino, sicut raptores frigus et aestum sustinentes ac vigiliis, vestiti armis equitantes, et fastigia sustinentes causa avaritiae.* Similiter hastiluses duros labores sustinentes propter vanam gloriam, et sic de aliis. Item omnes habentes malam conscientiam sunt martyres diabolici, quia semper sustinent poenam remorsus conscientiae, alii pro superbia, alii pro luxuria et sic de aliis. Unde Ecc. XII.: *Non est ei bene, qui assiduus est in malis.* 9 Ratio quia ut dicit Augustinus, *omnis inordinatus animus est sibi ipsi poena.* Item Hugo: *Non est gravior poena, quam remordens conscientia.* Tales ergo omnes in peccatis laborantes sunt martyres diaboli, quia laborant in causa diabolica, *causa autem facit martyrem,* ut dicit Gregorius in Registro. O ergo peccator, tu adverte, quid pro labore tuo diabolus solvet, quia tormenta tantummodo et nullam aliam persolutionem habebis ab eo, ergo respisce. (F) Secundo alii sunt martyres Christi, de quibus canitur praedictum thema: *Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit.* Et illud: *Martyres Domini, Dominum benedicite in aeternum.* Horum autem martyrum aliqui sunt corporales, alii spirituales. Pro quo notandum, quod martyrum Christi quattuor ponuntur genera varietatum. Primum est, quando passio redundat in corpus et animam, sicut fuit martyrium Christi, qui in passione prae omnibus dolores sustinuit. Tren. I.: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.* 10 Secundum genus est, quando passio est in anima tantum, sicut fuit passio in anima Virginis Mariae compatiens super Filio crucifixo iuxta prophetiam Simeonis Luc. II. dicentis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* 11 Tunc enim martyrium maximum sustinuit Beata Virgo, de qua Bernardus dicit: *Longe eam plus quam martyrem censemus, in qua compassionis affectus superavit passionis effectum.* Tertium genus est, quando passio solum corpus affligit, sed in anima habet magnam dulcedinem, ut patet de sancto Laurentio, qui cruciatus epulas reputavit, et de sancto Stephano, de quo canitur: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt* etc. Item de sancta Agatha et aliis. Quartum genus est, quando passio non est occidens corpus, nec animam separans, sed per continuam mortificationem Christo crucifigitur, et hoc est martyrium spirituale. Unde Gregorius in homilia „Loquente Iesu ad turbas etc.” dicit sic: *Quamvis occasio persecutionis desit, habet tamen pax nostra martyrium suum, quia et si carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus.* Haec ille. Sed iuxta hoc quaeritur: Quot modis potest quis fieri martyr spiritualis? Respondetur recolligendo doctorum dicta: plures modi assignantur circa hoc. (G) Primo adversitatis patienti toleratione. Unde Gregorius in homilia de martyribus dicit: *Duo sunt martyrii genera. Unum in occulto in mente. Alterum in aperto in mente simul et actione. Itaque martyres esse possumus etiam si ferro non trucidemur. Mori quippe a persequente martyrium in aperto est opere. Ferre vero contumelias, odientem diligere martyrium est in occultis cogitatione.* Et infra: *Nos – inquit – sine ferro martyres esse possumus, si patientiam in animas veraciter custodimus.* Haec Gregorius. Nimirum quod horum est maius signum gratiae, an mortuorum suscitatio et quorumlibet miraculorum operatio, an potentia? Respondet Ambrosius dicens: *Ego patientiam maiorem virtutem reputo miraculis, quia patientiam in adversis non potest dare natura, sed sola Dei gratia, nec operatio miraculorum reddit Deo gratum hominem, sicut reddit patientia.* Unde impatientes per murmurationem ostendunt se ipsos esse vacuos a gratia Dei. Sicut rota sonans ostendit se non bene unctam esse. O ergo homo, esto patiens. Secundo quis martyr spiritualis efficitur boni desiderii ad martyrium flagratione. Unde Gregorius li. III. Dialogorum dicit: *Martyrium in occulto est, cum ad passionem virtus prompta flagrat in animo.* Item Cyprianus de poenitentia dist. I. c. „Numquid” dicit, quod *in servis Christi, apud quos cogitatur et martyrium mente concipitur, etiam si affectus martyrii ad effectum non deducitur, ipsa sola voluntas coronatur.* Haec ibi. Tertio compassione in proximi necessitate. Unde Gregorius: *Qui dolorem – inquit – exhibent in aliena necessitate, crucem portant in mente.* (H) Unde ex hoc est documentum, quod qui intimo corde compatitur super Christi passione, spiritualis martyr fit, sicut Beata Virgo Maria facta est martyr circa crucem Christi compatiendo. Similiter et Iohannes evangelista factus est spiritualis martyr sub cruce condolendo, propter quod ipsi ambo, scilicet Maria et Iohannes non sunt permisi pati dolorem in morte, ut dicit Hieronymus. Et huius una ratio est, quia cum *Deus non puniat bis in idipsum,* ut dicitur Naum III. 12 Ideo ex quo semel dolores martyrii

sustinuerunt in anima compatiendo, non debuerunt postea in morte dolores habere. Item ex dictis etiam patet, quod bonum est compati pauperibus in eorum necessitatibus, et maxime compati debemus proximis in defectibus spiritualibus, scilicet quando videmus aliquem peccare. Gregorius: *Tanto quis perfectior est, quanto dolores sentit alienos*. Quarto spiritualis martyr fit quis dura vitiorum et concupiscentiarum mortificatione, unde Bernardus in sermone „Festivitas” dicit: *Quid mirabilius aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas algere, paupertate premi inter divitias, quas noster desiderat appetitus. An non merito coronabitur, qui sic legitime certaverit?* Idem: *Vere martyrii genus est quotidiana carnis mortificatio. Illud nimirum quo ferro membra caeduntur, horrore quidem est immitius, istud tamen diuturnitate molestius*. Haec Bernardus. O ergo homo, si non vales fieri martyr corporaliter mortem sustinendo, disce fieri saltem martyr spiritualis. (I) Circa tertium principale de felici praemio martyrii, hoc est: de aureola, quae ei debetur, quaeritur, quales martyres et quomodo merentur coronari aureola in caelo pro gloria martyrii. Ad quod respondetur secundum doctores, praecipue Petrum de Palude, et post eum Antoninum Florentinum in III. parte Summae tit. XXXIII., quod ad consequendam aureolam martyrii requiruntur simul haec tria, scilicet perseverantia in poena, causa debita et voluntas spontanea, sine quibus aureola non datur. Primo ergo requiritur perseverantia in poena usque ad mortem, propterea nec datur ista aureola martyrii oboedientibus, etiam si oboedientia durat usque ad mortem, licet in talibus mactatur propria voluntas. Nec datur pauperibus, quamvis mundo moriantur in religione. Nec datur poenitentibus pro poenitentia, qua crucifigunt spiritualiter carnem vel castigant corpus. Et sic de aliis omnibus, qui non sunt passi poenam mortis ab alio illatam. Unde nec tribus pueris in camino ignis positus aureola data est proprie. Nec etiam Iohanni evangelistae proprie, quando in dolio ferventis olei conservatus est, nisi dicatur illi concessa a Deo ex privilegio speciali, quod pie putatur. (K) Sed quaeritur hic: Quid de illo, qui genus mortis sibi infligendum eligit? Respondetur secundum praedictos doctores, quod qui genus mortis eligit sibi propter Deum, ut legitur de beato Petro, qui petiit, quatenus versis pedibus crucifigeretur, ne simili poena cum Domino moreretur ex humilitate et charitate, talis non perdit aureolam. Si autem quis propter seipsum elegerit genus mortis, ut tolerabiliorem seu faciliorem mortem habeat, perdit aureolam. Unde de Seneca dicit Hieronymus, quod fuisset martyr, nisi genus mortis elegisset optione sibi data. Et in III. Dialogorum dicitur, quod quidam sanctus traditus Longobardis ut occideretur, sibi data mortis optione nullam eligere voluit, sed dixit illam mortem se toleraturum, quam Dominus permetteret, unde patet, quod Christianus non debet eligere sibi mortem. Secundo ad consequendam aureolam martyrii requiritur causa debita, quia ut Gregorius in Registro dicit, et etiam Glossa Rom. VIII.: *Martyrem non facit poena, sed causa*. Nam martyr est testis in causa fidei. Et ideo pro quocumque articulo fidei quis patiatur mortem, fit martyr. Similiter si mortem quis patiat pro iustitia conservanda, ne offendatur Deus, vel pro Ecclesia, ne scilicet sequatur dispendium iuris vel iniustitia contra Ecclesiam, sicut fecit sanctus Thomas Cantuariensis, talis fit martyr. Item pro quacumque virtute quis moriatur, vere est martyr, quia virtutibus desponsatur Ecclesia Christo. De hoc latius sermone I. Tertio quoque ad consequendam aureolam requiritur voluntas, unde se defendens et invite moriens non habebit aureolam. Et quid de cruce signatis, qui in bello hostium pugnando pereunt? Respondet Antoninus ubi supra, quod tales *dum mortem non fugiunt, sed eligunt pro Christo vel Ecclesiae defensione, martyres sunt. Non enim se, sed Christum et Ecclesiam defendendo moriuntur*. Haec Antoninus. Unde si qui in bello tali propter gloriam acquirendam vel verecundiam cavendam nolunt fugere, sed mori eligunt, non sunt martyres. O ergo carissimi, accedamus ad deprecandum sanctos martyres, ut per eorum merita et orationes det nobis Christus gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Amen.

---

1 Ioh 12,25 2 I Pt 2,20 3 I Pt 3,14 4 Ps 53,8 5 Cf. Ct 1,9; 4,1-3 6 Cf. Angelus de Clavasio, *Summa angelica de casibus conscientiae*, Homicidium 3.: „Utrum liceat alicui occidere seipsum, ne aliquis cogat eum ad peccatum? Respondetur, quod non, ut in d. c. „Si non licet” et XXIII. q. „Displicet”, unde Hieronymus in c. „Non est nostrum” XXIII. q. V. dicit: Unde et in persecutionibus non licet mihi propria manu perire absque eo, ubi castitas periclitatur. Haec ille. Et licet aliqui ex hoc dicto dixerint, quod ubi castitas impugnatur, licet se occidere. Hoc est falsum, ut patet in praeallegatis c. Et ideo haec dictio ‘absque’ ponitur inclusive, sicut ibi: *Pulchrae sunt genae tuae absque eo, quod intrinsecus latet*. Sic et dictio ‘usque’ etiam inclusive ponitur, ff. de pig. act. l. I., XIII. q. II. „Ebron”. Et quod legitur de Samsone, qui se interfecit, et idem de aliquo alio dicendum, quod hoc fuit ex speciali revelatione Dei, ut dicitur in d. c. „Si non licet”.” 7 Mt 10,23 8 Act 21,13 9 Sir 12,3 10 Lam 1,12 11 Lc 2,35 12 Cf. Na 1,9

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXII.] De uno vel pluribus martyribus communis sermo tertius *Qui vicerit, possidebit hoc* (scilicet caeleste regnum) *et ero illi Deus, et ipse erit mihi filius*. Apoc. XXI. 1 Item pro pluribus aliud thema: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*. Heb. XI. 2 (A) In quibus verbis ostenditur, quod sancti martyres gloriosam victoriam et triumphum obtinuerunt in vita, in morte et post mortem. In vita quidem, quia vicerunt carnem, mundum et diabolum, dum nullo peccato consentire voluerunt. Item in morte, quia tantam constantiam habuerunt in charitate Christi, quod etiam per tormenta a Christo non potuerunt separari. Unde Gregorius homilia de apostolis dicit: *Ecce electi Dei carnem domant, daemonibus imperant, praesentia, id est mundana despiciunt, ad aeternam patriam currunt, atque ad illam per tormenta pertingunt, occidi possunt, sed flecti nequeunt*. Haec ille. Sic ergo post mortem triumphando caeleste regnum possederunt. Et hoc est, quod dicitur in themate: *Qui vicerit, scilicet carnem, mundum et diabolum, possidebit hoc, id est regnum caelorum, et ero illi Deus* (dans gloriam), *et ipse erit mihi filius*, scilicet per assimilationem perfectam ad Christum. Item in alio themate dicitur, quod fuerunt *sancti*, et habuerunt *fidem, et vicerunt regna, et operati sunt in iustitiam, ac sic adepti sunt repromissiones* aeternae hereditatis. Quibus docemur et nos taliter imitari illos, ut possidere valeamus caeleste regnum. Ad



honorem ergo huius martyris vel istorum haec verba convenienter accipiuntur pro sermone. In quibus commendantur de tribus. · Primo de virtuosa constantia, ibi: *Qui vicerit*. Item: *Sancti per fidem* · Secundo de victoriosa patientia, scilicet qua *vicerunt regna, et possident caelum* · Tertio de gloriosa corona repromissa, cum dicitur: *Ero illi Deus*. Item: *adepti sunt repromissiones* (B) Circa primum de constantia martyrum quaeritur, quare sancti Dei et omnes Christiani debeant summopere esse constantes in pugna contra carnem, mundum et diabolus. Ad quod respondetur, quia ista pugna nisi quis assequatur victoriam, est valde periculosa quadruplici ratione: · Primo propter belli continuitatem · Secundo propter cadendi gravitatem · Tertio propter diaboli calliditatem · Quarto propter exitii aeternitatem Primo propter belli continuitatem, quia numquam intermittit diabolus nos impugnare, sed continue contra nos machinatur, etiam cum non extimaretur. Unde Bernardus: *Tres – inquit – hostes habemus praecipuos: mundum, carnem et diabolus*. E quibus duo primi si quando intermittunt, numquam tamen penitus dimittunt. Tertius vero, scilicet diabolus tam execrabili odio contra nos coniuravit, ut numquam vel ad momentum intermittat, immo cum non sentitur impugnari, acius impugnat. Nimirum ubique diabolus nobis laqueos tetendit ad capiendum in peccatis, scilicet in visu, in auditu, in gustu, in tactu, in odoratu. Item in sedendo aut stando laqueos otii et malae cogitationis in dormiendo, in laborando indiscretionis, in comedendo, bibendo etc. Unde legitur, quod sanctus Antonius abbas vidit mundum totum plenum retibus et laqueis diaboli, et interrogavit dicens: „Domine, quis haec potest evadere?” Responsum est: humilitas, scilicet poenitentiae. Sicut videmus, quod piscis et cervus evadit rete de subter emergendo. Sic in proposito. Ideoque Iob VII.: *Militia est vita hominis super terram*. 3 (C) Sed quare dixit 'super terram', non 'supra terram', nec 'subter terram', nec 'in terram'? Respondetur, quod ideo non dixit 'supra terram', quia supra terram, scilicet in caelo nulla est pugna, sed est pax ibi continua. Postquam enim mali angeli deieci sunt, deinceps nulla est in caelo pugna. Isa. XXXIII.: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. 4 Item non dixit 'sub terra', quia ibi, scilicet in Inferno non est pugna, sed incarceratio perpetua, ubi etiam daemones damnatos flagellant et cruciant, ipsi tamen non possunt repugnare nec se defendere tamquam ligati et compediti. Matt. XXII.: *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium*. 5 Denique non dixit 'in terra', quia in terra sunt homines terrena amantes et toto corde terrenis haerentes. In quibus etiam non est pugna, quia non resistunt diabolo, sed voluntarie sequuntur eum in peccatis, et ideo Gregorius dicente diabolus illos temptare vel impugnare negligit, quos quieto iure possidere se sentit. Sed notanter dixit: 'super terram', quia viri sancti et fideles nec omnino sunt in terra, ut sunt cupidi, nec omnino sunt in caelo, ut sunt beati, sed mente elevati sunt super terram, scilicet per desiderium et meditationem, licet corpore sint in terra. Iuxta quod dicit Apostolus Phil. III.: *Nostra conversatio est in caelis*, 6 et sic tales dicuntur super terram. In istis est militia, quia pugnant contra temptamenta diaboli resistendo, ergo merito dicitur, quod *militia est vita hominis*, scilicet boni *super terram*. Hinc Bernardus dicit: *Sentit, scilicet temptationes, qui dissentit, non sentit, qui consentit*. Secundo pugna sanctorum periculosa est propter cadendi gravitatem, quia qui cadit et vincitur in ista pugna, super omnes alios casus periculosius et gravius cadit. (D) Quaero nempe te, o homo, quem casum reputas deteriorem super omnes casus, qui possunt esse. Si dicas: Casus in lutum, quo suffoceris, aut cadere forte in cloacam stercore plenam, et ibi suffocari peius est, aut cadere in cavernam serpentibus et bufonibus mordentibus plenam horribilius est. Prae his autem omnibus deterius est cadere in Infernum ad tormenta aeternalia et indicibilia. Sed secundum veritatem super haec omnia deterius est cadere in peccatum mortale, nam est supra casum et mortem in scaeno vel stercore, quia scribitur Sap. VI.: *Luto vilior est vita eius*, 7 id est peccatoris. Item Ioel. I.: *Computruerunt iumenta*, id est carnales homines *in stercore suo*, 8 id est in peccatis. Et certum est, quod peccatum foetidius est coram Deo super omnia stercorea et foetida. Praeterea gravius est cadere in peccatum, quam cadere in ora serpentum, bufonum et draconum, quia ista venenant et occidunt corpus tantum, sed peccatum occidit et veneno perpetuo inficit animam. Unde Ecc. XXI.: *Quasi a facie colubri fuge peccatum*. 9 Minus dicit, et plus intelligit, id est plus quam a facie colubri. Denique cadere in peccatum peius est, quam cadere in Infernum, Ecc. XXVIII.: *Mors illius*, id est peccati, *mors nequissima, et utilis potius Infernus, quam illa*. 10 Lya: quia poena infernalis minus mala est, quam peccatum mortale. Nam malum culpae mortalis est privatio boni divini, quod est infinitum. Malum autem poenae infernalis in quantum poena, tantummodo est privatio boni creati, propter quod minus habet de ratione mali. Et sic patet, quod quilibet homo magis debet cavere peccatum, quam quodcumque malum, etiam Infernum. Unde Anselmus li. similitudinum dicit: *Si hinc peccatum et illinc Infernum haberem, et unum eorum necessario immergi deberem, prius me in Infernum dimergerem, antequam peccatum admitterem*. Et intelligendum est de Inferno, secundum quod poena sine peccato. Tertio pugna sanctorum est periculosa propter diaboli deceptionem et calliditatem. Unde Gen. III. scribitur: *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae*. 11 (E) Lya: Ista calliditas refertur principaliter ad daemonem, qui in serpente apparuit. Sicut lingua alicuius dicitur erudita, quia prudenter movetur ab intellectu illius. Unde diabolus tamquam serpens est valde astutus contra sanctos. Primo quia nullum vincere potest per potentiam, sed per calliditatem vincit ac fraudulentiam. Isidorus: *Debilis est hostis antiquus, non potest vincere nisi volentem*, id est consentientem. Secundo quia mille nocendi artes habet. Unde Hieronymus ad[versus] Helvidium: *Persequitur me hostis, cui non una, sed mille sunt nocendi artes*. Hinc et diabolus mille artifex dicitur. Tertio quia cum serpens habeat caput, corpus et caudam, fraudulenter caput immittit, quo admissio statim totus illabitur. Sic de diabolo dicit Hieronymus: *Lubricus est serpens antiquus, et nisi capite teneatur, statim totus illabitur*. Per caput intellige mali suggestionem, per corpus delectationem, per caudam consummationem. Unde Hieronymus ille praedicator beatus, qui statim, ut ceperint cogitatus, allidit eos ad petram, id est Christum. Quarto propter exitii aeternitatem, quia succumbenti aeternum a parte post tormentum imminet in Inferno et mors perpetua. Et per contrarium vincenti praemium datur aeternae beatitudinis. Unde Iaco. I.: *Beatus vir, qui suffert temptationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se*. 12 O ergo Christiane, stude vincere carnem, mundum et diabolus, ne pereas, sed coronam possideas, nam *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, ut dicit Apostolus. 13 (F) Circa secundum de victoria patientiae martyrum quaeritur: Quomodo sancti martyres per patientiam dicuntur victores vere vel triumphatores, cum ipsi videntur fore victi, utpote puniti variis

supplicis et occisi? Ad quod respondet Maximus in sermone dicens sic: *Est autem quorundam saecularium sententia, qua dicere solent apud belligeros viros: victus dicitur occisus. Hoc dicit suis dilectoribus mundus. Sed fidelibus suis aliud loquitur Christus. Et infra: Aliud est enim occidi pro Christo. Qui enim occiditur pro mundo, vincitur, cum occiditur, non enim occideretur, nisi vinceretur. Qui autem occiditur pro Christo, non vincitur, quamvis occidatur. Sed revera victor occiditur, quia cum occiditur, victor efficitur.* Haec ille. Notandum autem secundum eundem Maximum aliosque simul doctores, quod sancti Dei per patientiam victores veri et nobilissimi efficiuntur pluribus rationibus: · Prima ratio ex parte patientiae · Secunda ratio ex parte animae · Tertia ratio ex parte caelestis coronae · Quarta ratio ex parte invincibilis pugnae · Prima ratio ex parte patientiae, quia iste modus vincendi, scilicet per patientiam est nobilissimus et gloriosissimus ac virtuosissimus. Est quippe nobilissimus, quia ut scribitur Prover. XVI.: *Melior est vir patiens viro forti, scilicet fortitudine corporali, quanto melior est anima corpore, et qui dominatur animo expugnatore urbium.* 14 Nam patientia opus perfectum habet, I. Iaco. I. ca. 15 Propter quod Diogenes philosophus dixit Alexandro Magno, qui multas urbes expugnaverat: „Tu – inquit – es servus servi mei”, quia Diogenes per rationem dominabatur suo appetitui sensitivo. Alexander vero serviebat appetitui sensitivo. Proinde canit Ecclesia de martyribus, quod *hoc est victorum genus optimum.* Item iste modus vincendi est gloriosissimus, quia assimilat Christo Dei Filio, qui vicit per patientiam, et efficit hominem filium Dei. Matth. V.: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri* etc. 16 Denique est virtuosissimus, quia ut Seneca ait: *Magnanimitas est iniurias in summa patientia pati. Sunt enim innumerabiles, qui populos et urbes habuerunt in potestate, paucissimi, qui se. Facilius est enim gentem vincere, quam se.* Haec Seneca. Secunda ratio ex parte animae, quia martyr in anima est invictus, cum non cessit voluntate. Sed ut Augustinus ait De civitate Dei: *Victoria non est aliud, quam subiectio repugnantium, ergo vincere non est aliquem vulnerare vel occidere, sed suae voluntati oboedire.* Cum ergo martyr victor existit in anima, in qua vinci non potuit, sequitur, quod gloriosissime triumphavit. (G) Nam quaero: Unde iudicatur homo esse vere homo, nisi ex parte animae, et non ex parte corporis, quia homo est animal rationale? Et ut Augustinus super Ioh. dicit: *Non distat homo a pecore, nisi intellectu et ratione, cum corpus mortale habeat, sicut et pecora.* Sic ergo homo in omnibus iudicandus est ex parte animae. Unde non est dicendus homo pulcher in corpore, qui est foedus in mente. Matt. XXIII.: *Vae vobis, hypocritae, qui similes estis sepulchris dealbatis, quae a foris apparent speciosa, intus autem sunt plena omni spurcitia.* 17 Item non est dicendus nobilis quis ratione generis, sed ratione virtutis. Unde Augustinus: *Malus etiam si regnat, servus est tot dominorum, quot vitiorum, quia qui facit peccatum, servus est peccati,* Ioh. VIII. 18 Item non est dicendus vere vivus, qui in anima est per peccatum mortuus, quia *a principali debet fieri denominatio,* ut dicit Philosophus in Praedicamentis. Sic qui in anima cavet mortem et vincit, vere victor est multo fortior, quam qui in corpore tantum vincit. Unde Augustinus De civitate Dei dicit: *Si diligenter consideremus, cum quis pro veritate fideliter moritur, mors cavetur, scilicet aeterna.* Suscipitur a corpore separatio animae, nec tamen a Deo, qui est vera vita, anima separatur. Unde patet, quod martyr vere victor dicitur. Cum autem quis in anima cesserit peccato, vere victus est turpiter. Tertia ratio ex parte caelestis coronae, quia martyr pro invicto, id est Christo Domino occisus iuste coronatur tamquam victor. Unde Maximus in sermone dicit: *Corona victoribus datur. Quomodo ergo occisus ille victor negatur, qui pro eo, quod occiditur, a iusto iudice coronatur. Ecce beatus hic martyr occisus est quidem, non tamen victus, quia pro invicto invenitur occisus. Invictus est enim Christus, pro quo maluit occisi martyr, qui si occidi pro invicto metueret, ad victoriam non veniret.* Haec ille. Quarta ratio ex parte invincibilis pugnae, quia sancti martyres patiendo non possunt flecti a iustitia vel vinci a malo, sed potius ipsi vincunt invincibilia regna. Propter quod de eis canitur: *Sancti per fidem vicerunt regna,* ut in themate. (H) Sed qualia regna vincunt sancti Dei? Respondetur, quod tria sunt genera invincibilium, quae ipsi vincunt. Primo regnum daemonum, de quo Iob XLI.: *Non est potestas in terra, quae comparetur ei,* 19 id est potestati diaboli, qui quidem regnat in hominibus per peccatum. Ideoque sancti et fideles Christi victores dicuntur, quia vincunt regnum peccati, quod est regnum invincibile secundum quid tamen, quia innumerabiles homines diabolus sibi subicit per peccatum. Sed sancti hoc regnum per peccati et temptationum resistentiam vincunt. Ad quod hortatur omnes Apostolus Rom. VI. dicens: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut oboediatis concupiscentiis eius, sed exhibete vos Deo.* 20 Secundo vincunt regnum mortis et inferorum, quod etiam est invincibile secundum quid, quia mors omnes necat, innumerabiles ad Inferna deducit. Sed hoc sancti vincunt per Christi charitatem. Unde Cant. VIII.: *Fortis est, ut mors, dilectio, dura, sicut Infernus, aemulatio.* 21 Tertio vincunt regnum caelorum, et quod est maximum, vincunt ipsum invincibilem Deum, cui nullus potest resistere. Unde Salvator dixit Matt. XI.: *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* 22 (I) Sed quomodo exemplo sanctorum possimus vincere regnum caelorum et omnes beatos caelestes ac ipsum invincibilem Deum. Respondetur, quod per poenitentiam et lacrimosam orationem. Unde Bernardus: *O felix lacrima, tuum est regnum, tua est potentia, tu vincis invincibilem et ligas omnipotentem.* Haec ille. Exemplum de Moyse, cui oranti dixit Dominus Exo. XXXII.: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra populum istum.* 23 Et cum ille non cessaret orare, placatus est Dominus. Ecce ergo patet, quod sancti martyres merito dicuntur victores, quia vincunt Deum precibus, poenitentia et patientia, omnia quoque regna invincibilia vincunt. O ergo homo, fac similiter, et eris victor gloriosus, ac possidebis regnum caelorum. (K) Circa tertium de gloriosa corona repromissa, quia dicitur in themate, quod sancti sunt adepti repromissiones. Nam et in primo themate repromittit Deus vincenti dicens: *Ero illi Deus, et ipse mihi filius.* Quaestio haec sufficiat pertractanda, scilicet quare caelestis corona et praemia illa beatorum vocantur in Scriptura repromissiones, et non simpliciter promissiones dicuntur. Respondetur, quod ideo, quia saepe et saepius Deus illa repromisit hominibus. Unde dicuntur repromissiones a 're', quod est 'iterum', et 'promissiones', quasi iteratae promissiones. Nimirum Deus vitam beatam se nobis daturum promisit omnibus modis, quibus consuevit fieri promissio apud homines, videlicet verbo, iuramento, signo, dono et pignus dando. Primo inquam verbo, Gen. XV.: *Noli timere, Abraham, ego ero merces tua magna nimis.* 24 Item XII.: *Semini tuo dabo terram hanc* etc. 25 Per semen Abrahae figurabantur omnes fideles fidem Abrahae imitantes, et per terram promissionis terra viventium, id est caelestis beatitudo, quam Deus promisit. Secundo

iuramento, Lucae I.: *Iusiurandum, quod iuravit Abraham, patrem nostrum* etc. 26 Item in Novo Testamento Christus quasi iuramento promisit, cum Ioh. X. dicit: *Amen, amen dico vobis, ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur*, scilicet ad unionem deitatis, *et egredietur*, scilicet ad visionem humanitatis gloriosae, et utrobique *pascua inveniet*. 27 Tertio signo, scilicet manum applicando, quod fecit in assumptione humanae naturae et crucis passione, ubi manum extendit. Hoc petebat David dicens: *Fac mecum signum in bono, ut videant*. etc. 28 Quarto dono promisit, cum Spiritum Sanctum donavit, per quem fideles salventur. Unde Petrus Act. I.: *Poenitemini, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu, et accipietis donum Spiritus Sancti, vobis enim est repromissio* etc. 29 Ultimo promisit pignus dando, scilicet corpus et sanguinem in Eucharistia. Ioh. VI.: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*. 30 Unde canit Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur*. O ergo immensa charitas et pietas Christi erga nos. O homo, reama Deum te sic amantem, quia indubitanter dabit tibi perseveranti vitam aeternam. Quam nobis praestet Christus Dominus. Amen.

---

1 Apc 21,7 2 Cf. Hbr 11,33 3 Iob 7,1 4 Is 32,18 5 Mt 22,13 6 Phil 3,20 7 Sap 15,10 8 Ioh 1,17 9 Sir 21,2  
10 Sir 28,25 11 Gn 3,1 12 Iac 1,12 13 II Tim 2,5 14 Prv 16,32 15 I Iac 1,4 16 Mt 5,44-45 17 Mt 23,28 18  
Ioh 8,34 19 Iob 41,24 20 Rm 6,12-13 21 Ct 8,6 22 Mt 11,12 23 Ex 32,10 24 Gn 15,1 25 Gn 12,7 26 Lc 1,73  
27 Ioh 10,9 28 Ps 85,17 29 Act 2,38 30 Ioh 6,52

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXIII.] Sequitur de sanctis confessoribus pontificibus Sermo communis primus *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam omnia bona sua constituet eum*. Mat. XXIII. 1 et in evangelio huius sollemnitatis. (A) Quibus verbis Christus hortatur omnes suos fideles et cum ipsis praecipue Ecclesiae praelatos, quatenus in hac vita sic Deo deserviant, videlicet in actibus charitatis se exercendo, ut possint esse securi in iudicio mortis de consequenda beatitudine per gratiam Dei. Ideo loquendo omnibus dicit Christus: *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus*, Lyra: quaerens in morte rationem suae servitii, *invenerit sic facientem*, id est in actibus charitatis se exercentem, et sic praeparatum ad salutiferam mortem. Nimirum Christus merito talem servum dicit beatum, quia beatus est in vita beatitudine spei ex gratia Dei. Nam secundum Magistrum in III. dist. XXVI.: *Spes est certa expectatio futurae beatitudinis ex meritis praecedentibus et Dei gratia proveniens*. Sicut enim qui seminat, spem habet messis bonae ex semine in futura aestate suo tempore, sic in proposito. Item talis est beatus in morte, quia Apoc. XIV. scibitur: *Beati, qui in Domino moriuntur*. 2 Denique talis beatus est post mortem, quia in caelesti beatitudine perpetuo felicitatur, ideo subdit Christus tales assecurando: *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum*. Nam *beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*, ut dicitur De consolatione li. III. Sic fecit ille sanctus confessor, de quo hodie agimus festum, ideo de ipso haec verba canuntur pro nostra aedificatione ad eius imitationem, scilicet: *Beatus ille servus* etc. In quibus verbis hic sanctus N. commendatur et in exemplum proponitur de tribus. · Primo de salubri praeparatione mortis, ibi: *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus* etc. · Secundo de sublimi operatione amoris, ibi: *sic facientem*, scilicet in actibus charitatis · Tertio de felici retributione boni caelestis, ibi: *super omnia bona* etc. (B) Circa primum de salubri praeparatione ad mortem sit pro conclusione, quod benedictus Dominus Iesus in ipso sacro evangelio multipliciter hortatur nos ad praeparandum pro suo adventu in mortis iudicio. Et declaratur ex processu evangelii, quod legitur de confessoribus. Nam primo hortatur mortis incertitudinem docendo, cum dicit: *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*, 3 scilicet ad mortis iudicium. Gregorius: *Ille vigilat, qui apertos oculos in vero lumine tenet, ut tenebras negligentiae vitet*. Nam ut Auctor De spiritu et anima dicit c. XXVIII.: *Nil certius morte, nil incertius hora mortis*. Ideo semper debemus vigilare, ne incerta mors nos rapiat ad Tartara, dum morimur in peccatis. Quoniam ut Gregorius dicit XXV. dist.: *Qualis – inquit – hinc quisque egreditur, scilicet in morte, talis in iudicio praesentabitur*. Hoc est, quod loquitur Eccl. IX. dicens: *Nescit homo finem suum*. 4 Sed sicut aves laqueo et pisces hamo, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenit perditio. Ideo Augustinus De cura pro mortuis dicit: *Quia nescis, o homo, qua hora veniet mors, vigila semper, ut te semper paratum inveniat, et non in peccatis dormientem te subito perdat*. (C) Sed qualiter quis observet se vigilando circa mortis adventum, idem Salvator in alio evangelio, scilicet Lu. XII., quod etiam legitur de confessoribus, edocet dicens: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei* etc. 5 Ubi praecipua tria docet facere, et sic ad mortis adventum vigilare. Primo concupiscentiam carnis refrenare, et vitia vitare, ideo ait: *Sint lumbi vestri praecincti*. Gregorius: *Lumbos praecingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coartamus*. Secundo bonis operibus insudare, ideo subdit: *Et lucernae ardentes in manibus vestris*. Per manus enim, quae est organum organorum, ut dicitur II. De anima, designantur bona opera, ideo Gregorius: *Lucernas in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus*. Tertio poenitentiam accelerare, et non differre, sicut heu multi faciunt, ideo addit Christus: *Vos similes hominibus expectantibus dominum suum, ut cum pulsaverit, confestim aperiant ei*. Gregorius: *Ad nuptias Dominus ivit, quando in caelum ascendens supernam sibi multitudinem angelorum novus homo copulavit*. Tunc autem revertitur, cum ad iudicium properat, scilicet mortis. Pulsat vero, cum iam per aegritudinis molestias mortem esse vicinam denunciat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus, scilicet parati per poenitentiam. Ecce ergo optima doctrina Christi, quia qui vitia cavet, et bonis operibus insudat, ac per veram poenitentiam Dei charitatem requirit celeriter, et perseverat, talis bene vigilat, et securus hinc exit. Sed heu multi differunt poenitere usque ad extremum. De quibus Augustinus de poenitentia dist. VII. in principio dicit sic: *Si quis positus in ultima necessitate voluerit accipere poenitentiam, fateor non illi negamus, quod petit, sed non praesumimus, quod bene hinc exit, poenitentiam dare possumus, sed securitatem dare non possumus, numquid dico: damnabitur, sed nec dico: salvabitur. Vis ergo a dubio liberari, age poenitentiam, dum sanus es*



etc. Haec ille. Secundo in evangelio hortatur nos Christus ad praeparandum exemplificando dicens: *Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilet, utique et non sineret perfodi[ri] domum suam.* 6 Per furem intelligitur diabolus secundum Hieronymum, qui si perfoderit domum animae per consensum peccati, furatur omnia bona gratuita, scilicet vestimenta iustitiae, aurum charitatis, argentum munditiae. Vel secundum Gregorium per furem intelligitur mors, quae sicut fur in nocte ignoranter venit, cum non putatur. Aliquando in prima vigilia, hoc est in pueritia. Aliquibus autem venit in secunda vigilia, hoc est: in iuventute. Aliis in tertia, hoc est in senectute. Aliis in quarta, hoc est in decrepita aetate vel extremo mortis. Ideoque Christus Lu. XII. dicit: *Etsi venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, scilicet vigilantes ad sui custodiam, beati sunt servi illi.* 7 Sed quare Christus ibi non ponit quartam vigiliam, quod tales essent beati? Respondetur, quod ad insinuandum, quia poenitentiam serotinam minus acceptat. Unde Alcuinus dicit: *Satis est alienus a fide, qui ad agendum poenitentiam tempus senectutis exspectat, quia timendum est, ne dum exspectat misericordiam, incidat in iudicium.* Tertio hortatur Christus praemium promittendo dicens: *Quisputas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Beatus ille servus, quem cum venerit dominus et invenerit sic facientem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.* Lyra exponit, quod sicut servus patrisfamilias sollicite regit domum et familiam sibi commissam, non solum in praesentia, sed etiam in absentia domini, et ille dominus pro hoc eum remunerat. Si autem contraria facientem et servos disturbantem invenit, illum punit. Sic ad propositum, servus iste est bonus praelatus vel bonus princeps aut iudex vel etiam bonus simplex Christianus, quia cuilibet mandavit Deus de proximo suo, Eccli. XVIII., ut det cibum in tempore, id est auxilium ferat in necessitatis tempore. Taliter faciens beatificabitur omni bono in caelo. Unde etiam Lucae XII. promittit dicens: *Amen, id est fideliter dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis,* 8 id est prompte et sine retardatione Christus ministrabit eis fruitionem beatitudinis perpetuae, ubi habebitur ineffabile convivium et gaudium. Quarto hortatur Christus morte improvisa et damnatione comminando, unde concludit: *Ideo et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis venit,* 9 scilicet ad iudicium mortis. Et ponit exemplum de malo servo, qui cogitat dicens: *Moram facit dominus meus.* 10 Et sic incipit percutere servos, manducare et bibere cum ebriosis. *Veniet autem dominus eius die, qua non sperat,* 11 et puniet eum. Sic Christus malos et imparatos punit aeternaliter. (D) Quaeritur hic, qualia sunt peccata, propter quae Deus permittit hominem decipi et mori inopinata et subitanea morte. Respondetur, quod recolligendo ex Scripturis inveniuntur praecipue octo peccata, propter quae Deus homines sic punivit. Primo propter superbiam et contemptum sanctorum virorum, sicut patet IV. Reg. I. de quinquagenariis ambobus et viris L et L, qui superbe iuebant Eliam descendere ad regem, quos ignis consumpsit de caelo descendens. 12 Similiter patet de pueris irridentibus Helim eum, quos ursi devoraverunt, IV. Reg. I. Secundo propter avaritiam et nimium amorem terrenorum, ut patet Luc. XII. de divite volente ampliare horrea sua, cui dictum est: *Stulte, hac nocte repentem animam tuam.* 13 O quot vidimus sic periisse. Tertio propter luxuriam et gulam, ut patet in Sodomitis. Et ut dicit Hieronymus, tempore, quo natus est Christus, omnes huiusmodi vitio, scilicet contra naturam laborantes subitanea morte sunt percussi. Quarto propter iram inveteratam et invidiam ac seditionem, ut patet Numeri XVI. 14 de Dathan, Core, Abiron, quos terra deglutivit, quoniam aemulabantur et insurrexerunt contra Moysen. Quinto propter negligentiam in corripiendo suos, patet de Heli, I. Reg. IV. Sexto propter irreverentiam divinorum, ut patet de Oza, qui tetigit arcam, et mox subita morte percussus, II. Reg. VI., 15 quia ut aliqui dicunt, praecedente nocte non se continuerat ab uxore propria. Unde et nunc multi percutiuntur a Deo propter irreverentiam sacramenti Eucharistiae, praecipue qui ante communionem vel post cito peccato luxuriae inquinantur. Septimo propter obstinationem in mortali quocumque peccato, sicut patet de Pharaone et Aegyptiis in mari submersis. Octavo propter blasphemiam Dei et sanctorum, ut patet in Sennacherib, cuius in exercitu percussi sunt centumoctogintaquinque milia propter blasphemiam, quam fecit Sennacherib, Isa. XXXVII. O ergo peccatores, pertimescite iudicia Dei, et agite poenitentiam. (E) Sed diceres: Nonne etiam iusti et fideles homines quandoque repentina morte contigit mori? Respondetur, quod quamvis et iustis accidat, tamen scriptum est Sap. IV.: *Iustus quacumque morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* 16 Augustinus De civitate Dei: *Mala mors putanda non est, quam bona vita praecesserit, neque enim fecit malam mortem, nisi quod sequitur mortem.* Haec ille. Item Ambrosius De bono mortis dicit: *Omnifaria mors bona est iustis, ad futura bona caelestia perducit.* Et per contrarium malis omnifaria mors pessima, iuxta illud Ps.: *Mors peccatorum pessima,* 17 quia ad aeternam damnationem hos perducit. O ergo homo, esto paratus exemplo huius sancti confessoris, ut beatificeris. (F) Circa secundum de operatione divini amoris quaeritur, qualiter divinus amor in anima sanctificationes operatur. Ad quod respondetur secundum sanctos doctores, quod quadrupliciter. Primo quidem absorbendo omnem alienum amorem. Unde Bernardus: *Sicut serpens Moysi devoravit omnes serpentes maleficorum, sic amor divinus absorbet omnem alienum amorem, scilicet mundanorum cupiditatum, carnalium voluptatum vitiorumque omnium et propriarum voluntatum.* Idem ostendit Augustinus dicens sic: *Procedat Spiritus Sanctus in medium, et dicat amatori suo: Vis me frui? Volo. Contemne quodcumque terrenum. Contempsisti. Parum fecisti. Quid amplius? Contemne, quodcumque delectat. Contempsisti. Parum fecisti. Quid amplius? Contemne teipsum. Contempsisti. Multum fecisti, sic me invenisti. Sic ire, sic amare est ad Deum pervenire.* Haec Augustinus. Ex quibus patet, quod amor Dei verus non potest haberi, nisi homo despiciat omnem malum et vitiosum amorem. Ideo etiam Chrysostomus ait: *Vere non habet, quod amet super terram* (scilicet vitiose delectando), *qui bonum caeleste in veritate gustavit.* Sicut enim qui pretiosum gustaverit cibum, postmodum eidem esca vilior ingrata videtur. Sic et qui semel dulcedinem Christi bene gustaverit, terrenorum bonorum non multum sentit saporem. Secundo exercitando ad virtuosorum operum multiplicationem. Unde Gregorius homilia XXXIII. dicit: *Amor Dei non est otiosus, operatur enim magna, si est, si vero operari renuit, amor non est.* Tertio illuminando ad sui humilem recognitionem. Unde Leo papa: *Haec est perfectorum vera iustitia, ut quanto sunt sanctiores, tanto sunt humiliores.* Exemplum videmus, quod in radiis solaribus per fenestram intrantibus minimi pulvisculi videntur, qui in umbra non videntur. Sic quanto sancti sunt magis illuminati, tanto etiam minores culpas suas

recognoscunt, et humiliantur. Sed non sic peccatores. Quarto omnibus, etiam inimicis exhibendo veram dilectionem. Nam I. Ioh. IV. scribitur: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. Si quis dixerit, quia diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est.* 18 Ideoque sancti Dei pietate pleni non minus ardentur orant pro aliis, etiam inimicis, quam pro seipsis. Sic et Christus in cruce oravit pro inimicis. (G) Sed quaeritur hic: Quae istarum orationum est melior et Deo acceptior, an scilicet illa, quam quis facit pro se, an illa, quam facit pro aliis? Respondet Chrysostomus super Mat. dicens: *Libenter audit Deus, quando Christianus non solum pro se, sed etiam pro altero orat, pro se enim orare necessitatis est, pro altero autem gratiae, pro se orare rei necessitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis artat. Dulcior est autem ante Deum oratio non quam necessitas rei transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.* Haec ille. Hinc etiam Gregorius ait: *Ille coram Deo suam orationem multum valere facit, qui eam pro suis inimicis fundit.* Ad propositum: Iste sanctus confessor amore Dei plenus omnem alienum amorem in se exstinxit, multa virtutum opera exercuit, humillimus exstitit, omnibus charitatem exhibuit. unde et canitur de eo: *Qui pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit et quietus, vita dum praesens vegetavit eius corporis artus* etc. Ideo bene de eo dicitur in themate: *Beatus ille servus, quem dominus invenit sic facientem.* O ergo homo Christiane, si vis sanctificari, exerce te sic in charitate. His enim modis excludentur omnia vitia, inseruntur virtutes, et sanctificatur anima. (H) Circa tertium de retributione boni caelestis quaeritur: Qualia sunt illa bona, scilicet caelestia, super quibus iuxta Christi promissa constituetur sancta anima. Ad hoc respondet Scriptura Apoc. II. figurative dicens sic: *Vincenti dabo manna abscondita, et calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* 19 Haec ibi. In quibus significatur: Primo bonum felicitatis animae, cum dicitur: *dabo manna absconditum.* Gustus enim mannae erat quasi similae cum melle frixae. Simila autem de terra ortum habet. Mel de rore caelesti per apes generatur, simila ergo significat felicitatem in visione gloriosae humanitatis Christi, mel felicitatem in visione deitatis, quia sanctorum beatitudo et omne bonum in his consistit. Ioh. XVII.: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti, Iesum* etc. 20 Secundo notatur bonum felicitatis corporis, cum dicitur: *et dabo illi calculum candidum,* qui secundum aliam translationem dicitur carbunculus, qui est lucidissimus, et significat corpus gloriosum dotatum quattuor dotibus. Nam Matt. XIII.: *Fulgurent iusti, sicut sol in regno Patris eorum.* 21 (I) Sed quoniam possent hic quattuor quaestiones fieri: Primo enim posset quis interrogare sanctos: Unde potuerunt ad tanta bona fore digni? Respondent, quod ex liberalitate donationis Christi pro meritis victoriae, qua sancti vicerunt mundum, carnem et diabolum, et sic omne vitium, ideo dicitur: *vincenti dabo.* Secundo posset quis interrogare sanctos: Quo iure tanta bona possident? Respondent, quod iure filiationis, ideo dicit: *Et in calculo nomen novum,* id est novae regenerationis in Christo, ut homo sit filius Dei. Ad filios autem de iure spectat hereditas. Rom. VIII.: *Si filii, et heredes Dei, et coheredes Christi.* 22 Tertio posset quis interrogare, quomodo possit probari, quod sancti habeant ius hereditatis in caelo. Respondet eadem auctoritas, quod per scriptum instrumentum, quod fecit Deus, quia per Testamentum Vetus et Novum repromisit Deus fidelibus vitam aeternam, ideo in auctoritate additur: *scriptum.* Quarto denique posset quis interrogare sanctos dicens: „Enarrate nobis, quanta et qualia bona sint in gloria, quam possidetis?” Respondent dicens: „Hoc nemo scit, nisi qui accipit”, quod dicit: Vos mundani homines non potestis intelligere, quantumcumque narraremus, quia transcendit omnem sensum et intellectum. I. Cor. II.: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* 23 Sed illi soli sciunt, qui habent. O ergo carissimi, agamus gratias Deo pro tantis bonis indicibilibus, et exemplo sanctorum sic vivamus, ut ad ea perveniamus, quod nobis dignetur praestare Iesus, Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit in saecula saeculorum. Amen.

---

1 Mt 24,46-47 2 Apc 14,13 3 Mt 24,42 4 Ecl 9,12 5 Lc 12,35-36 6 Mt 24,43 7 Lc 12,38 8 Lc 12,37 9 Lc 12,40 10 Lc 12,45 11 Lc 12,46 12 II Rg 1,9-12 13 Lc 12,20 14 Nm 16,1-32 15 II Sm 6,6-7 16 Sap 4,7 17 Ps 33,22 18 I Io 4,20-21 19 Apc 2,17 20 Ioh 17,3 21 Mt 13,43 22 Rm 8,17 23 I Cor 2,9

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXIV.] De sanctis confessoribus pontificibus communis Sermo secundus *Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.* Lucae XII. 1, et in evangelio huius sollemnitatis. (A) Scimus, carissimi, quia consuetudo est hominum, quod quando quis habet in domo sua thesaurum repositum, et timet fures supervenire ad furandum, diligenter vigilat. Similiter etiam qui versantur inter hostes vel prope eos castra habentes vigilant, ne opprimantur ab hostibus, aut ne furtim subintrent castrum hostes. Sic spiritualiter debemus et nos vigilare circa nostram custodiam, sicut vigilaverunt sancti confessores. Primo quia thesaurum pretiosissimum, scilicet animam rationalem habemus, quae tanti pretii extimatur, quod sicut dicit Augustinus et Bernardus, totus mundus corporeus ad unius animae pretium aequiparari non potest, et hanc habemus in domo lutea. Iob IV.: *Qui habitat domus luteas* etc. 2 Ideo vigilare debemus, ne furentur eam daemones per peccata ad Inferna. Secundo quoque quia versamur inter hostes, scilicet mundum, carnem et diabolum, ideo debemus vigilare castrum nostrum, id est corpus et animam, ne occupetur per peccatum a daemonibus. Bernardus: *Vigilandum est omnino, quia latrones ac hostes multi obsident iter nostrum et castrum.* Propterea Christus hortatur nos Marci XIII.: *Videte, vigilate et orate, nescitis enim, quando tempus sit.* 3 Et etiam in praemisso themate per exemplum patrisfamilias. Sic vigilavit iste sanctus et alii sancti confessores, ideo de eis haec verba canuntur. In quibus verbis commendatur et in exemplum nobis proponitur is sanctus confessor praecipue de tribus. · Primo de sollicita custodia, hoc in exemplo patrisfamilias · Secundo de oportuna vigilantia, ibi: *Vigilaret utique* · Tertio de salutifica providentia, scilicet suorum, quia non sinunt perfodi domum (B) Circa primum principale, scilicet de custodia animae quaestio occurrit, quare sancti Dei et eorum exemplo fideles debeant studiosissime custodire animam. Ad quod plures rationes assignantur. Prima ratio ex parte ipsius animae, quia ipsa est pretiosissima ad imaginem Dei facta, Gen. III., et ideo eius periculum cavendum est super omnia pretiosa mundi huius. Unde Salvator Mat. VI.: *Quid*

*prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua,* 4 quod dicit: nullam potest dare. Ad id exemplum videmus, quod cera quamvis de se sit in parva quantitate modici valoris, tamen si eidem impressa est imago regis in sigillo pro instrumento donationis unius magni regni aut provinciae, talis cera parva multum pretiosa efficitur. Sic anima nostra, quae licet sit creata ex nihilo, tamen est valde pretiosa in eo, quod habet impressam imaginem aeterni regis pro donatione vel collatione aeterni regni caelestis. Certe stultissimus est, qui tale sigillum regium, quo posset obtinere tale regnum, destrueret vel non sollicite conservaret, ne periret, et sic regnum illud non posset consequi, eo quod aptum instrumentum non haberet, sic in proposito. Hinc Ecc. X.: *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum.* 5 Sed heu peccatores quam multi haec non curant, sed Dei imaginem in se corrumpunt et maculant. De quibus Ro. I.: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et serpentium et quadrupedum.* 6 Spiritualiter imago hominis est vana gloria, quae videtur pulchra, sed cito evanescit ut fumus. Item imago volucrum est superbia cordis, qua super alios volare vult, et duas alas habet, quibus volat in Infernum, scilicet sui prae aliis extimationem et proximi despectionem. Item imago serpentis est avaritia, quia Gen. III. dicitur serpenti: *Terram comedes.* 7 Sic avarus super terram, id est aurum, argentum et talia terrena cogitat et concupiscit, et sic repit in Infernum. Item imago quadrupedum est luxuria, quae quattuor pedibus currit in Infernum. Unus est lascivus aspectus. Secundus delectationis consensus. Tertius illicitus tactus, scilicet osculum, amplexus et huiusmodi. Quartus libidinis actus. O tu Christiane, cave tuae animae ab istis. Secunda ratio ex parte pugnae continua, quia anima nostra continuam habet impugnationem ab hostibus spiritualibus, et ideo sollicite est custodienda. Ambrosius in sermone: *Quid est totius vitae nostrae decursus, nisi quidam cum vigili hoste conflictus. Militia namque est vita hominis super terram,* Iob VII. 8 Proinde Salvator in evangelio ubi supra dicit: *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique,* scilicet ad sui custodiam, *et non sineret perfodi domum suam, ideoque et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* (C) Sed quaeritur hic: Qui sunt isti fures et latrones, contra quos hortatur Christus, ut vigilanter nos custodiamus? Ad quod respondetur, quod multiplikes fures et latrones sunt, qui numquam dormiunt, sed continue vigilant ad depraedandum et furandum salutem animae nostrae. Primus est sensualis vel carnalis appetitus, qui sub specie necessitatis fraudulenter furatur carnis et animae munditiam. Nam quando esurit, sitit aut debilitatur, desiderat refici, cum iam refectus fuerit, in libidinem perducit. Unde Hieronymus: *Venter vino aestuans cito in libidinem spumat.* Hinc et Bernardus dicit: *Gestantes inimicum nostrum, corpus circumferimus laqueum nostrum, quia caro concupiscit adversus spiritum.* Proinde Ecc. XII.: *Ne credas inimico tuo in aeternum,* 9 id est carni, sicut enim aeramentum aeruginat nequitia illius, quia sicut ex sui corruptione aeruginat aes, sic caro ex se prona est in malum. (D) Sed qualiter contra istum furem custodia sit adhibenda, docet Dionysius in epistola ad Demophilum dicens: *Ratio debet providere, ut praesit sensualitati, sicut dominus servo, ut imperio subdat in omnibus, et sicut magister discipulo ipsum castigando et ad servitium Dei redigendo, et sicut miles equo ipsum perurgendo.* Unde patet, quod contra istum furem debemus vigilare per strenuitatem castigationis. Secundus fur et latro est mundus et eius prosperitatis succesus, qui blandiendo furatur a nobis Dei amicitiam. Quia ut scribitur Iac. IV.: *Qui vult esse amicus huius mundi, inimicus constituitur Deo.* 10 Augustinus ad didascal.: *Mundus de quanto blandior, tanto periculosior.* Sed iste latro fugatur vigilando per contemptum, Ambrosius De fuga saeculi: *Qui salvus esse desiderat, super mundum ascendat,* scilicet contemnendo inferiora. Sicut enim mare saeculi obruit hominem, nisi ascendat navem, sic amor mundi absorbet in Infernum, nisi quis ascendat in navem crucis Christi per amorem. Tertius est diabolus, de quo Bernardus dicit: *Sicut non dormit neque dormitat, qui custodit Israel, ita non dormit neque dormitat, qui impugnat Israel.* Etenim solent fures in furando rapere pretiosa et dimittere vilia. Sic diabolus non curat rapere nostram rem temporalem, sed ut super omnia feriat charitatem, et sic rapiat animam pretiosissimam, ut testatur Gregorius in homilia. Sed contra hunc nobis vigilandum est per fortem resistantiam suggestionum illius. Iac. IV.: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* 11 Hieronymus: *Debilis est hostis antiquus, non potest vincere nisi volentem.* Quartus fur et latro est mors, quae numquam dormitat, sed semper super nos vigilat. Quia ut Augustinus ait: *Vita nostra non aliud est, quam quidam cursus ad mortem, in quo nec ad momentum quis sistere potest, sed sive comedat, sive dormiat, sive aliud quid faciat homo, semper aequa lance ad mortem festinat.* Et quia mors (nobis ignorantibus horam) adveniet et rapiet animam, ideo fur dicitur, I. Thes. V.: *Dies Domini sicut fur in nocte veniet,* 12 id est occulte. Iste ergo fur festinat nobis furari vitam et meritum, quod possemus in vita acquirere. Sed contra hunc nobis est vigilandum per tempestivam poenitentiam et vitam bonam. Quia ut Augustinus De disciplina Christiana dicit: *Non potest male mori, qui bene vixerit.* O ergo homo, attende tibi ab istis furibus et latronibus, et disce custodire animam. (E) Tertia ratio, quare anima est sollicite custodienda, est ex parte mortis incertae, quam Salvator ipse ponit Marci XIII. dicens: *Vigilate ergo, nescitis enim, quando Dominus veniat,* scilicet ad iudicium mortis, *sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum repente venerit, inveniat vos dormientes.* 13 Scimus quippe, quod nox habet quattuor vigiliis, ut notatur Marci IV. Prima vocatur conticinium, scilicet quae est in principio noctis. Secunda vocatur intempestivum, quae est in medio noctis. Tertia vocatur gallicinium, quae est post medium noctis. Quarta vocatur antelucanum, quae est circa auroram. Spiritualiter exponit Gregorius moralizando, quod prima vigilia est pueritiae custodia, secunda iuventutis, tertia status virilis, quarta senectutis, quia in quolibet statu aliqui moriuntur. Ideo fideles hortatur Christus, ut semper sint vigiles ad custodiam animae et parati mori. Quia Cyprianus de poenitentia dist. VII. § ultimo dicit: *Non est dignus in morte accipere solatium, qui se non cogitavit moriturum,* scilicet cum debita praeparatione. Seneca: *Ante senectutem cogitavi, ut bene viverem, quatenus in senectute bene morerer.* Idem: *Nemo venientem mortem hilaris excipit, nisi qui se ad illam praeparavit.* Sed heu quam multi imparati sunt et peribunt. Quarta ratio ex parte finalis perpetuae iacturae, quia si animam non custodieris, ipsa amissa omnia simul amittes, scilicet mundum et mundi bona. I. ad Thim. VI.: *Nil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre possumus.* 14 Item carnem et omnia eius delectamenta et omnia membra, caput, manus, pedes etc., regnum etiam caelorum, merita Christi et omnia gratuita opera ac meritoria, quae a principio fecisti. Unde



Bernardus: *O miserabiles miseri, quos huius saeculi fallaciae seducunt, ut in bonis dies ducant, et in puncto ad Inferna descendant, ubi non solum in anima, sed et corpore simul, non uno aut decem, nec mille annis crucientur, sed sine fine saeculorum.* O Christiane, time. (F) Circa secundum de vigilantia opportuna quaeritur, qualiter oportet et necesse sit servum Dei exemplo, scilicet sanctorum confessorum vigilare, ut impleat Salvatoris nostri mandatum, quod dicit: *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate*, Mar. XIII. 15, et in evangelio de confessoribus legitur. Ad quod respondetur ex dictis Augustini li. Soliloquiorum aliorumque, ubi dicit sic: *Vigilanti opus est, ut oculos habeat et ut videat, et ut non dormiat, sed aspiciat.* Ex quibus colligitur, quod ad debite vigilandum, quod Iesus mandavit, quattuor conditiones requiruntur vel regulae. Prima regula dicitur oculatae conditionis, *ut oculos habeat, scilicet in anima.* Oculi animae sunt, si scilicet fidem habeat veram, intentionem rectam. Unde Lu. XI. ca.: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, id est sine plica dolositatis et falsitatis, totum corpus tuum, id est tota congeries operum tuorum lucidum erit, 16 id est meritorium vitae aeternae.* Sine istis oculis duobus, scilicet fidei verae et intentionis rectae homo non vigilat in spiritu, sed in tenebris dormit. Unde dicit beatus Augustinus: *Errat, qui veritatem se cognoscere putat, si nequiter adhuc vivat.* Unde talis Deum videre non meretur. Secunda regula dicitur clarae visionis. Ideo dicit Augustinus ubi supra: *Ut videat*, quia ad vigilandum non sufficit oculos habere, sed etiam requiritur, ut videat. Spiritualiter ergo vigilat, qui considerat ea, quae sunt salutis, scilicet praecepta Dei observando, opera charitatis exercendo, caelestia meditando et requirendo, et in illis toto animo conversando. Nimirum sunt aliqui Christiani, quorum tota animi conversatio est in Inferno, ut illorum, qui continue versantur in peccato et obliviscuntur de Deo et salute. De quibus Ps. dicit: *Convertantur peccatores in Infernum, omnes gentes, quae obliviscuntur Deum.* 17 Alii sunt, quorum tota conversatio est in mundo, scilicet illorum, qui terrena desiderant. Unde Ioh. III.: *Qui de terra est, de terra loquitur.* 18 Sanctorum autem conversatio et totius intentionis vigilantia est in caelo tam in vita, quam in morte, iuxta illud Apostoli ad Phil. III.: *Nostra conversatio in caelis est.* 19 Unde legitur de sancto Martino, similiter et de sancto Francisco, quod dum morerentur, petierunt fratres, ut illos in terra iacere permitterent supinos, quatenus respicere possent caelum et Deum in caelo, quem toto corde desiderabant, et sic decederent. Tertia regula cautae observationis, ut scilicet non dormiat, sed vigilanter hostem observet, insidias cavendo per exercitationem ac virtutum aggregationem vitaeque emendationem, ne improvise dormienti irruat. Dormit quippe, qui in peccatis iacet, expurgiscitur, qui ad poenitentiam et bona opera exsurgit. Unde Apostolus Rom. XII.: *Hora est iam nos de somno surgere.* 20 Ad Eph. V.: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* 21 Chrysostomus super Mat. ponit exempla dicens: *Viator libenter interrogat de hospicio, mercennarius frequenter de anno, quando compleatur, et agricola tempora messis exspectat.* Mulier praegnans semper de decimo mense cogitat, scilicet quia tunc partus erit extra periculum et dolorem. Sic servi Dei libenter de fine vitae requirunt et cogitant se praeparantes. Quarta regula creberrimae circumspectionis. Ideo dicit Augustinus: *Ut videat – inquit – et aspiciat.* Sic ergo fidelis anima debet vigilare, ut crebro aspiciat suam conscientiam et exterg[e]at, atque aspiciat Christum venturum. Ps.: *Respice faciem Christi tui.* 22 Nimirum Christus in incarnatione et nativitate habuit faciem candidam, quam debet fidelis anima aspicere ad imitandum in castitate. Item habuit faciem rubricatam sanguine in passione, quam debet aspicere per compassionem. Habet gloriosam faciem in caelo, et hanc habebit in iudicio, quam debet anima aspicere, quomodo scilicet ad eius gloriam perveniat. Et sic bene vigilat homo, cum haec praemissa observat. Sic fecit iste sanctus, ergo etc. (G) Circa tertium de providentia salvifica, qua sancti suis devotis suffragantur ipsorum merita invocantibus, quaeritur, utrum sancti Dei in caelo habeant curam et providentiam de nobis in terra constitutis, ut pervenire valeamus ad gloriam aeternae salutis. Ratio, quia cum ipsi in nullo indigeant de nobis, quare debent curare de nobis pro suffragia? Respondetur secundum Bonaventuram in IV., quod sancti maxime curant providere nostrae salutis, et orant in caelo pro nobis triplici ratione. Primo propter nostram necessitatem, quia sciunt, quod indigemus per eos elevari in nostris necessitatibus, quas patimur innumerabiles. Sunt enim divina pietate pleni, et ideo diligenter non constitutis in necessitatibus subvenire cupiunt. Secundo propter Dei voluntatem, quam sciunt et in omnibus implent. Et quia Deus vult, ut scilicet membra spiritualia iuvent se mutuo, ideo pro Deo iuvant nos. Tertio propter charitatem, quam habent erga nos, tum ex lege divina, qua praecipit unicuique proximum diligere, tum ex propinquitate, quia sunt fratres nostri experti nostrae fragilitatis. Ideoque Hieronymus ad Vigilantium dicit: *Si apostoli et martyres aliique sancti adhuc in corpore constituti orabant pro aliis, etiam inimicis, quanto magis post coronas, victorias et triumphos, quia charitas in eis per beatitudinem caelestem non est imminuta, sed aucta, quoniam ut Augustinus in Prospero dixit: Dilectio Dei et proximi est propria ac specialis virtus sanctorum.* Et ad id extra de regula c. „Licet”. (H) Unde notandum, quod sunt aliqua peccata, quae etiam in alio saeculo clamant ad Deum pro iustitia, ut sunt peccata clamantia quattuor, scilicet vox oppressorum, vox Sodomorum, vox sanguinis, merces detenta laborum. Suo modo per contrarium opera sanctorum et merita clamant ad Deum pro nobis intercedendo ad consequendam misericordiam, praecipue cum sanctorum patrocinia devote invocamus, iuxta illud Heb. XII.: *Accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel. Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis Ierusalem caelestem et multorum milium angelorum.* 23 Et quibus pro finali documento accipiamus, quod sancti per sua merita sollicitè provident et suffragantur nobis, cum eorum patrocinia invocamus multiplici bono, et quanto plures invocamus, tanto amplius. Primum bonum est a peccatis revocatio. Eccs. IV.: *Vae soli, id est amicitiam cum aliquo sancto non habenti, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se, melius est duos esse, id est amicum habere, si ceciderit unus, fulciatur ab altero.* 24 Secundum est daemonum et temptationum fortior resistentia et superatio. Eccs. IV.: *Si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistunt ei.* 25 Lyra: quia amicus iuvatur ab amico non solum in tribulatione mundi, sed etiam in temptationibus diaboli. Tertium divini amoris ardentior inflammatio. Unde scribitur ibidem: *Et si dormierint, duo fovebuntur mutuo.* 26 Lyra: per hoc designatur quietatio in una dilectione, ideo subditur: *unus quomodo calefiat scilicet charitate, funiculus triplex difficile rumpitur.* 27 Lyra: id est quanto plures et bonos habes amicos, tanto status tuus melioratur. Haec ibi. Quartum est orationum omnium facilius exauditio. Augustinus: *Immensa Dei pietas sanctorum merita nostra vult esse suffragia, scilicet ad exaudiendum in omni necessitate.* O ergo

carissimi, accedamus ad sanctos, et eos invocemus, praecipue istum, cuius hodie festum agimus, ut per eius merita dentur nobis praedicta bona et vita aeterna. Amen.

---

1 Lc 12,39 2 Iob 4,19 3 Mc 13,33 4 Mt 16,26 5 Sir 10,31 6 Rm 1,23 7 Gn 3,14 8 Iob 7,1 9 Sir 12,10 10 Iac 4,4 11 Iac 4,7 12 I Th 5,2 13 Mc 13,35-36 14 I Tim 6,7 15 Mc 13,37 16 Lc 11,34 17 Ps 9,18 18 Ioh 3,31 19 Phil 3,20 20 Rm 13,11 21 Eph 5,14 22 Ps 83,10 23 Hbr 12,22-24 24 Ecl 4,10 25 Ecl 4,12 26 Ecl 4,11 27 Ecl 4,11-12

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXV.] De sanctis confessoribus doctoribus communis sermo primus *Te Deum laudo, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi*. Dan. II. 1 et ad laudem ac gloriam huius sollemnitatis. (A) Haec verba optime potest dicere Sancta Ecclesia laudando Deum pro illuminatione sua per sanctos doctores, et pro stabilitate sua in fide vera contra omnes impugnationes diaboli. Nam diabolus triplici conamine vel certamine nisus est fidem expugnare catholicam. Primo per potentiam tyrannorum, contra quam misericors Deus misit apostolos martyres, qui eos superarent per patientiam. Secundo per sapientiam philosophorum et falsam doctrinam haereticorum ac vitam simulatam malorum Christianorum. Contra quos misericors Deus misit sanctos confessores et diversos doctores ac ordines religiosorum pro illuminatione Ecclesiae per eorum praedicationem et doctrinam ac sanctam vitam, ut illi confundantur et confutarentur in sua sapientia falsa. Unde Christus dixerat Luc. XXI.: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non possunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*. 2 Tertio per apparentiam falsorum miraculorum, quod praecipue erit tempore Antichristi, et tunc mittet Enoch et Eliam cum miraculis verissimis ad confutandum, ut scribitur Apo. XI. Quia ergo misericorditer Deus per doctores subvenit Ecclesiae, potest dicere: *Te Deum laudo, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi*. Item haec verba optime potest dicere etiam iste sanctus doctor, cuius hodie festum agimus, quia ei Deus dedit sapientiam, dedit etiam fortitudinem contra omnia temptamenta mundi, carnis et diaboli, ut vinceret, pro quibus nunc gaudens in caelo potest dicere: *Te Deum laudo, quia sapientiam et fortitudinem* etc. In quibus verbis iste sanctus commendatur de tribus, de quibus laudat Deum, secundum quod haec tria dona a Deo accepit et gratias agit. · Primo de dono verae sapientiae, ibi: *Sapientiam dedisti mihi* · Secundo de dono firmatae perseverantiae, ibi: *et fortitudinem* · Tertio de dono aeternae gloriae, ibi: *dedisti mihi*, scilicet ad consequendam gloriam (B) Circa primum de dono verae sapientiae aliquas quaestiones pertractemus pro aedificatione populi. · Prima quaestio de eius quidditate · Secunda de eius varietate · Tertia de eius pretiositate Prima quaestio, quid sit ipsa vera sapientia, de qua sancti commendantur in Scriptura. Ad quod respondetur, quod ut ait Augustinus XIV. De Trinitate, philosophi sic eam diffinierunt: *Sapientia est divinarum humanarumque rerum cognitio cum studio bene vivendi ordinata vel coniuncta*. Ex qua diffinitione colligitur, qualis homo possit dici vere sapiens, quia primo ille, qui cognoscit Deum per veram fidem. Unde Augustinus in Meditationibus: *Absque te, Domine, sapere est desipere, te vero nosse est perfecte scire*. Secundo ille dicitur vere sapiens, qui se et suam salutem quaerere novit, ideo dicitur: *humanarumque rerum cognitio*. Unde Glossa super Ps. CXVIII. dicit: *Primo corrigenda est ita, nam initium sapientiae timor populi*. Deinde sic quaerenda est sapientia, scilicet in qua consistit salus vera, Augustinus in Soliloquiorum: *Ora quam brevius potes: noverim te (Domine), noverim me*. Tertio ille dicitur vere sapiens, qui cognoscens Deum et se bene vivit. Unde additur: *studio bene vivendi ordinata*. Unde Bernardus super Cantica sermone I.: *Non aliud est vera et consummata sapientia, quam declinare a malo et facere bonum*. Haec ille. Talis quippe sapientia multum commendatur Sap. VII.: *Infinitus – inquit – thesaurus est hominibus sapientia, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei*. 3 Sed per contrarium omnes, qui tali sapientia carent, stulti reputantur, ut sunt omnes infideles omnesque impenitentes et peccatores etiam Christiani. Unde Augustinus De vita beata: *Si non evitare vis mortem, id est peccatum, cum vitare posses, manifesta stultitia est*. Nam quid stultius, quam currere ad Infernum, sicut stultus phreneticus currit ad se perimendum. Prover. I.: *Stulti ea, quae sunt sibi noxia, cupient*, 4 id est delectabilia peccatorum. (C) Secunda quaestio: In quibus consistit vera sapientia? Respondet Bernardus, ut notatur li. Originalium dicens: *Sapientia quaedam est cordis, quaedam oris, quaedam operis. Sapientia cordis consistit in poenitudine, id est poenitentia peccatorum praeteritorum, in contemptu mundanorum delectabilium, in desiderio aeternorum praemiorum. Item sapientia oris est, si sit in ore confessio propriae iniquitatis, gratiarumactio et vox laudis et sermo aedificationis. Denique sapientia operis est, si conversaris continenter, patienter et oboedienter*. Haec Bernardus. Ad haec canit de confessoribus Ecclesia illud Ps. XXXVI. in introitu missae dicens: *Os iusti meditabitur sapientiam et lingua eius loquetur iudicium, lex Dei in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus eius*. 5 In quibus verbis ponuntur quattuor commendationes iusti et sapientis hominis. Prima cum dicitur: *Os iusti meditabitur sapientiam*. Ibi secundum doctores os iusti accipitur pro cordis concordantia, quia in homine iusto os et cor per omnia concordant, quia ergo iustus homo veritatem sectatur in corde et ore, non sicut mendaces vel deceptores, qui alii gerunt corde, quam proferunt ore. Ideo dicitur, quod iustus ore meditatur sapientiam, id est occupatur circa salutifera et divina corde meditando et ore loquendo. Secunda commendatio iusti et sapientis in hoc ponitur, quod *lingua eius loquetur iudicium*, id est verba iudicii futuri saepe recogitat et loquitur, et ob hoc verba sua iudicio rationis ponderat, ne peccet, sciens, quod *rationem redditurus est in iudicio de omni verbo et cogitatu otioso*, Matth. XII. 6 Sicut in exemplo legimus, quod sic faciebat beatus Hieronymus, qui dixit: *Sive comedam, sive bibam, sive aliud faciam, semper videtur in auribus meis resonare illa tuba terribilis: Surgite, mortui, venite ad iudicium*. Tertia commendatio de hoc, quod *lex Dei in corde ipsius*, scilicet per recogitationem, quomodo illam per omnia impleat. Quarta ponitur de hoc, quod *non supplantabuntur gressus eius*. (D) Ubi advertendum, quod spiritualis gressus hominis supplantatur, id est decipitur a diabolo pluribus modis, a quibus cavet se iustus et sapiens homo diligenter. Primo quando homo multum laborat pro temporalibus, et nil facit vel modicum pro salute animae. Talis in morte sua invenit se deceptum et errasse. Sap. V.: *Erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non illuxit nobis, quid profuit nobis*

*superbia aut divitiarum* etc. 7 Secundo quando homo multa bona facit, sed in peccato mortali, quae mortua inveniuntur et supplantata. Apoca. III.: *Nomen habes, quod vivas, et mortuus es.* 8 Tertio quando post multa opera viva convertit se homo ad peccandum, et sic omnia perdit. Ezech. XVIII.: *Si averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes iustitiae, quas fecerat, non recordabuntur.* 9 Quarto quando quis post multa bona circa finem vitae vel in morte cadit a gratia Dei et sic moritur. Ps.: *Mors peccatorum pessima.* 10 Nam Gen. III. dicitur de diabolo: *Tu insidiaberis calcaneo eius,* 11 id est vitae termino hominis. Ad propositum: Hic sanctus habuit sapientiam cordis, oris, operis per omnia perfecta, ideo de eo bene dicitur: *Os iusti* etc. (E) Tertia quaestio, utrum donum sapientiae sit pretiosissimum et maius, quam charitatis donum. Ratio quaestionis, quia Sap. VII. scribitur, quod *sapientia omnium bonorum mater est, 12 et omne aurum in comparatione illius arena exigua est.* 13 Et iterum: *Infinitus enim thesaurus est hominibus.* 14 Et infra: *Neminem enim diligit Deus, nisi qui cum sapientia habitat, est enim pretiosior sole et regnis et sedibus.* 15 Ex quibus videtur, quod omnia dona praecellit, etiam charitatis. Sed in contrarium est dictum Augustini, quod allegatur a Magistro li. I. dist. XVII., quod scilicet *in divinis donis nil maius est charitate. Est enim excellentissimum donum, quod solum dividit inter filios regni et filios perditionis.* Haec Augustinus XV. De Trinitate. Videtur ergo, quod sapientia inferior sit charitate. Respondetur secundum Bonaventuram super primo dist. XVII. inter quaestiones circa litteram, quod tenendum est inter dona divina esse maximum donum charitatis, ut dicit Augustinus supra, quia charitas plus habet in se de ratione bonitatis sive de ipsa bonitate, quam dona alia loquendo praecise, id est separando sapientiam a charitate. Unde Ambrosius li. de sapientia dicit: *Friget sapientia sine gratia,* quae idem est, quod charitas secundum Scotum. Subdit Bonaventura: *Quaedam enim sunt – inquit – dona, quae sunt sine charitate, ut fortitudo, pietas, scientia, intellectus etc., et certum est ista dona minora esse charitate. Quaedam autem sunt dona, quae praesupponunt charitatem, sicut donum sapientiae.* Charitas enim est, quae dat sensum gustui, ut sapiant ei bona aeterna. Ideo Bernardus super Ps. „Dixit insipiens etc.” 16 ait: *Initium sapientiae timor Domini, consummatio autem est amor, media vero spes sibi vendicat.* Haec Bernardus. Concludit ergo Bonaventura, quod sapientia per se, id est sine charitate minus bona est, sed prout includit in se charitatem. Sic de ea accipienda sunt ea, quae scribuntur Sap. VII., ut dictum est supra in obiectione. Et sic illa solvuntur, quod sapientia charitati coniuncta infinitus thesaurus est hominibus, et neminem diligit Deus, nisi qui cum sapientia habitat, scilicet coniuncta charitati. Exemplum de Salomone sapientissimo, qui postquam cecidit a charitate per amorem mulierum, damnatus est, ut tenetur communiter a doctoribus. Et sic patet. Unde exemplo huius sancti doctoris, o homo, elige tibi sapientiam cum charitate. (F) Circa secundum de perseverantia sapientiae quaeritur: Qualibus signis cognoscitur quis in vera sapientia permanere, nec ad stultitiam declinare? Hoc quippe scire Christiano est utile, ne labatur, quia nimirum sunt: Primo quidam Christiani, qui toto tempore vitae in stultitia permanent brutali carnis desideria sectando. Contra quos Ps.: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus in camo et freno maxillas eorum,* id est appetitum sensualium, *constringe, qui non approximant oboediendo. Nam multa flagella peccatoris,* 17 scilicet imponentitis. Secundo sunt alii partim sapienter et rationabiliter, partim stulte viventes, ut hi, qui bona facientes vitia quoque facere non desistunt. Contra quod Deut. XXII. praecipitur in figura: *Non seres vineam tuam altero semine,* 18 id est in cultu boni operis non seres malitiae semen, quod est peccatum. Sequitur: *Non arabis in bove simul et asino.* 19 Ubi Lyra et Franciscus de Mayronis ac communiter doctores intelligunt prohibitum esse sapientem et sapientiae opera simul cum stulto et eius operibus copulari vel coniungi. Nam bos propter maturum incessum sapientem significat mature in actibus procedentem, sed asinus significat stolidum. Tertio sunt alii, qui licet multum sapientes fuerint, tamen deciderunt ad maximam stultitiam, ut fuit Samson, Salomon corrupti amore mulierum. Item Aristoteles, Alexander Magnus et multi huiusmodi. Item inter sanctos etiam patet de Nicolao advena Antiocheno Act. VII. 20 et Apoc. II. Item de Iuda, qui Christum tradidit. Propterea advertamus signa sapientiae, et per contrarium signa stultitiae, ut ista respuentes et discernentes illa eligamus. Ubi advertendum secundum Franciscum de Mayronis, plurima huiusmodi signa in sermone de doctoribus assignantur, e quibus aliqua accipiamus. Primum signum est animi fixum propositum in constantia, hoc quippe est in bono signum sapientiae, si homo in proposito sancto est constans et stabilis, quia propositum sapientis firmatur a recta ratione, regula autem rectae rationis non est de facili mutabilis. Ideoque quando aliquos videmus multum instabiles, statim arguimus esse stultos, sicut illos, qui quotidie mutant opinionem, non dicimus scientes, nec in scientia firmos. Hinc Eccli. XXVII.: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol* (scilicet qui lumen non mutat). *Nam stultus ut luna mutatur.* 21 Et patet de vagabundis, qui stulti reputantur merito propter crebram mutationem. Secundum est boni operis intentio recta. Sicut enim stultus est, qui aurum dat pro luto, sic qui bona facit pro laude humana et non propter Deum. Hugo De arca li. IV.: *Qui sapientiam et eius opera pro humana laude quaerit, similis est Iudae proditori, qui Christum pro terrenis vendidit.* Unde hypocritae dicuntur stulti a Christo, ut habetur Lu. XI.: *Pharisaei stulti, quod de foris est, mundatis, intus pleni iniquitate.* 22 Revera stulti sunt omnes vani gloriosi, quia magno labore, quo exsulant, adquirunt Inferni poenas, quo facto bona intentione possent adquirere caeleste praemium. Item quia tales insequuntur umbram, quae fugit se insequentem, et sequitur fugientem; sic gloria, ut dicit Bernardus. Tertium consultatio exquisita. Nam prout Salomon dicit Prover. XII.: *Via stulti recta in oculis eius, qui autem sapiens est, audit consilia.* 23 *Nam multa salus, ubi multa consilia.* Eiusdem ca. XI. 24 Unde fatui reputantur, quando aliqui sine exspectata deliberatione festinanter dant sententiam in iudicio. (G) Quaeritur hic: Qualiter cognoscitur quis sapienter se regere in consilio. Respondetur secundum Franciscum de Mayronis: praecipue per tria signa. Primum est, si consilium plenarie audit, etiam si non sit secundum suum votum vel voluntatem. Unde Roboam stultus est reputatus, qui noluit audire consilia seniorum, qui licet non secundum suum votum dabant consilium, tamen erat sanius, quam consilium iuniorum, quo deceptus est, III. Regum XII. Hinc Prover. XV.: *Stultus gaudet de stultitia, et dissipantur cogitationes, ubi non est consilium, ubi vero sunt plures consilarii, confirmantur.* 25 Haec ibi. Et hoc etiam si ipsorum consilia sint contraria, quia ex contrariis eliciuntur saepe saniora consilia. Secundum signum, si quis in consilio incitatus passione non respondet, antequam audiat. Proverb. XVIII.: *Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum.* 26 Tertium signum, si bona



consilia perficit. Proverb. XIII.: *Inter superbos semper iurgia sunt*; 27 qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. Quartum signum dissimulatio iniuriae in patientia. Proverb. XXII.: *Qui dissimulat iniurias, callidus*, id est sapiens est. 28 Unde stultus reputatur, qui malum pro malo reddit, vel ira fervidus passionem sequitur. Prover. XIV.: *Impatiens operatur stultitiam*. 29 Cassiodorus super Ps. VI.: *Sapientia non potest nisi apud quietos atque inturbatos animos inveniri et conservari*. Item Bernardus super Cantica sermone LXXXVI. dicit: *Ad virtutes pertinet tribulationes fortiter sustinere, ad sapientiam in tribulationibus gaudere*, patet hoc in apostolis. Hinc Haymo super Apoc.: *Opera et labores communia sunt bonis et malis, patientia singulare munus est electorum*. Quintum est expiatio peccati in vera poenitentia. Unde quando homines laetantur in peccatis et pravis operibus, insipientes reputantur, sicut pecora lascivientia. Eccs. VII.: *Cor stultorum, ubi laetitia*, scilicet in rebus pessimis. *Cor sapientum, ubi tristitia*, 30 scilicet poenitentiae verae. Bernardus: *Invenisti plane sapientiam, si prioris vitae peccata defleas*. Nam sapere malum est desipere. (H) Quaeritur: Unde est, quod homines solent ridere magis de his, quae pertinent ad stultitiam, quam de sapientia? Respondetur secundum Franciscum de Mayronis ubi supra: Quia hoc est communiter naturale, ut videlicet inimicus laetetur de irrisione et contumelia sui inimici, sed quia caro est inimica animae, Ro. V., ergo carnales rident de stultitia, quae est contumelia rationis. Sextum signum est futurorum praecogitatio frequentata. Unde Eccs. II.: *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat*. 31 Idcirco quanto quis sapientior, tanto magis dicitur oculatus, quia providentiam habet circa futura. Unde I. Metaphysicorum: *Sapientis est praevidere futura*, scilicet praecavendo pericula. Hinc stulti reputantur, qui non praevident nec praeparant se ad futuram mortem et iudicium. Deut. XXXII.: *Gens absque consilio et prudentia, utinam saperent et intelligerent et novissima providerent*. 32 Septimum est gravitas et moderatio in loquela. Proverb. XXVII.: *Qui moderatur sermones suos, prudens est, stultus si tacebit, sapiens reputabitur*. 33 Unde Solon philosophus cum taceret, interrogatus, utrum stultus esset, quia sic taceret aliis loquentibus, respondit: „Nullus stultus tacere potest.” Octavum est humilitas in animo radicata, Prover. XI.: *Ubi humilitas, ibi sapientia*. 34 Nam omnis superbus stultus est, quia credit de se, quod non est, et se decipit, ut dicit Gregorius li. Moralium XXVIII. Proinde *stultus sapientior sibi videtur*, Prover. XXVI. 35 Nonum inclusio secreti custodita, Prover. X.: *Sapientes abscondunt scientiam*, id est quod sciunt secreto, *os autem stulti confusio proximum est*. 36 Eccs. XX.: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus*. 37 O ergo homo, observa haec, si vis fore vere sapiens, beatus iste doctor haec servavit, ergo etc. (I) Circa tertium de gloria caelesti doctorum communis est sententia theologorum, quod ipsis ultra auream gloriam, scilicet essentialem debetur aureola, quae comparatur stellae, Dan. XII.: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiuntur, multos quasi stellae* etc. 38 Quaeritur ergo, qualibus doctoribus debetur aureola. Respondetur secundum Antoninum in III. parte tit. XXXI. et concordanter alios doctores, quod primo debetur praelatis, qui ex officio habent praedicare vel docere subditos, si tamen actu doceant vel praedicent, alioquin aureola eis non dabitur. Secundo consimiliter debetur magistris in theologia actu docentibus ea, quae pertinent ad salutem. Unde nec medicis doctoribus, nec physicis, nec poetis, nec iuristis aut legistis, immo nec theologis docentibus physicam vel ea, quae non sunt pertinentia ad salutem, dabitur aureola, nisi prout illis utuntur ad declarationem theologiae, sicut Paulus utebatur dictis poetarum praedicando. Nam aureola ista debetur doctoribus eo, quod daemones non solum a se, sed etiam a cordibus aliorum expellunt, quod fit per doctrinam Sacrae Scripturae, ergo etc. Tertio debetur praedicatoribus quibuscumque actu praedicantibus, scilicet ad salutem pertinentia, dum tamen sint missi, alias non. Quarto omnibus scribentibus compilando sacram doctrinam, et etiam generaliter omnibus docentibus sive scripto, sive verbo, legendo vel praedicando, dum tamen publice et debito fine ac intentione, unde fraternae corrigenti solum non debetur aureola, nec etiam docenti vel praedicanti propter vanam gloriam aut propter lucrum temporale, quia ut sic non sunt meritoria vitae aeternae, nec aureolae. Beatus autem iste doctor pro Deo perfecta sanctitate docuit et praedicavit, ergo bene aureolam meruit. Rogemus ergo Christum, ut eius meritis det nobis gratiam etc.

---

1 Dn 2,23 2 Lc 21,15 3 Sap 7,14 4 Prv 1,22 5 Ps 36,30-31 6 Cf. Mt 12,36 7 Sap 5,6-8 8 Apc 3,1 9 Ez 18,24 10 Ps 33,22 11 Gn 3,15 12 Sap 7,12 13 Sap 7,9 14 Sap 7,14 15 Sap 7,8 16 Ps 13,1; Ps 52,1 17 Ps 31,9-10 18 Dt 22,9 19 Dt 22,10 20 Act 6,5 21 Sir 27,12 22 Cf. Lc 11,39 23 Prv 12,15 24 Prv 11,14 25 Prv 15,21-22 26 Prv 18,13 27 Prv 13,10 28 Prv 12,16 29 Prv 14,17 30 Ecl 7,5 31 Ecl 2,14 32 Dt 32,28-29 33 Prv 17,27-28 34 Prv 11,2 35 Cf. Prv 26,16 36 Prv 10,14 37 Sir 20,7 38 Dn 12,3

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXVI.] De confessoribus doctoribus Sermo secundus *Beatus homo, qui in sapientia morabitur, et qui in iustitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei*. Eccs. XIV. 1 et ad laudem huius sancti doctoris festivitatisque eius. (A) In quibus verbis hic sanctus doctor commendatur primo quidem de divinorum et salubrium cognitione, cum dicitur: *Beatus homo*, scilicet in spe, *qui in sapientia morabitur*, scilicet cognoscendo ea, quae sunt Dei et salutis aeternae, quorum cognitio dicitur sapientia, id est sapida scientia secundum Bernardum, quia bene sapit per amorem rectum. Sed quoniam ut Gregorius ait: *Probatio dilectionis est exhibitio operis*, ideo secundo commendatur de boni operis actione, cum additur: *et qui in iustitia meditabitur*. Bernardus: *Iustitia est, qua redditur unicuique quod suum est, scilicet Deo amor, timor et honor, et proximo superiori oboedientia, aequali benivolentia, inferiori correctio et gubernatio debita*. Tertio commendatur de sanctitatis cogitatione et conservatione, cum dicitur: *et in sensu*. Lyra: id est sensate cogitabit circumspectionem Dei, id est, quod Deus circumspicit omnia, et sic prudenter cavet ab omni offensa. In his ergo debemus hunc sanctum imitari, ut possimus ad eius gloriae participationem pervenire. Nam beatus talis homo, qui scilicet in sapientia morabitur. Ex quo itaque in istis verbis commendatur iste sanctus doctor praecipue de cognitione divinorum per veram sapientiam et in exemplum de hoc nobis proponitur, ideo tria mysteria de hoc notabimus. · Primo de exercitio verae cognitionis, ibi: *Beatus, qui in sapientia* · Secundo de documento caetae provisionis, ibi: *in iustitia meditabitur* · Tertio de cogitatu divinae circumspectionis, ibi: *in*

*sensu cogitabit* (B) Circa primum de exercitio verae cognitionis quaeritur: Qualia debet Christianus pro sua salute cognoscere et in illis sapienter se exercitare? Ad quod respondetur, quod potissime sunt septem cognoscenda ad salutem valde necessaria homini Christiano. · Primo debet quis cognoscere ea, quae sunt extra nos · Secundo ea, quae sunt intra nos · Tertio quae sunt contra nos · Quarto quae sunt iuxta nos · Quinto quae sunt infra nos · Sexto quae sunt ante nos · Septimo quae sunt supra nos Primo Christianus debet sapienter cognoscere exemplo sanctorum ea, quae sunt extra nos, ut sunt omnia bona mundalia transitoria, ut sciamus ea non esse nostra, et ideo contemnamus tamquam aliena nobis non permansura. Nam dicit Apostolus I. Tim. VI.: *Nil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre possumus, habentes ergo alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* 2 Unde Bernardus: *O filii hominum, genus avarum, quid vobis cum auro et argento, quae nec vera bona sunt, nec vestra sunt.* Nam quid est aurum, nisi terra rubea, quid argentum, nisi terra alba. Sed quid fecit ea pretiosa, nisi filiorum Adam avaritia, quae si non esset, vere pretiosa non esset. Denique si vestra sunt, tollite ea hinc vobiscum. Nam revera sicut nil intulimus in hunc mundum, ita nil auferre possumus. Item idem Bernardus in Meditationibus: *Tu homo quem fructum exspectas ex caducis bonis mundi huius, cuius fructus ruina, scilicet peccati, cuius finis mors amara, scilicet spolians omnia et aliis relinquens, cuius casus non nisi damnatio et supplicia aeterna; utinam saperes et intelligeres ac novissima provideres.* Merita ergo haec terrena sunt contemnenda ac pro acquirendis nostris hereditariis bonis, scilicet caelestibus distribuenda, quia ob hoc sunt nobis accommodata a Deo ad tempus. Hinc Christus Lucae XVI. dicit: *Si in alieno, id est in temporalibus fideles non fuistis, scilicet bene dispensando, quod vestrum est, id est bona spiritualia et caelestia, quae quidem nostra sunt, quia ad ea sumus creati, et non possunt auferri a nobis nolentibus, quis dabit illa vobis,* 3 quod dicit: non potestis illa acquirere, nisi ista contemnatis. (C) Ad id exemplum: Dicit namque Philosophus li. De animalibus, quod animalia, quae respectu sui corporis habent cor magnum, sunt multum timida, ut lepus et cervus, quia calor et sanguis non sufficit tam magnum cor confortare. Sic spiritualiter homines habentes magnum cor ad exteriora mundalia diffusum timorem habent damnationis, quia ut Bernardus ait: *Angustum est cor hominis, Deum et diabolum simul capere non sufficit, contemne ergo diabolum, ut Deum habeas.* Secundo Christiana sapientia debet cognoscere ea, quae sunt intra nos, scilicet conscientiam saepe examinando. Item peccata commissa poenitentiam agendo. Unde Bernardus dicit: *Initium salutis est cognoscere seipsum.* Idem in Meditationibus: *O homo, cognosce teipsum, quia hoc multo melius est, quam cognoscere cursus siderum et vires herbarum et naturas animalium.* Nam etsi omnium caelestium et terrestrium scientiam haberes, parum tibi prodest, dum ignoras teipsum, quia sic impenitentem peribis. Denique debet Christianus in se cognoscere vitiosos mores et passiones, ut illos extirpet, quia per illas perire habet. (D) Quaeritur ergo: Unde adveniunt nobis mores vitiosi et passiones, et quomodo debeamus remedia providere contra eos? Respondetur secundum Gregorium Nicenum in Hexaameron dicentem: *Vitiosi mores et passiones tribus de causis nobis adveniunt. Primo ex mala educatione. Secundo ex mala corporis habitudine. Tertio ex vitio ignorantiae.* Sed quomodo curantur, subdit infra dicens: *Curantur autem mali mores bona consuetudine, et mala habitudo bona exercitatione, et ignorantia studio disciplinae.* Haec ille. Nota ergo, quod dicit: quia passiones et mores vitiosi proveniunt ex mala educatione. Nam scribitur Prover. XXII.: *Adolescens iuxta viam suam graditur, et cum senuerit, non recedet ab ea.* 4 Unde Hieronymus in epistola ad Athletam dicit: *Graeca narrat historia Alexandrum numquam paedagogi sui moribus et incessu ac vitiis potuisse carere, quibus adhuc parvulus fuerat infectus. Sed haec curari possunt bona consuetudine* – inquit; quia Bernardus etiam dicit, quod sicut clavus clavo tunditur, scilicet et de foramine eicitur, sic consuetudo, scilicet mala consuetudine contraria vincitur. (E) Secundo – inquit – ex mala corporis habitudine adveniunt mores mali et passiones vitiosae, quia ut idem Gregorius Nicenus dicit: Iracundi sunt naturaliter omnes cholericus, utpote accensi sanguinis colericus calore. Sanguineosi autem sunt superbi et luxuriosi ac lascivi naturali inclinatione. Item phlegmatici sunt pigri et somnolenti. Et melancholici sunt tristes, timidi et cupidi. Sed sanantur istae habitudines – inquit – bona exercitatione. Nam qui se sentit inclinatum ad luxuriam, debet se exercitare circa ieiunia et corpus castigare. Qui ad avaritiam, debet se exercitare circa elemosynas. Qui ad superbiam, debet circa humiles orationes. Qui ad torporem et pigritiam, circa debita opera bona. Et sic secundum physicorum dictamina, ut Gregorius ait, contraria contrariis curantur. Tertio dicit ex ignorantia, ex inscientia enim malae diiudicationes inexcogitato animo innascuntur, ut extimet mala esse bona, et bona mala. Haec Nicenus. Unde homo debet esse circumspexus, ut sic sciat, quae sunt intra nos. Tertio debet Christianus cognoscere ea, quae sunt contra nos, ut illa cavere studeamus, haec sunt caro, mundus et diabolus. Bernardus: *Tres hostes habemus praecipuos, qui semper nobis in via Dei adversantur, mundus, caro et diabolus.* Hinc etiam I. Ioh. II.: *Omne, quod est mundo* – Lyra: id est in hominibus mundanis –, *est concupiscentia carnis,* 5 quae est in voluptuosis, et concupiscentia oculorum, quae scilicet est mundanae cupiditatis, et superbia vitae, quae est diabolicae ambitionis. Quarto ea, quae sunt iuxta nos, id est proximos, ut illos sicut nosmetipsos diligamus, etiam inimicos. Unde Matth. XXII.: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* 6 Et Matth. V.: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est.* 7 (F) Sed tu, homo, dicis: Quare debeo diligere eum, qui me odit? Respondetur secundum Augustinum et doctores, quod diligere debes primo, quia Deus praecepit, et sic propter Deum teneris diligere et in Deum ac secundum Deum et iustitiam, id est ut in peccatore licet peccatum odias, tamen naturam diligas. Sicut in homine in stercorebus iacente hominem diligo et foveo pro Deo, tamen stercus abomino, emundo et prohibeo. Secundo diligere debes propter animae tuae salutem, ne odiendo illum propriam animam occidas. I. Ioh. III.: *Qui odit fratrem suum, homicida est, et manet in morte.* 8 Ad id exemplum est, nam Philosophus IX. li. Ethicorum quaestionem talem disputat: Utrum homo virtuosus habens amicum, si efficiatur malus, debeat illum dimittere et amicitiam dissolvere? Cum enim virtuosus non debet amare nisi bonum et virtuosum, quomodo ergo amicitiam debeat servare ad talem malum factum. Et respondet dicens, quod si ille est a malitia irrevocabilis, dissolvenda est illius amicitia, alioquin non. Et ponit exemplum, quod sicut quando amicus tuus perdit pecuniam, non deseris eum, sed iuvas ad requirendum, ita multo magis cum amicus perdit virtutem, iuvandus est ad recuperandum. Mat. XVIII.: *Si peccaverit frater tuus, corripe eum.* 9 Quarto ea, quae sunt infra nos, id est supplicia infernalium, ut timeamus, quia Christo teste *ibi erit fletus et stridor dentium*

perpetuo, Mat. XIII. 10 Sexto quae sunt ante nos, scilicet mortem et iudicium, unde Beda: *Certum est, quod morieris, incertum est, quando aut quomodo aut ubi, quoniam ubique te mors exspectat, tu quoque si sapiens fueris, ubique eam paratus exspectabis.* Debet ergo homo hoc recognoscere, quia ut de poenitentia dist. VII. § ultima dicit Cyprianus: *Non est dignus in morte accipere solatium, qui se non cogitavit moriturum.* Haec ibi. Nam et Bernardus in epistola dicit: *Mors iusti pretiosa et bona propter requiem, melior propter securitatem, optima propter perpetuam beatitudinem. Econtra mors peccatorum mala in privatione bonorum mundi, peior in amara separatione animae, pessima in vermibus et ignis perpetua duplici contritione.* Haec ille. Ideoque prudenter recognoscere debemus, ne pereamus. (G) Sed quoniam plures obiciendo dicere solent: Quis post mortem rediit aut venit de futura vita, qui certos nos facere posset, aut de iustorum beatitudine aut de malorum damnatione? Item quaerere etiam quis posset, numquid bonum esset et licitum aliquem morientem convenire et requirere, quod sibi revelet statum suum post mortem, aut aliqua de futura vita. Ad haec respondetur ergo, quod infallibili et indubitabili certitudine omnia dictamina Scripturae sunt nobis tradita a testibus infallibilibus de futura vita advenientibus, scilicet ab angelis revelantibus prophetis et sanctis patribus, immo ab ipso Spiritu Sancto et a Dei Filio Christo Iesu. Nam *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, II. Pe. I. 11 Et per vera miracula a solo Deo facta confirmata, qui *non potest falli nec fallere*, ut dicit Anselmus. Denique secundum Thomam in Quodlibeto et concorditer fratrem Angelum de Clavasio: Si quis statum futurae vitae a moriente requirat ex infidelitate vel dubitatione fidei, hoc omnino non licet, quia ut habetur per Augustinum extra de here. c. [„Dubius”]: *Dubius in fide infidelis est*, alias ex pietate licet, dummodo hoc subintelligatur: ‘si Deo placuerit’. Et sic patet. Septimo quae sunt supra nos, debemus recognoscere, scilicet Deum et caelestem beatitudinem, quia ut Chrysostomus ait, sine vera Dei cognitione omnis homo tamquam pecus est. (H) Circa secundum de cauta provisione quaeritur: Unde est, quod homo non praevidet, nec meditatur caute ea, quae sunt suae salutis necessaria, nec cognoscit? Nam hoc scire est utile, scilicet unde hoc causatur, ut sciamus evadere. Ad quod respondetur, quod sicut in corporalibus septem modis impeditur quis a vera cognitione alicuius, sic in spiritualibus. Primo per abnegationem et carentiam sensus naturalis, ut patet in caeco nato, qui nescit iudicare de coloribus, nec somnare de eis, et in surdo naturaliter a principio sui ortus, qui nescit sonum. Sic spiritualiter homo totaliter carnalitati a principio assuefactus et non habens sensum spiritus impeditur, ne caelestia cognoscant[ur], I. Cor. II.: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei.* 12 Et Oseae V.: *Spiritus fornicationis in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.* 13 Secundo impeditur cognitio vera per deceptionem perceptionis sensualis, sicut magici et daemones faciunt, ut sensus illudantur. Item baculus mediatim positus in aqua videtur fractus, et naviganti in flumine videtur portus contra ascendere. Sic spiritualiter homo errore diabolico vel phantasiis deceptus falso Scripturarum intellectu non cognoscit salutifera vere et peribit. Baruch III.: *Quoniam non habuerunt sapientiam, scilicet veram, perierunt propter insipientiam.* 14 Sic peribunt aeternaliter omnes haeretici, ut dicit Augustinus extra de hereti. ca. Tertio impeditur cognitio vera per debilitationem sensus vitalis, ut patet quando oculi dolent, vel quando quis morti approximatur, quod non cognoscit notos. Spiritualiter homo debilitatus delectatione peccati mortalis non sapit ea, quae sunt salutis, sed potius ea sibi placent, quae sunt vitiosa et mortifera. Augustinus: *Aegris oculis odiosa est lux, quae puris est amabilis.* Idem: *Palato infecto non sapit panis, qui sano est delectabilis.* Exemplum de manna, Sap. XVI. dicitur, quod *habuit omnis saporis suavitatem bonis*, 15 sed mali in ea nauseam habebant. Quarto per elongationem situs localis, quia homo non cognoscit multum remota a se. Sic spiritualiter anima consuetudine peccandi a Deo elongata non cognoscit salutifera. Ps.: *Longe a peccatoribus salus.* 16 Quinto per depressionem torporis somnialis, ut patet per Philosophum de somno et vigilantia dicentem: *Somnus est ligamentum sensuum.* Spiritualiter sic homo torpens a studio et verbi Dei audientia ignorans manebit, Hieronymus XXXVIII. dist. „Si iuxta” dicit: *Qui Scripturas ignorat, Christum ignorat, et a Christo ignorabitur.* Item Gregorius ibidem c. „Qui ea” dicit: *Stultus in culpa sapiens erit in poena.* Sexto per interpositionem obiecti medialis, sicut patet, quod non cognoscimus posita retro parietem. Spiritualiter homo interpositum habet obiectum ad divina, scilicet amorem terrenorum, et ideo caecus manet in terrenis solis, nec videt caelestia, sicut exemplum de talpa. (I) Unde Augustinus super Ps. LXII. dicit: *Omnis, qui contra salutem suam cupit terrena, sub terra est, quia terram super se ponit per amorem, et se sub terra facit*, scilicet sicut caeca talpa caelestia non videns terrestria diligit. Septimo impeditur quis a cognitione vera alicuius scilicet per oblivionem notitiae mentalis. Sic spiritualiter homo obstinatus in malo obliviscens Deum, Ps.: *Viam pacis non cognoverunt, quia non est timor Dei ante oculos eorum.* 17 Idem: *Numquid cognoscentur in tenebris*, scilicet peccatorum *mirabilia tua et iustitia tua in terra oblivionis*, 18 id est in corde obstinato, etc. O ergo homo, si vis cognoscere ea, quae sunt salutis, abice a te carnalitatis amorem et omnem errorem ac peccati delectationem et pravam consuetudinem, ignorantiam et negligentiam, cupiditatem et obstinatam mentem. Exemplum de sanctis doctoribus et confessoribus aliisque omnibus Christo placentibus, qui videlicet summopere haec vitaverunt, ne a vera sapientia, quae Christus est, aberrarent 19. Et praecipue accipe, o Christiane, exemplum de isto sancto doctore, cuius hodie festum agimus, qui haec impedimenta cavens summe illuminatus exstitit, prosequere legendam. O ergo homo, attende tibi prudenter et provide caute, ut haec impedimenta removeas a te, si vis cognoscere tuam salutem, et non perire. O quam multi per ista pereunt. (K) Circa tertium de recogitatione divinae circumspectionis et eius proprietatum devoto intellectu quaeritur: Qualia debet Christianus prudenter intelligere de Deo et saepe recogitare? Ad quod respondetur, quod praecipue septem. Primo amoris eius immensitatem, ut videlicet reamemus, I. Ioh. IV.: *Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* 20 Augustinus: *Si piget amorem impendere, pudeat saltem amorem non rependere*, scilicet pro Dei amore. Secundo beneficentiae largitatem, scilicet ut gratias agamus, quia omnia bona ab ipso habemus, et etiam nosmetipsos. Bernardus super Cantica: *Oportet hominem gratiosum esse, quia libenter dona multiplicantur, ubi priora bene salva et grata videntur.* Haec ille. Tertio clementiae infinitae pietatem, ut de eius misericordia non desperemus, si poenitentiam egerimus. Ps.: *Multa flagella peccatoris, scilicet impenitentis erunt in Inferno, sperantem autem in Domino misericordia* etc. 21 Et Ezech. XVII.: *Quacumque hora ingemuerit homo, scilicet poenitens, non* etc. 22 Quarto divinam eius voluntatem, ut eam



impleamus, quia Christus dicit Matth. VII.: *Non omnis, qui dicit mihi: domine, domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum.* 23 Impleamus ergo Dei mandata. Matth. XIX.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 24 Quinto aequitatis et iustitiae rigorositatem, ut eius iudicia timeamus et offensas caveamus, alioquin ut Ps. dicit: *Cognoscetur in futuro Dominus iudicia faciens operibus manuum suarum, comprehensus est peccator.* 25 Sexto fidelitatem promissionis et veritatem ut caelestem beatitudinem, quam promisit, inquiramus, et de assequendo confidamus. Ps.: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* 26 Septimo gloriae eius incomprehensibilem maiestatem, ut ipsum Deum super omnia desideremus, honoremus, et debito cultu patriae adoremus. Unde Ps.: *Venite, adoremus Dominum, iubilemus Deo salutari nostro, praeoccupemus faciem eius in confessione, et in psalmis iubilemus ei. Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos etc.* 27 Beatus iste doctor haec omnia diligenter intellexit et cogitavit, sicque Deum perfecte amare studuit. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut eius meritis et precibus det nobis gratiam et tandem gloriam. Amen.

---

1 Cf. Sir 14,22 2 I Tim 6,7-8 3 Lc 16,12 4 Prv 22,6 5 Lc 16,12 6 Mt 22,39 7 Mt 5,44-45 8 I Io 3,15 9 Mt 18,15 10 Mt 13,42; 13,50 11 II Pt 1,20 12 I Cor 2,14 13 Os 5,4 14 Bar 3,28-29 15 Sap 16,20 16 Ps 118,155 17 Ps 13,3 18 Ps 87,13 19 Editio: *oberrarent* 20 I Io 4,19 21 Ps 31,10 22 Cf. Ez 18,22 23 Mt 7,21 24 Mt 19,17 25 Ps 9,17 26 Ps 144,13 27 Ps 94,1-3

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXVII.] De quocumque sancto confessore communis sermo primus *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Matth. XXV. ca. 1 et in evangelio huius sollemnitatis. (A) Item aliud thema ex Veteri Testamento: *Ecce servus meus exaltabitur, et sublimis erit valde.* Isa. LII. cap. 2 Novimus, carissimi, quod magni domini et reges in suis servis maxime diligunt obsequii sedulitatem et fidelitatem, et tales solent remunerare pro suis servitiis. Sic Christus, rex regum vult habere servos bonos in virtuosorum operum exercitiis, sedulosque et fideles in cavendo offensam, id est peccatum mortale quodlibet, quia hoc maxime contrariatur Deo, iuxta illud Sap. XIV.: *Odio sunt Deo impius et impietas eius.* 3 Idcirco Christus parabolice ostendit, quod Deus servum inutilem proiciet in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. Servum autem bonum et fidelem exaltabit in caelestem beatitudinem ad gaudia felicia. Unde dicit: *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca etc.* Et quoniam iste sanctus confessor bene per omnia et fideliter servivit Christo, idcirco ad eius honorem canuntur et assumuntur haec verba, videlicet: *Euge, serve bone et fidelis etc.* Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone, secundum quod de his commendatur et in exemplum nobis proponitur iste sanctus. · Primo de divinae servitutis fidelitate, cum dicitur: *Serve bone et fidelis* · Secundo de divinae acceptationis placibilitate, quod signatur dicendo: *Euge* · Tertio de caelicae praemiationis iucunditate, ibi: *Intra in gaudium etc.* (B) Circa primum de fidelitate servitutis Dei quaeritur: Quae et qualia debet homo observare, ut probeatur fidelis Dei servus esse? Ad quod respondendo nota, quod Silibertus 4 episcopus XXII. q. V. c. „De forma” dicit sic: *Qui domino suo fidelitatem iurat, ista sex semper in memoria debet habere: incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile.* Haec ibi. Et quia nos in baptismo iuravimus fidelitatem tenere Domino Deo, ideoque spiritualiter haec sex observare debemus, ut fideles in Dei servitio inveniamur et comprobemur. Primum dicitur incolume. Textus dicit *incolume*, videlicet ne sit in damnum suo domino de corpore suo. Nam clarum est, quod ille non est fidelis servus, qui nocet domino suo in corpore. Spiritualiter: is probatur esse fidelis Christianus, qui non offendit Christum in corpore suo. (C) Sed quis est, qui offendit Christum in corpore? Respondetur, quod primo is, qui in peccata recidivat, iuxta illud Heb. VI. ca.: *Rursum crucifigentes Christum in semetipsis.* 5 Augustinus: *Per omne peccatum mortale, quod committimus, quantum in nobis est, Christum crucifigimus.* Hoc intellige, id est talem iniuriam Christo facimus, ac si crucifigeremus eum corporaliter. Item secundo ille offendit Christum in corpore infideliter, videlicet qui indigne sumit Christi corpus vel tractat in Eucharistia. Propterea I. Cor. XI.: *Quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Christi.* 6 Omnes ergo tales infideles sunt Christi servi et puniendi. Secundum dicitur tutum. Textus *tutum* inquit, ne sit ei in damnum de secreto suo vel de munitionibus, per quas tutus esse potest. Spiritualiter: secretum Christi est ipsa interna cogitatio, quam solus Deus novit, munitio eius est castrum animae humanae, in quo Deus habitat, quod debet esse munitum firmo proposito in bono. Unde ille Christianus infidelis servus est, qui cogitatum suum consentiendo in pravam delectationem carnalitatis diabolo prodit, et sic munitionem Christi, id est animam dat in habitaculum hosti Christi, id est diabolo. Quo contra Eph. IV.: *Nolite locum dare diabolo.* 7 Et iterum: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* 8 Proinde qui sic offert cor suum diabolo, infideliter agit contra Christum. Dicit autem Glossa super praedictum textum, quod ille, qui munitiones cedit hostibus, vel litteras vel nuncium vel aliquid signum eis mittit, incidit in crimen laesae maiestatis secundum leges, et qui secretum prodit, capite punitur, ut ff. de re militari L. „Omne”. Quanto fortius aeterna morte puniendus est Christianus, qui animam suam tradit diabolo, expellendo inde Christum per consensum pravae delectationis. Nam Sap. I. scribitur: *Perversae cogitationes separant a Deo.* 9 Tertium dicitur *honestum*, ne videlicet servus sit in damnum domini de his, quae ad honestatem pertinent. Ubi Glossa etiam dicit, quod tenetur, ne uxori vel filiae domini vel quocumque aliquid inhonestum faciat in domo domini, et hoc tam opere dehonestando, quam lingua infamando. Spiritualiter: fidelis Christianus probatur, si in domo Domini, id est in Sancta Ecclesia, quae est congregatio fidelium, nullum dehonestat scandalizando vel diffamando aut detrahendo. Unde Mat. XVIII.: *Vae illi, per quem scandalum venit, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum etc.* 10 Tales sunt omnes ornantes se lascive, ut alios provocent ad concupiscentiam, similiter qui mala docent vel malum exemplum praebent. Item Ro. I.: *Susurriones detractores Deo odibiles etc.* 11 Denique tales etiam si poenitentiam agant, non sunt servi fideles, nisi satisfaciant restituendo famam, quia ut Augustinus dicit, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, XIV. q. VI. „Si res”. Quartum dicitur *utile*, inquit textus,

ne sit ei in damnum de suis possessionibus, sed illas scilicet fideliter dispenset, quod facit Christianus in bonis temporalibus. (D) Unde Christus in ipso evangelio huius thematis dicit parabolice, quod servi Dei acceptantur, qui fideles sunt in paucis, id est in bonis collatis in hac vita, quae sunt pauca et modica respectu bonorum caelestium. Nam illa sunt perpetua et per consequens infinita, haec autem transitoria. Unde Bernardus: *Sicut terra est quasi punctus respectu firmamenti, ita omnia terrena sunt quasi nil respectu caelestium bonorum*. Hi ergo servi, scilicet in istis bonis Dei, id est a Deo collatis tamquam probati fideles constituuntur supra multa indicibilia gaudii caelestis, sed servus infidelis et inutilis in istis proiectus est in Infernum. O ergo divites, timete, si divitias vestras ad salutem fideliter non dispensatis pauperibus. Exemplum de divite epulone. Unde Ambrosius li. De virginibus dicit: *Bonus et fidelis servus studet domini sui possessionum pretia et lucra quaerere, non propria lucra augere cum damno sui domini*. Sic servus Dei non debet sibi ipsi divitias superfluas augere, sed pretia Dei caelestia conquirere. Quantum dicitur facile, ne – inquit – illud bonum, quod dominus suus facere pro se leviter poterat, faciat ei difficile. Verbi gratia, quando dominus faciliter posset rehabere sua vel lucra acquirere, si ipse servus hoc difficultat, signum est infidelitatis. Spiritualiter sic homo cum facile possit opera virtuosa exercere, et lucra caelestia per poenitentiam habere, non debet difficultare assuescendo in peccatis et vitiosis operibus in iuventute sua. Nam ut ait Gregorius: *Difficile surgit, quem moles malae consuetudinis premit*. Unde patet, quod quando iuvenis non vult in iuventute poenitere de peccatis et benefacere, sed tantum differt ad senium, quando difficile erit propter contrariam consuetudinem facere, infidelis Christianus comprobatur. Ideo Augustinus dicit: *Maledictus, qui offert florem iuventutis diabolo, et faecem senectutis tantum vult offerre Christo*. Sextum dicitur possibile. Textus: ne id, quod possibile erat domino, reddat impossibile. Unde sanctus Benedictus in Regula dicit, quod verus oboediens et fidelis, etiam si impossibile praecipitur, implere temptat. Sic ergo spiritualiter ille Christianus, qui praecepta Dei implere dicit esse impossibile, ut multi haeretici dixerunt, infidelis convincitur. Unde Hieronymus et allegatur II. li. Sententiarum dist. XXVIII.: *Liberum – inquit – sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper indigere Dei auxilio, et illos errare, qui cum Manichaeo dicunt hominem peccatum vitare non posse*. Idem Hieronymus: *Qui dicit Deum praecepisse impossibile, anathema sit*. Item taliter etiam infideles probantur illi Christiani, qui in hac vita possent quidem poenitere (quia dicit Augustinus, quod de nemine quantumcumque scelerato in hac vita posito desperandum est), et tamen reddunt impossibile differentes suam conversionem usque post mortem, quando non erit possibile poenitere meritorie. Nam dicit Damascenus: *Hoc facit hominibus mors, quod fecit angelis casus*. O ergo Christiane, disce in fidelitatem cavere et fidelis Christi servus esse, ut dicatur tibi in morte: *Euge, serve bone et fidelis* etc., *intra in gaudium Domini tui* etc., sicut exemplum habes in isto confessore. (E) Circa secundum de divinae complacentiae gratia quaeritur, utrum Deo benedicto magis complacent et praegrata existant servitia sibi ab hominibus impensa, quam angelorum obsequia, an e converso. Cum enim istae sint tantum duae rationales creaturae, videlicet angeli et homines, quorum servitia Deus habet accepta specialius, utile est scire inter haec duo quod plus placet. Ad quod respondetur per conclusionem, quod servitia hominis fideliter exhibita per omnem modum probantur plus placere Deo, quam servitia angelorum. Declaratur, quia secundum Bonaventuram in III. dist. XXXII. dilectio Dei et per consequens eius complacentia ad creaturas est potius effectualis, quam affectualis, eo quod in Deum non cadit passio, sicut nec mutatio, iuxta illud Malach. III.: *Ego Deus, et non mutor*. 12 Sed quoniam Deus maioris effectus dilectionem et complacentiam exhibet circa servitia hominum, quam angelorum, ergo sequitur, quod magis diligit et plus delectatur in servitiis hominum, ut hoc clarescit ex pluribus signis huius effectualis complacentiae. Primum signum administrationis, quia omnes angelos voluit Deus ut essent administratorii nostrorum servitorum ad salutem nostram. Heb. I.: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis*. 13 Et Ps. dicit: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis ad serviendum Deo*. 14 Secundum signum beneficae provocationis, quia Deus omnes creaturas mundi nobis subiecit, ut pro tanto beneficio Deo serviremus. Ps.: *Omnia subiecasti sub pedibus eius, oves* etc. 15 Unde Magister in II. dist. I. dicit: *Si quaeritur, ad quid facta est rationalis creatura, respondetur, quod ad serviendum Deo et laudandum Deum. Mundus autem factus est, ut serviret homini. Homo igitur positus est in medio, ut scilicet serviretur ei a mundi creaturis, et ipse serviret Deo*. Haec ibi. Ex quo patet, quod multum diligit Deus hominum servitia, quibus tanta beneficia praestitit, ut servirent ipsi homini, propter hoc videlicet, ut homo serviret Deo. O ergo homo, quando vides, quod terra te sustentat et pascit, recognosce, quia propter hoc facit, ut servias Deo. Item quando vides, quia aqua te potat et abluit, sic et quando aer flatum tibi dat, et quando ignis calefacit et cibum decoquit, et quando sol et luna illuminat tibi, et quaeque astra serviunt, in singulis recognosce, quia ob hoc tibi haec fiunt, ut servires Deo. Vae ergo tibi, si non deservieris Deo, quia omnis creatura armabitur contra te in iudicio, eo quod servitium non impendisti, quod debuisti, patet Sap. V.: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos* etc. 16 Tertium signum carnis nostrae assumptionis, quia ut Apostolus ait Heb. II.: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae*. 17 Unde si quando rex aliquem servum adeo amaret pro sua fidelitate, ut in fratrem adoptaret, constat, quia illius servitium praeacceptaret aliis. Sic in proposito Christus nos adoptavit, ut fideliter serviremus ei in fratres et carissimos amicos, non sic autem angelos, ergo patet. Quartum signum debitoriae obligationis, quia Deus ut hominem obligaret debitorie ad sibi serviendum, proprio suo sanguine et morte eum redemit, quod non fecit angelis. Nam malos angelos non redemit de servitute malitiae vel peccati, sed homines tantum. Ideo Ro. VI.: *Nunc autem liberati a peccato servi facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam, stipendia autem peccati mors* etc. 18 (F) Item ad id facit etiam talis ratio; quaero namque: Quare noluit Deus, ut aliquis angelus vel purus homo pro hominum salute moreretur, et per illum redimeretur, sed per seipsum voluit genus humanum moriendo redimere? Ad hoc respondendo secundum Anselmum li. Cur Deus homo atque doctores super III. dist. I. assignantur plures rationes. Una est, quia peccatum hominis erat infinitae gravitatis, tum quia fuit contra infinitam bonitatem divinam, tum quia infinito bono privaverat hominem, scilicet beatitudine, quae in perpetuum durat, et sic in infinitum aperte post, tum quia infinitum malum, scilicet damnationis perpetuae per illud homo incurrerat. Et ideo ex quo omnis creatura finitae est bonitatis, nulla

creatura etiam angelica suffecisset satisfacere pro peccato hominis, eo quod *finiti ad infinitum nulla proportio*, VIII. Physicorum. Oportebat ergo, ut ipsemet Deus infinitae bonitatis satisfaceret. Alia ratio est, ut homo soli Deo debitor salutis, honoris et servitutis esset, sicut et in statu innocentiae soli Deo subiectus erat creatus. Unde et mandavit Deus Deute. VI.: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, 19 scilicet cultu latriae. Ecce ergo claret, quod Deus intantum amavit servitiam hominis, ut scilicet sua morte et sanguine emerit, et debitorem fecerit hominem pro suo servitio. Unde I. Cor. VI.: *Empti estis pretio magno, ergo glorificate*, scilicet serviendo *et portate* etc. 20 Quintum signum excitationis, quia per omnes creaturas voluit nos Deus exemplariter excitare ad serviendum Deo, et etiam angelos in hoc servire voluit, ut nos ad serviendum Deo excitarent, sed *propter unumquodque tale et ipsum magis*, ut dicitur I. Posteriorum, ergo prae omnium creaturarum servitii Deus magis amat hominem sibi servire. Proinde Hugo De arca li. II. c. III. ait: *Audimus omnem creaturam tribus vocibus nobis loquentem. Prima vox: accipe beneficium. Secunda: redde debitum servitium. Tertia: fuge supplicium*. Sextum signum felicioris remunerationis. Nam celerius, largius et felicius remunerat homines pro suo servitio ipse Deus, quam remuneraverit angelos, cum enim angeli ab initio mundi usque in finem serviunt Deo, homines vero brevi tempore suae vitae, alii X, alii XL, alii LX annis, et tamen pro hoc brevi servitio ita homines remunerat, sicut angelos, immo abundantius, quia in corpore et anima ipsum hominem glorificabit. Et quia homo per suum servitium plus potest acquirere de gloria essentiali, quam aliquis angelus habeat. Nam pro exemplo Beata Virgo Maria per sua servitia prae omnibus remunerari et exaltari super omnes angelos meruit. Alii autem plures sancti sunt remunerati inter Seraphim, et sic illi plus habent, quam angeli de choris inferioribus, alii inter Cherubim, et sic de aliis, ergo etc., de hoc etiam articulo sequenti. O ergo homo, dilige Deum, et servias ei, qui te sic diligit. (G) Circa tertium de iucunditate praemii caelestis gratia praemissorum quaeritur, utrum homines beati in caelo maiora gaudia habeant, quam angeli, an e converso. Ad quod respondetur secundum doctores, quod homines de pluribus habent gaudia in caelo, quam angeli, et per consequens maius est hominum beatorum gaudium, quam angelorum. Et hoc in sex gaudiis. Primo in gaudio adunationis, quia videbunt, quod humana natura sic adunata est in perpetuum Deo in unitate personae, ut Deus sit homo, et e converso indissolubiliter et perpetuo. Secundo in gaudio confraternitatis et cognationis, scilicet in Christo, quia per hanc unionem factus est homo frater Christi, Filii Dei, et cognatus. Bernardus: *Puto, quod iam me spernere non poterit Deus, os et caro et frater meus*. Et haec dignitas non est data angelis, quia tantummodo sunt servi, et non sunt fratres Christi, ut docet Apostolus Heb. II. Tertio in gaudio duplicis stolae et glorificationis, quia homo gloriam possidebit duplicem, videlicet in corpore simul et anima, et sic duplici oculo habebit visionis gaudium. Nam oculo animae videbit Deum, oculo autem corporali gloriosam faciem Christi, *in quam desiderant angeli prospicere*, I. Pe. I. 21 Sed angelus tantum habebit simplicem gloriam spiritualem, ergo etc. Quarto in gaudio exaltationis, quia homo in utroque sexu exaltatus est super omnes angelos, scilicet in Christo et Beata Matre, quae super omnes choros est. Quinto in gaudio felicissimi honoris, quia videlicet humanam naturam Deus adeo honoravit, ut eam omnes creaturae honorent et adorent adoratione latriae in Christo, et venerentur honore hyperduliae in Christi matre, quod non est concessum angelicae naturae. Unde in Apoc. XXI. legitur, quod angelus non permisit se a Iohanne genuflexo adorari, et tamen in Veteri Testamento permisit Abrahae, quia tunc nondum erat humana natura super angelos exaltata. Sexto excedit homo in gaudio gloriosae coronationis, quia multi beati habent coronas martyrii et virginitatis et praedicationis. Item multi habent fructus, alii tricesimum, alii sexagesimum, alii centesimum. Angeli autem nullam aureolam habent, nec fructus, qui debetur continentiae, ut haec patent per doctores communiter in quarto libro. O ergo quantum gaudium habet iste sanctus, cuius hodie festum colimus. O quanta sunt ibi gaudia omnium beatorum, nulla explicare poterit lingua. O itaque carissimi, imitemur sanctos serviendo Deo, ut mereamur pervenire ad illa indicibilia eorum gaudia praestante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

---

1 Mt 25,21;23 2 Is 52,13 3 Sap 14,9 4 Recte: Fulbertus, cf. PL 187, 1156C-1157A 5 Hbr 6,6 6 I Cor 10,27 7 Eph 4,27 8 I Cor 3,17 9 Sap 1,3 10 Mt 18,6-7 11 Rm 1,29-30 12 Mal 3,6 13 Hbr 1,14 14 Ps 90,11 15 Ps 8,8 16 Sap 5,21 17 Hbr 2,16 18 Rm 6,22-23 19 Cf. Dt 6,13 20 I Cor 5,20 21 I Pt 1,12

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXVIII.] De quocumque confessore communis sermo alius *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*. Ioh. XII. 1 (A) Item aliud ex Veteri Testamento: *Acceptus est regi minister intelligens*. Prover. XIV. 2 Item ex evangelio: *Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*. Luc. XII. 3 Scimus, carissimi, quia ut docet non solum theologia et Sacra Scriptura, immo etiam testatur philosophia, quod *pravus non est honore dignus, quia honor est praemium virtutis*, ut patet IV. Ethicorum. Proinde diabolus et vitiosus hominem nullus sanae mentis honorat, similiter nec brutum. Sed virtuosum hominem omnes debent honorari et diligere, quia et ipse Deus illos honorat, acceptat et glorificat. Summae autem virtuositatis est servire Christo, Dei Filio, ideo ipse merito repromittit honorem caelestem talibus dicens: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum* etc. Et iterum aliud thema: *Acceptus est regi Christo minister intelligens*. Sed quoniam iste sanctus confessor toto animo Christo ministravit et servivit omni tempore vitae suae perseverando, ergo merito de ipso accipiuntur haec verba. Iuxta quae tria mysteria notabimus, secundum quod de istis commendatur et in exemplum nobis proponitur ad imitandum pro isto sermone. · Primo de servitii Christi affectione, ibi: *Si quis mihi ministraverit* · Secundo de ministerii Christi completionem vel perfectionem, ibi: *ministraverit*, scilicet ut debet · Tertio de obsequii Christi caelesti honore, ibi: *honorificabit* (B) Circa primum de affectione servitii Christi quaeritur, quare debeat homo affectanter servire Christo Domino. Ad quod respondetur, quod plures sunt rationes inductivae, propter quas debet homo amanter servire Christo. Prima ratio amicationis, quia Christus sibi servientes ut amicos diligit, Ioh. XV.: *Iam non dicam vos servos, sed amicos* etc. 4, immo quod maius est, diligit tamquam matrem et fratrem, Matth. XII.: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, soror et mater est*. 5



Unde Bernardus: *O Iesu bone, quis principum huius saeculi tantum honorem exhibet servis suis, ut tu? Nam magnum est, si quis principum ad suam mensam accipiat suum servum, tu vero nos cum essemus digni tantummodo servi nomine, non tantum ad mensam tuam nos accipis, sed et amicos et fratres dilectissimos nos vocare dignaris, si tibi servierimus.* Secunda ratio creationis, quia ad hoc nos Deus creavit, ut ipsi serviamus. Unde Magister in II. dist. I. dicit: *Si quaeratur, ad quid creata sit rationalis creatura, respondetur: ad laudandum Deum, ad serviendum ei, ad fruendum eo, in quibus proficit ipsa, non Deus.* Et infra: *Factus est ergo homo propter Deum, non quia creator Deus eius indigerit officio, qui bonorum nostrorum non eget, sed ut serviret ei, cui servire regnare est. In hoc ergo proficit serviens, non ille, cui servit.* Haec Magister. O tu homo, considera, quantum deberes servire alicui, qui tibi caeco nato visum dedisset, aut manco manum, et sic de aliis, multo magis debes servire Deo, qui dedit singula membra et insuper animam rationalem. Tertia ratio debitoriae recompensationis. Nam ipse Christus nobis servivit trigintatribus annis miserias huius vitae sustinendo, insuper ludibria et verbera. Unde dicit Isaia XLIII.: *Servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem iniquitatibus tuis, 6 scilicet expiandis.* Propter quod etiam Christus Lu. XXI. ait: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* 7 Bernardus: *Nulli iustius serviendum est, quam ei, qui si pro nobis non moreretur, non vinceremus, scilicet in gratia, iuste sibi vindicat vitam nostram, qui pro nostra vita, scilicet aeterna posuit suam.* Haec Bernardus. Quarta ratio exemplificationis, quia Deus totius mundi creaturas dedit nobis in servitum pro exemplo videlicet et obligatione, ut nos serviremus Deo. Unde Magister in II. dist. I. dicit: *Sicut factus est homo propter Deum, ut ei serviret, ita mundus factus est propter hominem, scilicet ut ei serviret.* Et infra ostendit miram Dei circa nos bonitatem, qua omnia dedit nobis. (C) O Christiane, quaero te, quid putas de omnibus creaturis, cuius sunt caelum, terra et omnia, quae in eis sunt. Audi ibidem Magistrum secundum Augustinum dicentem sic: *Omnia enim nostra sunt (ut ait Apostolus, scilicet I. Cor. III. 8) superiora et aequalia et inferiora. Superiora quidem nostra sunt ad perfruendum, ut Deus Trinitas. Aequalia ad convivendum, scilicet angeli, qui et si nobis modo superiores sint, in futuro erunt aequales, qui et modo nostri sunt, quia ad usum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non dominio, sed quia sunt ad usum eorum, ipsi quoque angeli in Scriptura nobis servire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur.* Haec Magister. O pauper homuncio, dic mihi, quare Deus dedit tibi omnia mundi ut sint tua. Ecce nil potes dicere, quod non sit tuum, quare haec et unde tibi tanta. O miser homo, audi Apostolum I. Cor. III. dicentem: *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas (et sic omnes sancti, scilicet ad patrocinium), sive mundus, 9 id est mundi creaturae ad serviendum, sive vita, sive mors, scilicet patienter tolerata, quae deserviunt ad merendum, sive praesentia, scilicet bona, sive futura, scilicet quae speramus.* Sequitur: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei, 10 ergo servire debes Christo Deo.* (D) Proinde Hugo De arca li. II. c. III. dicit: *Omnis creatura tribus vocibus nobis loquitur. Prima vox: accipe beneficium. Secunda: redde debitum servitium. Tertia: fuge supplicium. Nam prima vox est famulantis, qua caelum dicit: ministro tibi lucem in die, ut vigiles, tenebras in nocte, ut pauses. Aer dicit: vitalem tibi praebeo flatum, et omne genus avium ad tuum obsequium. Aqua dicit: potum tibi do, sordes purgo, arentia rigo, et piscium genera praebeo ad tuum usum. Terra dicit: ego te po[r]to, pane nutrio et vino, omnibus generibus fructuum et animalium mensas tuas repleo. Secunda vox est admonentis, qua mundus dicit: Vide homo, quomodo amavit te, qui propter te fecit me, servio tibi, ut et tu servias illi, qui fecit me et te. Tertia vox est comminantis, qua ignis dicit: a me combureris. Aqua dicit: in me summergeris. Terra et etiam Infernus dicit: a me conglutieris, scilicet propter peccata, si non servieris Deo.* Haec Hugo. Quinta ratio fidelis repromissionis, quia ipse Christus repromisit se nobis ministraturum in caelo perpetua bona supernae beatitudinis. Luc. XII.: *Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen – id est fideliter promittens – dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis.* 11 Augustinus de verbis Domini sermone IV.: *O magna – inquit – bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia utpote servi Domino Deo, mancipia Redemptori, tamen praemia nobis repromittit, ut a nobis obsequia debitae servitutis extorqueat, ut quos nolle servire sponte conspicit, beneficiorum suorum promissionibus invitare possit.* Haec ille. Sexta ratio gloriosae sanctitatis et honoris. Nam servire Deo est gloriosi honoris et sanctitatis, quia honestissima et sanctissima servitia Deus requirit, I. Thes. IV.: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore.* 12 Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, scilicet peccati cuiuscumque, sed in sanctificatione, id est ut sancte vivendo serviamus Deo. Sed per contrarium pensa, o homo, quam turpe et dedecus maximum est servire carni, quia bestialem efficit. Ps.: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis* etc. 13 Item servire etiam terrenis rebus per avaritiam turpissimum est, utpote servire luto et foetidissimo stercori. Quid enim foetidius auro vel argento, dum in foco excoquitur, ideoque de tali avaro Sap. XV. dicitur: *Luto vilior est vita eius.* 14 Et Apostolus Phil. III.: *Omnia arbitratus sum ut stercora.* 15 Omnia, scilicet terrena delectabilia. Denique quid turpius et confusibilis, quam servire diabolo, quia hoc est peius et turpius, quam servire cani, asino vel ranae, immo ut ait Gregorius: *Stultissimum est servire diabolo, qui nullo placatur obsequio, sed sibi servientes exsolvit infernali supplicio.* O ergo stultissimi peccatores, ad cor redite, et Christo servite. Septima ratio [h]abundantissimae retributionis. Nam ut dicit Bernardus: *Mira est stultitia hominum in eo, quod mundus retribuat parva, et servitur ei aviditate magna. Deus autem retribuit multa indicibilia et aeterna, et pro hoc vix pes levatur a terra.* Narratur pro exemplo, quod quidam servus videns suum dominum manducare cepas a cauda devorando usque ad caput, et cancos a pedibus inchoando, reliquit dominum dicens: „Si mihi non das posteriora vel viliora, utique non dabis potiora.” Sed per contrarium Deus dat servis primo omnium seipsum, quod est potissimum, et consequenter omnia, ergo etc. Unde Anselmus: *Si amici[ti]a quaeritur, nulla maior, quam in caelo habetur, ubi Deus erit omnia in omnibus, si divitiae, si deliciae et honores, si quaeque mundi bona appetuntur, nusquam feliciores et maiores, quam in caelo perpetuo possidentur.* O ergo carissimi, discamus servire Deo, ut simus perenniter beati in caelo. (E) Circa secundum de ministerii Christi adimpletione quaeritur, in quibus debeat quilibet fidelis servire Christo Domino, vel eius servitia perfecte explere. Ad quod respondet beatus Petrus II. epistola canonica, ca. I. dicens sic: *Vos autem curam omnem subinferentes.* 16 Lyra: scilicet ad

implendum, quae subsequuntur in servitio Christi. Sequitur: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Haec enim si vobiscum assint, non vacuos, nec sine fructu vos constituent, immo plenos meritis et praemiis in Domini nostri Iesu Christi cognitione, id est in aperta visione in patria. Cui enim non praesto sunt haec, caecus est.* 17 Haec ibi. In quibus verbis septem potissima notantur, scilicet in quibus debet Christianus ministrare Christo. Primo quidem in fide virtuosa. Nam dicit: *Ministrate in fide vestra virtutem.* Lyra: scilicet bene operandi. Nam *fides sine operibus mortua est* in seipsa, Iaco. II. 18 Augustinus: *Fides cum operibus fides est Christiani. Fides autem sine operibus fides est daemonum.* Nam daemones credunt et contremiscunt. Utinam mali Christiani haberent fidem, sicut daemones, ut scilicet contremiscerent iudicem Christum, et converterentur. Secundo in scientia, ideo dicitur: *In virtute autem scientiam,* scilicet verbi divini, per quod debet studere Christianus ea, quae sunt necessaria ad salutem. Unde Augustinus: *Nescio, quomodo audeat se dicere Christianum, qui non vult addiscere pauca verba in Symbolo et Oratione Dominica ac praeceptis Decalogi.* Unde Christianus, qui non vult verba Dei audire, graviter peccat contra Christum, tamquam servus malus, qui nec vult audire praecepta domini sui, nec cognoscere ad implendum. Ideo Clemens papa dist. XXXVIII. „Nullus” dicit, quod qui discere atque agere bona recusat, magis diaboli, quam Christi membrum ostenditur, et potius infidelis, quam fidelis esse monstratur. (F) Sed quoniam aliqui se excusant de hoc, quod non possunt capere vel intelligere verba Dei in praedicatione, ideo recusat audire. Respondetur talibus, quod verbum Dei habet similitudinem praecipue horum trium, quantum sufficit ad praesens. Primo comparatur oleo, quia vulnera sanat animarum, sicut oleum corporum. Secundo comparatur melli, quod mundificat oculum, et dulcificat saporem. Sic verbum Dei oculum mentis mundat, et dulcificat animam. Ps.: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel ori meo.* 19 Tertio comparatur vino, quod laetificat et confortat. Sic verbum Dei in spe caelestium. Unde Samaritanus, id est Christus infudit in vulnera peccatoris oleum et vinum, id est verbum Dei, quod utriusque habet virtutem, ad propositum dicitur de oleo, quod est melius et saporosius in superficie, eo quod est multum aereum, sed mel est melius in fundo, eo quod est terrestre et grossum, vinum autem melius est in medio, eo quod est mediocris naturae. Sic verbum Dei omnibus audientibus confert, aliquibus tamquam oleum in superficie historiali dat intellectum salutarem, sicut simplicibus et grossis hominibus, aliis tamquam mel in fundo, scilicet spiritualis et mysticae expositionis et intellectus, ut patet de acutis et ingeniosis, aliis autem ut vinum in medio moralis intellectus, ut hominibus medio modo se habentibus, partim grossis, partim spiritualibus. Unde nullus potest se excusare, sed omnes debent verbum Dei libenter audire, quia ut Christus ait Luc. XI.: *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* 20 Tertio debemus servire Christo in abstinentia. Unde ibidem dicitur: *In scientia autem abstinentiam,* 21 scilicet ab omnibus peccatis. Nam Christus dicit Ioh. VIII.: *Qui facit peccatum, servus est peccati,* 22 ergo non Dei. Et Gal. V.: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt* etc. 23 Sed heu multi licet bona operentur, tamen et peccata faciunt. Tales servi sunt, sicut qui inter bona fercula intoxicant dominum suum. Unde Christus de talibus ait per Ps.: *Et dederunt in escam meam fel* etc. 24 Quarto in patientia, ideo dicit: *In abstinentia patientiam,* scilicet ut toleremus aliorum defectus et nobis illatas iniurias. Unde Gregorius XXIII. q. IV. „Haec autem vita” dicit: *Quisquis malos non tolerat, ipse sibi per hoc testis est, quia bonus non est.* Debemus ergo etiam patienter servire Deo in flagellis et adversis. Unde Christus ait Luc. XXI.: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* 25 Quinto in pietate vel misericordia, ideo addit: *In patientia autem pietatem,* scilicet exhibendo in proximos. Debemus ergo servire Christo in misericordiae operibus. De quibus versus: *Visito poto cibo redimo tego colligo condo.* Nam Matth. V.: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 26 Et Iac. II.: *Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam.* 27 Sexto in amoresitate fraterna, scilicet corrigendo pie proximi vitia, ideo addit: *In pietate autem amorem fraternitatis.* Lyra: id est communitatis fidelium. Unde homo circa subditos debet sic Christo servire, scilicet dulciter eos regere, ac paterno pio amore corrigere, unde Eph. VI.: *Filii, oboedite parentibus vestris in Domino, et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, scilicet eos nimis aspere castigando, sed educate illos in disciplina et correctione. Servi, oboedite dominis* etc., *ut servi Christi facientes voluntatem Dei.* 28 Haec ibi, ergo taliter serviendum est Christo. (G) Quaeritur hic, utrum homo pro offensis suorum subditorum domesticorum debeat semper irasci, et verbo ac correctione disciplinae punire delinquentes. Respondetur secundum doctores, praecipue Ludolphum li. De meditatione vitae Christi, ubi allegando Bernardus dicit, quod *semper punire ferocitatis est.* Unde contra hoc scribitur Eccli. IV.: *Noli esse sicut leo in domo tua evertens domesticos tuos.* 29 Item semper parcere pusillanimitatis est et remissis regiminis. Contra quos Philosophus IV. Ethicorum dicit: *Non irasci, in quibus et quando oportet, insipientis est.* Unde subdit Bernardus, quod *nec semper punire, nec semper parcere est aequitatis.* Habere enim plus amaritudinis, quam suavitatis damnabile est, e converso tolerabile, utrumque autem commendabile. Nam et Samaritanus oleum simul et vinum in vulnera tibi fudit. Ad id exemplum de baculo tortuoso vel stipite arboris plantatae recurvata, quae si nimis importune vehementius flectitur ad erigendum, frangitur, sic subditi franguntur desperando, si nimis exasperentur, sed temperata pietate deducuntur melius. Septimo debemus Christo servire in charitatis divinae observantia. Ideo dicit: *In amore fraternitatis charitatem,* scilicet quae est perfectiva omnium praedictorum, et ergo debemus Christo servire in praeceptorum observantia. Nam in hoc consistit vere charitas Dei. Unde Ioh. XIV. dicit Christus: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.* 30 Hinc Deut. X.: *Non aliud Dominus Deus tuus requirit a te, nisi ut timeas et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde, custodiasque mandata eius.* 31 O ergo Christiane, haec observa. (H) Circa tertium de honorificatione, qua Christus sublimabit suos servos in caelesti patria, ut amplius desideremus et ad eam acquirendam festinemus, quaeritur, unde hoc possit clarius probari, quod Deus super omnia honorum genera maxime honorificabit suos. Respondetur, quod praecipue ex septem rationibus clarius consideratur. Primo quia honorificat honore adorationis decorosissimae, scilicet super omnem purpuram regis et amictum imperatoris et cuiuscumque dignitatis. Ps.: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* 32 Regina: id est fidelis anima, in vestitu deaurato circumdata varietate omnis pulchritudinis totius mundi et omnis decoris. Secundo quia

honorificat Deus suos honore beatificationis clarissimae et honoratissimae. Nam si posses facere, quod omnes et singuli homines totius mundi te honorarent genibus flexis ut suum regem, adhuc nil esset hoc respectu honoris caelestis, ubi omnes angeli et beati te honorabunt, qui improporcionabiliter plures sunt, quam totius mundi homines in praesenti viventes, et insuper hoc est maximum, quod ipsa Virgo Beata et Christus Dominus ac Deus Pater honorabit te inibi, scilicet in caelo, ut patet ex themate. Unde Gregorius homilia Sexagesimae: *Si culmen veri honoris quaeritis, ad caeleste regnum tendite*. Tertio quia honorificat Deus suos servos honore coronae regalis dignissimae. Matt. XXV.: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum etc.* 33 Item Ps.: *Gloria et honore coronasti eum etc.* 34 Quarto quia honorificat honore donationis ditissimae, quia omnibus divitiis et bonis omnibus desiderabilibus, quia dat Deus suis seipsum, qui est super omnia bona, et in quo omnia bona. Unde Cassiodorus super Ps. V.: *O magna et ineffabilis largitas Salvatoris, quid simile potest dare, quam quod rerum omnium Dominus se concedit. Nam quilibet munificus donat illa, quae possidet, Deus autem, qui ineffabile bonum est, se largitur in praemium*. Haec ille. Quintum quia honorificat honore exaltationis potentissimae, quia dabit sibi Deus potestatem super omnem creaturam, et quod est maximum, super seipsum, ut scilicet Deum sic in potestate habeat, quatenus quidquid ille velit, impetret a Deo. Anselmus Proslogion: *Beati quidquid volunt, erit, et quod nolunt, non erit*. Sexto honorificat honore filiationis nobilissimae, quia erunt in caelo filii Dei et heredes, coheredes autem Christi, Ro. VIII. 35, quid maius est, quam esse filium ducis vel regis vel imperatoris et cuiusvis nobilitatis. Septimo honore glorificationis perenniter stabilissimae, quia Deus dabit in caelo perfrui suis omni bono et ipsomet Deo, qui erit omnia in omnibus sine fine. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut huius sancti confessoris meritis det nobis ista summa bona. Amen.

---

1 Ioh 12,26 2 Prv 14,35 3 Cf. Lc 12,41; Mt 24,45 4 Ioh 15,15 5 Mt 12,50 6 Is 43,24 7 Lc 22,27 8 Cf. I Cor 3,22 9 I Cor 3,22 10 I Cor 3,22-23 11 Lc 12,37 12 I Th 4,3-4 13 Ps 48,13;21 14 Sap 15,10 15 Cf. Phil 3,8 16 II Pt 1,5 17 II Pt 1,5-9 18 Iac 2,26 19 Ps 118,103 20 Lc 11,28 21 II Pt 1,6 22 Ioh 8,34 23 Gal 5,24 24 Ps 68,22 25 Lc 21,19 26 Mt 5,7 27 Iac 2,13 28 Eph 6,1-6 29 Sir 4,35 30 Ioh 14,21 31 Cf. Dt 10,12 32 Ps 44,10 33 Mt 25,34 34 Ps 8,6 35 Rm 8,17

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXIX.] Sequitur de sanctis virginibus vel etiam quibusvis sanctis mulieribus Sermo communis. *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro etc.* Matt. XIII. 1 et in evangelio hodierno. (A) Item aliud ex Vetere Testamento thema: *Iucunditas cordis haec est vita et thesaurus sine defectione sanctitatis*. Ecc. XXX. 2 In quibus verbis Christus et Sacra Scriptura commendat nobis pretiositatem castitatis comparando eam pretiosissimo thesauro: quatenus nos miseri affectuosius ipsam castitatem appetiemus et diligamus observare. Nam Christus dicit, quod castitas est, sicut thesaurus absconditus in agro, scilicet nostri corporis. Et hoc dictum Ecclesia accipit praecipue de castis mulieribus vel virginibus applicando in evangelio. Et dicit, quod pro tanta pretiositate eius debet homo vendere omnia, quae habet, et eam emere, id est observare usque ad mortem. Sic etiam scriptura praedicta Ecclesiastici dicit, quod *iucunditas cordis haec est vita et thesaurus sine defectione sanctitatis*, id est castitatis, quod dicit, quod iucunditas conscientiae et vita, scilicet gratiae consistit in thesauro, isto scilicet castitatis, quae est sanctitas sine defectione, id est sine corruptione. Ad honorem ergo huius sanctae virginis vel cuiuscumque mulieris merito accipitur. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus, secundum quod de his tribus commendatur talis sancta. · Primo de castitatis thesauro, quia comparatur thesauro, ut patet · Secundo de virtuositatis praeclaro merito, quia pro eo habendo vendidit omnia · Tertio de lucrositatis eius studio, quia emit eam (B) Circa primum de castitatis thesauro quaeritur, quare Christus et Scriptura Sacra castitatem thesauro comparavit. Ratio quaestionis est, quia ut Hieronymus dicit li. I. Contra Iovinianum, in veteri lege gloria erat in partibus et maledicta sterilis, quae non habebat semen in Israel. Mirum ergo, quod sic castitas commendatur, ut thesauro pretiosissimo assimiletur. Respondetur, quod castitas merito thesauro comparatur pro sui pretiositate virtutis, quam Christus in se et in sua matre multum sublimavit et dignificavit, cum ex virgine nasci voluit. Licet in veteri lege erat gloria in partibus, quia per generationes deveniendum erat ad Christi adventum. Sed nunc reputatur et sanctitas thesaurus pretiosissimus pluribus rationibus. · Prima ratio appetitionis · Secunda absconsionis · Tertia copiosae conditionis · Quarta ditissimae prosperationis vel felicitationis Prima ratio appetitionis. Nam thesaurus dicitur a 'thesis' in Graeco, quod est 'positio' in Latino, et aurum quasi repositum aurum vel pretiosum quid pro auro valens. Sed virginalis castitas est aurea pretiositate praevalens. Primo quia sicut aurum praeponderat omnibus metallis, sic virginalis castitas. Unde Ecc. XXXVI.: *Omnis ponderatio non est digna continentis animae*. 3 Secundo quia sicut aurum inter omnia metalla praefulget pulchritudine, aurum enim non perdit fulgorem pulchritudinis suae nec ignis adustione, nec luti involutione, nec temporis vetustate. Sic castitas debet esse, ut non minuatur igne concupiscentiae, nec terreni corporis lutei amore, scilicet carnali, nec aliqua longeva aetate. Unde Hieronymus dicit: *Castitas est mentis et corporis incorrupta custodia ab omnibus illecebris carnis*. Tertio quia sicut aurum super omnia metalla est regii decoris, nam et vestis aurea ad reges et reginas pertinet. Similiter et de auro bibere regiae dignitatis est secundum leges, et patet ex his, quae scribuntur I. Mach. X. et pluribus passibus, ubi legitur, quod rex concessit Iudae et Ionathae aureis uti. Sic castitas est regii decoris, id est Christi et Sanctae Matris eius. Unde Ambrosius li. De virginibus ipsam virginitatem nominat regnum aureum et pulchritudinem ac sponsam regis. Merito ergo castitas pro thesauro magno est. Secunda ratio absconsionis, quia sicut thesaurus absconditur et occultatur, sic castitas a paucis valde raro agnoscitur vere et apperitur iuxta dictum Salvatoris Matth. XXI.: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum, sed non omnes capiunt (inquit) verbum istud: immo paucissimi*. 4 Quia ut Gregorius dicit I. dist.: *Quia sanctitatem* 5 sine vitio carnis pauci inveniunt. Item sicut thesaurus absconditur: sic virginalis castitas abscondenda est a furibus et latronibus, id est a vana gloria mundi et daemonibus. Propterea Christus dicit, quod *simile est thesauro* (non simpliciter), sed *abscondito*, inquit, *in agro*, id est in agro nostri corporis. Et ad id Apostolus II. Cor. IV. dicit: *Habemus*



*thesaurum iustum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis.* 6 (C) Quaeritur hic, qualiter debeat homo abscondere pretiosum thesaurum castitatis in sui corporis agro, ne scilicet perdat per raptos et fures daemones. Ad hoc respondetur, quod debet abscondere praecipue per tria. Primo per sensuum clausuram et cohibitionem, ut sic sepe circumdemus, scilicet custodiae. Nam Ambrosius dicit, quod mors intrat per fenestras quorumcumque sensuum et sic rapit omnia. Ecc. XXXVI.: *Ubi non est sepes, diripietur possessio,* 7 propter quod et Christus Matt. V. dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam* etc. 8 Et propter hoc Deus voluit, ut servetur thesaurus castitatis in vase fictili, id est carne fragili terreno, non ferreo, quatenus homo sit plus sollicitus per conservationem. Augustinus De vita Christiana: *Quo sublimior est gloria castitatis, eo maior debet esse cura pro custodia.* Secundo per carnis mortificationem. Iuxta illud I. Co. IX.: *Castigo corpus meum, et in servitutum redigo, ne reprobus efficiar.* 9 Sic enim quasi sub spinetis et vepribus occultata melius tuebitur. Quia ut Bernardus dicit: *In deliciis periclitatur castitas.* 10 Tertio abscondi debet per humilitatem tamquam per suffossionem, ne visui pateat. Augustinus: *Non solum praedicanda est virginitas, ut servetur, sed etiam ne infletur.* Eoque dicit Bernardus: *Nec virginitas Mariae placuisset Deo sine humilitate.* Debet igitur abscondi a vento vanae gloriae in fundo humilitatis, ne pateat ruinae. Nam ait Gregorius in homilia: *Caelestis desiderii studium custodire non sufficit, qui haec ab humanis laudibus non abscondit, depraedari enim desiderat, qui thesaurum publice in via portat.* Tertia ratio copiosae conditionis, quia pro thesauro conditur non modicum aurum: puta non tres aut duo ducati, sed multi et sic copiosi valoris. Reconduntur autem praecipue tria, scilicet aurum, argentum, similiter et lapides pretiosi. Sic castitas debet esse copiosa, scilicet valore et cumulo meritorum magnorum. (D) Sed quomodo castitas reputatur copiosi valoris iuxta haec? Respondetur, quod: Primo si habet aurum charitatis, quae est in servandis praeceptis. Apocal. III.: *Suadeo tibi emere aurum ignitum, ut locuples fias.* 11 Bernardus: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo: tolle oleum, lampas non lucet, tolle charitatem, castitas Deo non placet.* Secundo si habet argentum clarae puritatis, scilicet in poenitendo et cavendo a peccatis. Sap. IV.: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate,* 12 scilicet munditiae a peccatis. Tertio si habet lapides pretiosos boni et multi operis. Gregorius in homilia: *Nec castitas magna est sine bono opere, nec bonum opus aliquid est sine castitate.* Quarta ratio ditissimae prosperationis vel felicitationis, quia thesaurus divitem reddidit ipsum possidentem et felicem secundum potentem prosperitatem. Sic castitas divitias possidet gratiarum et meritorum ac praemiorum, ac felicem facit in Christo. Unde Sap. III.: *Felix sterilis et incoquinata, qui nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum* sanctarum. 13 Nam continentiae debetur in praemio fructus, scilicet coniugali XXX, viduali LX, virginali centesimus, ut patet per doctores super Matt. XIII. Debetur etiam virginitati specialis aureola, et iste fructus vel divitiae tales sunt optima super omnes terrestres divitias, utpote caelestes et divinae. Augustinus: *O quam dulces et sic optimi sunt fructus castitatis, quia in eis singulariter reficitur Dominus maiestatis.* (E) Quaeritur hic: Ex quo castitas est tam commendabilis virtus, quia ergo Christus eam non praecipit servari debere in virginitate vel viduitate permanendo, sed permisit matrimonium contrahere. Respondetur secundum Chrysostomum, quod ideo, quia est virtus tam excellens et pretiosa, quod non potest capi a carnalibus. Ideo Matt. XIX. cum dixisset Christus: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum,* subiunxit: *Qui potest capere, capiat.* 14 Lyra: quod dicit: propter altitudinem huius virtutis non capit hoc homo, praecipue carnalis. Ideoque Chrysostomus ait: *Plus Christus ceteris amat virgines, quia sponte tribuunt, quod eis non est imperatum.* Ambrosius: *Virginitas ita pretiosa est, quod suaderi potest, imperari non potest, nam magis est voti, quam praecepti.* Quapropter dicit Apostolus I. Cor. VII.: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, bonum est enim homini sic esse.* 15 O ergo quam miseri et infelices sunt homines luxuriosi, qui tale et tantum bonum, scilicet castitatem contemnunt. O utinam servarent saltem coniugalem castitatem, si nolunt vidualem vel virginalem. Sed vae eis, qui per momentaneam delectationem acquirunt sibi aeternam poenam in Gehenna, si hic poenitentiam non tenuerunt. (F) Circa secundum de praecellencia castitatis inter virtutes quaeritur, utrum castitas, praecipue virginalis meritum praecellat ceterarum virtutum thesauros meritorum. Ratio huius quaestionis pro et contra est, quia scribitur Ecc. XXVI.: *Omnis ponderatio non est digna continentis animae,* 16 et quia Apoc. XIV. dicitur de virginibus: *Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit, et cantant canticum novum,* scilicet de integritate carnalis, *quod nemo alius in caelo potest cantare.* 17 Sic ergo patet, quod praecellit castitas praecipue virginalis virtutes ceteras tamquam pretiosior et Christo propinquior ac iucundior in caelo. Sed quid dicendum est, quod Augustinus li. De coniugali bono dicit: *Non est – inquit – impar meritum continentiae in Iohanne Baptista, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios generavit, quorum uterque pro temporum distributione Christo militavit.* Item Hieronymus Contra Iovinianum li. II. dicit sic: *Eo modo Abraham placuit Deo in coniugio, sicut nunc virgines placent Deo in perpetua castitate.* Haec ille. Ergo sequitur, quod castitas non praecellit virtutes. Ad haec respondetur secundum Rainerium in Summa tit. De virginitate iuxta sententiam sancti Thomae II. II. q. CLII. eliciendo quattuor praecipua puncta vel documenta ostensiva. Primum est pro obiectionis praetactae solutione, videlicet quod licet virgines pro praeponderatione puritatis dicantur in Scriptura prae ceteris Christum comitari et canticum speciale cantare, quod nemo alius potest canere, tamen ex hoc non intendit Scriptura, quod ipsae praecellant omnes alios in beatitudine. Ratio, quia multi corrupti praeferuntur in gloria essentiali multis virginibus, ut patet de Petro, de Magdalena et sic de aliis, concorditer Bonaventura. Unde praemissae auctoritates obiectionis secundum hoc intelligendae sunt, quod virgines dicuntur Christum sequi, quocumque iuverit imitando Christum in pluribus, quam alii, scilicet in integritate, non solum mentis, ut alii imitantur, sed etiam in virginitate carnis, ut Augustinus dicit li. De virginitate. Unde ex hoc non sequitur, quod sint viciniore Christo pro omnibus aliis beatis, vel quod praeponderentur omnibus meritis, scilicet hominum, quia ut dictum est per Augustinum et Hieronymum, Abraham aequatur virginibus, scilicet quoad essentialia. Denique licet dicantur cantare canticum novum, scilicet de virginitate carnis, quod nemo alius potest cantare, scilicet corruptus, tamen martyres maius in caelo cantare canticum, id est gaudium habent pro martyrio, et etiam religiosi. (G) Secundum est, quod ipsa castitas virginalis in comparatione ad aliam continentiam est praecellentior. Praecellit enim continentiam coniugalem et vidualem, ut patet per Augustinum. Et ratio, quia perfectior est prae ceteris. Unde et

fructus maior, id est centesimus ei assignatur a Christo Math. XIII. et aureola secundum hoc. Ideo Hieronymus ad Natalicium dicit: *Virginitas purpura est regalis, id est Christo et matri eius assimilativa*. Subdit: *Qua quisquis indutus fuerit, cunctis eminentior erit*. Ratio enim est digna ponderatio continentis animae, quia virginalis continentia praeponderat coniugali et viduali. Idem Hieronymus ad Nicolaum: *Virginitas auro, viduitas argento, matrimonium stanno vel cupro comparatur. Virginitas Soli, viduitas Lunae, matrimonium stellae assimilatur*. Tertium est, quod castitas etiam virginalis simpliciter non est excellentior omni alia virtute in merito et praemio. Ratio, quia virginitas vel castitas redditur meritoria et laudabilis per hoc, quod contemplationi divinae vacat, et divinis rebus adhaeret, a quibus impedit delectatio carnis. Ad illum ergo finem ordinata est virginitas et castitas, iuxta illud I. Cor. VII.: *Mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo*. 18 Sed quoniam tanto aliqua virtus est nobilior et est maioris meriti, quanto facit Deo propinquius adhaerere. Hoc autem, ut infra dicitur, aliquae virtutes plus faciunt, quam virginitas vel castitas, ergo non praecellit omnes virtutes. Quartum est documentum, quod homo, qui non est virgo, potest plus quam meritum virginitatis acquirere et praemium essenziale in caelo per certas alias virtutes, de quibus articulo sequenti quaeritur, scilicet praeponderant aureolae virginitatis, quam homo licet non potest recuperare post carnis corruptionem, ut dicit Hieronymus XXXII. q. V. „Si Paulus”, verumtamen potest bonum plus mereri, ut patebit. (H) Circa tertium ergo de lucri studio quaeritur, qualiter homo, qui non est virgo, possit recuperare vel acquirere perditae virginitatis lucrum, id est aequale vel amplius praemium essenziale, quam sit praemium virginalis accidentalitatis, scilicet aureolae. Ad quod secundum doctores respondetur, quod hoc potest per plurimarum virtutum merita. Primo per altiorem gradum virtutis theologicae. Nam secundum Rainerium in Summa et sanctum Thomam II. II. q. CLII. virtutes theologicae, ut sunt fides, spes, charitas, praecellunt castitatem, quia magis de propinquo faciunt Domino adhaerere. Propter hoc vocantur theologicae, id est divinae, a 'theos', quod est 'deus'. Unde si quis in fide et charitate est maior et fortior, etiam si sit non virgo, maioris meriti est, quoad praemium essenziale, scilicet divinae visionis et fruitionis, quam sit virgo minoris charitatis. Exemplum de Petro et Magdalena, sicut supra etiam est tactum, qui praeferuntur multis virginibus. Unde Bernardus super Cantica sermone XXVIII.: *Uniuscuiusque animae quantitas ex charitate mensuranda est, ut quae habet magnam charitatem, magna est, quae parvam, parva, quae nullam, nulla*. Item Hugo De arrha sponsae dicit: *Amor fervens ipsius Domini consuevit corruptis integritatem reddere et integris castitatem conservare*. Secundo per bassiolem humilitatem verae poenitentiae. Nam per humilitatem poenitentiae recuperatur virginitas, etiam quoad coronam aureolae, si tamen sola mens fuit corrupta manente carnis integritate, secus si carne et mente fuerit corrupta, quia sic numquam potest recuperari quoad coronam, ut tenent doctores Aureolus et Thomas. Denique ut ait Augustinus: *Melius est humile coniugium, quam superba virginitas*. Idem: *Superba virginitas prostibulum est diaboli*. Tertio per custodiam sanctimoniae, scilicet ab omni inquinamento culpae. Unde Augustinus sermone de virginibus dicit: *Qui abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, gustu, odoratu et tactu propter ipsam integritatem, scilicet mentis, virginis nomen accipit*. Item Hieronymus: *Quid prodest carnem habere virgineam, si mentem quis habeat peccato inquinatam?* Et hoc patet in exemplo, quod refert Gregorius li. Dialogorum de quadam sanctimoniali femina, quae castitatem servabat, sed linguae procacitate peccabat, qua mortua et sepulta, daemones eius corpus extrahentes cingulo tenuis diviserunt, dicentes: „Pars inferior non est nostra, sed pars superior nostra est.” Et illam combusserunt. Quarto per diligentiolem conservationem castimoniae. Nam si quis coniugalis diligentius conservat suam continentiam, ita quod animum magis paratum habet ad moriendum, quam ipsam offenderet, cum oporteret morti se exponere, plus meretur, quam illa, quae actu est virgo non tam forti animo existens. Unde Augustinus libro De coniugali bono probat Abraham in coniugio meruisse, sicut modernae virgines, eo quod ipse virginitatem melius tenuisset, si tunc temporis tenendum fuisset. Quinto per electionem professionis vitae monasticae, quia secundum Rainerium ubi supra: *Maius et nobilius est suam voluntatem et omnia relinquere ac se totum Deo servitutum sub oboedientia devovere, quod faciunt religiosi, quam relinquere carnis delectationem manendo in saeculo*. Unde Augustinus li. De virginitate: *Nemo virginitatem praeferre ausus sit monasterio*. Exemplum in Vitis patrum legitur, quod vidit quidam in caelo religiosos prae ceteris fulgere, gloriosas torques aureas portando pro merito oboedantiae. Sexto per ferventiam martyrii et patientiae, quia martyres magis de propinquo adhaerent Deo per charitatis perfectionem, eo quod non solum voluptatem carnis, sicut virgines, contemnunt, sed et vitam propriam propter Deum exponunt. Unde Augustinus li. De virginitate dicit expresse, quod *martyrium praefertur virginitati*. O ergo carissimi, laboremus et conemur imitari sanctos in castitate et bonis operibus, quantum possumus, ut ad eorum beatitudinem perveniamus.

---

1 Mt 13,44 2 Sir 30,23 3 Sir 26,20 4 Mt 19,12 5 Editio: *sanctitas* 6 II Cor 4,7 7 Sir 36,27 8 Mt 5,28 9 I Cor 8,27 10 Cf. *Flores seu sententiae ex S. Bernardi operibus depromptae* (De convers. ad cler., num. 37): Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam saeculo. (PL 183, 1197) 11 Apc 3,18 12 Cf. Sap 4,1 13 Sap 3,13 14 Mt 19,12 15 I Cor 6,25-26 16 Sir 26,20 17 Cf. Apc 14,3-4 18 I Cor 6,34

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXX.] De sanctis virginibus vel mulieribus communis sermo secundus *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*. Matth. XXV. 1 et in evangelio hodiernae festivitatis. (A) Item aliud ex Veteri Testamento: *Veni de Libano, sponsa mea, veni, coronaberis*. Can. IV. 2 Sicut Ecclesia canit: *Sponsus virginum Christus est et omnium etiam sanctarum animarum, et ipsa anima casta sponsa Christi est*. Ideo canitur in officio: *Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum*. Et hoc potest esse thema. Ex quibus monstratur mira Dei nostri Christi Jesu dignatio et charitas erga castam animam, quia non solum eam accipit in famulam, sed et in sponsam tantus rex omnium regum, scilicet Christus.

De hoc Bernardus super Cantica: *Quis digne cogitare poterit, quanto affectu nos diligit Christus, ut animam nostram in sponsam elegerit. Idem: O anima mea, unde tibi haec gratia, ut dicaris sponsa Christi, et non ex nostris meritis, sed ex flagrantia suae charitatis.* Haec Bernardus. Ut igitur anima nostra digne dici mereatur Christi sponsa, imitemur sanctitatem beatae N., cuius festum celebramus, ut eius exemplo coronam mereamur in caelo. Iuxta haec quoque verba audire mereamur in hora mortis vocem angelorum invitando nos ad patriam dicentium: *Ecce sponsus Christus venit, exite obviam ei, ut suscipiat vos in caelestem aulam.* Et iterum audiamus Christum dicentem: *Veni, sponsa mea, veni, coronaberis.* Ad honorem ergo huius sanctae N. tria mysteria notabimus prae sermone, secundum quod in verbis promissis de his tribus commendatur et in exemplum proponitur. · Primo de sponsali dignitate · Secundo de sponsali amorositate · Tertio de sponsali coronae gloriositate Haec clarent ex ipsis verbis thematis. (B) Circa primum de sponsali dignitate quaestio occurrit: Quare Deus voluit castas animas tali dignitate fore honorandas, ut vocaret eas suas sponsas. Ratio quaestionis est, quia nusquam legitur, quod angelicas creaturas vocaverit Dominus sponsas suas tam expresse, sicut animas. Mirum ergo, quod sic statuit Deus animas hominum tali et tanto dignas fore honore. Ad quod respondetur recolligendo secundum doctores sacros, quod huius rationes sunt plures, quas audiendo gratias agere debemus. Prima ratio assumptionis, scilicet humanae naturae et unionis, quia Deus, ut scribitur Heb. II., *nusquam angelos apprehendit, sed tamen Abrahae* etc. 3 Ideo quia pro tali sua charitate nostras animas sponsas voluit vocare, quia eas pluribus modis sibi desponsavit super angelos. Primo desponsavit desponsatione personali uniendo sibi naturam humanam in Christo in unitate personae. Secundo desponsatione sacramentali per signaculum fidei, quod traditur in baptismo, in quo omnes animae desponsantur Christo in fide, sicut praedixerat Dominus Oseae II.: *Sponsabo te mihi in fide.* 4 Nam in baptismo iuramus Christo fidelitatem tenere abrenunciando Satanae et omnibus pompis eius et omnibus operibus eius, ut patet per Augustinum de consecratione dist. IV. „Prima igitur”, et sic unimur Christo per gratiam. Tertio desponsatione virtuali per castitatem, pietatem, iustitiam, charitatem et alias virtutes. Unde Oseae II.: *Sponsabo te mihi in sempiternum in iustitia et iudicio et misericordia.* 5 Unde virtuosus ut sunt castitatem vel virginitatem voventes, dicuntur specialius sponsae Christi prae ceteris. Et sic patet, quod merito dicuntur sponsae Christi pro angelis. Secunda ratio cohabitationis, quia sponsus traducit sponsam et simul cohabitant per totam vitam in dissolubili vinculo matrimonii colligati, Matt. XIX.: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* 6 Sic Christus animam spiritualiter sibi desponsat et anulo fidei subarrhat, et in mortis hora traducit eam in caeleste habitaculum perpetuo vinculo amoris et divinae unionis beatificandam et cohibendam decorando corona. Unde sancta Agnes dixit: „Anulo fidei subarrhavit me Dominus meus Iesus Christus, et tamquam sponsam decoravit me corona.” (C) Advertendum autem, quod sponsa in die traductionis suae, ut decenter obviam suo sponso precedat, solet quattuor praecipua facere. Sic spiritualiter fidelis et casta anima debet pro tempore mortis facere, ut digne valeat occurrere sponso suo Christo. Primo enim se diluculo praeparat abluendo, et in speculo, si habeat in facie maculas, aspiciendo et extergendo. Sic spiritualiter debet homo aspiciere diligenter suae conscientiae speculum, ut se recognoscat. Nam Seneca de naturalibus quaestionibus li. I. dicit: *Inventa sunt specula, ut per ea homo ipse se nosceret, qualis est. Multi enim ex hoc primo assequuntur notitiam sui.* Haec ille. Sic homo in conscientia se recognoscit, et sic recognoscens debet diligenter poenitentia diluere sordes peccatorum et extergere per confessionem et satisfactionem, alioquin non acceptatur a Christo, nec traducitur in caelum. Apoc. XXI.: *Nil coinquinatum intrabit in illud.* 7 Et Math. III.: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum.* 8 Secundo vestes induit se ornando, sic anima debet virtutum vestimenta induere. Ps.: *Astitit regina, id est anima sancta a dextris tuis in vestitu deaurato, scilicet charitatis, circumdata varietate virtutum.* 9 Tertio sponsa capillos discerniat crinalibus vel corona decoranda. Spiritualiter capilli significant superfluas cogitationes, quas in tempore traductionis, scilicet in hora mortis debet homo repellere et coronam vel crinale victoriae temptationum assumere. De qua I. Thim. II.: *Non coronabitur, scilicet in caelo, nisi quis legitime certaverit.* 10 Nam ut dicit Gregorius: *In hora mortis subiciet diabolus innumera praestigia et laqueos desperationis et temptationum, quae nisi praemunitus fueris et forti animo restiteris, in aeternum peribis.* Quarto anulum subarrhationis accipit suos digitos insigniendo. Sic anima debet subarrhari per gratiam Spiritus Sancti sacramenta, scilicet Eucharistiae et unctionis sacrae debitae suscipiendo. Unde Augustinus li. De visitatione infirmorum dicit: *Tu, qui viam universae carnis ingredi festinas, quo visurus es parentes tuos: patriarchas sanctos et fontem beatitudinis, Christum, viaticum Eucharistiae necessarium tibi est, nec unctio praetermittenda est.* (D) Tertia ratio, quare, scilicet Christus, animas voluit sponsas suas nominare, est ratio dilectionis. Nam quaeritur secundum Bernardum super Cantica sermone LXXXIII., utrum et quare Deus plus gaudeat dici Sponsus, quam Dominus vel Pater. Et respondet dicens: *Exigit Deus timeri ut Dominus, honorari ut Pater, amari ut Sponsus. Sed in his quid praestat amor – inquit – solus? Nam absque amore timor poenam habet, et honor gratiam non habet.* Haec ille. Unde Christus vocat animas humanas nomine sponsae, quia multum gaudet de earum amore. Et propterea Augustinus super Cantica dicit: *In temporalibus nulla maior dilectio, quam sponsi ad sponsam* (propter hoc enim relinquit homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, ut Scriptura dicit). Subdit Augustinus: *Similiter sanctis viris nil dulcius est dilectione et contemplatione Dei.* Haec Augustinus. Ex quibus patet, quod Christus ideo sponsum animarum se ipsum nominari voluit, ut ostendat, quia animas multum amat amore summo, et ab eis reamari desiderat secundum Bernardum ubi supra. O ergo Christiana anima, reama Deum pro tali charitate, ut sponsa quatenus gaudere valeas cum Christo beatitudine perpetua. (E) Circa secundum de amabili sponsa Christi quaeritur: Quales animas amat Christus in sponsas acceptare? Respondetur secundum Bernardum super Cantica sermone XXIII. dicentem: *Talem prorsus decet esse sponsam Domini pulchram, eruditam, castam, omni virtute decoratam, desiderantem sponsi praesentiam et gloriam.* Ex quibus claret, quod Christus in sua sponsa haec quattuor requirit, id est in anima humana, ut ipsam amet. Primo pulchritudinem, non quidem carnalem, sed spiritualement. De qua Augustinus li. De virginibus dicit: *Non quaerit Deus pulchram carnem, sed mentis pulchritudinem et puritatem.* Unde haec pulchritudo animae consistit in fide et conscientiae puritate ab omni peccati macula. Hinc Hugo li. de bono conscientiae dicit: *Deus, qui amator est munditiae, cor pollutum peccatis non potest acceptare.*



Propter hoc etiam canit Ecclesia de sancta Christi sponsa dicens: *Pulchra facie, sed pulchrior fide es, beata N., respiciens mundum*, id est mundi vitia, *laetaberis cum angelis, intercede pro omnibus nobis*, scilicet ut valeamus te in hoc imitari Deo dante. Et iterum: *Specie tua et pulchritudine tua intende prospere, procede et regna, quia sine ista pulchritudine fidei et puritatis non potest homo regnare in caelo*. Secundo requirit Christus in sua sponsa, id est in anima, eruditam mentem et prudentem. Nam nullus homo amat habere sponsam fatuam, quanto magis Christus non vult fatuas, sed prudentes, sic ipse docuit in parabola evangelica Matth. V. dicens: *Simile est regnum caelorum decem virginibus, quarum quinque erant fatuae et quinque prudentes*. 11 Et dicitur, quod fatuae acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum, prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Et tandem concluditur, quod fatuis clausa est ianua, et nec sunt intrinmissae ad nuptias, sed solae prudentes. Ex quo patet, quod omnis anima fatua refutatur, et a Christo despicitur, quae licet habeat lampadem castitatis, non tamen cum debito oleo. Sed quid per oleum designatur, nisi prudentia lucida operationis et divinae dilectionis, ut exponunt doctores. (F) Unde notandum, quod oleum tres habet proprietates prudentiae bene convenientes. Prima est luciditatis, quia oleum est lucidum. Habet ergo oleum, qui cum castitate providet lucida exempla sanctitatis et operis facere. Unde Luc. XII.: *Sint lumbi vestri praecincti*, id est casti, *et lucernae ardentes in manibus*, 12 id est operibus exemplaribus. De quibus idem Christus dicit: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant et glorificent* etc. 13 Secunda est humilitatis, quia oleum licet lucidum facit nigredinem macularum, in quo designatur humilitas, sic debet homo esse humilis, qui est castus. Unde canitur: *Nigra sum*, scilicet per humilitatem, *sed formosa* etc. 14 Ambrosius: *Decet, ut quanto castior virgo, tanto sit humilior*. Tertia est unctuositatis, in qua designatur devotio, ut castus homo occupet se prudenter devotae contemplationi. Unde I. Cor. VI.: *Mulier innupta et virgo cogitat, quomodo placeat Deo*. 15 Debet ergo esse devotus in passionis Christi cogitatione, alioquin casta virgo torpens a bono opere et devotione et vanam gloriam quaerens, fatua reputatur, ut patet, quia fatuae reputat se placare Deo per castitatem sine istis. Tertio Christus in sua sponsa, id est anima, requirit castitatis integritatem. Nam sicut sponsus terrenus amat in sponsa fidelitatem mentis et sanitatem corporis, ne scilicet sit caeca vel clauda vel manca et huiusmodi, sic Christus amat in Christiana anima fidelitatem amoris, ut nulli alteri placere desideret nisi Christo, suo sponso. Augustinus: *Minus te, Domine, amat, qui praeter te aliquid aliud amat, quod non propter te amat*. Unde amatores delectabilium mundialium adulteri dicuntur. Iaco. IV.: *Adulteri, nescitis, quia amicitia huius mundi, id est inordinata dilectio delectabilium huius mundi inimica est Deo?* 16 Quia ut Gregorius ait: *Tanto quis a superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur*. Item cum hoc Christus diligit integram castitatem, scilicet mentis et corporis, ne scilicet claudicet ex parte mentis in pravis cogitationibus, aut ex parte corporis in carnis concupiscentiis. Unde Hieronymus Contra Iovinianum: *Illa virginitas hostia Christi est, cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit*. Idem ad Rusticum monachum: *Vae nobis, quia quotiens concupiscimus, totiens fornicamus*. O ergo sponsa Christi anima, serva te Christo fidelem. Quarto Christus in sua sponsa amat virtutum decorem, tamquam divitiarum ubertatem, quia ut Gregorius dicit: *Verae divitiae non sunt opes, sed virtutes*. Ideo Richardus: *Anima virtutibus plena sponsa Dei est*, scilicet ditissima et Trinitatis cathedra ornatissima. (G) Sed hic quaestio occurrit, qualiter paupercula anima Christiana possit divitias tales habere, ut possit Christo tamquam sponsa locuples placere. Ad hoc notandum, quod divitiae mundiales adquiruntur praecipue quattuor modis. Sic a simili divitiae spirituales. Primo per negotiationem. Hoc modo acquirit divitias meritorum et virtutum, qui donis acceptis a Deo bene utitur, et quotidie merita lucratur, sicut homo fortis ieiunando, dives elemosynas dando, devotus orando etc. De istis Luc. XX.: *Negotiamini, donec venio*. 17 Nam ibi dicitur, quod servus, qui manum tenuit repositam et noluit negotiari bene operando, damnatus est. Secundo adquiruntur divitiae per associationem, ut patet in mercatoribus confoederatis ad quaestum et senatoribus. Isto modo adquirunt divitias meritorum homines per charitatem ad proximum. Unde Gregorius: *Pensent invidi, quantum bonum est charitas, quae aliena bona sine nostro labore nostra facit*. Tertio per laborem, ut patet in seminatoribus. Isto modo adquirunt opera misericordiae exercentes. II. Cor. IX.: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, et metet vitam aeternam*. 18 Augustinus: *Non gaudebit in messe, qui non laboravit in semine*. Quarto per inventionem, ut patet de his, qui inveniunt thesaurum sanctitatis in sacra religione, effodiunt removendo unam partem terrae, scilicet amorem divitiarum per votum paupertatis. Aliam partem, scilicet amorem deliciarum carnalium eiciendo per votum castitatis. Tertiam partem, scilicet amorem bonorum et dignitatum removendo per votum oboedientiae humilis. Et sic patet. O ergo Christiane, vis ditari in Christo, his modis bene poteris. O miser, diligis divitias terrenas, quae falsae sunt, modicae et transitoriae. Cur ergo veras et maximas ac perpetuas divitias negligis acquirere? Ista sunt illae divitiae, de quibus Augustinus: *Aurum – inquit – habens in arca dives est, Deum autem habens in conscientia dives non est?* Quod dicit: immo ditissimus veraciter est. Coniunge, scilicet comparando Deum et aurum, arcam et conscientiam: nonne Deus praecellit aurum et conscientia arcam? Sic ergo etc. (H) Circa tertium de gloriosa corona, scilicet qua remunerabit et beatificabit Christus sponsas suas, id est animas castas in caelo. Quaeritur: Quali corona glorificabit Christus suas sponsas pro castitatis observantia in caelesti patria? Ad quod respondetur secundum Scripturas et doctores, quod omnis sponsa Christi, id est omnis anima sancta et bona habebit in caelo coronam pro suo merito secundum gradum castitatis. Sunt autem, ut Augustinus ait De coniugali bono, tres conscientiae gradus, videlicet coniugalis, vidualis, virginalis. Et secundum hos debentur eis variae coronae praemiorum, ut docet Glossa ex verbis Salvatoris Matth. XIII. Primo namque coniugalibus datur corona aurea et insuper fructus tricesimus. Secundo viduis datur corona aurea felicior, simul cum fructu sexagesimo scilicet. Tertio virginibus datur corona triplex, scilicet aurea fructusque centesimus et cum hoc aureola virginalis. Sed iuxta hoc sufficiat istud unum inquirere, quoniam distinguuntur ista praemia, quae coronae dicuntur, quia unum potest indifferenter accipi pro alio, scilicet corona pro praemio et econverso. Nam praemium dicitur, quia meritis debetur. Corona autem dicitur, quia regiae et reginalis dignitatis gloriam habet, ex quo omnis beati sunt reges aeterni et filii altissimi Dei ac sponsae, quibus pro dignitate regia debetur corona. Ps.: *Gloria et honore coronasti eum* etc. 19 Respondetur ad quaestionem, quod fructus bene distinguitur ab aurea et aureola secundum Petrum de Palude in IV., quia aurea est gaudium gloriae et felicitatis, quod habet homo de Deo in eius visione,

fruitione et tentione, et hoc est praemium essenziale, quod debetur omnibus, secundum quod vario modo meruerunt, alii magis, alii minus per charitatem et munditiam, iuxta illud scilicet Matth. V.: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 20 Ergo mundiores magis videbunt, iuxta illam Topicam maximam: *Sicut simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis et maximum ad maxime.* Sed aureola est gaudium de triumpho per opus praecellens adquisito, id est per virginitatem, per martyrium et per praedicationem. Ista enim sunt opera valde praecellens victoriae, quia per virginitatem perfecte vincitur caro, si observatur, ut debet, per martyrium mundus, per praedicationem expellitur diabolus, etiam de aliis. Unde his tribus pro excellentia debetur aureola. Sed fructus est gaudium et gloria de spirituali exercitio continentiae carnis a voluptate venerea, quo quis transivit ad spiritualem vitam abdicando a se carnalem affectum. Sicut ergo aureola non debetur victoriae cuilibet, sed excellenti et in materia excellenti, scilicet virginitatis, martyrii et praedicationis, ut patuit, sic et fructus suo modo, quia importat praemium debitum spernenti delectationem carnis et transeunti ad spiritualem vitam sub aliquo gradu continentiae, scilicet coniugalis vel vidualis aut virginalis. Ideoque debetur illi virtuti, non quae tantum spernit minores delectationes, ut puta gustus per abstinentiam, vel visus aut odoratus et tactus per austeritatem, sed ei, quae spernit maiores delectationes, scilicet venereas tota vita sic continendo secundum gradus castitatis suae. Haec Petrus de Palude et frater Antoninus in Summa sua III. parte. O ergo homo Christiane, considera diligenter tuae coronae gloriam in caelo, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum pro castitate remuneranda tamquam sponsae suae gratiosissimae. Noli ergo eam perdere pro vili peccato carnalitatatis, sed accedamus omnes et procidamus coram Deo orantes, ut det nobis gratiam castitatis et continentiae, quatenus pertingamus ad coronam, quam nobis praestet Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

---

1 Mt 25,6 2 Ct 4,8 3 Hbr 2,16 4 Os 2,20 5 Os 2,19 6 Mt 19,6 7 Apc 21,27 8 Mt 3,2 9 Ps 44,10 10 II Tim 2,5 11 Mt 25,1-2 12 Lc 12,35 13 Mt 5,16 14 Ct 1,4 15 I Cor 6,34 16 Iac 4,4 17 Lc 19,13 18 Cf. II Cor 9,6 19 Ps 8,6 20 Mt 5,8

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXXI.] De sanctis virginibus communis sermo tertius praecipue de virginitate tractans *Virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* I. Cor. VII. 1 (A) Item aliud thema: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo,* secunda ad Cor. XI. 2 Item pro pluribus virginibus thema: *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus,* Matth. XXV. 3 et in evangelio. Item aliud ad idem: *Virgines sunt et sequuntur Agnum, quocumque iverit,* Apoc. XIV. 4 Sancta Mater Ecclesia proponit nobis sanctas virgines in exemplum imitandi in sanctitate, pro nostro posse saltem, in debita castitate et charitate ac sancta contemplationis devotione et virtutum atque misericordiae exercitatione. Unde idcirco colimus eorum festa, quia ut Chrysostomus super Matth. docet: *Quid prodest – inquit – sanctos colere et sanctitatem eorum spernere.* Ideo celebramus festa sanctorum, ut imitemur vestigia eorum. Item Augustinus in sermone de martyribus dicit: *Qui sanctos, inquam, potuerit et noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire.* Merito ergo de ipsis sanctis virginibus accipimus verba praemissa in themate pro nostra aedificatione, ut patet per singula. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone, secundum quod de istis tribus commendantur praecipue sanctae virgines. · Primo de virginitatis privilegio praedignissimo · Secundo de sanctitatis eius merito praecellentissimo · Tertio de felicitatis eius praemio beatissimo Haec patent in themate. (B) Circa primum de privilegiis virginitatis ac dignitate quaeritur, quare virginitas vel saltem castitas sit summopere eligenda, commendanda et consulenda Christianis atque observanda. Ad hoc respondetur, quod merito ipsa virginitas est commendanda et observanda propter multa eius privilegia a Deo virginitati collata. · Primo propter angelicam societatem · Secundo propter benedictionis gratiositatem · Tertio propter Christi conformitatem · Quarto propter dignitatem · Quinto propter excellentem virtuositatem · Sexto propter felicitatem · Septimo propter gloriositatem Primo, inquam, propter angelicam societatem. Nam Deus primo omnium creavit virginitatem in caelo in ordine angelorum, quos omnes virgines creavit et incontaminatos spiritus. Et tandem inter homines creavit primos parentes in virginitate, quos angelis associavit in Paradiso et associabit perfectius in caelo. Nec voluit, quod primi parentes se carnaliter cognoscerent in Paradiso, quamdiu ibi fuerunt, ut patet ex Genesi. Licet autem se postea cognovissent, si in statu innocentiae permansissent in Paradiso, sed torus fuisset ibi immaculatus et sine aerumna ac partus sine dolore, ut patet II. li. Sententiarum. Ex quibus omnibus patet, quod Deus virginitatem multum amavit a principio mundi, quia eam in sanctitate angelorum et primorum parentum primo omnium concreavit in caelo et in Paradiso, et per ipsam virginitatem homines angelis assimilantur. Unde Chrysostomus super Matth. dicit: *Licet omnes virtutes spirituales sunt res angelicae, specialiter tamen virginalis castitas est angelica virtus, per hanc enim singulariter homines angelis assimilantur.* Haec ille. Item Hieronymus: *Angelis semper cognata est virginitas. In carne enim praeter carnem vivere non terrena vita est, sed caelestis etc.* Denique cum Deus aequo bene potuisset hominem creasse et angelos, videlicet praeterquam virgines, sed non fecit aliter, sequitur, quod iste status virginalis sit optimus, in quo fecit, quia ut Dionysius dicit: *Optimi est optima facere.* Secundo propter benedictionis gratiositatem. Nam singulariter virgines benedicuntur in celebritate nuptiarum. (C) Et secundum Thomam in IV. dist. XLII. nuptiae secundae non benedicuntur, quando tam ex parte viri, quam mulieris vel saltem ex parte mulieris sunt secundae nuptiae. Presbyter autem, qui benedicit bigamos, debet ad sedem apostolicam mitti suspensus ab officio et beneficio, ut patet extra de secundis nuptiis „Vir autem”. Sed frater Angelus de Clavasio dicit, quod communiter doctores tenent cum Hostiense ibidem, quod sacerdos benedicens non est suspensus ipso iure, sed suspendendus. Denique ipsa virginitas habet hoc pro privilegio, quod singulariter virgo consecratur ab episcopo proprio, et sic velamen sacrum ei imponitur. Illa autem, quae corrupta est, nullo modo consecranda est, ut patet XX. q. I. „Devotis”, et XXVI. dist. „Acutius”. Et quamvis fuerit violenter corrupta, tamen consecranda non est. Licet enim talis secundum theologos aureolam habebit virginum manente proposito, tamen non consecratur ideo, quia Ecclesiae non constat, an consenserit vel ne. Haec secundum fratrem Angelum. 5 Sed quid confert virgini

huiusmodi consecratio vel benedictio? Respondetur secundum Thomam ubi supra, quod in benedictione et consecratione scilicet virginum, sicut et in unctione regum et episcoporum gratia datur, nisi assit impedimentum ex parte suscipientis ipsius. Et idcirco pro reverentia huiusmodi benedictionis consulitur, scilicet XXX. q. V. „Aliter”, quod scilicet coniuges cum benedictionem istam acceperint, eadem nocte in virginitate permaneant. Nam hoc si servatur, valet ad prolis multiplicationem Deo dante. (D) Sed forte dicas: Episcopus consecratur consecratione digniori, etiam si episcopus non sit virgo? Quare ergo femina non consecratur, nisi sit virgo? Respondetur, quia sanctitas virginalis sanctitatem significat, scilicet Ecclesiae triumphantis, ubi neque nubent, neque nubentur, et ubi non est macula, neque ruga, XXI. dist. „Quamvis”. Sed episcopus significat Ecclesiam militantem, ubi mixti sunt boni et mali, ideoque non virgo episcopus consecratur propter significationem. Haec clare habentur XXVI. c. „Acutius” in Glossa. Et sic patet. Tertio propter Christi et eius matris conformitatem, quia ipse Christus et Sancta Mater eius virginitatem tenuerunt, ut ostenderetur, quia castitas praecipue virginalis valde placet Deo. Prover. XXII.: *Qui diligit cordis munditiam, habet amicum regem*, 6 id est Christum. Augustinus: *O quam dulces sunt fructus castitatis, ut in eis singulariter reficiatur Deus maiestatis, qui pascitur inter lilia*, Cant. II. 7 In huius signum Christus maiorem familiaritatem tenuit in vita sua cum virginibus, quam cum aliis. Primo quoad matrem, quam virginem habere voluit. Secundo quoad eius sponsum, scilicet Ioseph, qui et virgo fuit, ut dicit Augustinus li. De coniugali bono, ne scilicet sacrum illud matrimonium claudicaret, sed virgo Maria virgini Ioseph desponsata fuit. Tertio quoad discipulos, quia virginem Iohannem praeamavit et sibi Matrem commendavit. Quarto quoad hospitium, quia Martha, apud quam saepius hospitabatur, et quae ei ministrabat, virgo fuit. Denique in caelo *virgines sequuntur* ipsum, *quocumque ierit*, Apoca. XIV. 8 Quarto propter desponsationis dignitatem, quia virgines specialius sunt a Christo desponsatae et sic dignificatae. II. Cor. XI.: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. 9 Unde canit Ecclesia, quod *Christus est sponsus decorus virginum sponsique reddens praemia*. (E) De ista virginum dignitate si quaeras, quomodo Christus prae ceteris virginitatem dignificasse ostenditur vel probatur, respondetur per Hieronymum, qui dicit: *In omni sexu et gradu virginalis pudicitia obtinet principatum*. Notanter dicit 'in omni sexu', quia cum duo sint tantum sexus, in sexu masculino Christus et in sexu feminino Beata Virgo Maria tenent super omnes creaturas principatum. Item dicit: 'in omni gradu', quia inter patriarchas et prophetas Abel et Iohannes Baptista, qui ore Domini Iesu sunt commendati, inter sanctos translatos in Paradisum Elias virgo existens, qui transfigurationi Christi praesens esse meruit, inter apostolos et praedicatores Paulus, unde licet Petrus fuerit praelatus Ecclesiae, tamen Paulus virgo plus omnibus per orbem laboravit et plures convertit, et ideo in sigillo papae Paulus ad dexteram praepositus et Petrus ad sinistram. Item inter evangelistas Iohannes. Inter septuaginta duos discipulos Lucas virgo. Inter martyres Stephanus protomartyr et Laurentius. Inter confessores Martinus et Nicolaus. Inter religiosos Benedictus, Dominicus, Franciscus, qui omnes virgines fuerunt. Inter sanctas feminas Catherina virgo. Et si qui alii sancti primatum tenent, ut Petrus, Augustinus etc., tamen castitatem tenuerunt. Sed quid de luxuriosis, utique ipsi confundentur et damnabuntur sub principe Asmodeo, qui habet potestatem super eos, ut patet Tob. VI., 10 inter quos primus est Lamech, quorum *ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum*. 11 Ideo Apoc. XXI.: *Fornicatoribus pars erit in stagno igne ardenti et sulphure* etc. 12 Vae ergo et vae illis, sed gaudium castis, quia ut Cyprianus ait: *Castitas est regina virtutum, possessio omnium bonorum*. Quinto propter excellentem virtutem vel sanctitatem, quod tanta est excellentia huius virtutis, scilicet virginitatis, quod non potest imperari, sed tantum consuli, iuxta illud I. Cor. VII.: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do*. 13 Unde XXXII. q. I. „Integritas” Ambrosius dicit: *Virginitas suaderi potest, imperari non potest, res magis voti, quam praecepti est*. Glossa: Voti, id est voluntatis votivae. Nam scribitur Eccli. XXVI.: *Omnis ponderatio non est digna continentis animae*. 14 Sexto propter felicitatem, quia ut Ambrosius ait XXXII. q. I. c. [„Nuptiae terram replent”]: *Nuptiae – inquit – terram replent, ut virginitas Paradisum*. Glossa: Non ideo hoc dicit, quod solae virgines salventur, sed quia felicius et facilius, quia virginitas soror est angelorum, ubi omnes beati erunt perpetuo continentes. Item quia fructum centesimum et aureolam habebunt in felicitate beatitudinis, ergo etc. (F) Septimo propter gloriositatem, quia virginitas gloriosissimo honore est honorificata fere per omnium creaturarum genera. Nam primo angeli ipsam honorant frequenter visitando, ut patet de Beata Virgine Maria et sancta Catherina, de sancto Nicolao, Martino et aliis virginibus innumeris, quas angeli visitaverunt. Hieronymus in sermone assumptionis: *Bonus angelus ad virginem mittitur, quia semper angelis cognata est virginitas*. Secundo a bonis hominibus, quia praecipui sancti a principio mundi eam amplexi sunt et tenuerunt, ut patet de Abel, de Elia et Eliseo, de Ieremia in utero sanctificato, de Daniele, de Iohanne Baptista et aliis sanctis innumeris Novi Testamenti. Tertio a communibus hominibus etiam infidelibus. Unde Hieronymus Contra Iovinianum li. I. dicit: *Certe Romanus populus quanto honore semper virgines habuerit, hinc apparet, quod consules et imperatores in curribus triumphantes et omnis dignitatis gradus eis de via cedere solitus erat*. Haec ille. Quarto a daemonibus honoratur. Nam daemonum nomine Asmodeus occidit septem viros, qui virginitatem Sarae turpi libidine foedare volebant, Tob. III. 15 Item daemon filium praefecti, qui volebat sanctae Agnetis virginitatem corrumpere, mox suffocavit. Item in Vitis patrum legitur, quod Iohannes abbas sanctissimus cum de quodam obsesso non potuisset effugare daemonem, adventu cuiusdam rustici, qui pari voluntate cum uxore virginitatem tenebant, mox recessit. (G) Nimirum ut dicitur in Collatione patrum: *Maior est virtus castitatem tenere, quam daemones expellere*. Et ideo diabolus reveretur et fugit a perfecta castitate et virginitate. Quinto honoratur ab elementis et a caelestibus, ut patet in Christi nativitate, ubi legitur, quod omnia genera creaturarum etiam insensibilium et caelestium miraculis in eis factis virginitatem Christi et eius matris protestando honoraverunt. Nam et protunc, ut dicit Hieronymus, omnes per mundum vitio contra naturam laborantes subito perempti sunt. Sexto honoratur a ferocissimis bestiis et animalibus. Nam ut dicit Hieronymus: *Leones ferocissimi defensare comperti sunt castos ab hostibus*, ut scribit de Malcho monacho. Item elephantes custodiunt castos a draconibus in deserto. Sed et unicornes amant castas virgines, ut patet libro naturalium. Ad praedicta dicit Damascenus libro IV. c. XVI.: *Quis caelos clausit, quis mortuos suscitavit, quis Iordanem intercidit? Nonne virgo Elias. Tres pueri nonne potentiores igne sunt effecti in virginitate; nonne Daniel*



*virginitatem diligens dentes ferarum evasit?* Septimo honoratur super omnia ab ipso Christo in se et Sancta Matre eius. O ergo quam stultus, qui virginitatem vel castitatem parvipendit et perdit. (H) Circa secundum simul quoque agendo et circa tertium, scilicet de merito et praemio virginitatis tum causa brevioris compendii, tum quia meritum simul et praemium correspondent secundum doctores, quaeritur hic, quales virgines et qualibus modis possint promereri aureolam felicissimam virginitatis. Ad quod respondetur secundum doctores recolligendo ex IV. li. dist. XXXIII., praecipue autem secundum Richardum, Thomam, Aureolum et concordantes alios, quod virgines possunt distingui quoad hoc in differentia septuplici. Primae sunt virgines a nativitate, quia quilibet nascitur virgo integra carne, et hoc non est virtus. Sed improprie tales dicuntur virgines, quia habent tantum materiale in virginitate, id est integritatem carnis immunem ab experientia venereorum. Tales ergo non habentes id, quod est formale in virginitate, id est propositum servandi huiusmodi integritatem propter Deum, non merentur aureolam. Unde Augustinus li. De virginibus dicit: *Nec nos in virginibus laudamus, nec praedicamus, quod virgines sunt, sed de hoc, quod Deo dicatae sunt et pia continentia virginitatem servant.* Haec ille. Unde pueri post baptismum decedentes licet salventur et sint virgines, tamen aureolam virginitatis non habebunt, quia *propter ea, quae insunt nobis a natura, non laudamur nec vituperamur, nec ut sic meremur, nec demeremur*, ut patet per Philosophum II. Ethicorum et I. Metaphysicorum. Secundae virgines sunt nomine solo, et non carne, nec mente, ut heu sunt plurimae, quae habitum virginalium externum deferunt, nec tamen verae virgines sunt. Tales si vere poenitent, salvari possunt, si non poenitent, damnabuntur, de quibus Matth. XXIII.: *Vae vobis, hypocritae, qui estis similes sepulchris dealbatis, quae foris apparent speciosa, intus autem sunt plena omni spurcitia.* 16 Tales autem etiamsi per poenitentiam salventur, numquam aureolam virginitatis habebunt, eo quod carne et mente sunt corruptae. Unde Hieronymus XXXII. q. V. „Si Paulus” dicit: *Audacter dicam, cum omnia possit Deus suscitare, virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare de poena, scilicet damnationis, sed non valet coronare corruptam.* Haec ille. Nam secundum Philosophum Peri Her.: *Deus non potest praeteritum facere non praeteritum, quia implicat contradictionem.* Sic corruptam facere non potest non corruptam quoad coronam. Hinc Ambrosius: *Virgo eras, quotiens dico: 'eras', totiens ingemisce, quia thesaurum irrecuperabilem amisisti.* Tertiae sunt virgines voluntate et carne, sed pro tempore proponentes tandem nubere matrimonii lege. Et tales etiam non dicuntur propriissimae virgines, quia Augustinus li. de nuptiis diffiniens virginitatem dicit: *Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio, id est quod virgo debet hoc habere in proposito, quod in virginitate perseveret perpetuo.* Unde talis virgo si in virginitate cum tali proposito decedat non habens propositum continendi perpetuo, sed propositum nubendi, scilicet si superviveret, aureolam non habebit virginitatis, tamen bene habebit speciale gaudium pro incorruptione, puta fructum centesimum. (I) Sed quaeritur, utrum de essentia virginitatis pro aureola consequenda, necessarium sit votum perpetuo obligandi. Respondetur secundum Antoninum Florentinum III. parte Summae tit. II., quod non est de necessitate votum, sed est de perfectione, quia desponsata Christo per votum perfectior est. Nec necesse est in virginitate votum sollemne, sicut in religione, sufficit ergo virgini firmum propositum perpetuo continendi etiam sine voto. Nec praedicta diffinitio ab Augustino data sonat de voto, sed de meditatione, id est proposito continendi perpetuo. Quartae virgines sunt carne tantum, sed mente corruptae. Nam Chrysostomus XXXII. q. V. „Sicut enim” dicit: *Multi corpore quidem castitati student, adulterium autem voluntate committunt, cum Dominus dicat: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo.* 17 Haec ille. Sed et Hieronymus dicit: *Quid prodest habere carnem virgineam, si quis mente nupserit?* Unde talis etiam virgo aureolam non habebit, cum non habeat in animo propositum continendi, sed libenter peccaret, si posset sine verecundia opportunitate occurrente. Proinde secundum Antoninum ubi supra: *Eunuchi vel frigidi, si intenderent experiri delectationem, si possent, non habebunt aureolam virginitatis, sed si firmiter intendunt ab huiusmodi abstinere, etiam si possent experiri, sic habebunt aureolam.* Hinc Isidorus De summo bono dicit: *Virgo carne et non mente nullum praemium habet in repromissione.* Quid prodest habere corpus castum et mentem in lupanar converti? Attamen consolatio est talibus virginibus sola mala voluntate corruptis et integra carne manentibus, quia possunt recuperare aureolam per veram poenitentiam cum proposito de cetero continendi perpetuo. Unde Wilhelmus in apparatu titulo De bigamis dicit, quod illa, quae vadit ad corruptorem, nec consequitur corruptionem, si poenitet et propositum assumit de cetero continendi, non fraudabitur aureola. Similiter et illa, quae consensit in carnalem copulam, nec tamen est a viro cognita. Quintae sunt virgines animo, sed non carne, ut patet in his, quae per violentiam corrumpuntur. De istis Ambrosius li. De virginibus: *Non potest caro corrumpi sine mentis consensu.* Unde sancta Lucia dixit Paschasio: „Si invitam me corruperis, merces mihi duplicabitur ad coronam.” Non enim inquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Hoc autem non est intelligendum, quod talis duas aureolas habeat, sed sic, quod pro castitate mentis conservata aureolam habebit, etiamsi talis violenter oppressa conciperet prolem, non perdit aureolam, et cum hoc habebit aliam mercedem pro iniuria passa. (K) Sextae sunt virgines invitae quidem pollutae, sed postea de pollutione contentae. Et de talibus frater Angelus dicit, quod recuperare possunt aureolam per poenitentiam continendi de cetero, quia nec ante pollutionem, nec in ipsa intervenit voluntas, sed tantummodo post est secutus consensus. Idem dicit de illis, qui in somnis vel in ebrietate corrumpuntur, scilicet quod non amittunt aureolam, ut etiam dicit sanctus Thomas, nisi hac intentione iverit quis dormitum vel se inebriaverit, quod si post sit contentus, amittitur, sed per poenitentiam recuperatur. Similiter de amentibus et de illis, qui non sunt doli capaces aliquid carnale committentes, quod non perdunt aureolam. Haec sufficiant in praedicatione. Non enim licet de talibus expresse plurima loqui publice. Sed haec idcirco inserui, ut si quis in aliquo tali offendit, propterea non parvipendat tenere castitatem, sed firmum animum resumat ad observandum, eo quod in pluribus casibus poterit recuperare per poenitentiam virginitatis coronam. Septimae sunt virgines mente simul et corpore tota vita sua mundissimae. Et talibus debetur aureola pro excellenti victoria super carnem. Talis fuit haec sancta, de qua celebramus. Rogemus ergo Dominum Iesum, ut per eius merita det gratiam nobis.

1 I Cor 6,34 2 II Cor 11,2 3 Mt 25,4 4 Apc 14,4 5 Cf. Angelus de Clavasio, *Summa angelica de casibus conscientiae*, Consecratio virginum 2. 6 Prv 22,11 7 Ct 2,16 8 Apc 14,4 9 II Cor 11,2 10 Cf. Tb 3,8 11 Ps 10,7 12 Apc 21,8 13 I Cor 6,25 14 Sir 26,20 15 Tb 3,8 16 Mt 23,28 17 Mt 5,28

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXXII.] De sanctis virginibus communis, etiam de sanctis mulieribus Sermo quartus evangelium prosequendo *Simile est regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso*. Matth. XXV. 1 et in evangelio hodierno. (A) Item aliud thema ex eodem evangelio: *Venit sponsus, et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias*. 2 Item si vis singulariter pro una, accipe thema: *Haec est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit*. Verba sunt Ecclesiae accepta ex ipso evangelio Matth. XXV., quod hodie legitur. Salvator noster, carissimi, parabolam hanc de virginibus occurrentibus sponso et intrantibus ad nuptias proposuit contra Iudaeos et contra omnes malos Christianos, qui non sunt digni intrare ad convivium caelestium nuptiarum et gaudiorum, et etiam ad instructionem fidelium et bonorum Christianorum, ut per eam discant, quomodo digni habeantur ad intrandum caeleste convivium. Idcirco Augustinus in sermone dicit: *Intellegamus, carissimi, ad omnes nos, id est ad universalem omnimodo Ecclesiam parabolam pertinere, non ad solas propositas, scilicet eas, quae propria et excellentiori sanctitate in Ecclesia virgines nominantur, nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes*. Haec ille. Ergo ut omnes doceamur, ad salutem audiamus diligenter Christum, quomodo nobis in exemplum proponit decem virgines, quarum quinque fuerunt prudentes, et istae vigilantes et paratae intraverunt ad nuptias. Quinque autem erant fatuae, quae exclusae sunt. Dicit ergo: *Simile est regnum caelorum decem virginibus* etc. In quo sacro evangelio tria praecipua docet Christus mysteria. · Primo commendat in generali castitatem dicens: *Simile est regnum caelorum decem virginibus* · Secundo reprobatur in speciali fatuitatem ibi: *Quinque fatuae* · Tertio laudatur pro salutari exemplo virginum sagacitatem in prudentibus (B) Circa primum de castitatis commendatione sit pro conclusione, quod benedictus Iesus in hoc evangelio multum commendat sanctam castitatem pro nostrae salutis commodo. Et hoc facit praecipue tripliciter. · Primo eam regno caelorum comparando · Secundo eam numero perfectorum designando · Tertio eam nomine sponsae honorando Primo commendat comparando castitatem regno caelorum dicens: *Simile est regnum caelorum decem virginibus. Quinque prudentes* etc. Queritur ergo hic: Quare castitas comparatur regno caelorum? Ad quod assignantur praecipue rationes quattuor. Primo quidem propter amorem amoenitatem, quia caelum est locus amoenus et pulcherrimus, in quo Deus habitat per gloriam. Sic anima casta et corpus est habitaculum Deo gratissimum. Unde prima Cor. III.: *Nescitis, quia templum Dei estis vos, et Spiritus Sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, id est se fornicationi exponendo, disperdet illum Dominus* etc. 3 Et ipse Deus multum delectatur in anima casta, plus quam in caelo. Augustinus: *O quam dulces sunt fructus castitatis, nam singulariter reficitur in eis Dominus maiestatis, qui pascitur inter lilia castitatis*. Secundo propter caelicam puritatem, quia caelum est incontaminabile. Nam *nil coinquinatum intrabit in illud*, Apocal. XXI. 4 Sic castitas debet esse incontaminatae puritatis tam in anima, quam in corpore, I. Cor. VII. ca.: *Mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu*. 5 Hinc etiam Sap. IV.: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate*, 6 scilicet sapientiae et puritatis, scilicet ab omni inquinamento peccati. Unde Augustinus De vita Christiana: *Quo sublimior est gloria, scilicet castitatis, eo debet maior esse cura in custodia a peccatis*. Nam qui castus est in se abstinendo a peccatis carnalibus, non tamen custodit, nec cavet a peccatis, similem castitatem habet, sicut daemones, qui a carnalibus abstinere, sed vitiis spiritualibus, scilicet superbia, invidia, odio, ira sunt pleni. Tales ergo non amat Deus. Unde Hugo li. de bono conscientiae dicit: *Deus, qui amator est munditiae, cor pollutum peccatis non potest amare*. Tertio propter dignitatem, quia sicut caelum inter creaturas corporeas est dignissima et superelevata creatura, ubi sunt dignissimae creaturae, scilicet angelicae, et ipse Deus omnium etc. Propter quod caelum dicitur a caelando, quia caelat nobis beatos spiritus. (C) Sic castitas est virtus dignissima, cuius dignitas in tribus attenditur. Primo quia a solo Deo datur speciali dono eius. Sap. VIII.: *Non possum esse continens, nisi Deus dederit*. 7 Augustinus: *Domine, continentiam iubes. Da, quod iubes, et iube, quod vis*. Secundo in hoc, quia paucis datur et ideo rara et pretiosa virtus existimatur. Nam secundum proverbium commune: *Quod rarum, carum, vilescit quotidianum*. Ideo Hieronymus dist. XCIII. c. „Legimus” dicit, quod pulegium apud Indos pipere pretiosius est, quia rarius. Sed de castitatis raritate testatur Christus Matth. XIX.: *Non omnes capiunt verbum hoc*. 8 Et loquitur de castitate, quia pauci sunt corpore et mente casti, ut deberent. Tertio in hoc, quod multum appetitur. Et primo super omnem mundi rem pretiosam, Eccli. XXVI.: *Omnis ponderatio non est digna continentis animae*. 9 Secundo, quod maius est super humanam naturam, quia ut Ambrosius li. De virginitate dicit: *Supergreditur – inquit – virginitas conditionem humanae naturae, per quam homines angelis assimilantur*. Tertio, quod maximum est, super angelicam victoriam, quia ut Glossa I. Cor. VII. dicit: *Maior est victoria virginum, quam angelorum*. Angeli enim sine carne vivunt, virgines in carne triumphant. Nam et virginibus debetur fructus et etiam aureola, quae sunt pretiosissima in caelo, sed haec praemia non dabuntur angelis. Sequitur ergo, quod castitas dignitatem habeat proximitatis divinae. Sap. VI.: *Incorruptio facit proximum Deo*. 10 Quarto propter aeternitatem, quia caelum est perpetuo stabile. Sic castitas aeternaliter stabit in caelesti beatitudine, ubi *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Domini* perpetuo Christo teste Matth. XXII. 11 Merito ergo castitas comparatur regno caelorum. Secundo Christus commendat in hoc evangelio castitatem per numerum perfectionis, quia decem virginibus assimilatur. (D) Unde hic queritur: Quare dicere voluit Christus similando castitatem decem virginibus et non pluribus vel paucioribus? Ad hoc respondetur secundum Lyram et doctores, quia denarius est primus digitus vel limes numerorum, unde et numeri sequentes componuntur ex denario pluries sumpto vel aliqua parte eius, ut patet, quia viginti sunt bis decem, triginta ter decem et ceteris, et XI sunt X et unum et ceteris consequenter. Et ideo denarius bene significat universitatem. Sed quoniam Christus in ista parabola voluit significare universitatem Christianae Ecclesiae, ut

supra dictum est, ergo sub numero denario castitatem commendavit omnibus pro documento perfectionis. Item alia ratio est, quia per numerum denarium significantur decem praecepta, sine quibus nullus intrat in regnum caelorum. Matth. XIX.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 12 Sed adhuc quaeritur: Quare dixit regnum caelorum simile decem virginibus, non dixit viduis aut coniugatis, cum tamen omnes universaliter significavit? Respondetur, quod ad significandum integritatem fidei, continentiaeque ab omnibus illicitis actibus, quia virgines sunt integrae carne et continentia, ut per hoc doceat, quia Christiani debent esse saltem fide integri omnes, et ab illicitis actibus vitiosis continentes, id est ab omnibus peccatis mortalibus. Unde Augustinus in sermone: *Qui abstinet se ab illicito visu, auditu, gustu, odoratu, tactu propter ipsam integritatem fidei, virginis nomen accepit.* Sed adhuc quaeritur: Quare ibi posuit Christus duplicem numerum quinarium dicens: *Quinque autem ex eis erant fatuae, et quinque prudentes* etc.? Respondetur, quod ad designandum duplicem sexum in Ecclesia, qui omnes debent esse continentes secundum gradum suae continentiae, scilicet vel virginalem, vel coniugalem, vel vidualem, alioquin non veniunt ad caelestes nuptias. Unde Eph. V.: *Hoc scitote, quod omnis fornicator aut immundus non habet hereditatem in regno Christi et Dei.* 13 Sed quare dicit quasdam fatuas, quasdam prudentes? Respondet Origenes, quia in sancta Ecclesia quidam credunt et iuste vivunt, et hi prudentes sunt, quia vitant futura mala perpetuae damnationis. Seneca: *Prudentiae actus est praecavere futura mala.* Alii autem sunt, qui recte profitentur fidem, sed iuste non vivunt, nec agunt opera ad salutem, et ideo fatuae damnantur, quia ut dicitur Iaco. II.: *Fides mortua est in seipsa sine operibus* etc. 14 Tertio Christus commendat castitatem sponsam nominando, quod est maximi honoris et gratiae, cum dicit: *Venit sponsus et quae* etc. Nam magnum esset dicere servam vel ancillam. Nunc autem quid maius et mirabilius, quod summus Deus immensae maiestatis pauperulam animam castam vocet tam honorabilissimo nomine, scilicet sponsam regis regum Christi, cum sit Christus infinitae nobilitatis, formositatis, potestatis et omnis bonitatis, sed anima miserrimae qualitatis et infirmitatis utpote peccatrix. Unde Bernardus super Cantica dicit: *Quis digne pensare poterit, quanto affectu nos diligit Deus, ut animam sponsam vocet. O anima mea, unde tibi haec gratia, ut dicaris Dei sponsa?* Haec ille. Esto ergo casta. (E) Circa secundum de reprobatione fatuarum virginum tres quaestiones sunt inquirendae. · Prima de earum fatuitate · Secunda de Christianorum per eas figuralitate · Tertia de signata per oleum charitate Prima quaestio est: Unde istae quinque virgines probantur fore fatuae? Ad quod respondetur, quod ex ipso evangelio clare probantur fore fatuae. Et hoc quintupliciter ostendi potest. Primo quia necessaria salutis non sumpserunt, quod notatur, cum dicitur: *Fatuae autem acceptis lampadibus, scilicet castitatis, non sumpserunt oleum secum, 15 scilicet charitatis.* Nam ut dicit Ambrosius: *Ingratum est Spiritui Sancto neglecto eo, ad quod quis tenetur, facere ea, ad quae non tenetur.* Et ideo fatuum est relinquere ea, quae sunt charitatis, scilicet praeceptorum Domini observantiam et veram poenitentiam ac Ecclesiae oboedientiam, ut quis propriam sequatur voluntatem solum de castitate confidens. Secundo quia aliorum merita mendicaverunt, scilicet post mortem, quod in vita non fecerunt dicens: *Date nobis de oleo vestro* etc. 16 Cum dicat Augustinus, quod *vix unicuique sua sibi sufficiunt merita.* Ideo subditur responsio: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis.* 17 Tertio quia operari voluerunt, quando non potuerunt, scilicet post mortem. Unde dicitur: *Dum autem irent emere, 18* et hoc postquam dormierant, scilicet in morte. Propter hoc scribitur Apoc. X.: *Tempus ultra non erit, 19* scilicet meritorium, et ideo fatuum est differre opera post mortem. Quarto quia tarde venerunt. Unde dicitur: *Novissime venerunt et reliquae virgines* etc. 20 Id est quando iam porta clausa fuit, hoc est sententia firmata. Unde fatuum est expectare extremam mortis horam, quia ut Magister in IV. dist. XX. dicit: *Difficile est, ut tunc vera sit poenitentia, quando sera venit, quando cruciatus membra ligat et dolor sensum opprimit, ut tunc vix valeat cogitare.* Quinto quia aperiri sibi ianuam praesumunt, cum non meruerunt, quod est fatuum, quia ut Gregorius dicit: *Sine meritis sperare videlicet caelestia non est spes, sed praesumptio,* scilicet fatua. Ecce ergo quam fatuae fuerunt istae. Heu, quam multi nunc sunt tales Christiani, qui suo modo excludentur a caelo. (F) Secunda quaestio ergo est, quales Christiani figurantur per has virgines fatuas. Respondetur, quod omnes illi, qui sensuum deliciis et appetitui illicito ac vitiis se dederunt, ut dicit Origenes et etiam Augustinus. Pro quo sciendum, quod potissime quinque sunt genera fatuorum et reprobatorum Christianorum. Primi enim fatui sunt, qui aliorum excessus respiciunt, et se per aliorum malitiam excusare volunt. De talibus bene dicitur Eccli. XXI.: *Stultus a fenestra respicit in domum, 21* scilicet proximi attendendo alienam vitam. Ideo Seneca: *Proprium est stultitiae alienam vitam cernere suamque oblivisci.* Tales revera sunt stultiores asinis, quia si asinus videt alium asinum cadentem in lutum, circumit et non sequitur. Isti autem Christiani fatui per eandem viam sequuntur in malo dicentes: „Ille sacerdos vel religiosus fecit hoc, cur non ego; vel ecce multi sic vivunt, ergo et ego sic” etc. Contra quos Gregorius: *Non minus ardet, qui cum multis ardet.* Secundi fatui sunt, qui bona opera faciunt, sed bonam intentionem non agunt. Nam fatuus est, qui laborem impendit in eo, quo scit nullam mercedem acquirere, sed potius tormentorum stipendia ex hoc acquirere. Sic in proposito. Unde Gregorius: *Qui rectam intentionem in opere non tenet, totum opus amittunt et poenas adquirunt.* Idem: *Ecce Redemptoris voce decem virgines et omnes virgines dicuntur, et tamen intra beatitudinis ianuam non omnes receptae, quia earum quaedam, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt, et sic a caelo exclusae sunt ut fatuae.* Tertii fatui Christiani sunt, qui credunt in Christum, sed operibus malis contradicunt. Nam tales stultiores reputantur, quam daemones, qui ut dicitur Iaco. II., *credunt et contremiscunt.* 22 Isti autem fatui credunt et non contremiscunt Dei iudicium, ut dicit Augustinus. Proinde Gregorius: *Sicut – inquit – lampas sine oleo foetet et non lucet, sic fides sine operibus Deo non placet.* Quarti sunt, qui diuturnam vitam sperant et corrigi vel de malis poenitere differunt. Unde Seneca: *Stultus est, qui quaerit, ut diu vivat, cum hoc ignorat et non curat, ut bene vivat.* Talis fatuus fuit ille dives, qui dixit: „Anima mea, requiesce, comede, bibe, habes multa bona reposita in annos plurimos.” Cui dixit Dominus: „Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te, et quae congregasti, cuius erunt?” Luc. XII. 23 Ecce eum stultum nominavit. Unde Augustinus li. de verbis Domini dicit: *Qui in uno peccato mortali obdormit, audacior est, et sic stultior, quam qui cum septem hostibus de morte sua ad invicem obligatis confligit.* Et sic patet. Quinti sunt, qui exercitant se in operibus bonis, et extra charitatem vivunt, quia tales tam stulti sunt, quod sua offerunt Deo in bonis operibus expendendo, et seipsos dant diabolo, et sic perdunt



se et omnia sua. Ideoque Hilarius super Ioh.: *Frustra est omnis operatio, nisi assit vera Dei dilectio*, hoc est eius mandatorum observatio. Nam et istae virgines fatuae dicuntur, quae castitatem habentes tamquam lampadem operis non habuerunt oleum charitatis. (G) Tertia quaestio ergo est: Quare charitas signatur per oleum? Respondetur, quod propter plures olei proprietates charitati convenientes. Nam secundum Plinium: *Oleum primo ardet fortiter accensum*, sic charitas ardet in corde ignito amore. Secundo cibi est condimentum, sic charitas sapida reddit bona opera. Unde dicit Bernardus: *Ubi est amor, ibi non est labor, sed sapor*. Tertio doloris est lenitivum, sicut ait Augustinus: *Omnia gravia facit levia charitas*. Quarto emendativum est rubiginum, sicut dicit Gregorius in homilia super Luc. VII.: *Tanto plus rubigo peccati consumitur, quanto plus mens hominis charitate accenditur*. Quinto fluit ex fructu arborum, sic charitas fluit abundantius ab arbore crucis Christi. Damascenus: *Quid magis ad charitatem accendit, quam quod Deus Filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit*. O ergo homo Christiane, disce diligere Deum, ut habeas charitatis oleum, alioquin in iudicio dicetur tibi et aliis consimilibus: „*Ite ad vendentes*”, 24 id est adulatorum in peccatis, qui tamen tibi nil prodesse poterunt, et sic reprobaberis cum fatuis virginibus, a Christo dicente: „*Amen dico vobis, nescio vos*”, 25 ac a caelo excluderis. (H) Circa tertium de prudentia virginum laude digna quaeritur: Qualibus signis cognoscuntur homines casti, utrum sint cum fatuis virginibus a Deo reprobandi et e caelo excludendi, an cum prudentibus acceptandi in sua castitate? Ad quod respondetur, quod Christus in evangelio discernendo dixit quinque fatuas virgines et quinque prudentes, in quo patenter ostendit, quod quinque sunt defectus vel vitia, per quae castitas tamquam fatua a Deo reprobatur, ac per contrarium quinque sunt virtutes, quae faciunt eam multum amabilem Deo et acceptam. Unde haec signa notent coniugati, viduae et virgines, ut Deo sciant per castitatem placere. Primus defectus, qui facit castitatem Deo displicere, est superbia. Contra hoc ergo primum signum acceptanda est humilitas profunda. Unde Augustinus: *Non solum praedicanda est virginitas, ut ametur, sed etiam monenda, ne inflatur. Nam superba virginitas prostibulum est diaboli*. Idem: *Audeo dicere, quia superbis utile est cadere, ut in eo, in quo extolluntur, humiliantur, quia plus expedit virginem non esse, quam de virginitate insolescere*, id est superbire. Bernardus: *Audeo dicere, quod nec virginitas Mariae Deo placuisset sine humilitate*. In huius signum dicit Christus, quod istae virgines aptaverunt suas lampades. Lampas autem est fragilis, utpote vitrea vel testea, in hoc docetur, quod debet virgo vel castus homo recognoscere suam fragilitatem, ne superbiat de castitate, quia facile perditur, nisi a Deo servetur propter humilitatem hominis. Secundus defectus concupiscentia, scilicet deliciosa. Contra quod est secundum signum aspera vita in prudentia castitatis, praecipue virginea. Nam dicit Bernardus, quod *periclitatur castitas in deliciis*. Quo contra Apostolus I. Cor. IX. dicit: *Castigo corpus meum et in servitum redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar*. 26 Tertius defectus, scilicet castitatis est otii desidia. Contra hoc est tertium signum laboris vigilantia. Bernardus: *Omnium cogitationum malarum et temptationum initium est otium*. Quo contra Hieronymus ad Rusticum monachum dicit: *Semper aliquid facito, ut te diabolus semper inveniat occupatum*, scilicet ut non tentet contra castitatem. Propter tales desides castos seu etiam virgines dicitur in evangelio, quod *dormierunt omnes et dormitaverunt*, 27 et interim sponsus venit, quasi diceretur, quod non deberent casti dormire in deliciis, nec dormire in otio, quia interim Christus venit ad iudicium mortis. Quartus defectus conversatio dissoluta. Sed contra hoc est signum quartum, cautae vitiationis fuga. Ideo Hieronymus dicit, quod *vir et mulier, scilicet coversantes ignis et palea, diabolus autem insufflare non cessat, ut ardeant*. Unde contra hoc valet signum, quod scilicet homo sit devotus et spiritualis vitans consortia mulierum et econverso. Unde Augustinus: *Brevis semper sermo et asper cum mulieribus est habendus, ut consortia fugiantur*. In huius signum dicitur in hoc evangelio, quod fatuae virgines fuerunt in una societate, prudentes in alia. Quintus est indevotio in contemplatione divina. Contra hoc est quintum signum inflammatae devotionis in divinae charitatis ferventia, et hoc significatur per oleum in lampade ardens. Unde Bernardus in epistolis: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas Deo non placet*. Haec ille. O ergo omnes casti sive virgines sive viduae aut coniugati, haec omnia considerantes discite Christo placere, ut Dei amore ferveatis, passionem Christi saepe recogitate, ut gratiam a Christo maiorem obtinere valeatis in praesenti, et tandem gloriam in futuro. Amen.

---

1 Mt 25,1 2 Mt 25,10 3 I Cor 3,16-17 4 Apc 21,27 5 I Cor 6,34 6 Cf. Sap 4,1 7 Sap 8,21 8 Cf. Mt 19,12 9 Sir 26,20 10 Sap 6,20 11 Mt 22,30 12 Mt 19,17 13 Eph 5,5 14 Iac 2,17; 26 15 Mt 25,3 16 Mt 25,8 17 Mt 25,9 18 Mt 25,10 19 Apc 10,6 20 Mt 25,11 21 Sir 21,26 22 Iac 2,19 23 Lc 12,19-20 24 Mt 25,9 25 Mt 25,12 26 I Cor 8,27 27 Mt 25,5

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXXIII.] De sanctis mulieribus et viduis Sermo communis *Viduas honora, quae verae viduae sunt*. I. Tim. V. 1 Item aliud thema: *Viduam eius benedicens benedicam*. Ps. CXXXI. 2 Item aliud: *Vidua eligatur in bonis operibus testimonium habens*. I. Tim. V. 3 (A) Merito sanctae viduae honorabiles sunt in Ecclesia, et a Domino specialiter benedictae ac electae, quia non parva, immo magna virtus est viduitatem bene servare. Unde Ambrosius li. De virginibus: *Prope modum non inferioris virtutis est a coniugio abstinere, scilicet in viduitate, quam aliquando delectaverit, quam coniugalia delectamenta nescire*. Virginitas enim facilior est in eo, quod carnis incentiva non novit. Viduitas autem sollicitior est, id est temptationes plus patitur eo, quod praeteritas animus recolit voluptates. Unde patet, quod maximae virtutis est continentia vidualis, et per consequens multum honoranda et commendabilis pro tali quoque carnis victoria a Deo speciali gratia, et tandem gloria benedicenda. Sicut patet exemplariter in ista sancta vidua, cuius hodie festum colimus, quae per castitatem magnam gratiam et gloriam consecuta est a Domino et sancta Ecclesia. Ad honorem ergo ipsius assumuntur praemissa verba pro nostra aedificatione et instructione, ubi dicitur: *Viduas honora* etc. Iuxta quae verba tria mysteria notabimus pro sermone isto: · Primo de viduitatis statu honorabili, ibi: *Viduas honora* · Secundo de sanctitatis signo probabili, ibi: *quae verae sunt* · Tertio de castitatis merito commendabili, ibi: *viduae* (B) Circa primum de honore viduitatis aliquae quaestiones occurrunt

pertractandae pro nostra instructione. Prima quaestio est, qualem honorem viduae debeant amare. Ad quod respondetur, quod honor est triplex. Unus est mundialis. Alius est divinae imaginis. Tertius est caelicae beatitudinis. Primus honor, scilicet mundialis est contemnendus omni homini Christiano et despiciendus, quia est vanus eo, quod est sine fructu transitivus. Patet in Alexandro Magno, in Nerone rege, et in consimilibus imperatoribus, qui aeternaliter damnati de magno honore ad pessimam confusionem, scilicet infernalem pervenerunt eo, quod fidem et veram charitatem Dei non habuerunt in vita, nec peccata caverunt. De talibus scribitur Sap. V., quod *in Inferno turbabuntur timore horribili poenitentiam agentes et dicentes: Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia velut umbra.* 4 Item quia talis honor nedum est vanus, sed et poenae infernalis augmentativus, iuxta illud Sap. VI.: *Potentes potenter tormenta patientur.* 5 Et Apoca. XVIII.: *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum* etc. 6 Secundus amor est divinalis imaginis, et iste est sollicitate conservandus, ne perdat. De quo Ps.: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis,* 7 scilicet per peccatum. Unde Richardus De mystico somno dicit: *Nullus honor maior, nullum decus admirabilius, quam esse ad imaginem Dei et similitudinem.* Hunc itaque honorem valde diligenter debemus custodire. Sicut enim homo nobilis et sapiens bullam vel litteram donatoriam, per quam consequi potest unum magnum comitatum vel dominium castrorum et possessionum, diligenter conservat, sic nos debemus imaginem Domini in anima nostra scriptam, per quam caeleste regnum habebimus, diligentius conservare. (C) Sed qualiter possit homo istum honorem animae suae conservare in suo statu honorabili, notandum, quod tripliciter. Primo ei dominium super carne praestando, quod sicut confusio est dominae ancillam sibi dominari, sic carnem, quae est ancilla, dominari animae. Bernardus: *Anima tamquam nobilior debet dominari, caro tamquam ancilla famulari, quia ad serviendum data est spiritui.* Secundo eam mundam a peccati stercore custodiendo. Sicut enim regi magnum dedecus faceres, cum in faciem eius stercus foetidum iactares et sordidares, sic quando animam peccato sordidas, sic inhonoras. Ideo Eccli. X.: *Fili, in mansuetudine serva, scilicet custodiendo animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum,* id est secundum dignitatem imaginis divinae. Sequitur: *Peccantem in animam suam quis iustificabit, et quis honorificabit exhonorantem animam suam,* 8 quod dicit: talis non est a Deo honorandus. Tertio eius decentem ornatum diligenter procurando. Nam confusio est filiam regis nudam procedere, sic non decet animam esse nudam, sed virtutibus ornatam, quia est filia summi regis, id est Dei, et qui eam spoliat, punitur, qui autem decorat, praemiabitur. Unde Apoc. XVI.: *Beatus, qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet* etc. 9 Sed heu moderni Christiani plus curant de ornatu ancillae, id est carnis, quam de ornatu animae. Hinc Augustinus: *Adeo caecitas mentis invaluit, ut omnia bona et munda velit habere praeter suam animam. Quid est – inquit –, quod te nil omnino malum vis habere, non uxorem, non filium, non servum, non tunicam, postremo non caligam tuam, et tamen peccando vis habere malam animam. Rogo te, praepono animam caligae tuae.* Haec ille. Tertius honor est caelicae beatitudinis, et iste multum desideranter est quaerendus, sicut haec sancta pro hoc omnia contempsit. Unde canitur in officio in persona eius: *Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsisti propter amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.* Et nos ergo exemplo eius quaeramus caelestem honorem. Unde Gregorius: *Si, fratres, culmen veri honoris quaeritis, ad caelestem regnum tendite!* (D) Secunda quaestio oritur, qualiter ergo debeant sanctae animae hunc caelestem honorem et possunt acquirere. Ad quod respondetur ex verbis Leonis papae dist. LXI. c. „Miramur”, quod *si ad honores – inquit – mundi sine laboris merito non pervenitur, multo fortius ad honores caelestium dignitatum.* Haec ibi. Ideoque advertendum, quod sicut honores mundi acquiruntur pluribus modis, sic spiritualiter honores caelestes. Primo enim quandoque honor mundanus acquiritur per animosam virtutem et potentiam ac inimicorum victoriam, ut in militaribus ac principibus. Sic spiritualiter per mundi, carnis et diaboli victoriam, quia isti sunt hostes nostri, contra quos pugnare habemus. Unde Bernardus: *Quotiens vincis, totiens coronaberis.* Nam et II. Thim. II.: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* 10 Secundo quandoque acquiritur honor in mundo scilicet per bonae servitutis industriam, ut patet in servis regis, sic spiritualiter caelestis honor per servitium Christi. Ioh. XII.: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus,* 11 qui in caelis est. Tertio quandoque per claram sapientiam, ut patet in consiliariis et doctoribus etc. Sic spiritualiter per veram sapientiam, quae consistit in sui ipsius et Dei cognitione. Unde Sap. VII.: *Venerunt mihi omnia bona per illam et innumerabilis honestas,* 12 id est honoris status. Quarto quandoque per divitiarum opulentiam. Nam scribitur Ecc. X.: *Pecuniae oboediunt omnia.* 13 Sic spiritualiter per virtuosum operum et meritorum magnorum divitias, Ro. II.: *Gloria, pax et honor omni operanti bonum.* 14 Augustinus: *Nullum bonum irremuneratum.* Quinto per eloquentiam et facundiae prudentiam patet in oratoribus et advocatis. Sic spiritualiter per orationem. Lu. XI.: *Omnis, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit* etc. 15 Hinc Eccli. V.: *Honor et gloria in sermone sensati.* 16 Sexto per familiarem regis, vel principum amicitiam. Sic spiritualiter per charitatem veram ad Deum, Apoc. III.: *Suadeo tibi emere aurum ignitum, id est charitatem, ut locuples fias.* 17 Eccli. I.: *Dilectio Dei honorabilis sapientia.* 18 Isthis modis quaesivit haec sancta, ergo etc. (E) Tertia quaestio est: Quali honore sunt ipsae viduae a Christianis honorandae, ut impleatur Apostoli praeceptum dicentis: *Honora viduas* etc.? Respondetur, quod quadruplici honore, secundum quod colligitur ex Scripturis et doctorum dictis. Primo honore venerationis, et hoc propter excellentem virtutem castitatis. Dicit namque Philosophus IV. Ethicorum, quod *honor est exhibitio reverentiae in signum virtutis, quia honor est maximum bonorum exteriorum, et est praemium virtutis. Perfectae enim virtuti non fit condignus honor.* Haec ibi. Sed quoniam ut ait Augustinus: *Inter omnia Christianorum certamina duriora sunt castitatis proelia, ubi quotidiana pugna et rara victoria.* Nam hoc donum a solo Deo datur, et rari habent, propter quod Christus Matth. XIX. dicit: *Sunt eunuchi, id est casti homines propter regnum caelorum.* Et subdit: *Qui potest capere, capiat.* 19 Non enim omnes capiunt verbum hoc, scilicet castitatis. Unde illae mulieres, quae habent talem fortitudinem spiritus, ut possint carnem vincere, multum sunt honorandae. In cuius signum Scriptura viduas virginibus copulavit. I. Cor. VII. dicit: *Mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu.* 20 Ambrosius in Hexaemeron: *Discite, mulieres, quanta sit viduitatis gratia, quae et in avibus commendatur. Nam turtur uni iuncta viduata*

*numquam alteri iungitur.* Secundo honorandae sunt honore sustentationis, scilicet in defectu necessitatis. Nam antiquitus ipsae viduae sustentabantur stipendiis Ecclesiae, quae prae aetate aut infirmitate non poterant laborare, et nunc merito debent sustentari, quia ipsae Ecclesiam iuvant et tenentur iuvare orationibus et meritis. Proinde sacrum consilium Carthaginense LXXXI. dist. c. „Viduae” inquit: *Quae stipendio Ecclesiae sustentantur, tam assidue in Dei opere esse debent, ut meritis et orationibus suis Ecclesiam adiuvent.* Quo contra Iob XXII. arguit immisericordes dicens: *Viduas dimisisti vacuas, propterea circumdati estis laqueis* etc. 21 Tertio honorandae sunt honore consolationis in amaritudine tribulationis exemplo Christi, qui videns mulierem viduam flentem super unicum filium mortuum, *misericordia motus dixit: Mulier, noli flere,* 22 et resuscitavit illum. Sic et nos debemus eas consolari verbo et opere beneficiando. Unde Iac. I.: *Religio munda et immaculata apud Deum,* scilicet Christiana *haec est: visitare pupillos, et viduas in tribulatione.* 23 O ergo tu, mulier coniugata, visita viduas, adiuva et consolare, quia et tibi eadem mensura remetietur, quando viduaberis. Quarto honore defensionis in suis causis. Unde LXXXVII. dist. per totum dicitur, quod episcopi et alii ecclesiarum praelati praecipue viduarum protectioni et sustentationi debent intendere. Item XXIII. q. V. „Regum” dicit Hieronymus, quod *regum officium est iudicium et iustitiam facere, et viduas defendere a potentibus et opprimentibus* etc. Quo contra Isa. I. dicitur: *Principes tui infideles socii furum, pupillo non iudicant, causa viduae non ingreditur ad eos.* 24 *Heu vindicabor de hostibus meis,* dicit Dominus. 25 O ergo homo, disce viduas honorare, ut a Deo recipias mercedem, disce sanctitatem earum imitari. (F) Circa secundum de sanctitatis testimonio probabili quaeritur: Quibus signis agnoscitur sancta vidua, et probatur habere testimonium sanctitatis? Ad quod respondetur, quod praecipua signa huiusmodi sanctitatis sunt septem: Primum est spem totam in Deo ponere et ipsum solum diligere, I. Cor. V.: *Quae vere vidua est et desolata, speret in Domino.* 26 Cum enim solum Deum elegit sibi in sponsum, totum cor fiducialiter illi dare debet, ut habeat in Christo consolationem, quae aliunde innumeras patitur tribulationes et oppressiones tamquam desolata, et sic habebit consolationem suae patientiae. Iuxta quod Ps. ait: *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* 27 Et Eccli. II.: *Quis speravit in Domino, et derelictus est,* 28 quod dicit: nullus. Unde *sperando in Deo patientiam habere in adversis maius est, quam mortuos suscitare et quaeque miracula facere,* ut dicit Gregorius. Secundum signum est orationi insistere. I. Tim. V.: *Quae vere vidua est, speret in Domino et inflat orationibus et obsecrationibus nocte ac die.* 29 Exemplum de Anna LXXXIII annorum vidua, quae die ac nocte in templo orabat, Luc. II. 30, et ideo meruit videre Christum natum. Unde dicitur Eccli. XXXV.: *Non despiciet Dominus,* id est diliget, minus enim dicendo plus significat; sequitur: *preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus,* 31 Dominus enim exauditor est. Augustinus: *Quanto quisque sanctior et sancti desiderii plenior, tanto in eius oratione fletus uberior.* Tertium signum refrenare linguam et verborum restringere. Nam ut scribitur Proverb. X.: *In multiloquio non deest peccatum.* 32 Qui ergo moderatur linguam, sapiens est. Hinc Chrysostomus super Matth.: *Quale est cor, talia verba quis loquitur.* Sic ex vanitate verborum vanitas cordis intellegitur, et religiositas vana videtur, prout Iaco. I. testatur. Unde Gregorius li. Dialogorum narrat quandam sanctimoniam licet castam, tamen damnatam ob hoc, quod linguam non frenavit, ut debuit. Quartum signum operibus bonis se occupare. Unde I. Tim. V.: *Vidua eligatur in bonis operibus testimonium habens.* 33 Nam otiosa non est digna etiam pane, quo vescitur. II. Thes. III.: *Qui non vult operari, nec manducet.* 34 Unde dato, quod vidua in temporalibus abundet, adhuc aequae bene propter pauperes alendos operari debet, sicut legitur in exemplo de Beata Virgine Maria, quae licet in templo manens quotidie ab angelis escam sibi portatam acciperet, tamen manuum labore se propter pauperum distributionem occupabat, et etiam escam, quae de proventu templi sibi debebatur, pauperibus erogabat, sic et de beata Elisabeth et aliis multis. Unde Augustinus De vita Christiana dicit: *Illam elemosynam Deus approbat, quam quis de iustis laboribus administrat.* (G) Quintum signum rigide carnem mortificare. Unde Augustinus De vita Christiana dicit: *Tria sunt viduarum genera. Unum, quod perfectissimum est caelesti praemio destinatum orationibus et ieiuniis die noctuque deserviens. Aliud vero, quod filiorum curam et domus habet, hoc non tam dignum est, nec tamen peccatis obnoxium. Tertium genus est in epulis et deliciis, quod aeterni morti servatur.* Haec ille. Itaque idem Augustinus dicit, quod *facilius conservatur ignis et aqua in uno vase, quam in deliciis cibi et potus servetur continentia.* Propterea I. Tim. V.: *Vidua in deliciis vivens mortua est.* 35 Sextum signum vitare publicum et solitudinem diligere. Unde Ambrosius: *Discite vos, sanctae virgines, sic et mulieres exemplo Mariae non circumcursare per alienas aedes, non demorari in plateis* etc. Idem De fuga saeculi dicit: *Qui salvus esse vult, fugiat mundum, ascendat,* scilicet mente, *quaerat Deum.* Unde sancta Iudith vidua de hoc commendatur, quod mansit in cubili secreto domus suae. Ultimum est memoriam passionis Christi semper corde gestare. Unde Bonaventura dicit, quod *totus thesaurus sanctitatis est in memoria passionis Christi, quae super omnia operatur in anima sanctificationem.* Et Gregorius: *Si passio Christi ad memoriam revocetur, nil tam durum, quod non aequo animo toleretur.* Haec sit ergo quotidiana lectio viduarum et studium. Sic fecit haec sancta, de qua hodie celebramus pro nostro exemplo. Imitentur ergo eam, non solum mulieres, sed etiam viri ad salutem. (H) Circa tertium de castitate merito quaeritur: Qualibus bonis meretur homo felicitari per castitatem? Ad quod respondetur, quod recolligendo ex Scriptura, praecipue Sap. IV. notantur septem bona, quibus felicitat hominem. Nam scribitur ibi sic: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis enim est memoria illius, quoniam et apud Deum nota est et apud homines, cum praesens est illa, imitantur et desiderant eam, et in perpetuum triumphat coronata* etc. 36 Primo ergo admirabili decore adornat, ideo admirans dicit: *O quam pulchra est casta generatio.* Vere mirabiliter pulchra, quia divinae similitudinis gloriam participat, Apoc. III.: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* 37 Secundo beatitudinis fructum accumulatur, propterea additur: *Cum claritate,* scilicet meritorum et praemiorum. Nam coniugali castitati debetur claritas felicissimi fructus XXX, viduali LX, virginali C secundum doctores. Tertio clarissimum nomen perpetuo praestat, ideo dicitur: *Immortalis est memoria illius.* Quarto dignitate summa sublimatur, scilicet quia facit sponsam Christi amabilem. Ideo dicitur: *Apud Deum nota est,* scilicet notitia specialis amorositatis, qua acceptatur anima in sponsam a Christo, prout canit Ecclesia dicens: *Veni sponsa Christi* etc. Quinto excellentius Christo et Beatae Virgini Mariae conformatur et approximatur. Ideo dicitur: *Apud homines, cum praesens est illa,*



scilicet castitas, *imitantur*, scilicet Christum sequendo et matrem eius. Apoc. XIV.: *Hi sequuntur agnum, quicumque ierit*. 38 Sexto felicissime coronat. Ideo dicitur: *In perpetuum triumphat coronata incoinquinatorum certaminum praemium vincens*. 39 Nam omnibus castis datur aurea corona essentialis, scilicet praemii, et insuper virginibus datur aureola pro victoria super carne. (I) Sed quaeritur: Quare solis virginibus datur aureola et non viduis? Cum enim aureola debetur pro victoria in pugna contra carnem, viduae autem in continendo maiorem difficultatem sustinent eo, quod recolunt praeteritas voluptates, ut ait Ambrosius li. De virginibus. Quare ergo non datur viduis aureola pro victoria tali? Respondetur secundum doctores, praecipue Robertum 40 super li. Sapientiae, quod *quamvis aliquo modo difficilior sit viduarum continentia propter recordationem voluptatis expertae, tamen simpliciter loquendo pugna virginum est difficilior et gloriosior. Primo quidem, quia virgines acrius temptantur desiderio experiendi voluptatem, quam numquam norunt. Secundo quia extimat virgo maiorem delectationem, quam sit in veritate. Tertio, quia ignorant virgines turpitudinem et incommoda, quae concomitantur corruptionem. Haec autem viduae bene sciunt, et ideo facilius contemnunt voluptatem*. Unde et legitur, quod virgo quaedam dum desiderio experiendi victa consensisset et corrupta fuisset, cognoscens, quod illa delectatio fuerit turpis et non tam magna, sicut putaverat, tantum doluit, quod pro tam foeda delectatione perdidit virginitatis gloriam, quod prae dolore mortua est. Patet ergo, quod virginalis continentia est difficilior, ergo meretur aureolam. Est etiam gloriosior, quia numquam cessit hosti, id est carni, sed vidua quandoque cessit. Ideo virgini datur aureola, quae est distinctiva singularis et gloriosissimae victoriae super carnem. Et sic patet. Ultimo castitas felicitat hominem, quia gaudiis angelorum associat, qui neque nubent, neque nubentur. Ideo dicitur: *Desiderant eam*, 41 scilicet angeli, qui castiores praediligunt propter similitudinem. Rogemus ergo Christum, ut det nobis haec bona felicia. Amen.

---

1 I Tim. 5,3 2 Ps 131,15 3 Cf. I Tim 5,9-10: Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens... 4 Cf. Sap 5,2-3: Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, dicent inter se poenitentiam agentes etc. 5 Sap 6,7 6 Apc 18,7 7 Ps 48, 13 et 48, 21 8 Sir 10,31-32 9 Apc 16,15 10 II Tim 2,5 11 Ioh 12,26 12 Sap 7,11 13 Ecl 10,19 14 Rm 2,10 15 Lc 11,10 16 Sir 5,15 17 Apc 3, 18 18 Sir 1,14 19 Mt 19,12 20 I Cor 6,34 21 Cf. Iob 22, 9-10: Viduas dimisisti vacuas et lacertos pupillorum communiti, propterea circumdati estis laqueis. 22 Cf. Lc 7,13 23 Iac 1, 27; editio: *Religio munda et immaculata, scilicet Christiana haec est, apud Deum visitare pupillos* etc. 24 Is 1, 23 25 Cf. Is 1,24 26 I Tim 5,3 27 Ps 93,19 28 Cf Sir 2, 11-12: Quis speravit in Dominum et confusus est, permansit in mandatus eius et derelictus est. 29 I Tim 5,5 30 Cf. Lc 2, 36-37 31 Sir 35,17 32 Prv 10,19 33 I Tim 5,9 34 II Th 3,10 35 I Tim 5,6 36 Cf. Sap 4,1-2: Melior generatio cum claritate, immortalitas est enim in memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. Cum praesens est, imitantur illam et desiderant eam, cum se duxerint, et in perpetuum coronata triumphat. 37 Apc 3,4 38 Apc 14,4 39 Sap 4,2 40 Editiones: *Ruper*. Cf. Robertus Holkot, Super sapientiam Salomonis, ed. Raymundus Ortz: „Phoenix rediviva (...), seu postilla super librum Sapientiae Salomonis (...), quadruplici indice ornata, Köln 1689 (Univ. Aa ívrét 71). Hic invenitur in Indice rerum memorabilium: „Aureola virginitatis quibus datur, et quibus non datur. I. p. lect. 40. art. 2. post 5. argumentum usque ad finem artic. fol. 74.” Textus in loco: „Dices secundo: Si aureola debeatur propter victoriam supra carnem, sequeretur, quod aureola potius debeatur viduis, quam virginibus, sed consequens non est concedendum: ergo nec antecedens. Sequela probatur. Quia viduae habent maiores temptationes, quam virgines. Unde Aristoteles li. De animalibus dicit, quod iuvenes corrupti magis appetant coitum propter rememorationem delectationis quondam habitae, ergo viduae abstinendo a carnalibus habebunt maiorem victoriam, et consequenter maiorem aureolam, vel si viduae aureolam non habeant, nec illam habebunt virgines. Respondeo, quod si attendamus istam unicum actionem temptationis carnis, quae est recordatio ex parte voluptatis, constat, quod haec sit in viduis, et non in virginibus. Nihilominus est in virginibus quaedam maior imaginatio ex parte lasciviae, cum tribus circumstantiis, ex quibus deinde consurgit maior temptatio. Nam primo virginibus proponitur desiderium experiendi ex curiositate delectationem carnalem, quam numquam senserunt, sicut homo magis desudat videre modicum oppidum, quod numquam vidit, quam unum magnum monasterium, quod saepe vidit. Secundo est aestimatio maioris delectationis, quam sit in rei veritate. Tertio: Ignorantia incommodorum, et turpitudinis concomitantis, et ideo simpliciter loquendo pugna virginum est difficilior, quam viduarum.” 41 Sap 4,2

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Sermo CXXIV.] De quacumque sancta muliere, sive vidua, sive coniugata Communis sermo sextus *Mulier timens Deum ipsa laudabitur*. Prover. ultimo. 1 Item aliud thema: *Ora pro nobis, quoniam tu mulier sancta es et timens Deum*. Iudith VIII. c. 2 (A) Sicut, carissimi, beatus Maximus episcopus dicit, quod *quemadmodum paterfamilias splendide cupiens depingere domum suam, ante aspectum pictoris proponit quasque imagines exquisitas, ut illas depingat, sic Deus ad animas nostras exornandas demonstrat nobis sanctorum et sanctarum merita tamquam quaedam vivendi exemplaria*. Subdit idem Maximus: *Rapiat ergo sibi alter candorem castitatis, ille pallorem abstinentiae, iste ruborem verecundiae, scilicet poenitentialis pro peccatis, iste ardentem charitatem et fidem velut auri splendorem radiantem, sic etiam ille nigredinem humilitatis in timore Dei*. Quia ergo in hodierno festo proponitur nobis in exemplum haec sancta mulier, quae valde refulsit in timore Dei, et observantia praeceptorum ac sanctitate omnimoda. Ideo ad honorem eius haec verba accipimus pro sermone: *Mulier* etc., et *Ora* etc., in quibus verbis commendatur et in exemplum proponitur de tribus: · Primo de divini timoris virtuositate, quia dicitur utrobique: *timens Deum* · Secundo de castitatis amorositate, quia mulier sancta, ergo et casta · Tertio de sanctitatis gloriositate, quia laudatur vere sancta (B) Circa primum de timore divino quaeritur, cur Deus sit timendus, cum sit totus suavis et pius omnibus. Iuxta illud Ps.: *Suavis Dominus universis et miserationes eius super omnia opera eius*. 3 Ad quod sic

respondetur, quod Deus misericors et totus pius maxime timendus est triplici ratione: · Primo ratione immensae maiestatis · Secundo ratione infinitae bonitatis · Tertio ratione iustissimae aequitatis Prima ratio immensae maiestatis, quia quanto quis altioris est maiestatis et potestatis, tanto magis est reverendus et timendus, ne quis oculos tantae maiestatis offendat, quia ut habetur extra de sententia exco. c. „Cum illorum” § „Nos autem”: *Tanto offensa est gravior, quanto persona, quae offenditur, est dignior.* Et patet, quia gravior iudicatur culpa, si quis percutiat in maxilla regem, quam baronem, et papam, quam regem. Sed quoniam maiestas Dei est infinita, ergo eius offensa est maxime timenda. Unde omnis offensa Dei dicitur maxima, iuxta illud Ps.: *Si mei non fuerint dominati, id est sensuales mei motus, tunc immaculatus ero et emundabor a delicto maximo,* 4 id est mortali peccato. Secunda ratio infinitae bonitatis. Nam regula Topica est: *Cuius habitus melior, eius privatio peior,* et per consequens magis timenda. Exempli gratia, habere caput et habere oculum est melius, quam habere digitum vel pedem. Ergo privari ipso capite vel oculo peius est, quam privari digito vel pede etc., scilicet quoniam Deus est infinitae bonitatis iuxta illud Anselmi in Monologion: *Deus est summum bonum, quo maius excogitari non potest.* Ergo ipsum amittere per peccatum est summum malum et timendum. Tertia ratio dicitur iustissimae aequitatis, quia ut Augustinus dicit in Enchiridio: *Deus nullum malum relinquit impunitum, nec ullum bonum irremuneratum.* Ideoque summe timendus est, ne contra eum peccando iustitiae eius poenam incurramus. O ergo quam stultus homo, qui confidens de Dei misericordia peccare praesumit. Quo contra Eccli. V.: *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu, et ne adicias peccatum super peccatum, et ne dicas in corde: misericordia Dei magna est* etc. 5 Misericordia enim et ira ab illo cito approximat. Chrysostomus: *Tu, homo, qui confidenter peccas, dicis: „Magna est Dei misericordia”, verum dicis, immo maior est, quam tu extimas, sed scito, quia nec minor est eius iustitia, scilicet puniens peccata.* Proinde valde timendus est Deus propter eius iustum iudicium. Quia ut Gregorius in Moralibus super illud Iob IX. „Verebar omnia opera mea sciens, quod non parces delinquenti” dicit sic: *Delinquenti nequaquam parcitur, quia peccatum sine ultione numquam deseritur, aut enim hoc homo in se poenitens punit (sic), aut Deus cum homine praeiudicans ferit, scilicet in Purgatorio expiando, aut in Inferno impenitentem perpetuo torquet.* Patet ergo, quod Deus misericors multum est timendus. Nam teste Ps.: *Beneplacitum est Domino super timentes eum et in eis, qui sperant super misericordia eius.* 6 (C) Sed qualiter Deum timere debeamus? Nam hoc scire est utile, quia non omnis timor Dei est meritorius vitae aeternae. Notandum est ergo, quod secundum doctores, praecipue Alexandrum de Hales II. II. de timore ac Thomas II. II. q. XIX. ar. II. timoris sex species assignantur sive differentiae: · Primus timor dicitur naturalis · Secundus dicitur humanalis · Tertius dicitur mundialis · Quartus servilis · Quintus initialis · Sextus filialis Primus timor naturalis dicitur, quo quis timet naturae suae nocivum, puta mortem naturaliter. Unde Damascenus: *Timor naturalis est, quo non vult anima separari a corpore propter naturalem inclinationem, tali timore nec meremur, nec demeremur,* secundum quod Philosophus dicit II. Ethicorum, quod *propter ea, quae insunt nobis a natura, nec laudamur, nec vituperamur.* Sicut videmus, quod homo saepe in tenebris expavescit, velit-nolit. Talis ergo timor non est meritorius, sed naturalis passionis. Nam et Christus in agone positus coepit pavere, Matth. XXIV. Unde hunc timorem debemus vincere exemplo Christi per rationem committentes Deo, sicut ipse ait: *Pater, si vis, transfer a me calicem istum, scilicet passionis. Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* 7 Nam si homo in hora suae mortis timens omnino non vult mori, contradicendo divinae voluntati, peccat et damnabitur. Unde XIII. q. ultima c. „Quam praeposterum” dicitur, quod *mali servi videntur, qui cum a Domino vocantur, non voluntarii, sed inviti moriuntur.* Secundus timor dicitur humanalis, quo quis plus debito timet infligi poenam corpori suo, puta vincula, verbera, occisionem etc. Isto timore peccavit Petrus Christum negando, et multos sic deicit is timor. Ideo contra hoc Christus dicit Mat. X.: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, et non habent amplius, quid faciant, magis autem timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* 8 Propter quod Augustinus super Ioh. dicit: *Cum causae articulus venerit, ut haec conditio proponatur: aut faciendum esse contra praeceptum Dei, aut ex hac vita migrandum, quorum duorum unum homo cogitur eligere, ibi eligat Deo dilecto mori, quam ipso offenso vivere.* Haec ille. Exemplum ad id in sanctis martyribus. Si enim fidelis servus morti se exponit in bello pro rege, quanto magis Christianus pro Christo. Tertius timor dicitur mundialis, quo quis plus timet perdere bona mundi, scilicet divitias, res, honores, dominia et huiusmodi, quam bona animae. Hunc habuit Herodes, qui timens perdere regnum occidere voluit Christum, Mat. II. Item Pilatus, qui Christum innocentem morti adiudicavit, timens illud dictum Iudaeorum: *Si hunc dimittis, non eris amicus Caesaris.* 9 Ideo Chrysostomus super Mat. dicit: *Facile deviat a iusticia, qui in causis non Deum, sed hominem formidat.* Unde timor mundialis, sicut et humanus, malus est, et quandoque peccatum mortale est, quando videlicet quis ex tali timore paratus est aliquid facere vel omittere, quod est contra aliquod praeceptum Dei. Sicut exempli gratia, si quis periurat, ne damnum in rebus vel corpore patiat. Similiter si quis consentit luxuriae, ne damnificetur vel verberetur. Item cum quis vovit se religionem intratum, et timore mundi, ne scilicet careat oblectamentis honoris, divitiarum et huiusmodi, omittit votum implere. Talibus eveniet illud Iob VI.: *Qui timet pruinam, irruet super eum nix,* 10 id est qui timet modicum pati pro Christo in religione, incurret damnum aeternum. Quartus timor servilis, de quo Magister in III. dist. XXXIV. dicit: *Timor servilis est, ut ait Augustinus, cum propter timorem gehennae continet se homo a peccatis.* Item Hugo de Sancto Victore: *Servilis timor est pro evitanda poena abstinere a malo, retenta mala voluntate.* Exemplum, si quis libenter vellet adulterari, sed abstinere timore infamiae vel legis punientis etc. Talis timor secundum se non est peccatum, tamen stat cum peccato, ut dicit Augustinus, *eo, quod huiusmodi vivit voluntas peccandi et sequeretur opus, si videlicet posset impune agere, unde huiusmodi timor non sufficit ad salutem. Propterea illi, qui tantum in extremis poenitent timore mortis, et non principaliter propter Deum, non salvantur.* Augustinus: *Abstinere a peccato solo timore poenae non liberat a morte.* Et Gregorius III. li. Moralium: *Vera obsequia Deo non impendimus, si ex timore, et non potius ex amore mandatis eius servimus.* (D) Quintus timor dicitur initialis, quo quis timet non solum poenam, sed etiam timet Deum offendere, ne separetur ab eo, quem iam amare incipit. Et iste timor habet duos oculos vel respectus: unum dextrum, qui est principalior, scilicet ad Deum, ne offendat eum, et ne separetur ab eo, alium sinistrum, qui est minus principalis, scilicet ad gehennam, quam timet incurrere peccando. Unde si

potius propter vitandam gehennam, quam propter Deum a peccato caveret, servilis timor esset, non initialis. Iste itaque timor dicitur initialis, quia est initium salutis parans locum charitati perfectae. Iuxta illud Ps.: *Initium sapientiae timor Domini*. 11 Et Eccli. XX.: *Timor Domini initium dilectionis eius*. 12 De hoc Augustinus De civitate Dei dat exemplum, quod *iste timor est tamquam acus vel seta introducens filum in consuendo pannum, quo consuto reicitur seta et manet filum in panno. Sic in anima timor iste praecedit, et amor sequitur, quo Deo iungimur. Et tunc perfecta charitas foras mittit timorem*, I. Ioh IV. 13 Sextus timor dicitur filialis et castus, quo quis Deum timet ex mera charitate, sicut filius patrem, non propter commodum proprium, vel remunerationem aliquam, nec propter poenam vitandam, sed pure propter ipsum Deum. Sic debent boni Christiani timere, quia ut Augustinus dicit: *Christiani non sunt servi, sicut mancipii, sed liberi*. Iuxta illud Ro. VIII.: *Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum*. 14 O ergo homo, disce haec, quia etiam si scires, quod Deus te vellet damnari permittere, adhuc nihilominus Deum deberes diligere, timere et revereri, sicut bonus filius patrem reveretur, etiamsi a patre verberetur, et etiamsi nil ab eo remunerationis sperare habeat. Exemplum de sancto Fortunato, qui legitur dixisse: *Etiamsi (inquit) Deus me aeternaliter reprobet, volo eius cavere offensam et ei deservire propter suam bonitatem, addens: Quia melius est ab eo pro suo servitio recipere poenam, dum sibi sic placet, quam recipere a diabolo eam pro mercede iniquitatis*. Hunc timorem Ps. multum commendat dicens: *Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi*. 15 Iuxta quod quaeri potest: (E) Primo, cur timor filialis dicitur sanctus? Ad quod respondetur, quia proprie sancti salvandi eum habent. Et secundum Rainerium in Summa: *Oritur iste timor ex tribus respectibus in sanctis*. Primo respiciendo praeterita peccata timent, ne forte non satisfecerint. Secundo ad praesentia putantes in eis esse aliquid occultum, quod Deo displiceat. Gregorius: *Bonarum mentium est agnoscere culpam, ubi non est culpa*. Propter quod Ps. orabat: *Ab occultis meis munda me*. 16 Tertio ad futura timent, ne forte non perseverabunt, sed cadent. Eccli. IX.: *Nescit homo, an odio vel amore dignus sit*. 17 Secundo quaeritur: Quomodo iste timor permanet in saeculum saeculi in caelo? Ad quod respondetur secundum doctores, quod licet in caelo inter beatos non sit timor separationis a Deo, tamen est timor quidam reverentialis, quia ut dicitur Iob XXVI.: *Columnae caeli contremiscent et pavent*, 18 id est angeli et beati reverendo et admirando divinam maiestatem, quae ut exponendo illa verba Hugo dicit, quod *talis et tanta est divina, scilicet maiestas, quod sine admiratione intueri non potest*. Hinc etiam Gregorius XV. Moralium dicit: *Virtutes caelestes, quae Deum sine cessatione conspiciunt, contremiscunt. Sed idem timor ne eis poenalis sit, non timoris est, sed admirationis*. Haec ille. De huiusmodi timore commendatur haec sancta. (F) Circa secundum de castitatis amore quaeritur: Qualibus signis probatur quaecumque mulier vel etiam vir ferventer amare castitatem? Ad quod respondetur, quod praecipue per sex signa probatur, quorum duo sunt in corde, duo in sensibus, duo in operibus. Primum signum in corde affectus devotus, quo gustatur divina dulcedo. Gregorius: *Gustato spiritu desipit omnis caro*. Secundum ibidem cogitatus mundus in Christi passione fixus. Hic ratio, quia impossibile est in hominis sensum non irruere motum. Ille laudatur, ille praedicatur beatus, qui statim ut coeperint, interficit cogitatus et allidit eos ad petram, id est Christum. Iuxta illud Ps.: *Beatus, qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram*. 19 Parvulos, id est cogitatus in principio ortus eorum, quia si increscere permittuntur, difficile eiciuntur. Unde Poeta: *Principiis obsta, sero medicina paratur*. Tertium signum in sensibus, scilicet custoditus vel refrenatus omnis sensus, videlicet visus, auditus, gustus et tactus etc. Nam Mat. V. dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo*. 20 Augustinus: *Impudicus oculus impudici cordis est nuncius*. Quartum purus affatus, quia dicente Apostolo I. Cor. XV.: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*. 21 Et Mat. XII.: *Ex abundantia cordis os loquitur*. 22 Quintum signum in operibus est castigatum corpus. Unde I. Cor. VIII.: *Castigo corpus meum et in servitatem redigo, ne forte cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar*. 23 Nam ut Bernardus ait: *In honore humilitas et deliciis periclitatur castitas*. Ideo Augustinus: *Facilius conservatur ignis et aqua in uno vase, quam cum superfluitate cibi et potus et in deliciis servetur continentia*. Sextum signum assiduum opus, quia *otium est sentina et mater omnium vitiorum*, ut dicit Bernardus. Item Gregorius: *Nec castitas magna est sine bono opere*. O ergo castae mulieres, observate haec. (G) Circa tertium de sanctitate laude digna et gloriosa in mulieribus quaeritur: Quales virtutes disponunt mulieres ad gratiam magnam et laudabilem sanctitatis gloriam? Respondetur, quod Scriptura commendat in eis sex virtutes: Prima est timoris Dei perseverantia in praeceptorum observantia, ut patet ex themate. Item Eccli. XXVI.: *Stabilis mulieris fundamenta aeterna super petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctae*. 24 Haec ibi. Secunda est erubescencia conservans in pudicitia. Eccli. XXVI.: *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata*. 25 Lyra: *Id est verecunda. Nam verecundia decorat et conservat castitatem*. Ideo Aegidius De regimine principum li. II. dicit, quod *homo filias debeat taliter regere, ut coerceat a discursu, otio et multiloquio, quia sic fiunt verecundiores, et tollitur occasio ruinae*. Haec ille. Tertia est morum disciplina cum lingua tacita. Eccli. XXVI.: *Mulier tacita et sensata, disciplina illius datum Dei est*. 26 Cuius ratio est, quia mulier facta est ex costa Aadae, ideo naturaliter sequitur proprietates costae. (H) Nam costa est dura et difficulter flectitur, sic mulier difficulter inclinatur ad oboediendum praeceptis. Unde versus: *Semper prona rei, quae prohibetur mulieri*. Exemplum de ea, cui vir peregre proficiscens (ut narratur, cum uxor eius peteret, quod aliquid iniungeret sibi, quod amore illius interim observaret) iniunxit, ne interim subintraret in fornacem. Illa autem cogitans, cur tale mandasset, tandem intravit, et fornax corruens oppressit eam. Et ecce die eodem maritus rediit, et sic deprehensa est de inoboedientia. Item costa si colligatur in sacco, sonat collisa, quod non facit terra. Sic mulieres sunt sonorosae loquacitate plusquam viri de terra facti in Adam. Ideoque magnae gratiae donum est a Deo, cum mulier est disciplinata moribus, oboediens et tacita, ut sic per gratiam Dei vincatur vitiosa natura. Quarta virtus est prudentia in verbi Dei audientia. Proverb. XIV.: *Mulier sapiens aedificat domum suam, scilicet prudenter regendo familiam, et exempla virtutis eis praebendo*. Sequitur: *Insipiens autem destruet scandalizando*. 27 Proinde debet frequentare praedicationes verbi Dei, ut prudentia erudiatur, et hoc est magnae gratiae. Eccli. XXVI.: *Datum Dei mulier sensata, non est immutatio eruditae animae*, 28 scilicet *digna ponderatione*. 29 (I) Sed quare Scriptura sic commendat in mulieribus prudentiam et eruditionem, plus quam in viris? Respondetur, quod secundum Aegidium ubi supra: *Mulier est debilioris rationis et virtutis naturaliter*,



quam vir. Propter quod dicitur mulier quasi 'mollis aer', eo, quod nimis molliter inclinatur ad passiones sequendas, puta ad passionem timoris sive amoris sive irae et gaudii. Ideo communiter excedunt in talibus, ut si sunt superbae, nimis tales sunt, si iracundae, nimis sunt, si piae, nimis sunt et sic de aliis. Denique quia consilium mulierum est invalidum propter deliberationis defectum, ceteris tamen paribus, melius est consilium mulieris in casu, quando debet fieri aliquid repente vel cito. Haec secundum Aegidium. Idcirco commendabilior est gratia prudentiae in muliere eo, quod rarior, et per consequens magis admirabilis, cum sciunt prudenter se habere in passionibus et consiliis, sicut maius est rusticum philosophari, quam magistrum doctum. O ergo mulieres, visitate praedicationem, ut sitis eruditae. Quinta est laboris diligentia in pietate et misericordia. Prover. VII.: *Mulier diligens* (scilicet in exercitio misericordiae) *corona est viro suo*. 30 Et c. ultimo: *Mulierem fortem* (scilicet ardua operando) *quis inveniet procul et de ultimis finibus pretium eius*. 31 Et infra: *Quaesivit lanam et linum, 32 et panem otiosa non comedit*. 33 *Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperes*. 34 Sexta est orationis frequentia, cum devota passionis Christi memoria. Augustinus: *Quamvis ad omnes Christicolae orare pertineat, specialis tamen cura orationis competit mulieribus, videlicet viduis maxime*. Iuxta illud I. Thim. V.: *Instet vidua orationibus die ac nocte*. 35 Idem Augustinus: *Crucifixi memoria crucifigit vitia*. O magne Deus, quid est, quia mulieres nunc sunt tam indevotae, cum olim canantur fuisse multum devotae, ut patet in officio, cum canitur ad Beatam Virginem: *Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu*. O ergo vos, sanctae et castae mulieres, recognoscite vos fore sponsas Christi, sicut fuit et ista, cuius festum agitur, ut eius exemplo studeatis esse timentes Deum castae, prudentes, devotae etc., quatenus valeatis regnare cum Christo. Amen. Sermo in ordine VII. habetur ad idem prima parte huius operis in communi sub themate „Sicut lilium” etc.

---

1 Prv 31,30 2 Idt 8,29 3 Ps 144,9 4 Ps 18,14 5 Sir 5,5-6 6 Ps 146,11 7 Lc 22,42 8 Cf. Mt 10,28 et Lc 12,4-5 9 Cf. Ioh 19,12 10 Iob 6,16 11 Ps 110,10 12 Sir 25,16 13 I Io 4,18 14 Rm 8,15 15 Ps 18,10 16 Ps 18,13 17 Ecl 9,1 18 Iob 26,11 19 Ps 136,9 20 Mt 5,28 21 I Cor 14,33 22 Mt 12,34 23 I Cor 8,27 24 Cf. Sir 26,23-24 25 Sir 26,19 26 Sir 26,17-18 27 Prv 14,1 28 Sir 26,17-18 29 Cf. Sir 26,20 30 Prv 12, 4 31 Prv 31,10 32 Prv 31,13 33 Prv 31,27 34 Prv 31,20 35 I Tim 5,5

---

[Pelbartus: Pomerium de sanctis, Pars aestivalis Vita sancti Iohannis Eleemosynarii] Vita sancti Iohannis Eleemosynarii patriarchae Alexandrini, cuius corpus translatum habetur Budae in capella regia in castro, et eiusdem festum inibi celebratur sequenti immediate die post festum sancti Martini episcopi et confessoris. Iohannes Eleemosynarius patriarcha Alexandrinus merito dictus est eleemosynarius antonomasice, quia prae omnibus aliis sanctis legitur praefulsisse in eleemosynae sanctae et misericordiae operibus. Proinde de ipso praedicans pro themate accipi convenit illud, quod canit Ecclesia in epistola de ipsis confessoribus, et originaliter scribitur Eccli. LIV., videlicet: *Conservavit illi, scilicet Deus misericordiam suam, et invenit gratiam coram oculis Domini*. 1 Hoc in epistola transsumptum ex Eccli XXIV. Nimirum Deus benedictus conservavit ipsi sancto Iohanni Eleemosynario misericordiam suam, ut eidem quasi tradiderit in sponsam, sicut ipsemet dicebat et claret in legenda. Nam quia Christus Dominus pro regula generali posuit dicens Matth. V.: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. 2 Et quoniam sanctus Iohannes fuit misericordissimus, ideo Deus conservavit eidem suam misericordiam exaltando illum in praesenti per gratiam et in futuro per gloriam. Unde et in praemisso themate subditur: *Et invenit gratiam coram oculis Domini*. Propter quod et merito Iohannes nominatus est, quod secundum Hieronymum in interpretationibus nominum Hebraicorum interpretatur, *id est 'Domini gratia' vel 'in quo est gratia' vel 'Domini misericordia'*. Nam et gratia fuit plenus, ideo Iohannes dictus, et misericordia fuit plenus, ideo Eleemosynarius cognominatus existit. Item de eodem aliud thema Proverb. XIV. ca.: *Qui miseretur pauperi, beatus erit*. 3 Lyra: *Qui miseretur pauperi affectu et etiam effectu, si aderit possibilitas, beatus erit, scilicet in praesenti per spem beatitudinis, ut is etc.* Nam *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, et in futuro per speciem. Item thema aliud Proverb. XXI.: *Facere misericordiam et iudicium magis placet Deo, quam victimae etc.* 4 Lyra: *Facere misericordiae opera in egenos et iudicium, id est iustitiam oppressis iniuste magis placet Deo, quam victimae, quia holocaustis vel victimis Deus non indiget, sed misericordia et iustitia quoad sua membra, id est ad pauperes indiget*. Ideo de non facientibus opera misericordiae dicit illud Mat. XXV. in iudicio: *Esurivi, et non dedistis manducare, sitiivi, et non dedistis bibere etc.* 5 Item: *Maledicti in ignem aeternum etc.* 6 Sic ergo ut scribitur I. Machab. II.: *In sua misericordia consecutus est sedem regni in saecula*. 7 Hoc pro alio adhuc themate. Vitam ergo beati Iohannis Eleemosynarii succincte quantumlibet brevius percurremus, et hoc ad certos titulos reducendo. Primo, quomodo misericordiam sibi specialiter desponsavit. Iohannes ipse sanctissimus loquebatur dicens: *Cum essem – inquit – adhuc juvenis quasi annorum quindecim, quadam nocte orans et obdormiens vidi quasi in somno mihi assistere virginem sole splendidiorem ornatam, coronam olivarum habentem in capite. Expergefactus extimavi eam esse mulierem, quae domum intraverat, et crucis signo edito super me, dixi: „Quae es tu?” At illa: „Ego sum misericordia, quae Dei Filium de caelo adduxi, ut homines salvaret. Si vis me in sponsam, accipe, et bene tibi erit.” Et his dictis disparuit. Exurgens ego intellexi visionem et in Ecclesiam abii, erat enim iam aurora. Et cum irem, ecce obviavit mihi quidam frigore vexatus, et mox indumento meo me exspoliavi et dedi illi. Revera nondum ecclesiam intraveram, et subito obviavit mihi quidam albis indutus dans mihi ligaturam centum numismatum dicens: „Accipe haec, frater, et dispensa, ut vis.” Ego autem cum gaudio reversus volui reddere illi ligaturam quasi nil indigens eadem, et amplius non vidi aliquem. Tunc dixi in me: „Vera fuit visio, quam videram, et non phantasia.” Ex illa ergo hora saepe dabam indigenti dicens: „Videbo, si dabit mihi Deus centupla, ut dixit.” Et cum in hoc Deum male temptassem, et satisfactum esset mihi diversis modis, dixi: „Cessa, misera anima, temptare Deum, quia plus Deus potest dare, quam tu distribuere.” Sic ergo ex hoc est totus misericors. Secundo, quod pauperes dominos suos dixit. Beatus pater pauperes semper appellabat suos dominos*

ob reverentiam Christi in paupere. Unde convocans famulos suos dixit eis: „Euntes per totam civitatem conscribite mihi usque ad unum omnes dominos meos.” Illis autem hoc non intelligentibus dixit: „Quos vos egenos et mendicos vocatis, istos ego dominos auxiliares praedico. Isti enim nobis vere auxiliari et caeleste regnum dare poterunt.” Nam quidam pauper venit ad eum petens elemosynam. Beatus pater praecepit dispensatori dicens: „Da ei sex numismata!” Quae ille accipiens ivit, et mutato habitu iterum rediit petens. Et sanctus iterum praecepit sibi dari sex numismata. Tandem ille tertio venit iterato petens, et dispensator patriarchae ait: „Vere sciatis, quod iste iam tertio accipere vult.” Nihilominus ille misericordissimus praecepit dicens: „Da ei duodecim numismata, quia ne forte ipse est Christus, Deus meus et Dominus, qui me temptat, utrum plus possit in isto accipere, quam ego dare.” Tertio, quod iusta adquisitio prosperatur plus, quam falsa. Nauclerus quidam peregrinus damna pertulit, sanctumque Iohannem rogavit cum lacrimis, ut miseretur. Cui dedit quinque libras auri. Ille emptis per haec mercibus misit in navim, et naufragium in mari pertulit, et sic praeter navem omnia perdidit. Accessit ergo ad ipsum sanctum iterato petens misereri. Cui sanctus dixit: „Crede, frater, quod nisi miscuisses pecunias Ecclesiae illis pecuniis, quae tibi remanserunt prius ex lucro illicito, nullatenus naufragium pertulisses. Sed quia de malis habuisti illas, perditae sunt cum eis etiam, quae fuerunt ex bonis.” Unde praecepit sanctus patriarcha de novo dari eidem decem libras auri denunciando, ne commiseret eis alias pecunias. Quibus ille emens iterum merces in eadem navim in mari perdidit omnia simul et navem praeter alias. Voluit ergo nauclerus prae angustia cordis seipsum necare. Deus autem revelavit hoc beato Iohanni, et nunciavit illi, ut veniret ad se, qui aspersus pulvere et indutus sacco accessit. Cui sanctus Iohannes dixit: „Misereatur tui Deus, nam hoc tibi contigit propter illam iniuste possessam navem.” Moxque iussit dari eidem unam navium Ecclesiae plenam frumento viginti milium modiorum dicens: „Credo, quod de cetero naufragium non indices.” Sic ergo egressus ille est ab Alexandria cum illa navi. Postea nauclerus ipse affirmabat, quod XX diebus ac noctibus navigans rapta navi a vento vehementi nesciebant etiam per stellas, quomodo vel ubi essent, tamen gubernator videbat sanctum Iohannem patriarcham tenentem secum gubernaculum et dicentem: „Ne timeas, bene navigas.” Tandem post XX. diem applicuerunt insulis Britanniae et descendentes in terram reppererunt ibi famem magnam vigere. Unde illi gavisus Deum benedixerunt, quod in ipsas insulas frumentum fuerat adductum, et sic pretio optimo vendens nauclerus gaudebat. Inde quoque accepit stannum multum, et asportavit in Alexandriam, ut illud venundaret. Et venit ad illum quidam ab antiquo sibi socius in negotiando, petivitque ex eodem stanno, et dedit ei quinquaginta libras. At ille volens probare, si foret stannum bonum, solvit illud in ignem, et invenit argentum purum. Putans ergo se fore temptatum, accessit ad nauclerum dicens: „Quid voluisti facere, ut mihi dares argentum pro stanno sic me temptando?” Expavescens nauclerus dixit: „Crede, quod pro stanno ego illud habeo. Veni ad navim et vide!” Accedentes ergo ecce invenerunt, quod totum illud stannum factum est optimum argentum. Et admirans nauclerus ait: „Deus, qui fecit de aqua vinum, ipse per orationes sancti patriarchae fecit, ut hoc stannum fieret argentum.” Et sic Deum laudantes in sancto de cetero iuste negotiando ditati sunt. O ergo mercatores, advertite haec. Quarto, quod iuxta mensuram dati pro Deo remetietur Deus homini. Cuidam de clarissimis divitibus accidit, quod furibus domum eius ingressis perdidit omnia usque ad stramentum, et sic depauperatus venit ad sanctum Iohannem patriarcham. Misertus ergo sanctus dixit ad aures dispensatoris auri, ut daret illi quindecim libras auri, sed ille non dedit, nisi quinque libras. Tandem venit quaedam mulier vidua, et sancto Dei obtulit quinque centenarios auri pro Ecclesiae scilicet subsidio et pauperum. Quibus susceptis interrogavit dispensatorem, quot libras dedit illi homini depauperato. Respondit, quod „quindecim, ut iussistis” – inquit. Sanctus autem per Dei gratiam agnovit, quod mentitus est, et vocato illo homine interrogavit, et ille dixit, quod tantummodo quinque libras dederit. Tunc sanctus dixit ad dispensatores: „Exquirat Deus, quoniam si dedissetis quindecim, mulier ista obtulisset quindecim centenaria, et ut certos vos faciam, vocetur mulier illa.” Quae cum venisset, dixit sanctus eidem: „Obsecro, dic mihi, quantum voluisti dare Christo?” Et illa confessa est, quod voluit dare quindecim centena, et tot colligasset, sed postea cogitaverit, quod daret tantummodo quinque centena. Unde dispensatores illi, qui fuerunt in culpa, ceciderunt confusi ad pedes sancti patriarchae petentes veniam et promittentes de cetero nil tale se facturos. Ecce ergo claret veritatis dictum: *Date, et dabitur vobis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* 8 Quinto, quod iniurias remittere debemus, et benefacere iniurianti. Sanctus patriarcha habebat quendam nepotem, nomine Georgium, qui rixatus est cum quodam cive, et conviciis ab illo affectus coepit flere. Cuius fletus causam audiens dixit nepoti: „Quis omnino ausus est aperire os suum contra te? Crede, fili mi, quoniam faciam in eum rem talem, quod tota Alexandria mirabitur.” Tunc ille tristitiam deposuit putans, quod faceret illum flagellari, et vindictam facere. Postea sanctus deosculans pectus nepotis dixit: „Fili, si ex veritate nepos meus es, praepara te ipsum, ut flagellari et convicia pati velis ab omni homine.” Confestim igitur pro illo cive misit, et astantibus multis civibus ac nepote suo, dixit illi: „Ecce talis. Tu fecisti talem iniuriam huic nepoti meo. Non bene fecisti laedens proximum. Dic, quantum debes Ecclesiae meae!” Et ille: „Tantum.” Tunc sanctus ait: „Ecce remitto tibi omne debitum ex toto pro iniuria nepoti meo, et sic mihi facta, sed ammodo caveas tibi ab offensis proximis tui, ne Deus irascatur tibi.” Et de hoc tota Alexandria mirata est, ut praedixerat. Item cum cuidam elemosynam petenti dari praecepisset quinque nummos, et ille indignatus, quod modicum dederit, in contumelias prorupit, et in faciem eius conviciari coepit, propter quod famuli eius voluerunt irruere in ipsum et caedere. Sed sanctus omnino prohibuit dicens: „Sinite, fratres, ut mihi maledicat, quotiens ego contra Christum offendi, et unum convicium non portabo pro Christo.” Iussitque sacculum afferri, et coram illo apponi, ut inde tolleret, quantum vellet. Sexto, quod qui pro Deo dat, dabitur ei gratia et gloria. Sancto Iohanne patriarcha existente frequenter in exstasi mentis, posito in oratione, talibus verbis cum Deo disputare auditus est: „Sic, sic, bone Iesu, ego distribuendo et tu donando vel ministrando videamus, quis vincat.” Et pro inductione ad elemosynam sanctus patriarcha narrare consueverat, quod pauperes semel in sole considerentes coeperunt loqui de his, qui eis dabant elemosynas, et de his, qui eis non dabant elemosynas, illos laudando, et istos vituperando. Erat autem quidam telonarius, nomine Petrus, dives valde, sed immisericors, qui omnes ad domum suam accedentes pauperes cum ira repellebat. Pauperes ergo de hoc inter se conquesiti sunt. Unus autem pauperum dixit: „Quid vultis mihi dare, si ego hodie elemosynam ab illo

accipiam?” Pacto facto venit ad petendum elemosynam. Ille videns pauperem prae foribus statim et in furia cum non inveniret lapidem, iactavit in faciem illius panem siliginis, quem tunc famulus in domum deferebat. Quem pauper suscipiens ad consocios detulit indicans, quod elemosynam ab illo acceperit. Post duos dies Petrus telonarius infirmatur ad mortem, viditque se ad iudicium tractum in somnis, et omnes actus suos in statera vidit appendi, angelosque tristes et daemones gaudere. Cumque nil aliud inveniretur, quod in altera parte staterae appenderetur, appositus est iste panis siliginis, et aequalitas ponderis facta est, ut sibi videbatur. Tunc dixerunt Petro telonario angeli: „Vade, adauge ad panem hunc, alioquin te daemones apprehendent.” Evigilans dixit in se: „Si unus panis siliginis, quem iactavi per furorem, tantum mihi profuit, quanto magis valebit omnia indigentibus elargiri?” Coepit ergo magnas elemosynas facere. Contigit autem quadam die, ut obviaret sibi naufragus nudus postulans tegumentum, et continuo pretiosa veste se expolians illi dedit. Sed ille accipiens statim pretio vendidit. Unde Petrus nimis contristatur dicens: „En non fui dignus, ut mei memoriam haberet egenus?” Cumque obdormivisset, vidit quendam super solem fulgentem, ferentem crucem super caput suum, et hunc indutum isto vestimento, quod dederat egeno. Qui dicit ei: „Petre, cognoscis hoc vestimentum?” Et ille: „Etiam, Domine.” Dicit ei Dominus: „Ecce ego illo vestior, et gratias ago voluntati tuae, quia in frigore cooperuisti me.” Unde in se reversus Petrus coepit beatificare egenos dicens: „Vivit Dominus, non moriar, donec fiam unus ex pauperibus.” Unde omnia, quae habuit, pauperibus distribuit. Insuper ordinavit, quod quidam suus famulus duceret ipsum, id est Petrum in Ierusalem, et ibi venderet in servum cuidam Christiano pro triginta numismatibus, quae etiam pauperibus erogaret. Petrus ergo factus servus omnia vilia servitia faciebat. Dominus autem Iesus sibi frequenter apparebat, et vestimentum, quod prius pro Christo dederat, ac numismata triginta ostendens ipsum consolabatur, et breviter loquendo tantam gratiam a Deo promeruit, quod solo verbo surdum audire et mutum eundem loqui fecit, ut omnes mirarentur et sanctitate praeclarus regnum caeleste feliciter obtinuit. Ad idem de retributione in caelo pro elemosyna: Sanctus patriarcha vadens ad visitandos pauperes cum quodam episcopo, nomine Troilo, qui fuit amator pecuniae, et habebat tunc apud famulum triginta libras auri, cui sanctus dixit: „Fratr Troile, ama et honora fratres Christi”, id est pauperes. Veritus autem episcopus sermonem hunc sancti patriarchae praecepit famulo, qui portabat illas XXX libras, dari cuilibet pauperi sedenti de pecunia. Unde percipiens tantum erogasse febre aegrotavit. Invitatus ad prandium a sancto Iohanne se excusavit, scilicet febre correptum. Sed sanctus agnovit causam huius, et statim ad eundem accessit et hilari vultu dixit: „Fratr Troile, ego dixi tibi facere charitatem in pauperes propterea, quia ego volebam hoc eis praestare, sed meus distributor non habuit apud se sufficienter tantam quantitatem, ideo tibi illud faciendum dixi. Ecce autem attuli, ut illas triginta libras, quas erogasti, solvam tibi.” Videns episcopus aureos in manu sancti mox bene convaluit, et suscepit. Tandem ad prandium ivit cum sancto. Post prandium dormienti episcopo apparuit ecce quaedam domus caelestis, cuius pulchritudinem et magnitudinem non potest lingua narrare, et ianuam habebat totam auream cum titulo supra descripto sic: „Mansio aeterna, et requies Troili episcopi.” Cum legisset titulum, gavisus est episcopus, sed cum perlegeret, ecce quidam regis cubicularii, id est angeli advenientes deposuerunt titulum illum, et mutaverunt scribentes sic: „Mansio aeterna, ac requies Iohannis archiepiscopi Alexandriae, empta libris triginta.” Hoc viso episcopus surgens narravit sancto omnia, et ex tunc factus est magnus elemosynarius. Plura alia ob brevitatem pertranseo. Sequitur de eius transitu mortis Ipse beatus patriarcha cum febre correptus morti se appropinquare cerneret, dixit sic: „Gratias ago tibi, Deus, quoniam exaudisti miseriam meam rogantem bonitatem tuam, ac inveniretur morienti mihi nisi unicus tremissis, hunc igitur pauperibus dari iubeo.” Est autem secundum Catholicon tremissis masculini generis idem, quod tertia pars solidi, quia ter missus solidum facit. Ecce sancti claret mira pietas et paupertatis dilectio, quia omnia erogaverat. Tandem post mortem positum est venerabile corpus eius in sepulchro, ubi corpora duorum episcoporum fuerant tumulata, et corpora illa mirabiliter sancti Iohannis corpori cesserunt et locum medium vacuum dimiserunt. Claruit autem circa annum Domini sexcentimum quintum tempore Phocae imperatoris, cuius corpus usque modo stat incorruptum, quod caesar Thurcorum misit pro munere ex Constantinopoli Hungariae regi Mathiae, et tunc reverenter tenetur in capella regia castri Budensis, ubi ad eius invocationem crebra coruscant miracula. Praestante Domino nostro Iesu Christo, cui sit laus et gloria per aeterna saecula. Amen.

---

1 Sir 44,20 2 Mt 5,7 3 Prv 14,21 4 Prv 21,3 5 Mt 25,42 6 Mt 25,41 7 I Mcc 2,57 8 Lc 6,38

---

Lector studiose! Pelbarti de Themeswar († 1504), fratris ordinis minorum Hungari sermonum et operum aliorum editio hic invenitur:

ST

=

[Pelbartus de Themeswar]: Stellarium coronae beatae virginis Mariae. Hagenau 1498. Bibl. nat. Inc. 536b (Sajó-Soltész SAJÓ, G.-SOLTÉSZ E., *Catalogus incunabulorum, quae in bibliothecis Hungariae asservantur*, Budapest 1970. 2558, HC \*12563)

PH

=

Pelbartus de Themeswar: Sermones Pomerii de sanctis I. [Pars hiemalis]. Augsburg 1502. RMK III. SZABÓ, K.-HELLEBRANT, Á., *Régi magyar könyvtár III.*, Budapest 1896-1898. 104.

PA

=



Pelbartus de Themeswar: Sermones Pomerii de sanctis II. [Pars aestivalis]. Augsburg 1502. RMK III. 104.

TH

=

Pelbartus de Themeswar: Sermones Pomerii de tempore. Hagenau 1498. Bibl. nat. Inc. 1042 (Sajó-Soltész 2556, HC \*12551) Pars hiemalis.

TP

=

Pelbartus de Themeswar: Sermones Pomerii de tempore. Hagenau 1498. Bibl. nat. Inc. 1042 (Sajó-Soltész 2556, HC \*12551) Pars Paschalis.

TA

=

Pelbartus de Themeswar: Sermones Pomerii de tempore. Hagenau 1498. Bibl. nat. Inc. 1042 (Sajó-Soltész 2556, HC \*12551) Pars aestivalis.

TQ

=

Pelbartus de Themeswar: Sermones Pomerii quadragesimales. Hagenau 1499. Bibl. nat. Inc. 1044 (Sajó-Soltész 2552, HC \*12559)

ROS1

=

Pelbartus de Themeswar: Aureum rosarium theologiae I. Hagenau 1503. RMK III. 114.

ROS2

=

Pelbartus de Themeswar: Secundus liber Rosarii theologiae. Hagenau 1504. RMK III. 125.

ROS3

=

Pelbartus de Themeswar: Tertius liber Rosarii theologiae. Hagenau 1507. RMK III. 145.

ROS4

=

Oswaldus de Lasko: Quartus liber Rosarii aurei. Hagenau 1508. RMK III. 151.

PS

=

Pelbartus de Themeswar: Expositio Psalmorum. Hagenau 1504. RMK III. 124.